S. L. No. 27 Box

Ternarij numeri.

TER bibe, vel toties ternos: ſic myſtica lex eſt:
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus nouies ternis contexere cubum.
Iuris idem tribus eſt, quod ter tribus omnia in iſtis,
Forma hominis cæpit, plenâ quę exactio partus:
Quique nouem nouies fuit tenet vltima finis.
Tres ope progeniti fratres: tres ordine Parcæ.
Veſta, Ceres, & Iuno ſecus mulieb. fœdere iunctæ,
Inde triſulca Iouis ſunt fulmina. Cerberus inde,
Inde Tridens: triplex q; Helenes cum fratribus ouum.
Ter noua Neſoreos implenit purpura fuſos.
Et toties trino cornix viuacior ęuo.
Quam nouies terni glomerantem fœcula vitulus
Vincit, aripides ter terno Neſore cerni.
Tris quoniam atates ſuperat Phœbeius oſcen.
Quem nouies ſenior Gangeticus antecit ales,
Ales Cinnameo vadiatus tempora nido:
Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tres Charites: tria Fata: triplex Vox: trina elementa,
Tres in Trinacria Sirenes: omnia trina:
Tres volucres, tres ſeridæ, tres ſemipedes:

quo violatum Dianæ numen ab vxore fuit occiſus. Et Agamemnoni & Claſsi Græcorum negati ſunt venti ob iram Dianæ. vide late ſeruium 2. Æneid. in illo verſu:

Sanguine placaſſis ventos ſ. virgine cæſa,

Et Ouid. 12. Metam.

621 *Naupliadaque mœdo.* Palamedes Nauplij filius crimine fœdo ab Vlyſſe, quod aurum à Priamo acceperit, lapidibus eſt obrutus. hæc Seruius 2. Æneid. in illo: Bellidæ nomen Palamedis.

623 *Aſtabon vt vitas poſſunt Iſidis hoſpes.* Vertus claudicat in voce Iſidis. Iſis enim, & Iſiacus primam producit, itaque alter legendum, & Aethalon nihil eſt, aliud quærendum.

625 *Vtque Melanthenum lenab.* Hic fruſtra ſunt commentatores, quare aliud quærendum: ſed connecte hoc dicho illud ſequens. Sic tua conieciis cæt.

629 *Qualis equis pallas.* Quia in Epiſtola retulit, & ferro Rhœtum Dolonaque cæſos. Dolon ſpeculatum miſſus à Troianis pactis equis Achillis, occiſus nocte eſt ab Vlyſſe. ex Hom. Iliad. Rhæſi hiſtoriam narrat Seruius in illo Æneid. 1.

Nec procul hinc Rhoeſi. cæt.

633 *Quam quos cum Rutulos.* Niſus, & Euryalus multos Rutulorum oppreſſos ſomno interfecerunt. Virgilius lib. 9. Æneidos.

637 *Climaceque.* Alcithoes, quum viuum non posſet comprehendi, igni domo circundata interiit. Iuſtinus lib. 5. Plutarchus obliuium intercidiſſe narrat. alij vero

300
300-2-5

553 *Nudaque direpta* Marſias victus à Phœbo riatus fuit, nota eſt fabula ex Ouid. & aliis: is dedit nomen fluuio.

555 *Saxificæ videas.* Perſeus deuicta Meduſa Cephũ populos in ſaxa cõuertit. Ouid. Higinus & alij.

557 *Potniadum morſus.* De tribus Glaucis ſatis ſuper que dixiimus in Emblemat. 26. cuius titulus Gramen.

561 *Sollicitoque bibas,* Aniti reus, eſt Socrates, qui cicutam bibit, nota eſt hiſtoria, ex Platone, Diogene, Laertio, & alijs.

563 *Nec tibi ſi quid amas.* Hæmõfilius fuit Creontis Thebarum regis, hic Antigonen amabat, quam quum vidiſſet à patre damnatam, & ſepultro incluſam, impatientia amoris ſe ipſum interfecit, Sophocles in Aurigone, de Micareo & Canace extat Ouidij epiſtola. Hanc vide.

565 *Et videas quum iam* Suſpicor hoc diſtichum nõ eſſe Ouidij, ſed è margine in contextum irrepſiſſe. Nam de Aſtianacte è turri præcipitato iam antea dictum eſt, inſulſum diſtichon & nullius imprecationis, nec ſalis.

567 *Sanguine probra luas.* Adonis Cynaræ & Myrrhæ filius ab Apro fuit dilaceratus. Ouidius.

569 *Oßibus inque tuis.* Commentarij Homeri, lib. 11. Odyſ. narrant, quemadmodum Telegonus Vlyſſis ex Circe filius patrem inſciens interfecerit. Erat autem Telegoni telum græfixum ſpina piſcis Trygonis venenoſa.

ut nouem propter Muſas. Hiſpanè dicimus, Beue rios, id eſt, bibit nouies. Myſticum eſt, quod haquid occultioris myſterij, & aliud ſignificat, quã quod prima frõte oſtendit. Atheneus, & Euſtatius myſticè interpretantur illud vulgatum prouerbium: Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quater, non enim de Cyathis bibendis interpretantur, ſed de tẽperandi vini lege: Quinque bibe, id eſt, tres aquæ partes, duabus vini accommoda: tria bibe, id eſt, duas aquæ partes vni vini miſce: & ne quater, id eſt, non duas aquæ duabus vini, id adagium Græcè refertur apud Plautum in Sticho: Sed quia ſeruus malè recitauit adagium, vt ad ſuum cõmodum verbum corrumperet, nec Eraſmus, neque Lambinus, neque alius adhuc illud rectè potuit explicare. Quærit enim Stichus: quot Cyathos hibemus? reſpondet alius: Tot, quot digiti ſunt tibi in manibus: nam cantio Græca eſt: Et quinque bibe, & tres bibe, & ſemiquater, hactenus ille. Sed cor rupit, & mutauit ETA in KAI. & ex vocibus MH, TETARA, id eſt, vel ne quater, fecit IMETETARA, id eſt, ſemiquater, id eſt, decem. Sic dicimus Hiſpanè, *Dios nos dè ſalud*, & *Dios no os dè ſalud*: in primo precamur, in altero imprecamur, cum ſimili pronuntiatione.

3 *Imparibus nouies.* id eſt, idem iuris eſt tribus numeris, quod ter tribus, ad contextum cubi, id eſt, numeri quadrati. Cubus eſt numerus productus ex multiplicatione ſui in ſe primum, deinde in productũ ex multiplicatione numerorũ: vt ter terna 9. & ter nouena 27.

PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA SEV DISPVTATIONES

IN VNIVERSAM PHYSIOLOGIAM ARISTOTELIS:

CVIVS ANTIQVÆ SENTENTIÆ, SICVT ET D. THOMÆ, PLERVMQVE NOVITER ELVCIDANTVR, SPECIATIM FVLCIVNTVR, ET AB IMPVGNATIONIBVS, PRÆSERTIM RECENTIBVS, VINDICANTVR.

OPVS VNIVERSIS NATVRÆ SPECVLATORIBVS VTILISSIMVM, iſque ingenti ſubſidio futurum, qui ad aggredienda, aut ſubeunda in Scholis certamina ſeſe accingunt. Habebunt enim inſtructiſsimum promptuarium ad ſortitias Prælectiones, & quaslibet Diſſertationes publicas.

PALENCIA - BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO Nº REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

AVCTORE

R. A. P. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Generali Magiſtro, Supremi Senatus Fidei Cenſore, in Salmanticenſi Academia Profeſſore Theologiæ Laureato, Philoſophicæ Cathedræ Anteceſſore, & Inſignis Collegij D. VINCENTIO *ſacri Studiorum Regente.*

TOMVS POSTERIOR.

CONTINENS EA, QVÆ SPECTANT AD LIBROS DE Generatione, Cœlo, Anima, & Meteoris, quibus demum tota comprehenditur Phyſiologia.

OMNIS SCRIBA DOCTVS IN REGNO COELORVM, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS, QVI PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA ET VETERA. Math. 13. v. 52.

SALMANTICÆ:
Ex Officina LVCÆ PEREZ, prope Collegium S. VINCENTII,
Anno Dñi M. DC. LXXIII.
Catholicæ Maieſtatis Privilegio, & Superiorum permiſſu.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

PHILOSOPHIA NOVA ANTIQVA

SEV DISPVTATIONES

IN VNIVERSAM PHYSIOLOGIAM ARISTOTELIS:

CVIVS ANTIQVÆ SENTENTIÆ SICVT ET D. THOMÆ, PERMVLTÆ NOVITII FVCIDANTVR, SPECIATIM EVLCIVNTVR, ET AD IMVGNATIONES, PRÆSERTIM RECENTIORES, VINDICANTVR.

OPVS VNIVERSIS NATVRÆ SPECVLATORIBVS VTILISSIMVM; ipsique Sacræ Medicinæ fundamenta, quæ adsperguntur, aut inducuntur in Scholis certamina lucis accipiunt. Habebunt enim intricatissimum promptuarium ad tormentas Tractationes, & quasliber Differtationes publicas.

AVCTORE

R. M. P. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, Sacræ doctrinæ Congregationis Hispaniarum Generali Magistro, Sacræ Sanctæ Fidei Consore, in Salmanticensi Academia Professore Theologiæ Primario, Philosophiæ Cathedræ Antecessore, & Collegii S. VINCENTII Facri Studii Regentis.

TOMVS POSTERIOR.

CONTINENS EA, QVÆ SPECTANT AD LIBROS DE Generatione, Cœlo, Anima, & Meteoris, quibus demum tota comprehenditur Philologia.

OMNIS SCITA DOCTVS IN REGNO COELORVM, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS, QVI PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA ET VETERA. Matth. V. 52.

SALMANTICÆ:

Ex Officina LVCÆ TRIGO, prope Collegium S. VINCENTII.

Anno Dñi M. DC. LXXIII.

Cum Licentia Superiorum, & Privilegio.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D.D.PETRO NVñEZ DE GVZMAN,

COMITI VILLÆ-VMBROSÆ, ET CASTRI-NOVI, MARCHIONI QVINTANÆ, SVMMI CASTELLÆ SENATVS PRÆSIDI, HISPANIARVM GVBERNATORI SE-VIRO, AC PRIMO IVSTITIÆ ADMINISTRO.

NOCENT Et frugibus vmbræ, *accinebat Maro. At fruges noſtræ vmbram quærunt, & ad VILLAM VMBROSAM non tam eunt, quàm rapiuntur*, Excellentiſsime Princeps. *Nam ad lucem, & tantam lucem, quomodo abſque rubore irent? Poſſet* Philoſophia *apparere revelatà facie, & atria Domus Tuæ adire, quæ olim penitiora Regum cubicula, & Cæſarum adyta ingrediebatur. At quia nomine meo, ideſt, obſcuro, inſcripta; maieſtatem ac ſplendorem exuit. Ideo ad Nominis Tui vmbram confugit, quamvis & illa Principum aliorum luminibus clarior ſit. Quippe ſplendidiſsima Domus Tua, ideſt, GVZMANORVM Legionenſium, toti Hiſpaniæ cælo aſtrum primæ magnitudinis eſt. Idē TIBI & Tuis Oriens, atque Hiſpaniæ Regibus. Parentes, Avi, Atavi Tui, rectam originem ducunt à Sereniſſimo Infante D.NVñO, germano fratre ALPHONSI Hiſpaniæ Regis, cognomento Magni. Octo circiter ſæcula tanti ſplendoris numerantur. Deinde Hiſtoricorum fide conſtat; Reges à Domo Tuà generos accepiſſe, ac nurus delegiſſe. Quid maius aut illuſtrius excogitari poteſt? Sed & miraculo eſt, poſt tot Magnatum Hiſpaniæ Domus extinctas, aut lineā virilem egreſſas, imò & quaſi ſepultas, vnam* GVZMANORVM *ſupereſſe modò in tantæ amplitudine ac magnitudine, longè lateque patentem, vt nulla alia æquè ferax inveniatur. Præterquam enim quod originarium decus Avorū Tuorum perſiſtit in Legionenſi* Regno, *tot illius ramenta ſunt, tot Principum atque Heroum propagines totà Hiſpaniâ diſperſa, vt* GVZMANIS *videatur dictum, præ alijs omnibus:*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

VERVM *Quamvis cætera ornamenta deeſſent, ſummæ ijs gloriæ fuiſſet, quòd ex eadem toties coronata* Domo *originem duxeris. Is enim es, qui inſignibus erga Hiſpaniam meritis,*

vel

vel humile tuguriũ, pauperumq; tabernas, *converteresin Pallatia*; Regumq; turres, *vt cum Horatio loquar. Maximæ laudis est Principi, cui magnum nasci contigit, sese fecisse maiorẽ. Celebritate dignum est, invenisse modum, quo crescceres, cùm vix posses. Addidisti GVZMANORVM gloriæ litterarum decus in hac Salmanticensi Academiâ, & Collegio Maiori Ovetensi, vel exinde Maiori.* Nulla enim, *testante Cassiodoro*, in Orbe potest esse fortuna, quam litterarum non augeat gloriosa doctrina. *Addidisti & regimen tot Supremorum Senatuum, vsque ad summã rerum Hispaniæ, cui iamdiu præes. Pependerint aëre vacuo Mausolea olim, dum tamen fabula sit. Totius Hispaniæ moles, atque vtriusque Orbis Imperium, verè Tuis humeris, & capacissimæ menti, credita, ac superimposita sunt. Magna profectò vis animi*, robur & æs triplex circa pectus, *quod tanto onere non premitur, sed nec faciscit. Addo insuper. Mira laus in tot magnis, arduisque rebus, toto impetu in honestum iviſſe, in id quod iustum, quod divinum est. Mira*, inquam, *cum ineluctabile appareat, & homini, & innumeris rebus distento, quandoq; decreta sua regulæ Lesbiæ conformare. Sed quomodo, nisi purissimo oculo mentis, ac iustitiæ intento, posses frequenter consulere Hispaniæ & totius Orbis Christiani Solem*, MARIAM-ANNAM AVSTRIACAM, *virtutum propè divinarum exemplar mirum, & Reginarũ IDEAM? Solem non, nisi aquilæ oculis puriores, imperstricta pupillà intuentur, speculantur, explorant. In eo spirante ac vivido pietatis & pulchritudinis speculo consulis sanctiora decreta, & placita, rationi simul ac publico bono vtiliora. Ab eiusdem supremà potestate descendit, quòd & rerum Academiæ Nostræ primus Moderator, atque Arbiter sis. Iustitia in cathedris conferendis servata, TIBI potissimùm adscribitur. Quam mihi triennio antè dedisti, PHILOSOPHIÆ tradendæ institutam, hoc publico gratitudinis testimonio TIBI accepta fero. Maiores, sublimioresque adyce, vt ampliora gratiarum argumenta exhibeam. Sed non ideo elogijs nostris incrementa gloriæ subire poteris, qui summa attigisti: vt meritò huc advocare liceat illud Sallustij:* Nullius laudibus Carthago crescit, nec vituperatione minuitur. *Vale, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, & Hispanicæli luminare maius. Salmanticæ VII. Idus Martias, anno M.DC.LXXIII.*

EXCELLENTIÆ V.
Humilis cliens ac servus,
Fr. Iosephus Saenz de Aguirre.

IL-

ILLVSTRISSIMIS, LITTERATISSIMIS, ET NOBILISSIMIS DD. CONSILIARIIS SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS, SALMANTICENSIVM PROFESSORVM IVDICIBVS.

PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM, pertinaci ſtudio conceptam, ac multiplici obſervatione Naturæ elaboratam, ſub Veſtris auſpicijs publicæ luci cõmittendam duxi, CLARISSIMI SENATORES. Neque enim aliter facerem ſatis honori eximio, atque exiſtimationi, quà res noſtræ quantulæcumque VOBIS obſtrictæ ſunt. Tribus ab hinc annis Philoſophiæ cathedrà in hac florentiſsimà Academià Salmanticenſi decoraſtis me, vix illa contentioſa certamina aggreſſum, quibus ea laurus obtineri ſolet. Nimirum, quem domeſticæ leges non antea in aream exire permiſſerant, poſt tot annorum pervigilia, & operas in docendis Artibus ac Theologia collocatas, eximendum putaſtis communi lege, & ſerà illa expectatione, qua alij fatiſcunt, poſt plures ſortitiarum Prælectionum agones. Neque id tantùm. Ijs namque honoris inſignibus, ac benevolentiæ notis, me dignati eſtis, vt vel hoc vnum ſuffeciſſet in præmium. Quare debui gratitudinem meam non concludere intra cordis ſinum, ſed publico aliquo & æternaturo teſtimonio conſignare. Diſplicet quippe illud antidori genus, Cordubenſi Philoſopho exoſum: *Quidam furtivè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia: ſed inficiandi genus. Ingratus eſt qui remotis arbitris agit gratias. Quidam nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari; nec chirographum dare. Idem faciunt qui dant operam, vt beneficium in ipſos collatum, quàm ignotiſsimum ſit. Verentur palam ferre, VT SVA POTIVS VIRTVTE, QVAM ALIENO ADIVTORIO, CONSECVTI DICANTVR.* Erunt fortè quibus nimius videatur publicæ gratitudinis apparatus pro acceptà cathedra nõ præſtãtiori, quàm Philoſophiæ, quaſi gratiæ eiuſmodi ſolùm referri poſsint, aut debeant, pro ſupremis Academiæ præmijs. At illorum iudicia refellit idem Seneca, dum ait: *Nemo agit de tribunatu gratias: ſed quæritur quòd non eſt ad præturam vſque perductus. Neque hæc grata eſt, ſi deeſt conſulatus. Nec hic quidem ſatis eſt, ſi vnus eſt. VLTRA SE CVPIDITAS PORRIGIT, & felicitatem ſuam non intelligit: QVIA NON VNDE VENERIT RESPICIT, SED QVO TENDAT.* In Salmanticenſi Academià nihil non magnum eſt; his præſertim temporibus, & verè aureo litterarum ſæculo, affluentiſsimaque Antagoniſtarum lectiſsimorum copia. Verùm eſto exiguum eſſet quod accepi, nec ſingulari favore Veſtro grandeſceret, æquum foret vt id grato animo exciperem, ac proferrem hoc quale cumque beneficij mnemoſynon. Profero itaque, & ſimul opere oſtendo, quàm cohærens iuſtitiæ fuerit gratia Veſtra: quoniam non, niſi Philoſopho, Philoſophi officium commiſiſtis. Nulla eſt omnimodæ Philoſophiæ pars, cui totius animæ viribus, & indefeſſo labore non fuerim operatus. Quidquid ferè Magnus ille Ariſtoteles, & NATVRÆ IDEA, circa Phyſiologiam tradidit in libris Phyſicorum, de Generatione, de Cœlo, Animà, ac Meteoris, aut ex toto, aut quantùm ad præcipua capita, expendere, & illuſtrare curavi, vtroque hoc volumine. Quod ſpectat ad Philoſophiam Rationalem, Metaphyſicam, atque Ethicam, quàm primùm licuerit, publicæ luci committam. His peractis, videbor Philoſophum egiſſe, ac reſpondiſſe muneri meo. Neque hæc dixerim, quaſi noſtri Genij ſit, aut inhiare captandæ opinioni, aut potentum gratiam promereri. Vellem toto animi deſiderio, vel inter fagos & quercus, aut in obſcuro angulo, procul ab omni hoc tumultu & congreſſu, potiùs politico, quàm Academico, tempus impendere ſacris ac ſeverioribus ſtudijs. Vellem tranquillo ac beato otio perfrui, vt Deo liberiùs vacarem. (Novit ille, qui ſcrutatur hominum corda.) Vellem exoneratiori animo inſiſtere ſacræ Theologiæ, vt in lucem proferrẽ integrum eius Curſum, cuius potiſsimam partem elaboratam habeo. At præcepto Superiorum conſtringor reciprocare ſerram hanc, & ci-

Seneca de Benef. l. 2. c. 23.

Idem vbi ſuprà c. 27.

civili convictui deputare non exiguam temporis partem. Parco itaque, & acquiesco; longè magis in frequentia hominum, quam Basilius in solitudine, ✻ὅμοιος τοῖς ἐν θαλάσσῃ ἀπολλυμένοις ἢ ναυτιῶσιν οἱ τὸν μεγάλῃ τῇ πλοίῳ δυσπεραίνουσιν, ὡς πολὺν τὸν σάλον παρέχομένῳ. Sicuti autem imperio Prælatorum subiectus viam hanc vsque adeò anfractuosam insisto, ita etiam par est vt non perfunctoriè, non ieiunè, aut sterili & frequenti cursu procedam. Par, vt qualecumque talentum mihi commissum, non abscondam, sed periculum eius faciam, & lucro committam. Par etiam, vt testimonium haud obscurum laboris atque industriæ exhibeam Vobis: quibus, inter graviores Hispaniæ curas, Salmanticensis Academiæ res potissimùm commissæ sunt. Vestra interest dijudicare, quis inter nos, præter solitum pensum, & debitum communi lege, aliquid supereroget communi vtilitati futurum. quis, etiam apud Exteras Nationes, consulat suæ Scholæ splendori. quis severiores has disciplinas tradat, non rudere, aut carie vetustatis squalentes, sed expolitas, & quæ nec extraneæ facultatis Professoribus hispidæ, aut salebrosæ appareant. Quis denique de alieno victitet, an potiùs de sua penu, accessionem faciat disciplinæ, quã profitetur. Ex his capitibus ferri potest ✻ῥαδαμάνθεως κρίσις luxta hæc dirigetur ✻ἡ Ἀθηνᾶς ψῆφος, Accusant nonnulli ausum nostrum, post tot aliorum scripta. Verùm hoc convicij genus, præcedentibus etiam sæculis solemne fuit; nec obtinuit, vt retardaret multorum Opera, quæ postea summam in Scholis laudem meruerunt. Irrident & ipsi, cùm nec legerint; sed Sardonio risu. Nimirum, aut livor, aut timor, in causà sunt. Nollent aliquem vltra vulgus litteratorum assurgere, quo & censentur. Metuunt infaustum aliquid, si quisquam iudicio Vestro superemineat, & ijs præferatur in cathedrà, quia in opinione. At id solùm obtinent, vt à cæteris invidiæ arguantur, sicut & inscitiæ. Reclamant enim cæteri omnes, & pro veritate stant. Quibus nulla concertandi occasio, nullumque imminet honoris discrimen; ingenua mens, ingenua confessio in ore est. Liveant igitur, & palleant qui alienæ gloriæ insultant, quam promereri, aut nequeunt, aut detrectant. Verùm esto obruerent famam superstite Auctore; *veniet qui conditam, & sæculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis notus est qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum supervenient. Ad illa respice, etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit. VENIENT QVI SINE OFFENSA, SINE GRATIA IVDICENT. Si quod est pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil spectabit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit.* Sed pudet prosequi invectivam. Satis vapulant nigræ animæ à seipsis. Ad VOS convertor, LITTERATISSIMI SENATORES, quibus nihil cum eâ fæce commune. *AVOBIS radicem sumunt instituta sapientiæ: per vos informata proferuntur. Nullus sine vobis pectori sapor est, libertas eloquio. VOS ingenui testimonium sanguinis. Per VOS quod cor dictaverit, lingua proloquitur. Ad investigandam iustitiam iter præbetis.* Porro insignia merita vniuscuiusque Vestrùm non licuit vnica & communi epistolà, ne hîare quidem. Ideo singulos alloquor in libris de Cœlo & Animâ, dissertatione aliquà epistolicà: vbi nonnihil laudum Vestrarum visum est posteritati committere. Hoc vnum moneo, me in ijs nullum servasse ordinem antiquitatis, nullum meriti, nullum dignitatis, inter VOS; imò nec debuisse. Quippe iam diu apud Senecam legi: *Nemo ab altero potest vinci, nisi dum ascenditur. Dum ad summum pervenerint, paria sunt. Non est incremento locus: statur. Extollere se quæ iustam magnitudinem explevere, non possunt. Quicumque fuerint sapientes, pares erunt & æquales. Habebit vnusquisque ex ijs proprias dotes. Alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior. Illud, de quo agitur, quod beatum facit, æquale erit in omnibus.* Quod superest, largitorem bonorum omnium rogo, vt VOS communi Iustitiæ, Hispaniæ, & Nostræ Academiæ bono, decoríque, quamdiutissimè incolumes servet.

✻*Similis pereũtibus & nauseantibus in mari, qui mole navigij offenduntur; veluti niniam cõcussionem præstante.*

✻ *Rhadamantæũ iudicium.*

✻ *Minervæ suffragium.*

Seneca Epist. 79.

Ennodius Dictione XII.

Seneca vbi sup.

LICENTIA ORDINARII.

D. Proviſores Eccleſiæ Cathedralis Salmanticenſis, Sede vacante, hoc Opus inſcriptum PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA, iuſſu ipſorum examinatum, & probatum à RR.P.F. Philippo Vahamonde, in Salmanticenſi Academia Profeſſore Theologiæ Laureato, Benedictinæ Religionis Generali Magiſtro, & Collegij D. VINCENTII Abbate, in lucem edi permiſerunt die IX. Auguſti anno M.DC.LXX. vt latiùs conſtat ex ipſorum litteris authenticis apud Franciſcum Fernandez Almejun Notarium publicum vrbis Salmanticæ.

CENSVRA RR. AC DOCTISSIMI P.M.F. MAVRI DE SOMOZA, BENEdictinæ Religionis Magiſtri Generalis, quondamque Definitoris Iudicis, & Collegij D. VINCENTII iam dudum Abbatis; Supremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Cenſoris ſingulariter & ex munere deputati; Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis, in Salmantinenſi Academiâ Profeſſoris Theologiæ Laureati; & poſt Scoti ac Durandi honorificentiſſimas Cathedras, Primarij Sacræ Scripturæ Profeſſoris.

IVSSV Reverendiſſimi P.N.M.Fr. Antonij de Heredia Congregationis Benedictinæ Hiſpanicæ & Anglicæ Generalis, præluſtravi, ac ſedulò evolvi PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM duobus Tomis diſtinctam, elaboratamque à R.A. P.F. Ioſepho Saenz de Aguirre in hac Salmanticenſi Academia Profeſſore Theologiæ Laureato, Religionis Noſtræ Generali Magiſtro, & Inſignis huius Collegij D. VINCENTII Anteceſſore, ac ſtudiorum Regente. Et poſt accuratum Operis examen, non modò nihil deprehendi, quod vel latum vnguem diſcedat a ſacris Eccleſiæ dogmatibus, Patrumvè decretis, aut honeſtate morum: ſed imò vero dignißimum luce publicâ inveni, tum ob elegantem dicendi facundiam, tum ob ſingularitatem Nov-antiquæ doctrinæ, tum ob claritatem ſubtilitatem, profunditatemque diſputationum, quas recenti luce donat. Cumque tot & tanti Scriptores præceſſerint circa res Philoſophicas, exiſtimo hoc Opus Authori ſuo inter omnes adhuc locum & immortale decus aſſecuturum, toreque ingenti vtilitati Naturalium rerum ſpeculatoribus, ac ſubſidio Theologis ad ſacras ſeverioreſque veritates penitiùs dignoſcendas. Quippe non, vt fieri ſolet, aliorum elucubrationes exſcribit, aut vſurpat; ſed plerunque obſervationibus privatis inſiſtens, proprijque genij ductum ſequens, priscas Ariſtotelis ac D. Thomæ opiniones novis luminibus illuſtriores reddit. Quod facilè quiſque deprehendet collatis invicem cum hoc Opere Authoribus, qui de rebus Naturæ ad præſcriptum Academicæ ſpeculationis ſcripſerunt, & quorum diſcurſibus ingentem abſque dubio acceſsionem fecit. Ita atteſtabar in Collegio Benedictino D. VINCENTII Salmanticæ XI. Kalendas Auguſti. Anno ab Orbe redempto M.DC.LXX.

Fr. MAVRVS DE SOMOZA.

FACVLTAS ORDINIS.

NOS Magiſter Fr. Antonius de Heredia, Generalis Congregationis S. BENEDICTI Hiſpaniarum & Angliæ, &c. Facultatem concedimus, quantum ad Nos attinet, vt typis mandetur PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA R. A. P. F. Ioſephi Saenz de Aguirre, Religionis Noſtræ Generalis Magiſtri, in Salmanticenſi Academia Profeſſoris Theologiæ Laureati, Inſigniſque Collegij D. VINCENTIO ſacri Lectoris Primarij, ac Studiorum Regentis: quoniam à gravibus doctiſque viris Congregationis N. examinata & probata eſt. In cuius rei teſtimonium has litteras ſigillo Noſtro & ſubſcriptione munitas dedimus in Monaſterio S. Salvatoris de Lorenzana V. Idus Auguſti, anno M.DC.LXX.

M. Fr. ANTONIVS DE HEREDIA,
GENERALIS.

Iuſſu Reverendiſſimi P.N. Generalis,
Fr. Antonius Izquierdo.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI AC SAPIENTISIMI P. DOCTORIS *Gaſparis de Ribadeneira, Societatis IESV, Primarij Regiique Theologiæ Profeſſoris in Complutenſi Academia, Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis.*

EX Comiſsione Regij ac Supremi Senatus Caſtellæ legi magnâ animi ſuavitate & attentione, PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM R. P. Magiſtri Fr. Ioſephi Saenz de Aguirre, cuius cenſura poſtulatur, panegyris debetur. Præclaro conſtat acumine, ſtylo aureo, copioſa eruditione, ſolidaque doctrina. Opus quidem omnem meam commendationem exſuperans, quod nullius cenſurâ poſsit meritò configi, ſed omnium vendicet encomia. Nihil in eo Catholicæ Fidei, vel bonis moribus diſſonum, ſed ſummè conſonum, multiſque nominibus digniſsimum ad omnium profectum publicâ luce frui. Quid plura, vbi nihil ſatis? In Collegio Matritenſi Societatis IESV, die 22. Septembris, anno D. 1670.

FACVLTAS REGII SENATVS.

REGIVS Supremuſque Caſtellæ Senatus facultatem conceſsit P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, in Salmanticenſi Academia Profeſſori Theologiæ Laureato, vt PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM, ipſius iuſſu approbatam, in lucem edat, vt latius conſtat ex authenticis litteris apud Gabrielem de Arelti & Larrazaval, Regiæ Cameræ à Secretis, die vigeſima quinta Septembris, anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 186. col. 2. l. 23. *eſſe*. lege, *eſſe*. Vbi. P. 188. col. 1. l. 29. iuxta, *lege* iuxta variss. Pag. 198. col. 1. l. 33. mutari. l. mutuari. Ibidem lin. 41. planetæ, l. plantæ. P. 202. col. 1. l. 35. temporis, l. temperie. P. 224. col. 2. l. 13. debemus, l. debeamus. P. 229. col. 1. l. 32. oppoſito, l. oppoſiti. P. 247. l. 19. Heorem, l. Heroem. Ibid. l. 39. Deiparē, l. Deiparā. P. 256. col. 2. l. 32. trenere, l. tremere. Ibid. 44. lago, l. largo. P. 259. l. 26. ϖαῖ, l. ϖεῖ. P. 262. col. 1. l. 7. nimirum, l. nimiùm. P. 264. l. 5. per, l. per idem. P. 273. l. 17. ſiderum, l. ſidereorum. P. 276. col. 2. l. 31. Ioanne, l. Ioannis. P. 287. col. 2. l. 39. movetur, l. moveantur. P. 315. l. 43. viſitant, l. victitant. P. 415. col. 1. l. 7. pila, l. pili. Alia, aut leviora ſunt, aut facilia correctu, ſiquæ irrepſerunt ex abſentiâ, aut invaletudine Auctoris, aut incuriâ Typographi.

His demptis correſpondet ſuo exemplari. Salmanticæ 2. Martij, 1673.

M. Petrus Diaz de Caſtro,
Corrector ex commiſsione D. Scholaſtici Salmanticenſis.

CEN

CENSVRA RR. P. M. DIDACI DE LA FVENTE Hurtado in Regio Societatis Iesu Salmanticensi Collegio olim per plura annorum curricula præstantissimi Theologiæ Professoris, & Regalium Studiorum Præfecti, nunc autem eiusdem Collegij meritissimi Rectoris.

PERLVSTRAVI Philosophiam Nov-antiquam R. P. M. Fr. Iosephi Saenz de Aguirre: & huic elaborato admodum Operi fixum animum libens adhibui, cùm in eodem ex generoso mentis prototypo translatas cernerem egregias Authoris dotes, quas Academico plausu solemnes demiratur Salmantica. Hìc planè decoroso iubare splendent sydereus ingenij apex, adaucta rationum congeries, amœna difficilium dilucidatio, prompta rectè opinandi methodus, syncera calami dignitas, elegans sententiarum, atque Græcæ eruditionis copia, innumeraque alia ornamenta, ac decora, quæ laureato splendore commendant Salmanticenses Athenas: & quæ ego ipse non sine laude in eisdem fulgere conspexi. Atque adeò iure optimo censui, librum istum sponte suà petere characteres publicos, vt in eo, veluti in cœlo depicto, relatis dotum syderibus Philosophia ipsa colluceat. Salmanticæ in Regio Societatis Iesu Collegio. Die 20. Februarij, anno 1673.

Didacus de la Fuente Hurtado.

LECTVRO.

NON Est quòd te morer, Academice Lector, in proponendà ratione huius Operis, quam fusè exposui in ipso vestibulo præcedentis voluminis. Inde tibi constabit, quodnam fuerit propositum, quantus labor, quæ methodus, quisnam finis, in vtroque tomo Philosophiæ Naturalis edendo. Possem nunc immorari, vt profusà oratione gratias referrem pro insigni honore, quo dignatus es priorem illam Operis partem. Quocumque enim pervenit, quibuslibet ferè, etiam summis Viris, & quibus nemo non assurgit, non modò probata est, sed supra omnem meam expectationem laudata, ac celebris facta. Si eo honore digna fuit, si veritati conformis, si Christiano populo vtcumque vtilis, & Catholicæ doctrinæ illustrandæ opportuna quoddammodo; id vni bonorum omnium datori, auctorique Deo tribuatur. Credo autem non minùs placituram hanc posteriorem partem, quæ æquali studio elaborata est. Quin & oblectamento erit sæpissimè, propter amœnitatem plurimarum disputationum, in quibus, depositâ illâ severitate Scholasticâ, cui frequenter insistimus, oportuit mitiora certamina cum ipso Aristotele aggredi, quæ facilè intelligere possint, etiam ij, quibus nulla Scholasticæ Philosophiæ lux affulsit. Initio singularum ferè disputationum indicamus, vt in præcedenti tomo, cuinam libro & capiti Aristotelis quælibet illarum respondeat, quamvis & alijs locis possint adaptari. VALE, & dum plura alia paramus in lucem quàm primùm edenda, piè ac benignè errata nostra aut dissimula, aut corrige.

INDEX SVMMARIVS DISPVTATIONVM AC SECTIONVM, QVÆ IN HOC POSTERIORI TOMO CONTINENTVR:

Et in quibus fere omnibus à principio indicatur, cuinam libro & capiti textus Aristotelici correspondeant.

IN LIBROS DE GENERATIONE.

DISPVTATIO XLVI.

De Generatione substantiali, an sit, & quid sit? Pag. 2.

SECTIO I. Demonstratur multipliciter existentia generationis & corruptionis substantialis. 2.

Sectio II. Argumenta Veterum Philosophorum soluta. 3.

Sectio III. Exponitur definitio generationis substantialis ab Aristotele tradita, & argumenta, quæ contra illam militant, dissolvuntur. Vbi an generatio recipiatur in materia prima? 5.

Sectio IV. Enucleatur ratio propria generationis viventium, & difficultates nonnullæ, quæ in oppositum militant, expediuntur. Vbi plura de quibusdam generationibus monstrosis. 7.

Sectio V. Expediuntur breviter plura dubia ex sententia S. Thomæ. 9.

DISP. XLVII.

De Generatione monstrosâ: quid sit, & vnde oriatur? 11.

Sectio I. Quid sit generatio monstrosa? Vbi plura varia, & lectu iucunda circa diversas monstrorum species. *ibid.*

Sectio II. De causis generationum monstrosarum, sive fœcundarum, sive sterilium, ex Aristotele. Vbi pleraque admiranda, & notatu digna. 13.

Sectio III. Edisseruntur vberiùs & clariùs diversæ monstrosarum generationum causæ, adductis singularũ ferè exemplis, satis memorabilibus. 17.

Sectio IV. De alia mirabilium & monstrosarum generationum causa, quæ est vis imaginativa. Vbi plura valde notanda ex narrationibus quorundam Authorum. 20.

DISP. XLVIII.

In quâ actione consistat generatio? 23.

Sectio I. Statuitur sententia docens actionem generativam substantiæ esse distinctam omnino ab alteratione: & probatur selectis rationibus, præcluduntúrque evasiones Authorum opinionis adversæ. 24.

Sectio II. Sententia adversa refertur, eiusque argumenta objiciuntur & enervantur, ac plerumque retorquentur. 31.

DISP. XLIX.

De corruptione substantiali: an in illa fiat resolutio vsque ad materiam primam. 36.

Sectio I. Proponitur sententia negans fieri resolutionem vsque ad materiam primam, eiusque fundamenta quædam enervantur, quædam multipliciter vrgentur. 37.

Sectio II. Eligitur opinio affirmans, & suadetur tum authoritate Philosophi, ac D. Thomæ, tum ratione efficaci, præclusis Aduersariorum evasionibus. 41.

Sectio III. Proponuntur & enervantur difficiles obiectiones, exponitúrque quomodo vltima dispositio requiratur ad veritatem substantialis generationis; ac tandem solvuntur argumenta obiecta a principio disputationis. 46.

DISP.

DISPVT. L.
De subiecto accidentium.
An subiectum accidentium sit compositum substantiale, vel potiùs materia prima? 57.

Sectio I. Aperitur sensus controversiæ, & relatis Authorum opinionibus extremè oppositis, præmittuntur quædam opportuna ad illius resolutionem. *ibid.*

Sectio II. Materiam primam, adhuc suppositâ formâ vt conditione, nõ esse solam subiectum immediatum inhæsionis accidentium materialium: sed tantùm esse subiectum *quo* compositum illa recipit pro posteriori ad formam in materia receptam. 57.

Sectio III. Argumenta sententiæ oppositæ soluta. 64.

DISPVT. LI.
De subiecto generationis.
Vtrùm habeat plures formas substantiales, aut aliquam coævam sibi? 66.

Sectio I. Referuntur sententiæ, & mens Aristotelis aperitur, ac sensus disputationis. *ibid.*

Sectio II. Refellitur opinio, quæ multiplicat realiter formas, iuxtà pluralitatem prædicatorum essentialium. 69.

Sectio III. Reijcitur sententia Scoti vnico argumento communi multipliciter & specialim expenso, concluditurque formam vnicam & specificam sufficere in composito substantiali. 72.

Sectio IV. Argumenta opinionis adversæ multipliciter roborata, ac soluta. 75.

DISPVT. LII.
De Augmentatione & Nutritione.
An in rerum naturâ existant augmentatio, ac nutritio, qua alimentum in substantiam alti convertatur? 80.

Sectio I. Demonstratur existentia augmentationis, ac nutritionis; & accuratè exponitur quomodo non obstanti conversione alimenti in substantiam alti, idẽ numero homo sit in principio infantiæ, & progressu vitæ, ac senectæ. *ibid.*

Sectio II. Obijciuntur & enervantur argumenta contraria, examinaturque latè, an cum doctrinâ communi de existentia nutritionis componatur veritas resurrectionis futuræ. 87.

DISPVT. LIII.
De Naturâ Nutritionis, & Augmentationis.
Quomodo peragatur nutritio, & augmentatio? 95.

Sectio I. Exponuntur actiones præviæ, disponentes ad nutritionem, augmentationemque, & mirabilis naturæ ordo in his servatus. *ibid.*

Sectio II. Nutritionem & augmentationem non fieri in instanti, sed successivè & continuè, absque morularum interruptione. 97.

Sectio III. Quibus argumentis moti nonnulli Authores, præsertim Recentiores, oppositam doctrinam tueantur, & illorum solutio. 100.

Sectio IV. Nutritionis naturam aliam esse realiter ab augmentatione. Aristoteles illustratur, & obiectiones expediuntur. 103.

Sectio V. Nutritionem, augmentationemque proprias esse animatorũ proprietates, quæ differunt ab inanimatis. Obiectiones solutæ. 105.

DISP. LIV.
De Alteratione. Quotuplex sit, & quomodo fiat? 108.

Sectio I. Multiplex alterationis acceptio, & diuisiõ in varias species, ac distinctio a generatione & augmentatione ex variis capitibus. 108.

Sectio II. Vtrum omnis motus alterationis stricte dictus, sit continuus? 110.

Sectio III. Argumenta opinionis contrariæ soluta. 111.

Sectio IV. Quædam alia dubia obiter decidũntur, & plenius discutienda in Metaphysicam remittuntur. 113.

DISPVT. LV.
De rarefactione & condensatione. An sint & in quo consistant? 114.

Sectio I. Demonstratur variis experimentis existentia rarefactionis, & condensationis, variæque opiniones circa modum quo vtraque fit referuntur & impugnantur. 115.

Sectio II. Aliæ Recentiorum sententiæ circa eandem difficultatem referuntur & improbantur. Vbi de punctis inflatis, & corpusculis interiectis. 119.

Sectio III. Rarefactionem & condensationem, tam ex mente Aristotelis, & D. Thom. quàm re ipsa, esse species alterationis tendentes ad raritatem, & densitatem tamquam ad species passibiles qualitatis. Obiectiones difficiles expediuntur. 122.

INDEX SVMMARIVS.

DISP. LVI.

De Actione & Passione.

An possit aliq.. agere in passum omnino simile sibi?

Sectio I. Nihil posse agere in aliud omnino simile, statuitur, ac probatur multiplici argumento Aristotelis, ac D. Thomæ, præclusis evasionibus quorundam ciusmodi rationibus adversantium. 126.

Sectio II. Objiciuntur, & enervantur præcipua argumenta: vbi de antiperistasi. 133.

Sectio III. Difficultas potissima ab experimentis physicis, an mathematicis proponitur, eiusque solutio in sequentem disputationem remittitur. 134.

DISP. LVII.

Quænam dissimilitudo sufficiat inter agens & passum? 137.

Sectio I. Posse agens operari in passum omnino simile secundum virtutem activam, dummodo penes deusitatem, & raritatem, aliasvè circumstantias, dissimilia sint. Vbi diversæ Authorum opiniones in concordiã rediguntur, & pleraque selecta observantur. *ibid.*

Sectio II. Vlteriores asserti præcedentis partes suadentur.

Sectio III. Omne agens agendo repati, & quomodo. Vbi de Reactione. 143.

DISP. LVIII.

De numero, & loco Elementorum.

Vtrùm existant quatuor elementa, totidem locis distincta? 145.

Sectio I. Statuitur natura elementi, eiusque divisio æquata in quatuor species, iuxta doctrinam Aristotelis ac D. Thomæ defenditur, & a pluribus impugnationibus, tum frequentibus, tum & exquisitis vindicatur. *ibid.*

Sectio II. Quatuor etiam loca distincta, ac propria totidem elementis assignari debere: & quidem igni supremum, ac terræ infimum omnium, quidquid alij contra opinentur. Objectiones notatu dignæ enervantur, pluraque selecta, & naturæ speculatoribus vtilia, traduntur. 151.

Sectio III. Vberiùs adhuc statuitur ex doctrina Aristotelis ac D. Thomæ terram occupare infimum locum inter quatuor elementa, etiam relatè ad aquam. Argumenta sententiæ oppositæ, ac satis probabilis, opponuntur, & enodantur. 156.

DISP. LIX.

De Qualitatibus primis.

Quænam sint singulorum quatuor elementorum propriæ? 162.

Sectio I. Existere quatuor primas qualitates, iuxta numerum elementorum, quidquid aliqui repugnent. Illarum natura, & singularum definitiones, ac species propriæ. *ibid.*

Sectio II. Vnicuique elementorum inexistere naturaliter duas ex quatuor primis qualitatibus; & quidem aeri calorem vltra humiditatem, quidquid alij contradicant. Difficilia ac selecta argumenta in oppositum expediuntur. 167.

Sectio III. Vnicuique quatuor elementorum inexistere vnicam qualitatem in summo gradu: igni calorem, aèri humiditatem, aquæ frigiditatem, terræ siccitatem: vnicuique etiam alteram infra summam. Oppositam sententiam esse probabilem, adhuc iuxta D. Thomam. 171.

Sectio IV. An qualitas elementi minùs intensa habeat permixtionem qualitatis contrariæ? 176.

DISP. LX.

De transmutatione Elementorum.

Vtrum omnia elementa possint se immediatè, atque invicem transmutare? 177.

Sectio I. Ex mente Aristotelis, ac D. Thomæ probatur quodlibet elementum posse generari immediatè ex alio quolibet. Evasiones Adversariorum multipliciter præoccupantur. 178.

Sectio II. Nonnullæ obiectiones difficiles, variaq; experimenta notatu digna, contra doctrinam præcedentem, proponuntur, & enodantur, ac plerumque retorquentur. 182.

Sectio III. Transmutationem inter elementa dibymbola per se loquendo difficiliorem esse, quam inter symbola; licèt oppositũ eveniat per accidens. Evasiones variæ præoccupantur. 187.

DISP. LXI.

An duo Elementa possint concurrere ad generationem alterius elementi specie distincti? 191.

Sectio I. Resolvitur difficultas. *ibid.*

Sectio II. Difficultates nonnullæ in oppositum expediuntur. 193.

DISP.

DISP. LXII

De mixtione Elementorum. An sit, & qualiter fiat? 195.

Sectio I. Ex mente Arist. ac D. Thomæ ostenditur existere in rerum naturâ propriam mixtionem, & argumenta in oppositum difficilia enodantur. *ibid.*

Sectio II. Præiactis pluribus circa naturam mixtionis, eligitur & suadetur vera sententia, quæ negat elementa formaliter manere in mixtis. 197.

Sectio III. Enodantur argumenta opinionis adversæ. 200.

Sectio IV. Difficultas circa permanētiam virtualem elementorum in mixto accuratiùs expensa, ac soluta. 201.

Sectio V. Expediuntur breviter aliquot dubia circa mixtionem. 203.

IN LIBROS DE COELO ET MVNDO.

DISP. LXIII.

De Naturâ Cœli. An sit simplex, vel composita ex materiâ & formâ? 207.

Sectio I. Cœlum materiâ & formâ substantiali constare. Vbi an possibile sit corpus completum omninò simplex. *ibid.*

Sectio II. Vtrum materia quâ constat Cœlum, sit eiusdem rationis cum nostrâ? 211.

Sectio III. Opinio adversa, eiusque argumenta soluta. 214.

Sectio IV. An Cœlum, sicut corpore, ita & anima constet? 217.

DISP. LXIV.

De Proprietatibus Cœli.

An Cœlum sit incorruptibile? 221.

Sectio I. Cœlum absolutè incorruptibile existimandum ex naturâ suâ, & primis qualitatibus carens. Vbi plures ac selectæ observationes, *ibid.*

Sectio II. Primum opinionis contrariæ argumentum, ex Scriptura & Patribus desumptum objicitur, & dissolvitur. Vbi an cœli & elementa immutanda sint tempore vniversalis iudicij. 225.

Sectio III. Alia præcipua argumenta opinionis adversæ soluta. Vbi an recentes stellæ in ipso Cœlo generentur. 227.

Sectio IV. Occurritur quarto & quinto argumento. Vbi an Cœlum sit grave, aut leve, an etiam habeat supra se aquas, quibus alteretur? An Sol igneus? 229.

DISP. LXV.

De perfectione corporis cœlestis. Quanta & qualis sit? 233.

Sectio I. An Cœlum excedat perfectione quælibet sublunaria. *ibid.*

Sectio II. An Cœlum sit perfectè, ac proinde sphæricæ figuræ? 239.

Sectio III. An etiam astra omnia sint sphæricæ figuræ? 243.

Sectio IV. Cœlos Planetarum non ita esse rotundos, vt epicyclis & excentricis careant. 245.

DISP. LXVI.

De Quantitate Cœlorum. An sit solida vel potius fluida? 248.

Sectio I. Quinam confuerint cœlestia corpora fluida esse, quinam vero solida. *ibid.*

Sectio II. Statuitur Cœlorum omnium soliditas ex sacris litteris. Rationes aliquorum in idem probandum reiectæ. Vbi an Cœli motu suo sonitum & harmoniam edant? 249.

Sectio III. Verosimiliores rationes pro soliditate Cœlorum breviter proponuntur. 253.

Sectio IV. Argumenta opinionis adversæ præsertim ex observationibus Astronomorum recentium soluta. 255.

DISP. LXVII.

De Numero Orbium Cœlestium. Quot sint Cœli, & quinam? 260.

Sectio I. Referuntur & refelluntur variæ Philosophorum opiniones, circa numerum Cœlorum vndecimo maiorem. *ibid.*

Sectio II. Aliorum opiniones circa numerum Cœlorum vndecimo minorem, recensentur & improbantur. 262.

Sectio III. Statuitur verior & communior Philosophorum, & Astronomorum sententia, eiusque processus ad hæc vsque tempora.

Sectio IV. Suadetur eadem sententia ratione, & præcluuntur adversariorum effugia. 267.

Sectio V. Quædam argumenta Recentiorum soluta. Nonnulla obiter de contiguitate, & specifica distinctione Cœlorum. 269.

INDEX SVMMARIVS.

DISP. LXVIII.

De numero, & magnitudine cœlestium corporum.

Sectio I. An stellæ inerrantes seu fixæ numerari possint? Quot fuerint ab Astronomis observatæ, earumque triplex ordo in varia signa divisus. Vbi de origine siderearum nominum. 273.

Sectio II. Demonstratione morali præcedentis doctrinæ fit gradus ad demonstrationes mathematicas circa luminum cœlestium magnitudinem, quæ generatim exponitur. 276.

Sectio III. Refelluntur ex dictis placita quorundam Veterum, & singillatim exponitur cœlorum, ac siderum magnitudo, tam errantium, quam inerrantium. 278.

Sectio IV. Celebris controversia de dextra cœlorum parte, indicata & in aliũ locum remissa. 280.

DISP. LXIX.

De Motu cœlorum.

An cœlum moveatur & quomodo? 282.

Sectio I. Cœlum non quiescere, sed moveri. Evasiones aliquorum præclusæ, impugnationibus ad propria loca remissis. *ibid.*

Sectio II. Motum localem cœlo naturalem esse, quidquid alii velint. Obiectiones difficiles recentiorum instantijs cõfirmatæ, extricantur. 283.

Sectio III. Cœlum non moveri à se, neque a substantia aliqua materiali vivente, neque ab vnâ, aut pluribus animabus, neque a solo Deo, seu ab Angelo, vt causa particulari. 288.

Sectio IV. Opinio contraria, eiusque præcipua argumenta soluta. 291.

Sectio V. Occurritur rationibus Lessij asserentis cœlos à solo Deo moveri. Vbi an cuilibet sphæræ inovenæ deputetur singularis Angelus. 294.

Sectio VI. Expediuntur breviter aliqua dubia incidentia, & notatu digna. 297.

DISP. LXX.

De Numero & Ordine motuum cœlestium. Quotnam ij sint, & quo ordine perficiantur? 300.

Sectio I. Motum primi mobilis esse primum omnium, velocissimũ, ac regularissimum, & rapientem inferiores cœlos. *ibid.*

Sectio II. Quibus motibus ciearntur, tum cœlum nonum chrystalinum, tum & octavum siderum. 302.

Sectio III. Quibus motibus circumagantur Cœli septem inferiores Planetarum. Vbi de ipsorum periodis tardioribus aut velocioribus. 303.

Sectio IV. Difficilia argumenta in oppositum expediuntur. 306.

Sectio V. Cur cœli inferiores non rapiant secum superiores Cœlos, sicut primum mobile rapit cæteras sphæras. 309.

DISP. LXXI.

De Lumine cœlestium corporum

Vtrùm omnis lux cœlestium, & subcœlestium corporum, prodeat à sola? 312.

Sectio I. Sententia communis docens à se ipsis lucem habere, examinatur & reijcitur. *ibid.*

Sectio II. Quid putandum sit de stellis tam fixis, quam errantibus? an totam lucem suam a Sole mutuentur, an potiùs à seipsis habeant. Paradoxon quodcunque iudicio Doctorum examinandum proponitur. 314.

Sectio III. Illustratur Paradoxon præcedens mirabilibus phœnomenis variorum animalium noctu, & ab intrinseco lucentium, quamvis in toto eo lumine dependeant a Sole. 317.

Sectio IV. Probabilior sententia statuitur circa lucem intrinsecam stellarum, & Planetarum à Sole independentem, excepta Luna, nihil lucis habente ex se, sed tantum a Sole, etiam quoad partem aversam, & in eclipsibus. Vbi plura varia ac scitu iucunda. 319.

DISP. LXXII.

De Maculis cœlestibus. Vnde proveniant in Lunam & Solem. 326.

Sectio I. Vestigatur causa minoris lucis, seu maculorum Lunæ, & explosis aliorum placitis, verosimilior ratio assignatur. *ibid.*

Sectio II. An etiam in Sole maculæ existant, & quænam illarum causa sit? Referuntur variæ Astronomorum observationes, & reiectis aliorum evasionibus, probabilior eiusmodi phœnomenorum ratio assignatur. 330.

Sectio III. Cur nunquam Sol visus fuerit maculosus ex interpositione Veneris, aut Mercurij? 336.

DISP.

DISPVTATIONVM ET SECTIONVM

DISP. LXXIII.

De Operationibus cœlestium corporum in hæc inferiora. 339.

Sectio I. Ostenditur tum generatim, tũ & speciatim omnia corpora cœlestia in his inferioribus multipliciter operari. Indicantur stellarum, tam errantium, quam inerrantium, effecta plura satis mirabilia, ac lectu iucunda. *Ibid.*

Sectio II. Duplex argumentũ multipliciter roboratum adversus præcedẽtem doctrinã objicitur, & dissolvitur. Vbi an corpora cœlestia agant per lucem. 343.

Sectio III. Cœlum etiam medio motu esse causam rerum inferiorum. Vbi an, & qua ratione motus asseratur causa caloris. 346.

Sectio IV. Quibus argumẽtis aliqui probare conentur Cœlum motu suo non agere in hæc inferiora, & illorũ solutio. 349.

Sectio Argumenta Doct. Ludovici Rodriguez, ne motus sit causa caloris ex attritione & rarefactione aëris, objiciuntur & enodantur. 351.

Sectio VI. Variæ quæstiones circa eandem materiam breviter resolvuntur, aut in alia loca remittuntur. 354.

DISP. LXXIV.

De Centro Mundi.

An centrum totius Vniversi sit in Sole, an potius in terra, & quanam ratione? 358.

Sectio I. Opinio Pythagoricorum, a Copernico & quibusdam Recentioribus innovata, de assiduo motu terræ circa Solẽ immobilem, veluti circa centrum Vniversi, refertur, & refellitur ex sacris litteris. 359.

Sectio II. Argumẽtis physicis, ac mathematicis, tum priscis, tum & recentibus, exturbatur idem error; & Copernici fundamenta diruuntur. 360.

Sectio III. An terra saltem ex inæqualitate partium penes gravitatem moveatur assiduo erga centrum, motu trepidationis. Eligitur opinio media inter duas extremè contrarias, & vtriusque fundamenta convelluntur. 363.

Sectio IV. Corollaria ex doctrina præcedenti, notatu digna, quibus plures controversiæ huc spectantes, breviter & dilucidè expediuntur. 368.

Sectio V. Terram, & quæcumque corpora gravia, dum è loco innaturali moventur circa centrum Vniversi, velociùs ieri in fine, quàm initio motus. Vbi de impulsu. 370.

IN LIBROS DE ANIMA.

DISP. LXXV.

De Naturâ Animæ.

Quid & quotuplex sit Anima? 375.

Sectio I. Referuntur variæ Philosophorũ Veterum opiniones circa naturã Animæ, tum cõmuniter dictæ, tũ & speciatim rationalis, atque obiter refelluntur. *Ibid.*

Sectio II. Exponitur natura Animæ iuxta definitionem Arist. eiusque germanus sensus contra aliorum, placita protegitur, & ab impugnationibus vindicatur. 377.

Sectio III. Statuta, & enucleata altera definitione Animæ, nõnulla quædam notatu digna inferuntur, & resolvitur quot sint genera animarum, ac modi vivendi. 381.

Sectio IV. Quamvis genera animarum solum sint tria, adhuc quatuor esse generum vivendi modos, ex probabiliori sententia. Obiectiones solutæ. 384.

DISP. LXXVI.

De Vitâ.

Quid & quotuplex sit? 386.

Sect. I. Sententia Arist. & Antiquorũ de ratione formali vitæ consistente in motu ab intrinseco, adversus quosdam Recentiorum accuratius solito stabilitur, & multipliciter roboratur. 387.

Sectio II. Obiectiones difficiles in oppositum expediuntur. Vbi de motu gravium & levium, & de emanatione passionum à natura. 391.

Sectio III. Impugnantur varij modi exponendi rationem formalem vitæ excogitati a Recentioribus, quatenus à cõmuni & præiacta doctrina recedunt. 393.

Sectio IV. Proponitur modus exponendi discrimen viventium à non viventibus, satis probabilis, & aliquantulum diversus à communi supra statuto. 396.

Sectio V. Potissima difficultas adversus omnes sententias hucusque relatas, ex nutritione & augmentatione ignis. Vbi an de ratione vitæ in actu secundo sit immanentia? 399.

Sectio VI. Corollaria ex dictis, præsertim circa divisionem vitæ in vegetativã, sensitivam, & intellectivam. 401.

DISP. LXXVII.

De Informatione Animæ.

Vtrum quidquid est in corpore viventis informetur ab Anima?

Sectio I. Animam non informare solùm certam aliquam corporis partem, sed to-

tum

tum corpus. Plures Veterum explicati, aut relecti, & argumenta soluta. *Ibid.*

Sectio II. Sanguinem non informari ab Anima, ex sententia Arist. & probabiliore. Testimonia, & rationes illius expenduntur, atque evasiones Recentiorum præcluduntur. 405.

Sectio III. Eandem sententiam esse satis conformem, sacris litteris, Tridentino, Patribus, & D. Th. quidquid in oppositũ velint aliqui, quorum obiectiones enervantur. Vbi de sanguine Christi, an fuerit immediatè assumptus à Verbo. 410.

Sectio IV. Recensentur Authores opinionis adversæ, eorumque argumenta nondũ soluta, enervantur. Vbi singillatim de his quæ informationem animæ subeunt. 414

Sectio V. Occasione vltimi argumenti proponitur recès opinio media inter vtrãque precedentem, & probabilis Authori, breviterque exponitur quomodo facilè defendi possit. 415.

DISP. LXXVIII.

De vnitate Animæ.

An in quolibet homine, aut bruto, sit vnica Anima? 416.

Sectio I. Proponitur quorundam Philosophorũ opinio docens, in quolibet animali esse plures animas distinctas realiter, eaque multis hinc inde rationibus, & experimentis verosimiliter suadetur. *Ibid.*

Sectio II. Opposita & communis sententia statuens in homine vnicam Animam, eamque rationalem, eligitur veluti omnino certa, quidquid alij negent; probaturque ex sacris litteris, & doctrina Patrũ. 421.

Sectio III. Expenditur communis ratio in eam sententiam probandam, & vrgetur contra aliquos Recentiorum. 424.

Sectio IV. Aliæ probationes eiusdem veræ sententiæ excludentes animã purè sentientem ab homine, & præsertim plures vegetativas specie diversas, iuxta varietatẽ membrorũ, adversus Paulũ Venetũ. 426.

Sectio V. Occurritur argumentis propositis Sectione I. & occasione illorum traduntur plura obseruatu digna. 429.

DISP. LXXIX.

De Anima Rationali.

Quid sit secundũ Christianã Philosophiã? 434.

Sectio I. Errores Veterum de Rationali Anima relati, ac reiecti: eorum præcipuè, qui eam extrinsecè corpori assistentẽ, aut accidentalem, aut corpoream, aut diuinæ mentis partem, aut eiusdem naturæ cum Angelis, asserebant. *Ibid.*

Sectio II. Animæ immortalitas ex penitiori eruditione sacrã & profanã asseritur contra plures Veterum, quorum testimonia producuntur. Arist. esse ab hac sententia, quidquid alij negent. 439.

Sectio III. Eadẽ veritas suadetur ratione ex Arist. erutã, qua & probatur animã non vtcumque immortalem esse, sed ab intrinseco & essentialiter; idque vt fide certum statuitur. 441.

Sectio IV. Selectæ aliæ rationes rationalem animam, ab interitu, seu mortalitate vindicantes, adversus Atheos, Epicureos, & Politicos quosdam. 443.

Sectio V. Quibus argumentis nitantur, aut niti possint, qui animæ rationali mortalitatem adscribunt, & illorum solutio. Vbi quo sensu rationalis anima, adhuc ex propria ratione, sit forma corporis. 446.

DISP. LXXX.

De Origine Animæ.

Vtrùm Anima medio semine propagẽtur? 449.

Sectio I. Opinio quorundam Veterũ de propagatione Animæ rationalis medio semine, innovata à Sennerto reijcitur, ex censura Patrum, & immortalitate animę. *Ibid.*

Sectio II. Refutatio vlterior eiusdẽ opinionis Senneerti quatenus asserit omne semen etiam humanũ, esse animatum, ideoque aptum propagandis animis. Oppositum tãm generatim de omni semine, quã specialim de humano demonstratur. 453.

Sectio III. Præcipua argumenta pro animarum propagatione medio semine huiusque animatione, obiecta & soluta. 456.

DISP. LXXXI.

De Creatione animæ?

Vtrùm Rationalis Anima à solo Deo creetur, & quomodo? 462.

Sectio I. Rationales Animas habere quidem esse per creationẽ; non tamẽ ab Angelis, sed à Deo. Oppositus Hæreticorum quorundã error multipliciter reiectus. *Ibid.*

Sectio II. Animarũ rationalium antegressio, seu creatio ante corpora, simul & trãsmigratio in alia atque alia supposita, suis Authoribus consignatæ & reiectæ. 465.

Sectio III. Vtrum rationales animæ ex vi creationis, & propriori naturæ ad vnionem cũ corporibus, sint inæquales perfectione individuali? 469.

DISP.

DISP. LXXXII.
De Animatione fœtus.
Quando Rationalis anima incipiat informare fœtum? 473.

Sectio I. Variæ Authorum opiniones circa tẽpus animationis, ſive vnionis animæ ad corpus refutatę, & plenior quarundam impugnatio in aliũ locũ remiſſa. *Ibid.*

Sectio II. Animam rationalem non priùs creari & vniri corpori humano, quã præceſſerint, & corruptæ fuerint, tùm anima pure vegetativa, tum & alia poſterior vegetativa & ſenſitiva ſimul. Oppoſita quorundam Recentiorum opinio impugnatur. 475.

Sectio III. Argumenta Recentiorũ, præſertim Doctoris Henriquez, Regij Archiatri, pro infuſione animæ rationalis à prima fœtus animatione, objiciũtur, & enodantur. Vbi quædam obiter de animatione corporis Chriſti. 479.

Sectio IV. Incertum eſſe & ſub opinionibus poſitum diem animationis humani fœtus. Quæ demum ſentẽtia probabilior? Obſervatio notanda pro Baptiſmo abortivis miniſtrando. 482.

Sectio V. Digreſsio circa Indiviſibilitatẽ animarum rationalium; an ſit illarũ propria, an verò communis animabus alijs, ſaltem animalium perfectorum. 484.

DISP. LXXXIII.
De Potentijs Animæ.
Vtrùm potentiæ diſtinguantur realiter ab Anima, & inter ſe?

Sectio I. Potentias omnes operativas diſtingui reipſa & eſſentialiter ab anima, atque inter ſe. Rationes tum communes, tũ & exquiſitiores, in id probandum, breviter præſtrictæ ac roboratæ. *Ibid.*

Sectio II. Sententiæ oppoſitæ Authores recenſentur, & illorum præcipua argumẽta ſolvuntur. 490.

Sectio III. Occaſione præcedentis argumenti agitur ſingillatim & breviter de ſingulis ſpiritualibus potentijs animæ, earumque diſtinctione inter ſe, & primo de Intellectu cõparato cũ Memoria ac Voluntate, & diviſo in Agentem & Paſsibilem. 493.

Sectio IV. Officium intellectus agentis, quatenus diſtincti realiter à paſsibili, conſiſtere in productione intelligibilium ſpecierum, & quomodo ea peragatur. 495.

Sectio V. Vtrũ intellectus paſsibilis, prout diſtinctus ab agente cognoſcat directè ſingularia materialia? Vbi de converſione ad phantaſmata. 499.

DISP. LXXXIV.
De Senſibus internis.
An in quolibet animali ſint plures ſenſus interni? 502.

Sectio I. Exiſtere in quolibet animali ſenſum communem diſtinctum ab externis ſenſibus. Eius officia & operationes præcipuæ. 502.

Sectio II. An ſenſus communis ſit eadem potentia realiter cum Imaginativa, Æſtimativa, & Memorativa? Relatis aliorum ſententijs præfertur opinio S. Th. eas quatuor re ipſa diſtinguens. 504.

Sectio III. Difficultates nonnullæ cõtra præcedentem doctrinam propoſitæ, ac ſolutæ, præſertim circa humiditatem, aut ſiccitatem exactam in organo Memorativæ ad aprehendendum, & retinendum. Exempla ſelecta in quibuſdam hominibus admirãdæ memoriæ, tũ in aprehẽdendo, tùm in retinendo. 506.

Sectio IV. Enucleatur ratio Phantaſiæ, ſeu Imaginativæ, tùm generatim, tùm & ſpeciatim dictæ. Oſtenditur ſub hac conſideratione non ſolùm eſſe retentivam ſpecierum, ſed etiam cognoſcitivam; diſtinctam verò, & diverſos actus habentem à Senſu communi, & Memorativa & Æſtimativa. 509.

Sectio V. Vberiùs ſtatuitur Memorativã eſſe potentiam vi cognoſcendi præditam & diſtinctam ab Æſtimativa. Vbi de ſubiecto, & organo proprio vniuſcuiuſque ſenſus interni. 513.

Sectio VI. An omnes ſenſus interni reſideant in quolibet animalium? 515.

Sectio VII. De Appetitu ſenſitivo à ſenſione diſtinctõ, vbi reſideat? quot vires, paſsiones, & operationes habeat? 517.

Sectio VIII. De Potentia Loco-motiva animalium, & illorũ motu pendẽte, tum à cognitione, tum & ab appetitu ſenſitivo. 518.

DISP. LXXXV.
De Senſibus externis.
Qualiter ſe habeat obiectum ſenſibile circa ſenſus externos? 521.

Sect. I. Senſibile commune nõ imprimere ſpeciem, aliquam in ſenſu externo, diſtinctam adæquatè a ſpecie ſenſibilis proprij. Difficultates in oppoſitũ ſolutæ. *Ibid.*

Sect. II. In quo differat ſenſibile per accidens, a ſenſibili per ſe, ſive proprio, ſive communi? 525.

Sectio

Sectio III. An ſenſibile proprium ita cõparetur ad ſenſus externos, vt poſitum immediatè iuxta illos, ſentiatur, aut ſentiri poſsit? 526.

Sect. IV. Vtrum ſenſibile vehemens lædat ſenſoriũ directè ratione alicuius actioni, phyſicè illud alterantis; an ſolùm ratione actionis intentionalis? 529.

Sect. V. An ſenſus externi in genere poſſint reflectere ſupra ſuos actus, aut deceptionem ſubire circa propria obiecta? 531.

Sectio VI. An omnes ſenſus externi conueniant quibuslibet animalibus, etiam imperfectis, quæ zoophyta appellantur? 533.

Sectio VII. Vtrùm ad ſenſionem externam neceſſario exigatur preſentia obiecti tàm de facto & naturaliter, quàm de poſſibili & ſupernaturaliter? 535.

DISP. LXXXVI.

De Viſu.

Quænam ſint propria Viſus, vt diſtinctio à cæteris ſenſibus? 539.

Sectio I. De Viſu & mirabili eius ſtructura, partibus, tunicis, & humoribus. *Ibid.*

Sectio II. Vbinam reſideat Viſus tam in chryſtalloide, an potiùs in nervis opticis? Eligitur poſterior pars, & ab obiectionibus vindicatur. 540.

Sectio III. An Viſus percipiat obiecta, mediante extramiſsione radiorũ ab oculis, an potiùs per viſionem ſibi intrinſecã, & immanentem? Vbi de exiſtentia & naturà ſpecierum viſualium. 544.

Sectio IV. De Colore, qui eſt obiectum, & Perſpicuo, quod eſt medium Viſus, quidnam ſint, & quà ratione concurrant ad videndum? 547.

Sectio V. Lucem Viſui neceſſariam, non eſſe corpus, nec ſubſtantialem formã, ſed qualitatem, non intentionalem, ſed naturalem, diſtinctam à colore, tùm verò, tùm & apparenti. Obiectiones ſoluuntur. 550.

Sectio VI. Noua experimenta, quibus montes, flumina, maria, immenſæ camporum planities, voragines fluuiorum, lacus, ſylvæ, animalia omnis generis; & in aëre plures Irides, nubes, Sol, Luna, ac ſtellæ apparent per tubum opticum; cùm tamen ſine illo nihil eorum videatur. 554.

Sectio VII. An lux requiratur ex parte medij, per quod traijciuntur ſpecies viſuales ad oculos; an etiam ex parte obiecti, ſeu coloris, conſtituendo illud in ratione viſibilis? 556.

DISP. LXXXVII.

De Auditu.

Quænã ipſi conueniant præ alijs ſenſibus? 559

Sectio I. Præiacta ſtructura Auditus, veſtigatur vbinam ille reſideat, an in nervis, an in aëre ſpirituoſo? 559.

Sectio II. An medũ externũ Auditus debeat eſſe fluidũ, vel ſufficiat ſolidũ? Internũ quoque an ſit ſpirituoſa ſubſtantia, tã in animalibus terreſtrib⁹, quã aquatilib⁹? 661

Sectio III. Exponitur formalis ratio ſoni, qui eſt obiectũ propriũ auditus, & inquiritur an ſubiectum illius ſit aër collisus, an corpora ſonantia? 564.

Sectio IV. Quãta ſit ſphæra ſoni realis in circulũ, & an a principio, an potius in fine ſui emittat ſpeciem in auditum? 566.

Sectio V. Opinio recens aliquorũ negantium à ſono reali mitti ſpecies ad auditum reijcitur, præſertim variis experimentis, eiuſque argumenta diruuntur. 568.

Sectio VI. Quid ſit Vox, quaten⁹ ſpectat ad obiectum Auditus, & quibus inſtrumẽtis fiat? 570.

Sectio VII. Quid ſit ſonus reflexus, ſiue Echo, & vnde oriatur, ac quomodo fiat? *Ibid.*

DISP. LXXXVIII.

De Odoratu Guſtu, & Tactu.

Quænam ſint propria eorum ſenſuum? 572.

Sectio I. Præmittitur ſtructura propria Odoratus, & ſtatuitur illum non alibi reſidere, quam in caruncułis mamillaribus, quà parte vniuntur medijs nervis. Vbi de medio Odoratus. 573.

Sectio II. Obiectiones in oppoſitum ſolutæ. Vbi an in Odoratu ſint ſpecies intẽtionales neceſſariæ, an ſufficiat potiùs realis odor in ſenſorium pervenies? 574.

Sectio III. Quid ſit Odor, qui eſt propriũ obiectũ Odoratus, an ſubſtãtia exhalationis famolæ, an potiùs qualitas & quænam? 576.

Sectio IV. Argumenta præcipua in oppoſitum ſoluta 578.

Sectio V. De Guſtu. 579.

Subſectio I. Diſtinctio Guſtus à Tactu, eiuſque propria ſtructura, & ſubiectum, ac diſpoſitio propria. *Ibid.*

Subſectio II. Soluuntur argumenta eorum, qui cenſent organum Guſtus non reſidere in nervo, ſed in ipſa lingua. 581.

Sectio VI. de Tactu.

Subſectio I. An ſenſorium Tactus ſit in carne, an ſolùm in nervis per totum corpus extenſis? *Ibid.*

Sub-

Subsectio II. Obiectiones difficiles in oppositum expediuntur, & exponitur quodnam sit medium necessarium in Tactu. 585.

Subsectio III. Quot, & quænam tangibiles qualitates spectent ad obiectum Tactus & an dolor ijs annumerari debeat, & ex quibus causis oriatur? 587.

Subsectio IV. An omnes prædictæ qualitates reipiciantur a Tactu æque primo, an potiùs vna mediante alia? Vtrum Tactus sit specie vnus, aut multiplex? 589.

Subsect. V. An Tactus solum percipiat qualitates excedentes suum temperamentum? 591.

DISP. LXXXIX.

De Speciebus Impressis.

Vtrùm omnis potentia apprehensiva egeat speciebus impressis ad cognoscendum? 594.

Sectio I. Proponitur opinio negans specierum impressarum existentiam, aut necessitatem in potentijs apprehensivis, eiusque varia argumenta, contra species in vniversum, multipliciter roborata. *Ibid.*

Sectio II. Quibus argumentis nitantur, qui negant species impressas intellectui, aut sensibus internis, aut externis, & illorum recens corroboratio. 599.

Sectio III. Eligitur opposita, & communis sententia vniversim concedens potentijs cognoscitivis species impressas, eaque probatur, reiectis evasionibus Adversariorum. 613.

Sectio IV. Suadetur vera, & communis sententia, quatenus docet intellectum egere speciebus impressis ad cognoscendum. 606.

Sectio V. Eadem sententia probatur generatim quoad sensus internos, & de externis, præcipuè quoad Visum, variis rationibus, & experimentis notatu dignis. 608.

Sectio VI. Respondetur argumentis opinionis adversæ, propositis sectione prima, quibus generatim species impressæ reijciebantur; & pleraque illorum retorquentur in Adversarios. 611.

Sectio VII. Occurritur argumentis, sectione secunda propositis, contra species intelligibiles, sensibiles, & virtuales. 614.

Sectio VIII. Corollaria quædam ex dictis circa naturam & munus speciei impressæ, distinctionemque ab expressa, & habitibus acquisitis. 616.

DISP. XC.

De Speciebus Expressis.

An sint necessariæ species expressæ in omnibus potentijs apprehensivis. 618.

Sectio I. An in sensibus externis admittendæ sint species expressæ? Eligitur sententia negans & argumenta in oppositum expediuntur. 619.

Sectio II. An sensus interni producant idola, seu species expressas obiectorum sensibilium? Statuitur affirmativa pars, & difficultates nonnullæ extricantur. 621.

Sectio III. Vtrùm ab intellectu, quoties actu intelligit quælibet obiecta, mediante specie impressa creata, producatur species expressa seu verbum mentis. Eligitur sententia affirmans, & ab obiectionibus vindicatur. 624.

Sectio IV. An idem dicendum sit quando Intellectus actu intelligit per speciem impressam increatam, vt in visione beatifica, producatne speciem expressam; an non? Negativa pars defenditur, & opposita fundamenta diruuntur. 626.

Sectio V. An intellectio distinguatur realiter a specie expressa sive verbo mentis? Eligitur affirmativa sententia, & probatur præcipuis Adversariorum effugijs. 628.

Sectio VI. Argumenta solemnia opinionis adversæ obijciuntur, & enodantur. 631.

Sectio VII. Alio exquisitiore argumento proposito vestigatur an dictio, seu productio speciei expressæ aliquomodo ab intellectione distinguatur? 633.

Sectio VIII. Inferuntur quædam observatu digna circa naturam intellectionis, & specierum expressarum: ostenditurque generatim nullam cognitionem esse actionem prædicamentalem. 636.

IN LIBROS METEORORVM.

DISP. XCI.

De Phænomenis Cœlestibus.

An in Cœlo generentur phænomena Cometarum, & quarundam stellarum recentium. 640.

Sectio I. Variæ, ac dissidentes opiniones Astronomorum, Philosophorumque circa naturam Cometarum & locum in quo generantur. *Ibid.*

Sectio II. Reijcitur multipliciter prior opinio iuxta omnes modos dicendi præiactos, & prefertur Aristotelica docens Cometas nullum in cœlo locum habere, nasciqúe ex terreis exhalationibus. 642.

Sectio III. Argumenta mathematica, ac præcipua opinionis adversæ, ex variis observationibus Cometarum proponuntur, & extricantur. 645.

Sectio IV. Quid sit putandum de quibus-

dam ſtellis noviter apparentibus? an verè in Cœlo exortæ fuerint, ſalvâ eius incorruptibilitate? Vbi de ſtellâ celebri in Caſſiopeiâ. 647.

Sectio V. De Galaxiâ, ſeu Viâ Lacteâ, quid ſit, & an in Cœlo, an potiùs in ſummo aëre exiſtat? 648.

DISP. XCII.

De Meteoris lucidis ſphæræ Aëreæ.

Sectio I. De Iride, ſive arcu cœleſti, eiuſque natura, cauſis, coloribus, numero, ſitu, ac formatione diurnâ, & nocturnâ; itemque ſemicirculari figura. 650.

Sectio II. Irides num ante diluviũ apparuerint? Quænam illarũ ſignificatio, ſive naturalis, ſive ex inſtituto Dei? An nonnulla effecta ex ijs ortum ducant? 653.

Sectio III. De Virgis, & Parhelijs, in quibus replicantur Solis imagines: de Voragine quoque, & Hiatu, atque Halo, ſive Corona, quæ etiam Area. 655.

Sectio IV. De Meteoris igneis in triplici aëris regione apparentibus, earumq; multiplici varietate natura, & cauſis. 656.

Sectio V. De imaginibus animalium, hominũ, exercituum, armorumq; in aëre apparentiũ, an inter naturæ effecta cenſeantur? Vbi & de ſtrepitu tubarum. 659.

Sectio VI. An ex cœlo, aëre vè, ſpectatis naturæ viribus, effluere poſſit diluviũ vniverſale, aut provinciale ignis? Vbi de futurâ conflagratione Mundi, an Etnicis nota. 661.

DISP. XCIII.

De concretionibus ſphæræ Aëreæ.

Sectio I. De Nube, & Pluviâ, atq; vtriuſque cauſis. Altitudo nubium veſtigatur, ex altitudine quorundã montium, inſuper & experimẽtali quadam regulâ. Vbi de diſcrimine Nebulæ a Nube. 664.

Sectio II. De Rore, Pruina, Nive, Grandine, & Glacie, Melle, ac Mannâ, illarumque cauſis, ac pleriſque concretionibus admirandis. 667.

Sectio III. De Fulgure, Fulmine, & Tonitruo, eorumq; cauſis. Quomodo coniungantur, ſeparenturvè. Admiranda, & varia fulminum effecta. 670.

Sectio IV. De Ventis, in quo cõſiſtant; an in aëre ipſo concitato, an potiùs in exhalationibus terreis? Eorum cauſa multiplex, & ratio motus tortuoſi ex influxu Planetarum. 672.

Sectio V. De multiplici ſpecie Ventorũ, iuxta diviſionem antiquam, ac recentem. Vbi de quibuſdam provincialibus, & ijs, quos Etefias vocant. 675.

Sectio VI. De diverſis Ventorũ affectionibus, tùm in genere, tũm & in ſpecie: de procellis quoque ab ijs generari ſolitis, præſertim Ecnephia, Typhone, & Præſtere. 675.

DISP. XCIV.

De concretionibus intra terram & aquam.

Sectio I. De ignibus ſubterraneis, eorumque cauſis, ac regionibus, in quibus eruptiones illorum contingunt. 678.

Sectio II. De Lychnis, ſive lucernis perpetua ſæcula ardentibus iuxta ſepulchra, & in ſubteraneis locis. Proferuntur hiſtoriæ, & ratio philoſophica veſtigatur. 679.

Sectio III. De Terræmotuum cauſa, & effectibus admirandis, ac multiplici ſpecie Vbi de fontibus, fluvijs, inſulisque terræmotuum viſepultis, aut detectis. 681.

Sectio IV. Iterum de Inſulis, ijs præſertim, quæ natant, ſeu fluitant medio mari. An à Mundi principio formatæ, & qua de cauſa fluctuent? 683.

Sectio V. An vnicum ſit mare totius Orbis an plura nullatenus colligata inter ſe? Cur omnium eorum aqua ſit ſalſa, & quomodo dulcis fieri poſsit? 685.

Sectio VI. De Fontibus, ac Fluminibus è Mari procedentibus, an præterea ex alijs cauſis oriantur, & quænam eę ſint? 686.

Sectio VII. De triplici motu maris, & vniuſcuiuſque eorum cauſa, illius præſertim, qui in fluxu ac refluxu conſiſtit. Ariſtotelis elogium, & concluſio Operis. 688.

Index Rerum & Verborum. 691.



PHI-

PHILOSOPHIÆ NOV-ANTIQVAE TOMVS POSTERIOR.

TRACTATVS IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE, *SIVE* DE ORTV ET INTERITV.

PROOEMIVM.

DVOBVS De Generatione libris Aristoteles præcipuas nascentium & intereuntium corporum affectiones examinat, sicut octo præcedentibus de Physicâ Auscultatione, principia, naturam, proprietates & accidentia Entis mobilis, sive naturalis, pertractanda suscepit. Vnde sic præsentem tractatum inchoat: Περὶ δὲ γενέσεως καὶ φθορᾶς τῶν φύσει γινομένων καὶ φθειρομένων, ὁμοίως δὲ πάντων τάς τε αἰτίας διαιρετέον, καὶ τοὺς λόγους αὐτῶν. *De ortu autem & interitu eorum, quæ naturâ gignuntur, intereuntque, universim de omnibus, tum causas, tum rationes eorum distinguendo, dicamus oportet.* Quamvis verò Albert. Magn. hoc loci *tract.* 1. *c.* 1. existimet obiectũ huiꝰ duplicis libri esse corpꝰ simplex, sive elementũ, in quantùm mobile seu mutabile est penes formam, sive substantialẽ, sive accidentalem; placet sententia D. Thom. Ægidij, Marsilij, Veneti, aliorumque *in præsenti*, asserentium, primarium Operis huius subiectum esse corpus generabile, & corruptibile; seu (quod perinde est) corpus mobile, prout secundùm substantialem formam mutationi subiacet. in hoc enim Aristoteles potiorem vtriusque libri partem insumit, vt legenti palàm erit. Cùm verò non levem præterea collocet operam in exponenda alteratione, accretione, diminutione, nutritione, mixtione, natura & proprietatibus elementorum; dicendum quoque, obiectum adæquatum vtriusque libri, prout à principali, seu primario, differt, ad prædictos corporis motus accidentales extendi. Priùs tamen de præcipuis, scilicet, Generatione & Corruptione substantiali, differendum est.

DISP. QVADRAG. SEXTA.

DE GENERATIONE SVBSTANTIALI.

An ſit, & quid ſit?

Num. 1. *HANC Diſputationem, quæ veluti proœmium eſt cæterarum, breviter & cursim expediemus, vt poſtea in alijs difficilioribus, & apud Scholas operoſiùs agitari ſolitis, liceat immorari. Examinandum igitur eſt, an in rerum natura exiſtat ſubſtantialis generatio ſive, quod perinde eſt, actio aliqua cauſarum naturalium, verè productiva ſubſtantiæ. Deinde quærendum, quid illa ſit, ſive generatim ſumpta, ſive ſpecialiùs intellecta de productione, tum viventium, tum & monſtrorum. Habet locum apud Ariſt.* lib. 1. huius tract. cap. 1. 2. 3. & 4. & 5.

SECTIO PRIMA.

Demonſtratur multipliciter exiſtentia generationis & corruptionis ſubſtantialis.

2 PRISCORVM Philoſophorum aliqui, quos refert Ariſtoteles *libr.* 1. *Metaph. c.* 2. & Laërtius *lib.* 7. nullâ in rebus naturalibus ſubſtantiâ agnoverunt à materia diſtinctam: cumque hanc incorruptibilem & ingenerabilem deprehenderent, omnem generationem ſubſtantialem, & conſequenter quidem, negarunt. E contrà Plato in Timæo, omneſque Academici, ac Peripatetici cum Ariſtotele in præſenti Opere, præſertim *lib.* 2. *c.* 9. & *lib.* 1. *Phyſ. c.* 7. & *lib.* 2. *de Anima c.* 1. & *l.* 7. *Metaph. c.* 4 *ac lib.* 12. *c.* 2. ſtatuunt omnia entia naturalia ex materia ac forma ſubſtantiali conſtitui, ac proinde locum eſſe ſubſtantiali generationi, quâ forma producatur verè ab agente naturali & compoſitum generetur; aut, illa corrupta, ſeparatavè, deſinat & intereat. Quod multipliciter iam & latè demonſtravimus, tum contra Veteres illos, tum adverſus Recentiores quoſdã, in Phyſica *diſp.* 6. *ſect.* 1. per totam: cuius doctrina opportunè hic locum habere poterat, niſi tædio repetitionis prohiberemur. Recolantur quæ ibidem præmiſimus, & exinde palam erit, formam ſubſtantialem realiter à materia diſtingui, ſeparariquè, & aliã formam alteri ſuccedere; propterea què locum eſſe ſubſtantiali generationi. Sed præterea id probare poſſumus rationibus ſequẽtib⁹.

3 *PRIMA* Sit deſumpta ex Ariſtotele in præſenti. In rebus naturalibus, quæ ſub orbem Lunæ apparent, vt in igne, alijſque elementis, & miſtis, præter entitatem materiæ primæ, exiſtunt formæ diverſæ ſubſtantiales, penes quas eadem materia communis variationem, ſeu mutationem ſubit. Verè ergo exiſtit mutatio ſubſtantialis, quæ generatio appellatur & eſt. Conſequentia probatione non eget. Antecedens quo ad ſingula membra ſuadetur. Et primò quidem, exiſtere in rebus hiſce phyſicis ac ſublunaribus, præter entitatem materiæ primæ, ſubſtantiales formas, eaſque diverſas, à poſteriori convincitur ex diverſitate operationum. Experimur namque perpetuò & conſtanter ignem calefacere, aquam verò è contrà refrigerare; gravia ferri deorſum, levia autẽ ſurſum; equũ hinnire, mugire bovem, rugire leonem, ridere hominem. Cùm ergo tot genera diverſarum operationum nequeant à materia provenire, quæ in omnibus eadem eſt, & ex ſe nullam activitatem habet, multò autem minùs diverſas virtutes operativas; palam dignoſcitur, id totum ex varietate formarum ſubſtantialium ducere ortum. Nam effugium, quod apparet ſtatim, ad formas accidentales, tamquam ex ijs tota illa diverſitas operationum procedat; prorſus inane eſt. Inſtat enim argumentum præiactum, & vrget, cur illæ ipſæ formæ accidẽtariæ quibuſdam rebus conveniant; alijs verò non itẽ? cur calor igni, frigiditas aquę vis hinniendi equo, mugiendi bovi, rugiendi leoni, ridendi vero homini? Aſsignare igitur debemus in ijs formam ſubſtantialẽ, & diverſam iuxta varietatem proprietatum, ſive formarum accidentalium eiuſmodi, & operationum.

4 Iam verò materiam eandem ſub ijs formis mutationem ſubire de vna formà in aliam, quæ eſt poſterior pars antecedentis, non tam ratione probari debet, aut poteſt, quàm frequenti oculorũ intuitu. Videmus enim in elementis materiam eandem de

for-

formà vniùs elementi in alteram tranſmutari: modicam aquam proiectam in ingentem rogum, tranſire in ignem, & è contra. quod & contra Primarium Noſtræ Academiæ Philoſophum Archiatrumque D. Ludov. Rodriguez ſatis, vt credo, demonſtratum manet *diſp. 3. Phyſicæ ſect. 2.* & infrà vberius ſuadebimus, cùm ventum fuerit ad controverſiam de tranſmutatione elemẽtorum. Verùm & eo nunc prætermiſſo, aſſumptum evidenter conſtat diutino ortu & interitu earundem rerum. Experimur nãq; ex equo, bove, leone, homine, alijſque, aut ſentiẽtibus, aut purè vegetabilibus, paſsim fieri cadaver, quod paulatim in cineres ac favillas diſſolvitur, manente eodem ſubiecto, ſive materia in ijs mutationibus, vt & Veteres illi, quibuſcum diſputamus, ratum habebant. Videmus candelam accenſam flatu aëris extingui, aquam calore Solis abſumi, & alia ſexcenta id genus. Manifeſtum ergo eſt, eandem materiam, vt commune ſubiectum, ſubire mutationes eiuſmodi penes diverſas formas ſubſtantiales: quod planè ſine generatione vnius formæ, & corruptione alterius, nec eſſe, nec cogitari poteſt, ſaltem excepto hominis ortu & interitu, in quo non anima, ſed vnio ipſius ad corpus, producitur, aut diſſolvitur.

5 *SECVNDA* Ratio deſumitur ex D. Th. 1. *p. q. 76. ar. 3.* loquendo de miſtis. In ijs enim verè exiſtit aliquid quod exigat, & ſit ratio exigendi quatuor primas qualitates, omnibus miſtis communes. Illud autẽ, ratione cuius exiguntur, nequit eſſe materia prima, quæ ex ſe non magis hanc, quàm illam exigit, & de facto in quolibet elemento puro duabus tãtùm prædita eſt. Ergo aſſignari debet ſubſtãtialis forma in quolibet miſto, vt ratione illius exigat conſluxum illum primarũ quatuor qualitatum refractarum, & proportionẽ. Cum verò & hæc diverſa ſit iuxta mixtorũ varietatẽ, diveria etiam forma ſubſtantialis in quolibet miſto aſsignari debet, vnde profluat diſsidens ac ſæpe contraria proportio. Eſt igitur in reb⁹ naturalibus forma ſubſtantialis, quæ proprio iure diverſam quatuor primarũ qualitatũ proportionẽ requirat: ac proinde eſt, quod ingenere ſubſtantiæ per generationẽ inducatur, & expellatur per corruptionem.

6 *Confirm.* Cùm enim experiamur eas quatuor primas qualitates non ſemper in quolibet miſto ſub debita proportione eſſe, ſed alias alijs prævalere, & cruentã cum ijs pugnam inire; neceſſum eſt, vt diſſolutà tãdem proportione, vnicuiquõ miſto neceſſaria, illud ſubſtantialiter corrumpatur, & ſuccedat aliud, cum quo maiorẽ affinitatẽ habeat illa quatuor qualitatũ improportio.

7 *TERTIA.* Videmus enim vnicum tritici granũ in terram iactũ, paulatim corrumpi, & poſtea ex illo quamplurima grana naſci, æqualis aut ſimilis ponderis, & figuræ. Quod ſine dubio oſtendit veritatem ſubſtantialis generationis & corruptionis. Videm⁹ præterea ex maris & fœminę cõcubitu animalia cõcipi & naſci, eaque poſtea interire, ac deſinere, non modò quo ad dimenſiones externas, ſed etiam quo ad rei ſpeciẽ, ſubſtantiamque. Quis enim ſanæ mẽtis aſſerat, cadaver illud, imò & cineres illos, in quos brutum tandem poſt mortem reſolvitur, ſpecie ſubſtãtiali non differre ab equo dum viveret? quis etiam ipſum equũ, vbi in vtero equæ concipitur, & organica compoſitione diſtenditur, equorũ proprià, non dicat ſpecie ſubſtantiali differre ab informi maſsa, quà primùm in vtero equæ coagulabatur? Poterit quidem à protervo negari, ſicut & pleraque alia, quæ evidenti demonſtratione deprehendimus. At quiſquis ingenio docili præditus eſt, & veritatis amico, non poterit non acquieſcere rationibus præiactis, tum & alijs, quas præmiſimus loco ſuperi⁹ allegato, vt fateatur proinde exiſtentiam ſubſtantialis generationis & corruptionis.

SECTIO SECVNDA.

Argumenta Veterum Philoſophorum ſoluta.

8 *OBIICIES I.* Si daretur generatio ſubſtãtialis, ſive ſimpliciter talis, aliquid generaretur ex non ente ſimpliciter. Hoc autem fieri nequit: Quia viribus naturæ ex non ente, ſive nihilo, nequit fieri aliquid. Ergo non datur generatio ſubſtantialis, ſive ſimpliciter talis. Minor cum conſequẽtia patet. Maior, ſive ſequela, probatur. Sicut enim ſe habet generatio ſecundùm quid ad non ens ſecundùm quid; ita generatio ſimpliciter ad non ens ſimpliciter. Sed quod generatur ſecundùm quid fit ex non ente ſecundũ quid, vt generatio albi ex nõ albo. Ergo ſi daretur generatio ſubſtãtialis, ſive ſimpliciter, aliquid generaretur, ſive fieret ex nõ ente ſimpliciter.

9 *RESP.* Non ens ſimpliciter, duobus modis acipi poſſe. Primò, vt neget abſolutè omnem entitatem, tam in actu, quam in potentia paſsiva; & hoc modo non poſſe ex illo fieri aliquid ab agẽte crea

to, quia id est proprium creationis, repugnantis omni creaturæ. Secundo accipi potest pro non ente simpliciter in actu, quod tamen vel quantùm ad formam, vel saltē quantùm ad vnionem formæ & materiæ, sit ens in potētia passiva materię: & ex hoc nō ente simpliciter potest fieri aliquid actu, quia non prætergreditur metas eductionis & generativæ virtutis, quæ naturæ creatæ ab Authore suo insita est. Neque oppositū evincit paritas de non ente secundū quid: imò potiùs hanc doctrinam cōfirmat. Etenim ens secundùm quid, vt albū, fit ex non albo in actu, quod tamen erat album in potentia, seu capacitate passiva subiecti. Ergo pariter ens simpliciter, vt equus, potest fieri ex non equo in actu, quod tamen erat equus in potentia, seu capacitate passiva materiæ. Videātur quæ diximus *disp. 6. Physic.* agentes de eductione formarum.

10 *OBIICIES II.* Iuxta Arist. 8. *Physic. c. 7. textu* 62. generatio terminatur ad esse. Hoc autem esse nō est ipsum esse substantiæ, seu essentiæ, quoniam id non ex tempore, sed ab æterno vnicuique rei competit. Vnde & idē Arist. 7. *Meaph. c.* 8. *text.* 27. docet, essentiam, sive substantiam, non fieri. Ergo esse illud, ad quod terminatur generatio, non est esse substantiale & essentiale, sed accidentale tantùm. Ergo nulla generatio habet pro termino substantiam, sed solùm accidens. Nulla ergo existit generatio substātialis, sed solùm accidentalis.

11 *RESP.* Generationem terminari quidem ad esse, non tamen solius existentiæ, sed etiam substantiæ, sive essentiæ. nā vt inquit D. Th. *q. 3. de Potentia art. 5. Eo ipso quòd quidditati esse tribuitur, non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur; quia antequam habeat esse, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non creatura, sed ipsa creantis essentia est.* Etenim licèt existētia sit terminus sub quo ponitur res, quæ gignitur, substantia ipsa rei est terminus, qui producitur & simpliciter fit. Neque obstat Philosophus loco allegato ex 7. Metaphysicæ: ibi enim ex contextu patet sensum esse, nec formam, nec essentiam abstractè sumptam simpliciter fieri aut produci; sed solùm cōproduci, quatenus continetur in præcipuo generationis termino, qui est substantiale compositum. actiones enim sunt suppositorum, non solùm activè, sed & passivè. Sola anima rationalis abstractè sumpta terminat actionem productivam sui, scilicet, creationem; quia sola illa est per se subsistēs, & proinde quoddammodo æquivalēs composito substantiali per se subsistenti.

12 *INSTABIS*: Totum nihil aliud est, quàm partes substantiales vnitæ inter se: ac proinde nequit totum, sive compositum substantiale, simpliciter produci, vt in solutione asseritur, nisi partes ipsius producantur. Manifestum est autem non produci ab agente creato partes substantialis compositi: nam materia saltem non fit, nec fieri potest ab agente creato, sed ab increato solùm; cùm sit ingenerabilis, & sola creatione fieri possit. Ergo neq; produci potest ab agente creato totū, sive cōpositum substantiale, ac proinde nec simpliciter generari.

13 *RESP.* Admisso antecedente, negādo consequentiam: Quia vt aliquod totum substantiale dicatur simpliciter produci, opus non est, vt vel omnes, vel aliqua pars eius producatur ab eodem agente; sed sat est si ab eo fiat, sive ratione formæ, sive saltem ratione vnionis inter formā & materiam. Eò namque ipso incipit esse totum substantiale, quod antea non habebat. Vnde & resurrectio mortuorum erit quædam regeneratio substantialis, quia licèt ante illam iam existāt in rerum natura corpus & anima seorsim ac divisim; non tamen simul, defectu substantialis vnionis; quam Deus miraculosè & supra naturæ leges iterum inducet, postquam semel naturaliter à physico agente producta est.

14 *OBIICIES III.* Si vlla esset substantialis generatio, id, quod per eam fit, acciperet esse in instanti: quia omnes Philosophi eiusmodi generationem, instantaneā actionem vocant. At consequens repugnat. Si enim totū substantiale fieret in instanti, certè dum fieret, iam esset. quod planè impossibile est. nam vt docet Arist. *lib. 6. Physic. c. 6. text. 59. & lib. 8. text. 69.* nihil potest simul esse & fieri.

15 *RESP.* Nihil absurdi esse in eo, quòd res, quæ incipit esse per generationem substantialem propriè dictam, quę est actio instantanea, accipiat esse in instanti, & existat eodem reali momento, in quo gignitur. Aristoteles verò locis in obiectione allegatis loquitur partim de generatione accidētali, partim de substantiali; non tamen per se sumpta, sed in consortio præcedentis alterationis. quæ alteratio dū est, sufficit vt quoddammodò res gigni dicatur, quatenus agēs est iā in via ad generationē, vt ad terminū eiusdē alterationis extrinsecum, licèt tunc res ipsa nondum sit in se verè ac sim-

ſimpliciter. Quare eo ſolùm ſenſu repugnat aliquid eſſe dum fit, ſcilicet, dum fit quodammodo & præparativè per alterationem præviam: non verò dum fit in ſeipſo, & per actionem ad ſe terminatam. Alioqui nec terminus creationis haberet eſſe in inſtanti quo fit, nec poſſet Deus efficere vt actioni productivæ ipſius coexiſtat in primo inſtanti creatura producta; nec tandem proprietates poſſent emanare à natura in primo inſtanti productionis. quæ omnia abſurda ſunt.

SECTIO TERTIA.

Exponitur definitio generationis ſubſtantialis ab Ariſtotele tradita, & obiectiones, quæ contra illam militant, diſſolvuntur. Vbi an generatio recipiatur in materiâ primâ.

16 *STATVTA* Iam generationis ſubſtantialis exiſtentia, & reſponſione data quæſtioni *an ſit*, ſequitur modò vt *quid ſit* explicemus. quod rectè præſtabitur, aſſignata ipſius definitione.

IGITVR Generationem tripliciter accipit ac definit Ariſtoteles: ſcilicet, latè ſtrictè, & medio quodā modo. Latè illam definit *lib.* 1. *Phyſic. cap.* 1. *textu* 7. & *lib.* 11. *Metaph. cap.* 10. prout abſtrahit à generatione ſubſtantiali & accidentali, per *mutationem ex non ſubiecto in ſubiectum*: id eſt, vt ibidem Interpretes notant, per mutationē a termino negativo in affirmativum, ſive ille ſit ſubſtantia, ſive accidens. Quo etiam ſenſu idem loquitur in præſenti *lib.* 1. *cap.* 3. *textu* 11. Vbi docet tam ſubſtātiam, quàm accidens, per generationem fieri. Strictè autem loquendo ſola generatio viventium eo nomine cenſetur apud ipſum, *vt libro de Vitâ & mortè c.* 1. vbi generatio definitur *participatio animæ vegetatricis in calido*. Vnde & ipſum nomen *naturæ* ex propria & ſtricta ratione impoſitum fuit ad ſignificandam generationem viventium, quæ nativitas dicitur, vt tradit idem Ariſtot. *lib.* 5. *Metaph. c.* 1. *t.* 3. & ex ipſo obſervat D. Thom. 1. *p. q.* 115. *art.* 2. *corp.*

17 Denique medio modo generatio accipitur quatenus omnem & ſolam ſubſtantiarum generationem amplectitur: & de illa ſub hac tertia acceptione differit, tum *lib.* 12. *Metaph. cap.* 1. 7. tum etiam in præſenti *lib.* 1. *c.* 4. *t.* 23. illis verbis: ὅταν δὲ ὅλον μεταβάλλῃ, μὴ ὑπομένοντος αἰσθητοῦ τινος ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ· ἀλλ' οἷον ἐκ τῆς γονῆς αἷμα πᾶσης, ἢ ἐξ ὕδατος ἀήρ, ἢ ἐξ ἀέρος πᾶν τὸς ὕδωρ, γένεσις ἤδη τὸ τοιοῦτον, τοῦ δὲ φθορά. *At cùm totum mutatur, nec ſenſibile quid quam vt ſubiectum idem permanet, ſed perinde evenit, vt cùm ex toto ſemine ſanguis, aut ex totâ aquâ aër fit, iam quod eſt tale, generatio huius eſt, & illius corruptio.* Quod alij breviùs exponere ſolent, mutuatis ferè ex eodem textu verbis, aſſerentes, ſubſtātialem generationem eſſe *mutationem totius in totum, nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem.* Coincidítque cum alia ab eodem Philoſopho tradita hoc eodem lib. *c.* 5. *t.* 25. vt generatio ſit mutatio à ſubſtantia potentiâ in ſubſtantiam actu.

18 *IN* Prædicta definitione mutatio adhibetur loco generis, in quo ſubſtātialis generatio conve..it cum accidentali. Cùm verò omnis mutatio tribus conſtet, termino *à quo*, ſubiecto, & termino *ad quē*; omnia hæc in tradita definitione exprimūtur formaliter, aut æquivalenter. Terminus *à quo* nomine totius, quod tranſmutatur in aliud totum, ſubintelligitur, quatenus ſubiectum generationis, quod fuerat ſub forma corrupti, præſupponitur cum privatione formæ geniti; quę privatio eſt terminus *à quo* eius mutationis, & expreſs ùs legitur in priori illa definitione prima ſupra exſcripta. Subiectum verò denotatur expreſsè, proprioque nomine; & eſt materia prima, quam idem Philoſophus ſubſtātiam potentiâ appellat. Denique terminus principalis *ad quem*, eſt compōſitum ſubſtātiale, quod vocabulo totius ſignificatur; quamquam minus principaliter ſub eo accipiatur forma.

19 Poſſunt verò omnes traditæ definitiones, ſeu potiùs deſcriptiones, ſic commodè exponi & breviùs perſtringi, vt generatio ſit *mutatio materiæ primæ de privatione ad ſubſtantialem formam.* Vbi habet locum generis *mutatio*, quæ iuxta D. Thomā 1. *p. q.* 45. *art.* 2. & 2. *contra Gentes cap.* 17. & 18. alioſque Authores, ſi proprie ſumatur, exigit ſubiectum duratione antecedēs formam, quæ per ipſam mutationem inducitur in illud. Quare conſequenter ad ipſius doctrinam diximus *diſp.* 6. *Phyſic ſect. ult.* formas colorum, & primas elementorum, non fuiſſe eductas, quia non præſupposuerunt privationem ſui in materia, neque hanc priùs duratione productam: & *diſp.* 44. aſſeruimus, ſeriem generationum non potuiſſe eſſe ab æterno, quia ante om-

nem generationem debuit præsupponi carentia realis ipsius, & privatio formæ genitæ ipsi coëxistens; cùm tamen apertè repugnet carentia seu privatio præsuppositæ rei ab æterno existenti. Cæteræ autem particulæ adhibentur loco termini *à quo* & *ad quem*, proprij generationis substantialis, per quem ab accidentali differt.

20 Ex quo palam infertur, generationem substantialem, differre etiam à creatione, & transubstantiatione Eucharisticà, atque alia qualibet totali conversione solius Dei virtute possibili: quia in eiusmodi mutationibus, nullum adest subiectũ commune termino *à quo*, & *ad quem*, sed fit transitus, aut ex puro nihilo in aliquid, aut ex vno toto secundùm materiam & formam in aliud totum. Cæterum in generatione substantiali adest semper eadem materia, veluti commune subiectum privationi præcedenti, & formæ subsequenti.

21 *OBIICIES I.* argumentum commune, quod generatio substantialis definiri debeat in communi, ita vt definitio conveniat omni generationi substantiali in specie consideratæ. At id esse non potest si generatio in communi definiatur per rationem mutationis vti superiùs definita est. Ergo malè definitur per rationem mutationis. Probatur minor. Nam processio Verbi æterni à Patre est vera & substantialis generatio, vt fide sanctum est; cùm tamen in ea nulla mutatio sit, aut vicissitudinis obumbratio, vt in sacris litteris edocemur. Ergo si substantialis generatio in cõmuni definitur per rationem mutationis, non conveniet alicui generationi in specie consideratæ, scilicet, processioni divini Verbi. *Confirm.* Verbum divinum fuit genitum in tempore ex Virgine Matre, quæ propterea in Concilijs dicitur non solum Χριστότοκος, seu *Christipara*, sed etiã Θεότοκος, seu *Deipara*. Et tamen Verbum nõ fuit mutatum, cùm Deus mutationem subire nequeat. Ergo malè definitur generatio in communi per mutationem.

22 *RESP.* Prætermissis aliorum solutionibus, in præsenti solùm definiri generationem creatam & naturali lumine cognoscibilem, quàm solam agnovit Philosophus. Nam illa æterna & ineffabilis generatio omnem creati intellectus aciẽ longissimo supergreditur intervallo. Loquendo autem de generatione temporali Verbi divini ex Matre, sat est quòd materia, sive corpus Christi, transierit a privatione ad formam, sive animam rationalem ipsius, quæ materiæ præexistenti vnita fuit substantialiter; quamquam Verbum ipsum in se nullam subierit mutationem, quia illius capax non est, vt suppositum alia naturæ humanæ. Ex quibus patet ad confirmationem. Lege D. Thomam 1.*p.q.*27.*art.*2.

23 *OBIICIES II.* Si nomine subiecti, quod mutationem subit media generatione, esset materia, hæc reciperet generationem in se. Hoc autem repugnat: Tũ quia sic reciperet formalem effectum ipsius generationis, ac proinde esset genita; quod ipsius naturæ ingenerabili contradicit: Tum etiam, quia sic materia pro priori naturæ reciperet actum secundum & accidentalem generationis, ante primum & substantialem formæ: Tum denique, & cõsequenter, quia sic materia pro priori ad formam esset ens in actu, ac proinde ex ipsa & ex formâ superveniẽte non posset resultare vnum per se intra genus substantiæ.

24 *RESP.* Omissa aliorum opinione contraria, concedendo sequelam, & negando minorem. Vt enim probavimus *lib.*3. *Phys. disp.*18. motus est in mobili: ac proinde generatio est in materia. Ad primã probationem dico, generationem præstare duplicem denominationem, alteram sub ratione mutationis, alteram sub munere generationis, vnamquamque iuxta capacitatem eius rei, quàm afficit. Cùm verò subiectum, scilicet, materia prima, solùm sit capax denominationis *mutati*, terminus verò *geniti*, consequens est, vt inter vtrumque præfatas solùm denominationes distribuat. Ad secundam probationem concedo materiam pro priori naturæ ad actum substantialem & primum formæ recipere accidentalem & secundum operationis; transeũter tamen & in via solùm. quod nihil incommodi affert; sed imò verò necessarium est vt materia propriè & immediatè mutetur. Indidem verò tantùm infertur, materiam pro priori ad formam esse ens in actu imperfectè solùm & in via ad actum simpliciter, qui est forma; non autem perfectè & consummatè, vt oportebat ad inferendum totum ex materia, & forma resultans non fore ens per se intra genus substantiæ.

25 *DICES.* Si dispositiones vltimæ reciperentur in materia immediatè pro priori ad formam, solùm constituerent illam in actu viali & imperfectè; non autem perfectè & consummatè, quia dispo-

sitio

ſitio vt diſpoſitio ſolùm eſt via ad terminũ. Et tamen impedirent vnitatem perſe, vt plerique Thomiſtarum arguunt, & nos infrà proprio loco ſtatuemus. Ergo pariter, ſi generatio immediatè recipitur in materià pro priori naturæ ad formam, quãvis conſtituat illam ens in actu ſolum viali & imperfecto, impediet vnitatem totius per ſe.

26 *RESP.* Negando maiorem: Quia cùm diſpoſitiones ad formam ſubſtãtialem proximæ (de his enim ſolùm procedere poteſt obiectio) ſint proprietates connexæ neceſſariò cum formà introducta; permanentes ſunt, quemadmodum & ipſa: ac proinde, ſi immediatè eſsẽt in materia, permanenter & conſumatè accidentaliterque illam actuarent pro priori naturæ ad ſubſtantialem formam: quo planè præcluderetur locus ad reſultantiam vnius per ſe ex ipsà & materià. Hoc autem non imminet dato quòd generatio afficiat immediatè materiam, quia naturà ſuà eſt actio momentanea & tranſiens, quæ accedente formà ſtatim evaneſcit.

SECTIO QVARTA.

Enucleatur ratio propria generationis viventum, & difficultates nonnullæ, quæ in oppoſitum militant, expediuntur. Vbi plura de quibuſdam generationibus monſtroſis.

27 QVEMADMODVM *Sect. præcedenti* de generatione in communi dictum eſt, trifariam accipi; ſic etiam nunc afferendum de generatione viventium. Poteſt enim accipi latè, medio modo, & ſtrictè. *Latè* accepta nihil aliud eſt, quàm proceſsio rei viventis ab aliquo. Quà ratione productio Adami, & animalium brutorum, & Angelorum quorumlibet, relatè ad Deum generatio viventium dici poteſt, cum omnia prædicta vitæ ſpiritum à Deo accipiant.

28 *Medio modo* definitur à D. Thoma 1. *p. q.* 27. *ar.* 2. cohærenter ad doctrinã Ariſtotelis *lib.* 7. *Metaph. cap.* 8. *textu* 28. & *lib.* 8. *Ethic. c.* 12. & *in Problematis ſect.* 4. *probl.* 14. definitur, inquam, *proceſsio viventis à principio vitæ coniuncto ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſaltem in ſpecie infimà*. Per illam primam partem, *proceſsio viventis*, differt à generatione rerum inanimatarũ, vt ignis & terræ. Per vlteriora, *à principio vivente*, diſsidet à cœlo, Sole, & aſtris, quæ ita producunt viventia, vt tamen in ſe ipſis perfectione vitæ careant. Per particulã *coniuncto*, denotatur, vivens, quod hac ſecundà definitione exprimitur, debere eſſe initio productionis coniunctum producenti, ita vt ei quodammodo internum ſit, in eoque maneat, quò ad ſuum principium ſaltem. Hac ratione equus dicitur generari ab alio equo ratione ſeminis, quod hic ex parte quodam alimenti puriore intra ſe ipſum elaboravit, & cuique virtutem dedit, vt deſerviat, tum ipſi vt activum inſtrumẽtum ad generationem, tũ & fœtui vt materia, ex qua coaleſcat. Quare per particulam *coniuncto*, excluditur proceſsio Angelorum & animalium à Deo, quæ in primà & ſecunda definitionis parte comprehendebatur; quia nec Angeli, nec animantia fuere Deo coniuncta prædicto modo. Denique per poſtremà illa verba, *ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſaltem in ſpecie infimà*, excluduntur quæcunque ad ſpeciem infimam generantis non ſpectant, quanquam ab eo vt principio coniuncto proceſſerint; vt capilli in opinione docente eos informari ab animà proprià, ac diſtinctà ab animà viventis; idemque eſt de vnguibus, & ſanguine, aliiſque humoribus.

29 Tertio denique modo, & omnium ſtrictiſsimo, definitur, *proceſsio vivẽtis à principio vitæ coniuncto, & per cognitionem atque amorem operante, ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſaltem in ſpecie infimà*. Quæ definitio ab immediatè præcedenti ſolùm differt in illà patticulà, *per cognitionem atque amorem operante*; ſecundùm quã differt à generatione vnius arboris ex aliã, quæ cognitione & amore caret; convenitque ſolis ijs viventibus, quæ procedunt à principio cognitione & amore prædito, ſive illud ſit rationale, ſive ſenſitivum. Eſt autem id diſcriminis inter omnes præiactas definitiones, quòd tertia hæc comprehendat duas priores, ac determinet quaſi ad certam ſpeciem, ſicut & ſecunda primam. Vnde cuicunque convenit tertia, conveniunt & duæ priores; ſicut & cuicunque convenit ſecunda, convenit etiam prima: non autem è contra. Valet enim illatio à ſpecie ad genus; non autem viciſsim, vt in Summulis traditur.

30 Porrò definitio poſtrema, eſt omnium propriſsima, & viventium ſtrictæ generationi convenit, quotquot filij & pa-

patris appellatione gaudent, quæ non, niſi cognoſcentium & amantium eſt. Quare & communi Theologorum conſenſu adaptatur etiam generationi æternæ Filij; vtpotè procedētis à Patre, vt à principio vitæ cōiunctiſsimo, & ex vi cognitionis intellectivæ, qer quam procedit, habētis vt ſit imago Patris, ipſiſque perfectè ſimilis in eadē naturà. Quod tamen proceſsioni Spiritus Sancti à Patre & Filio non convenit; quia non procedit ab vtroque per intellectionem, ad quam ſpectat ratio ſimilitudinis & imaginis; ſed per amorem, cuius ſolum eſt inclinare & producere pondus circa rē quæ diligitur. Vnde Spiritus Sanctus nec eſt, nec appellari poteſt Filius. Verùm de hoc latè Theologi, in quorum meſſem non licet nunc falcem mittere, niſi obiter.

31 *OBIICIES.* Productio Evæ ex coſtà Adæ non fuit propriè generatio viventis: alioqui Eva fuiſſet filia Adæ, & conſanguinea ipſius in primo gradu rectæ lineæ, impotenſque iure naturali ad contrahendum matrimonium cum ipſo. Et tamen tota definitio generationis propriæ viventium adaptatur illi productioni: quia Eva vivens proceſsit ab Adamo vivente, coniuncto mediâ coſtâ, cognitione & amore prædito, in ſimilitudinem eiuſdem naturæ humanæ ſecundùm ſpeciem infimā. Ergo relata definitio convenit alijs, quàm generationi viventium propriæ.

32 *Confirmatur.* Aves enim incubantes ſuprà aliena ova, ex iis pullos educunt, vt experimento notum eſt: ac proinde generant & ſunt parentes ipſorum. Et tamen pulli non procedunt ex prædictis avibus, tanquam ex principio vitæ coniūcto; ſed ab alijs, quæ ova intra ſe conceperunt. Ergo ſtat aliquid propriè generare aliud, eſſeque ipſius parentem, quamvis nō procedat ab ipſo vt principio vitæ coniuncto, vt exprimitur in dictâ definitione.

33 *RESP.* Negando minorem: Tum quoniam Eva non proceſsit ab Adamo vt à principio activo, quà ratione particula illa definitionis accipi debet, ſaltem ex parte viri generantis: Tum etiam, quia Eva ex vi proceſsionis non fuit producta è coſta Adæ vt ſimilis in natura; cum æquè benè ex illa coſtâ potuerit Deus leonem, ſicut & Evam, producere. Deficit ergo ſimilitudo in naturâ ſecundùm ſpeciem infimam ex vi proceſsionis, vt ad ſtrictam viventium generationem exigebatur. Lege D. Tho. 1. *p. q. 42. ar. 2. & in 4. diſt. 40. q. vn. ar. 3. ad 1.*

34 *AD* Confirm. negatur maior. Parentes enim pullorum ex ovis naſcentiū ſunt, tū avis fœmina, quæ ova intra vterū concepit & peperit; tum & ales mas, qui cum ea ſimul ſeminalem virtutem ovis infudit: non verò avis illa quæ ſolùm incubabit ſuper ova, & inde pullos extraxit. Eam enim non eſſe parentem pullorum, multis evincitur. *Primò*, quia non habuit conjunctionem à principio cum mare: id autem eſt de ratione generationis, & parentis futuri. *Secundò*, quia ova non referunt ſimilitudinem incubantis avis, ſed alterius, quæ ova concepit & peperit: vt cernere eſt in gallina excludente pavonum ova, è quibus pavones ſolùm egrediuntur. *Tertiò*, quia ſi ſola incubatio ſupra ova ſufficeret vt avis aliqua eſſet pullorum parens; idem dicendum foret de fimo, ſtercore, alijſque rebus, quæ vtcumque fovendo & calefaciendo eadem ova, pullos extrahunt.

35 Quod Ariſtoteles teſtatur *lib. 3. de Gener. Animal. cap. 2. & lib. 6. de Hiſtor. Animal. c. 2.* maximè illis verbis: *Incubitu avium, fœtum excludi, naturæ ratio eſt: non tamen ita ſolùm ova aperiuntur;* ἀλλὰ καὶ αὐτόματα ἐν τῇ γῇ, *ſed etiam ſpontè in terrâ.* Idque probat experimentis, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ κατορυττόντων εἰς τὸν γῆνεον τὸ κόπρῳ. καὶ ἐν Συρακούσαις δὲ φιλοπότης τις ὑποτιθέμενος ὑπὸ τὴν ψίαθον εἰς τὴν γῆν, τοσοῦτον ἐπίνεν, ὡς φασι, χρόνον συνεχῶς, ἕως ἐκλεπεῖν τὰ ᾠά: *ſicut in Ægypto (ova) obruta fimo pullicie procreant. Et Syracuſis potator quidam, ovis ſub ſtrato poſitis, tandiu potabat, donec ova ederent fœtum.* Ii etiam, qui res Ægypti recenter explorarunt, & inter eos noviſsimè Caſtillo in peregrinatione ſuâ ad Ieroſolymam, teſtantur, in vrbe Cayro, alias Heliopoli, totius provinciæ emporio, plurà ovorum millia ſimul poſita ſupra furni tectum, abſque vllo avium incubitu, pullos totidem edere. Quibus planè convincitur, non ſufficere incubationē ſuper ova vſque ad fœtum pullorum, vt aliqua avis illorum parens dicatur; cùm & id terræ, fimo, alijſque rebus inanimatis ſolemne ſit, quæ tamen parentum appellatione cenſeri nō poſſunt. *Demum* non modò apud Ieremiam cap. 17. legitur, *Perdix fovit, quæ non peperit*; ſed etiam apud S. Hieronymum in ea verba, & Ambroſium 6. Hexaem. cap. 3. (referentes Ariſtotelem Plinijūque) pullos perdicis illius, quæ ova peperit, vbi eius cantum audierint, confeſtim ad illam advolare, veluti ad matrem naturæ arcano inſtincta ſi-

bi

bi notam. quòd tamen non præſtant circa eam, quæ ſupra ova tantum incubavit.

36 *OBIICIES II.* Non videri neceſſariam naturæ ſimilitudinem ſecundùm ſpeciem infimam inter rem viventem & ipſius progenitores, vt in eàdem definitione exprimitur. Quod ſuadetur varijs exemplis: Quia generatio propria viventis eſt illa, quà mulus procedit ex equà & aſino, ſive ex aſinà, & equo; item, quà leopardus ex leænà & pardo; lynx ex lupo & cervà. Et tamē in ijs generationibus nō eſt ſimilitudo ſecundùm ſpeciem infimam inter ſobolē & progenitores. Imò & abſque ſimilitudine ſecundùm ſpeciem ſubalternam poſſe contingere propriam generationem viventium ſuadent plura admiranda, quæ apud Hiſtoricos habentur circa veros quoſdam homines, procreatos ex congreſſu fœminæ cum incubo dæmone, qui certè alterius generis ab homine eſt.

37 *RESP.* Similitudinem in naturà ſecundùm ſpeciem infimā ſolùm exigi ad generationem naturalem vivētium, ſive ſecundùm ſolitum naturæ curſum; nō verò ad extraordinariam & monſtroſam, qualis eſt muli ex equo & aſina, aliæque in obiectione relatæ. Ita enim dicendum iuxta Ariſtot, *l.7. Metaph. cap.8. t.28.* Vel etiā dici poteſt, ad ſalvandum generationem viventium tendere ad ſimile in ſpecie infima, ſufficere quod principium generans, per ſe loquendo, in id tendat; quamvis per accidens, & ex impedimento illud non aſſequatur, vt in memoratis hiſtorijs. Cōſtat etiam ex eodem Philoſoph. *lib.2. de Gener. Animal. cap.6.* & D. Tho. *q.3. de Veritate. ar. 8. ad 4.* ſemina duorum animalium naturà diverſorum, ita miſceri, vt proles quidem in tertiam degeneret ſpeciem; retentà tamen, quantùm fieri poteſt, ſimilitudine inter ſobolem & ipſius parentes, citrà ſimilitudinem in ſpecie atomà. Vidi ego Salmāticæ, vbi hæc ſcribo, in domo Comitum de Grajal anno 1667. catulum ex lupo & cane procreatum, qui vtriuſque ſpeciem, ſeu figuram adeò exprimebat, vt qui inſcius generationis monſtroſæ intra domum eum videret, iudicaret canem; ſi in monte autem, lupum. Prædictis vero affine eſt quòd accidit quandoque, vt ex duobus parentibus eiuſdem ſpeciei gignatur tertium aliquod ſpeciei alterius: qualiter ex aquilis mare & fœminà nàſci dicitur ἁλιαίητος *haliætos*, ab vtroque ſpecie differēs; a quo rurſus, non haliætos, ſed phena gignitur, itidem alterius ſpeciei; ſicut tandem à phenà milvus; qui nullam ſuæ ſpeciei avem progenerat, ſed alterius tantùm.

38 Denique ad id quod additur de dæmone incubo, plura hīc dicenda eſſent, quæ fusè dedi *tomo primo Theologiæ Florulentæ Ludo 4. per totum.* Ex quibus dicendum, nunquam poſſe demonem abſque virili ſemine generare ex fœmina hominem, & ſi quando id accidit, ſobolem eſſe, non dæmonis, ſed illius viri, cuius virtute ſeminali, quamvis ſuffuratà, fœmina infantem concepit; qui certè vtrique parenti ſuo evadit ſimilis ſecundùm ſpeciem infimam & humanam.

SECTIO QVINTA.

Expediuntur breviter plura dubia ex ſententiâ S. Thomæ.

39 NVNC Curſim decidere oportet plures levioris notæ difficultates ex mente Doctoris Angelici, quas congeſſit Alamanius aureo illo Opere totius Philoſophiæ, ex ſolis eius verbis, hinc, inde, veluti pretioſis margaritis, contexto.

DVBIVM I. Vtrùm omnis generatio ſit ab vnivoco? RESP. S. Thomas 7. *Metaph. l.* 8. loquendo de generatione per ſe, tunc generationem eſſe totaliter vnivocam, quando facit agēs ſibi ſimile, vt ignis producens alium ignem: tunc verò ex parte vnivocam & ſimul æquivocam eſſe, quando generans partim ſimile eſt, partim diſſimile genito: qualiter domus ab artifice cōſtructa eſt partim ſimilis ratione agendi, quatenus ædificium reale imitatur formā intentionalem in mente artificis exiſtentem, alioqui diverſam. Cùm verò nulla, aut valde exigua ſimilitudo eſt inter generans & genitum, tunc generatio non eſt ab vnivoco, ſed ſimpliciter ab æquivoco, vt quando Sol generat aurum.

40 *DVB. II. Vtrùm generationes & corruptiones rerum ſint naturales. RESPONDET* vbi nuper *lect. 6.* generationes eſſe naturales tripliciter: primò, quatenus ſunt motus materiæ, quæ natura eſt: ſecundò, quia ipſæ ſunt circa formam, quæ etiam natura eſt: tertiò denique quia procedunt ab agentibus naturalibus, quāquam extrinſecis. Similiter & docet, naturales eſſe corruptiones ex triplici capite: primò,

quia

quia naturaliter exiguntur ab Vniverso, in cuius varietatem & pulchritudinē cedunt, præstando locum alijs generationibus: secundò quia quodlibet agens naturale dum per se tendit ad generandum vnum, per accidens & indirectè saltem conatur ad corrumpendum aliud: tertiò denique, quoniam omnia ista inferiora naturaliter sunt corruptibilia. Ergo & corruptio ipsa naturalis est.

41 *DVB. III. Vtrùm generatio vnius sit corruptio alterius? RESP.* Hoc lib. 1. de Gener. lect. 7. necessarium esse, quod generato vno corrumpatur aliud; & vicissim vno corrupto aliud generetur: quia materia nec potest manere absque omni forma, nec duas simul aut plures habere potest. Non tamen dicitur generatio vnius esse per identitatem corruptio alterius, sicut neque ens & privatio idem reipsa sunt: sed loquimur eo modo, quia eodem momento ponuntur, & inseparabiliter adunantur generatio & corruptio in eodem actu & motu.

42 *DVB. IV. Vtrum expulsio formæ substantialis præcedentis, & introductio formæ sequentis sint idem. RESP.* q. 21. de Verit. ar. 6. ambas esse duas mutationes realiter distinctas, sed vnum motum, quasi duas res factas vnico actu: quia quando generatur in ligno v. g. forma ignis, & expellitur forma ligni, hæc corrumpitur & tendit in non esse; in quo est vna mutatio: præterea & succedit fitque verè forma ignis; in quo citra dubium intervenit mutatio altera: quam mutationem vtramque causat vnus idemque generativus motus, qui inducendo vnam formam expellit alterā; ideoque se vicissim comitantur generatio vnius & corruptio alterius. Soletque adhiberi vulgare exemplum, satis opportunum in clavo vbi impetu mallei, trudit clavum alterum à loco, in quo est. tūc enim motus, sive impetus, vnicus est, mutationes autem duæ; altera positiva in clavo intrante; altera negativa seu privativa in expulso, aut egrediente.

43 *DVB. V. Vtrùm formæ præcedentis expulsio sit prior introductione formæ sequentis? RESP.* de Verit. q. 28. ar. 7. esse sibi invicem priores & posteriores. Expulsio enim formæ, quæ accensetur inter requisita ex parte materiæ, est ingenere causæ materialis prior introductione formæ. E contrà verò introductio formæ sequentis, est in genere causæ formalis, vel efficientis, prior expulsione præcedentis formæ. Habent enim se eiusmodi mutationes sicut ipsa materia & forma invicem collatæ. Cumque hæ mutuam inter se causalitatē exerceant, vnaquæque in suo genere; consequens est, vt mutationes se tenentes ex parte vtriusque similem inter se vicissitudinem subeant.

44 *DVB. VI. Vtrùm expulsio formæ præcedentis, & introductio sequentis, sint in instanti? RESP.* D. Thomas apud Alamānium, vtramque esse simul, quia necessum est à subiecto exire vnam formam, quando alia ingreditur; quia nequit esse duplex forma simul, nec subiectum omni forma destitutum, vt & suprà iam dictum est. Denique tradit, vtrumque id contingere in instanti. quod etiam communiter alij tuētur ex omni Schola: vt Scotus *in* 2. *dist.* 2. *q.* 9. Conimbricēses hic *cap.* 3. *q.* 21. *ar.* 2. Tellez *disp.* 71. *n.* 11. Arriaga *disp.* 1. *sect.* 5. vterque Suarez, Toletus, Hurtado, Aversa, ac frequenter Thomistæ. Ratio est, quia tam forma, quæ expellitur, quā quæ inducitur, est indivisibilis; ac proinde vnius expulsio & alterius generatio peragitur in instanti. Præterea, neutra illarū est intensibilis, neutra etiam esse extensionem habet, vi cuius paulatim excludatur, producaturve. id enim solùm ad qualitatem & quantitatem spectat. Vide quæ diximus in Physicâ agentes de inceptione & desitione rerū *disp.* 38.

45 *NEQVE* Obstat si opponas ex Arist. 7. *Physic. t.* 34. & D. Thomā *ibid. lect.* 8. quasdam generationes esse veloces, quasdam minùs veloces. At velox & tardum conveniunt generationi & motui per ordinem ad tempus, vt idem Arist. docet 6. *Physic. t.* 12. Ergo generatio correspondet divisibili tempori, non verò instāti indivisibili. *NON*, inquam, obstat: Generatio enim nunquam velox aut tarda dicitur in se & formaliter, sed solùm præsuppositivè & ratione alterationis præcedentis, iuxta cuius maiorem vel minorem efficaciam, & facilitatem vltimò disponendi materiam, dicitur generatio subsequens velox aut tarda, fierique brevi aut longo tempore; quanquam in se momentanea sit.

(*)

DIS-

DISP. QVADRAG. SEPTIMA

DE GENERATIONE MONSTROSA,

Quotuplex ſit, & vnde oriatur?

Num. 1. *POST Examen generationis ſubſtantialis, tam viventium, quàm non viventium, quæ iuxta naturam eſt, placuit differere de monſtroſa, & deficiente à ſolitis naturæ legibus. Diſputatio hæc habere poteſt locum in eadem libri primi capita, ac præcedens, & inſuper in caput octavum eiuſdem libri* textu 82. *Poſſuntque plura huc advocari, tum ex diſputatione præcedenti* ſect. 4. *tum ex Phyſica* diſp. 17. ſect. 3.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit generatio monſtroſa? Vbi plura varia, & lectu iucunda, circa diverſas monſtrorum ſpecies.

2 *MONSTRVM* Generatim definitur, *naturalis effectus à rectâ & ſolitâ ſecundùm ſpeciem diſpoſitione degenerans.* Quare ſpeciatim generatio viventium innaturalis, ſeu monſtroſa rectè definietur, *origo vivētis à vivēte, degenerantis à rectâ & ſolitâ diſpoſitione ſecundùm ſpeciem.* Secundùm priorem partem convenit cum generatione vivētium naturali, ſimulque differt à rebus artefactis contra regulas eiuſdem artis, ſeu exorbitantibus ab ea: quoniam licèt iuxta Ariſtotelem *lib. 1. cap. 8. textu 82.* huius tractatus res huius generis videantur monſtra, non tamen monſtra ſimpliciter ſunt, ſed ſecundùm analogiam quandam ad res phyſicas, ſeu ad monſtra naturalem vitam habentia. Quare idem *lib. 4. de Gener. Animal. cap. 4.* inquit: *Ἔστι γὰρ τὸ τέρας τῶν παρὰ φύσιν τι: Monſtroſum enim eſt, res præter naturam.* Poſterior definitionis pars additur, quia monſtrum non eſt, nec meritò appellari poteſt, aut ſolet, niſi in cuius formatione eſt defectus, ſeu deflexio aliqua ab ordine, lege, & fine operationum, ſecundùm naturam præſcripto, & executioni mandari ſolito.

3 *DEFECTV* Poſterioris particulæ, quædam videntur monſtra, & non ſunt; vt Pygmæi, *quorum tota cohors pedenō eſt altior vno.* Etenim licèt comparatione facta cum hominibus aliarum regionum, qui monſtra procerioris ſtaturæ ſunt, appareāt; adhuc ſimpliciter monſtra nō ſunt; quoniam attentâ virtute eorum hominum formatrice, & influxu cœli, ac genio eius climatis, ſolitum naturæ ordinem ſervant, & per ſe oriuntur à viventibus in ſimilitudine naturæ coniunctis. Secus dicendum, ſi aliquis ita exiguus fuerit in noſtris regionibus, ac quidam apud Nicephorum *lib. 12 cap. 37.* vbi hæc habet: *In Ægypto natus eſt homo infra incredibilem ſaturæ brevitatem conſiſtens ſub Theodoſio: ac talē vidi ipſe (quod monſtro habitum) quem brevis admodum ſaturæ mulier in lucem edidit. Ægyptius autem tam brevis fuit, vt perdici ſimilis eſſet. Prudētia ei inerat, qualis homini formoſo competit: quippe cui corporis exilitas eà de re nihil ademiſſet. Vox à Muſis non abhorrebat: ſermo mentis generoſitatem ſpectandam exhibebat. Non vixit ad annos viginti quinque.* Hæc ille: quæ ſi vera ſunt, probare videntur, homuncionē illum Ægyptium fuiſſe verum monſtrum, quoniam degenerabat nimiùm à ſolitâ diſpoſitione hominum eiuſdem regionis. Vide plura de alijs ſimilibus, quæ dedimus *tom. 1. Theologiæ Florulentæ Ludo 4. excurſu 6. per totum.*

4 *INDIDEM* Colligitur, nec Gigantes in propriâ regione natos, eſſe ſimpliciter monſtra: quoniam ordinem naturæ ſolitum in eâ regione ſervabant: idque, quanquam aliquis æquaverit fortè, aut etiam exceſſerit vaſtitatem illorum, quorum meminimus loco allegato, ſatis mirabilium. Cæterùm communi ſtylo, tā Pygmæi, quàm Gigantes, *monſtra* appellari ſolent: quia nimiùm deſident, aut exorbitant à communi diſpoſitione cæterorum hominum. Longè autem magis inter mōſtra numerari debent, qui in figurâ, membrorum exceſſu, aut defectu, aliſvè eiuſmodi, degenerant à diſpoſitione communi. Omneſque illos, ac præcedentes, portētis & monſtris accenſet S. P. N. Iſidorus *lib. 11. Etymol. cap. 4.* cuius verba, quoniam

plu-

plurium monstrorum notitiam simul continent, ex Aristotele, Plinio, Solino, & alijs, desumptam, in præsenti excribere visum; quamvis fortè plura illorum non extiterint reipsa, & fabulosis accenseri debeant, vti & hippocentauri, & hircocervi, &c.

5 *PORTENTA igitur vel portentosa existiunt, alia, magnitudine totius corpotis vltra communem hominum modum, quãtus fuit Tityon in nouem iugeribus iacens, Homero testante: alia, parvitate totius corporis, vt Nani, vel quos Græci pygmæos vocant, eò quòd sint staturà cubitales: alij magnitudine partium, veluti capite informi, aut supervfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani vel Cynodontes, quibus gemini procedunt dentes. Alij à defectu partium, in quibus altera pars plurimùm deficit ab altera, vt manus à manu, vel pes à pede. Alij à discisione, vt sine manu, aut capite generata: quos Græci sterestos vocant. Alia privimeria: quando solum caput, aut crus nascitur. Alia, quæ in parte transfigurantur: sicut qui leonis habent vultum, vel canis, vel taurinum caput, aut corpus, vt ex Pasiphae memorant genitum Minotaurũ: quod Græci ἐτερομορφίαν vocant. Alia, quæ ex omni parte transfigurantur in alienæ creationis portentum: vt ex muliere vitulum dicit historia generatum. Alia, quæ sine transfiguratione mutationem habent locorum, vt oculos in pectore vel in fronte, aures supra tempora: vel sicut Aristoteles tradidit, quendam in sinistra parte iecur, in dextera splenem habuisse. Alia secundùm connaturationem, vt in alia manu digiti plures connaturati & cohærentes reperiuntur, in alia minùs, sive in pedibus. Alia secundùm immaturam & intemperatam creationem, sicut ij qui dentati nascuntur, sive barbati, vel cani. Alia complexu plurimarum differentiarum, sicut illud, quod prædiximus, in Alexandro multiforme portentum. Alia commixtione generis, vt ἀνδρόγυνοι, qui & ἑρμαφρόδιτοι vocãtur. Hermaphroditæ autem nuncupati, eo quòd eis vterque sexus appareat. Ἕρμης quippe apud Græcos Mercurius est: ἀφροδίτη Venus nuncupatur: Hi dextrã mamillam virilem, sinistram muliebrem habentes vicissim coeundo, & gignunt, & pariunt.*

6 *Sicut autem in singulis gentibus quædam monstra sunt hominũ, ita in vniverso genere humano quædam monstra sunt gentium, vt Gigantes, Cynocephali, Cyclopes, &c. Gigãtes dicti iuxta Græci sermonis etymologiam, qui eos γηγενεῖς existimant, id est, terrigenas, eò quòd eos fabulosè parens terra immensæ molis & similes sibi genuerit: γῆ enim terra appellatur: γένος genus, licet & terræ filios vulgus vocet, quorum genus incertum est. Falsò autẽ opinantur quidam imperiti de Scripturis sanctis, prævaricatores Angelos cum filiabus hominum ante diluvium concubuisse, & exinde natos Gigantes, id est, nimiùm grandes & fortes viros, de quibus terra completa est. Cynocephali appellantur, eo quòd canina capita habeant, quosque ipse latratus magis bestias, quã homines confitetur: hi in India nascuntur. Cyclopes, quoque eadem India gignit, & dicti Cyclopes, eo quòd vnum oculum in fronte media habere perhibentur. Hi & ἀκρισφαγῖται dicuntur, propter quod solas ferarum carnes edunt. Blemmias in Lybia credunt truncos sine capite nasci, & os & oculos habere in pectore. Alios sine cervicibus gigni, oculos habentes in humeris. In vltimo autem Orientis monstrosæ gentium facies scribuntur. Aliæ sine naribus, æquali totius oris planitie, informes habentes vultus. Aliæ labro subteriori adeò prominenti, vt in Solis ardoribus totam ex eo faciem contegant dormientes. Alijs concreta ora esse, modico tantùm foramine calamis avenarum pastus haurientes. Nonnulli sine linguis esse dicuntur, in vicem sermonis vtentes nutu sive motu. Panotios apud Scythiam esse ferunt, tam diffusæ aurium magnitudine, vt omne corpus ex eis contegãt: πᾶν enim Græco sermone omne, ὦτα aures dicuntur. Artabatitæ in Æthiopia proni, vt pecora, ambulare dicuntur: qui centesimum æui annum nullus supergreditur.*

7 *Satyri homunciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus (habent) & caprarum pedibus similes, qualem in solitudine Antonius sanctus vidit. Qui etiam interrogatus, Dei servo respondisse fertur, dicens: Mortalis ego sum vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos Satyrosque colit. Dicuntur quidam & sylvestres homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant. Sciopodũ gens fertur esse in Æthiopia, singulis cruribus & celeritate mirabili: quos inde Σκιαπόδας Græci vocant, eo quòd per æstum in terra resupini iacentes, pedum suorum magnitudine adumbrentur. Antipodes, in Libya plantas versas habent post crura & octenos digitos in plantis. Hippopodes in Scythia sunt, humanam formam, & equinos pedes habentes. In India ferunt esse gentem, quæ μακρόβιοι nuncupantur, octo pedum staturam habentes. Est & gens ibi statura cubitalis, quos Græci à cubito Pygmæos vocant, de qua suprà diximus. Hi montana Indiæ tenent, quibus est vicinus Oceanus. Perhibent, & in eadem India esse gentem fœmina-*

minarum, quæ quinquennes concipiunt, & octavum vitæ annum non excedunt.

8 *OMNIVM* Igitur hucusque memoratorum, & aliorũ plurium apud Nierembergium in sua Philosophia, satis notabilium, generationes existimari debent monstrosæ, aut simpliciter & absolutè, aut saltem relatè ad solitam & communem hominum generationem. Quælibet enim species animaliũ certam mẽbrorum structuram, & partium lineamẽta exigit: à qua si fœtus degeneret insigni aliquo errore aut vitio naturæ, generatio eius censetur monstrosa. Tales censendæ, quas refert Aristoteles *lib.4. de Gener. Animal. cap.3.* vbi narrat puerum quemdam natum capite bubulo, alium arietino; vitulum etiã capite humano ortũ, & ovem capite bubulo. Similiter & cum fœtus declinat in aliam omnino speciem ac figuram à generante: vt si bos agnum pariat. Quod paulo ante illud memorabile excidium Hierosolymæ sub Tito & Vespasiano accidisse, & loco prodigij ominosi habitum, scribit Iosephus *lib.7. de Bello Iudaico c.12.* Nicephorus *lib.3. Historiæ Eccles. c.4.*

9 *NON* Tamen facilè credendum est, quod nonnulli referunt, accidisse monstrosam generationem quorundam hominum ex congressu hominis ac bruti: nam si fortè fœtus aliquis ex tali concubitu oriatur, putandus est sequi deteriorem partem suæ causæ; ideoque potiùs brutũ, quam homo existimari debet. Si autem exinde procedant ea monstra, quæ semihomines, sive semibruta appellantur, putandum est non esse veros homines: quia non apparet quomodo fieri potuerit permistio seminum necessaria ad verum hominem generandum. Quare cum idem fœtus nequeat simul esse homo & brutum propter incompossibilitatem naturarum; censeri debet verum brutum, quãvis exterioribus lineamentis referẽs vtrãque speciem. Ideoque Fauni & Satyri ab Ethnicis pro dijs habiti, & quorum aliquem visum à S. Antonio refert D. Hieronymus; non fuerunt bruta & homines simul, licèt vtriusque naturæ figuram exprimerent. Cum verò distinctè loquerentur, rationemque sui redderent, vt ille visus & interrogatus ab Antonio; patet non fuisse bruta. Aliunde verò caprina figura, quam media sui parte exprimebant, probat non fuisse veros homines. Quare superest dicendum, fuisse dæmonas larvatos sub figura simul humana & caprina, ad decipiendos Ethnicos, alliciẽdosque ad impiam & superstitiosam sui adorationem.

10 Idemque hodie existimandum quoddammodo censet P. Athanasius Kircher *in Prodromo Copto c.4.* vbi refert dæmones sæpe videri sub specie homuncionum, seu Pygmæorum, in locis subterraneis, vbi effodiuntur metalla; nimirum, ad homines in sui obsequium attrahendos. Contestatur etiam Bullengerus *lib.1. de licità & vetita Magià cap.20.* non longè à fine, vbi ait: *Nullum est obsequium, quod à dæmone hominibus sibi deditis non præstitur. Sed exempla quidem in Italia rara sunt: extant tamen nonnulla. At in Germania & Britannia, frequentissima, ac multò magis in insulis ad Aquilonem spectantibus. Referunt enim vbique obvios dæmones, qui ad omnem famulatum inserviant, vt etiã alicubi eorum opera metalla è terræ visceribus eruantur. Efficiunt autem hæc aliquando, cùm se spectabiles non præbeant; aliquando personam assumentes famuli, aut alterius cuiusvis.* Quapropter in ijs casibus nulla generatio monstrosa intervenit, vt in alijs superiùs memoratis; sed sola corporis apparentis efformatio ex vaporibus terræ crassiorique aere: quæ dæmonibus facillima est, & sufficiens vt sub ea se spectabiles reddant, & vocem edant specie tenus humanam. Porrò nec ex concubitu dæmonis cum homine posse oriri fœtum, nec Gigantes exinde prodijsse, iam satis superque probavimus loco *suprà num.40.* indicato, & testimonium S. Isidori nuper relatum apertè confirmat.

SECTIO SECVNDA.

De causis generationum monstrosarum, sive fœcundarum, sive sterilium, ex Aristotele. Vbi pleraque admiranda, & notatu digna.

11 *EXPONAMVS* Nunc causas monstrosæ generationis, quatenus distinctæ ab eà, quæ secundùm naturæ ordinem est: idque iuxta doctrinam Aristotelis *libr.4. de Generatione Animalium cap.4.* cui epigrapha est: Διὰ τί γίγνεται τὰ τέρατα, &c. *Quas ob causas sint monstra, & quare alijs vnifer, alijs paucifer, alijs multifer sit partus.* Porrò tam multa sci-

scitu digna, & nostro instituto congruentia, ibidem docet, ac refert, vt vilum fuerit totum caput in præsenti exscribere; præsertim in gratiam eorum, qui Opera Aristotelis non habent. Verba itaque eius sunt:

12 *DEMOCRITVS verò monstra fieri ea causa scribit, quòd duo subeunt semina, alterum antè, alterum posteà: quæ cùm in vtero confundantur, evenit, vt membra coalescant, atque dissideant. Avibus verò, quoniam coitus agitur crebrò, idcirco semper & ova, & colorem evariare autumat. Sed si ita sit, vt ex vno semine, eodemque coitu plura generentur, quod patet, præstat nõ circumire, via omissa brevi & facili. Is enim tum maximè id accidere necesse est, cùm semina non distinguuntur, sed simul subeunt. Quòd si semini maris causa tribuenda est, hoc modo dicendum sit.*

13 *Sed enim ex toto potiùs causam in materia, constituendisque conceptibus esse censendum est. Quam ob rem monstra eiusmodi rarò admodum fiunt in ijs, quæ singulos pariunt: sed crebriùs in ijs, quorum partus est numerosus, & præcipuè in aviam genere, earumque potissimùm in gallinis. Ijs enim partus numerosus, non modo quòd sæpe pariant, vt columbæ, verùm etiam quòd multos simul conceptus intra se continent, & temporibus omnibus coeunt. Hinc gemina etiam pariunt plura. Cohærent enim conceptus, quoniam in propinquo alter alteri est, quomodo interdum fructus arborum complures. Quòd si vitella distinguuntur membrana, gemini pulli discreti sine vlla supervacua parte generantur. Sed si vitella continuantur, nec vlla interiecta membrana disterminantur, pulli ex ijs monstrifici prodeunt, corpore, & capite vno, cruribus quaternis, alis totidem, quoniam superiora ex albumine generentur, & priùs, (vitellum enim cibo ijs est) pars autẽ inferior posteà instituitur, quãquã cibus idem indiscretusque suppeditatur. Iam serpens etiã biceps vijus est, videlicet eadem de causa. Nam id quoque genus ova parit, & multa numero. Sed rariùs in eo monstri institutio evenit, propter vteri formã. Porrecta enim in versum copia ovorũ continetur pro vteri longitudine.*

14 *Nec verò in genere apum, aut vespārum, tale quid accidit. Cellulis enim discretis partus earum continetur. At in gallinis è contrario fit. Vnde apertum est, causam evẽtorum huius modi in materia esse putare oportere. Vt enim in ijs, quæ plura pariunt, magis: sic in ijs, quæ pauciora, minùs id accidit. Quo circa homini minus. Singularem enim, perfectumque parit. Nam & homini locis, quibus mulieres præfœcundæ sunt, magis id evenit, vt in terra Ægypto. Capris verò, & ovibus magis, vt fœcundioribus, accidit. Atque etiã magis multifidis. Multipara enim id genus animalia sunt, nec partum perficiunt, vt canis. Cæcos enim magna eorum pars solet parere. Quod quam ob causam accidit, & quam ob rem pariant multos, posteà explicabimus. Sed enim hæc propensiora iam sunt suapte natura ad monstrificam partionem, quando non similes sibi generant, sed imperfectos. Nam & monstrum, quid dissimile est. Quam ob rem ijs, quorum talis natura est, facilius casus hic obvenit. In ijs enim potissimùm, & quæ metachæra appellantur, consistunt: quæ aliquatenus labe monstrifica sunt affecta. Nã deesse, aut superesse quicquã, monstrosum est.*

15 *Monstrosum est enim, res præter naturam: sed præter eam, quæ magna ex parte sit. Nam præter eam, quæ semper, & necessariò est, nihil fit. Verùm in rebus ijs, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, sed aliter etiam possunt fieri, evenit, quod præter naturam consistat. Nam & inter eas ipsas, quibus accidit quidem præter hunc ordinem, sed nunquam quolibet modo, minùs monstrum esse videtur: quoniam quod præter naturam sit, idem etiam secundùm naturam quodammodo est, cùm naturam materiæ, natura formæ non superat: quam ob rem nec ea monstri nomine appellantur, neque vbi fieri aliquid solet, vt in fructibus. Vitis enim quædam est, quam aliqui capneum vocant, quæ cùm vuam albam soleat ferre, si nigram tulit, monstrum id esse non putent, quoniam sæpissimè id facere ea soleat. Causa est, quòd sua natura inter albam & nigram est. Itaque non longè discedit, nec præter naturam ferè. Non enim in aliam naturam transitur. At in ijs, quæ pariunt plura, tum ea ipsa evenunt, tum verò copia partus impedit alter alterius perfectionem, & causam genitalem.*

16 *De partu numeroso, paucifero & singulari, atque etiam de ijs partibus, quæ aut supersunt, aut desunt, quæstio existere potest. Gignuntur enim interdum alia pluribus, quã iustum sit, digitis: alio vno tantum. Eodemq; modo in cæteris partibus, aut excedunt: aut deficiunt. Nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero fœminæ nascũtur. Et in genere quidem hominũ, sed maximè in capra ũ.*

Gig-

Gignuntur enim, quas vocant hircinas, propterea quòd ſimul genitale habent & maris, & fœminæ. Iam & cornu gerens in crure capra conſpecta eſt. Partibus etiam internis mutationes, detrimentaque accidunt: vt vel careant aliquibus, vel habeant minuta, & læſa, vel plura numero, vel non ſuis poſita locis.

17 Sed corde carens nullum vnquam animal ortum eſt: quamquam liene carens, & duplicem habens lienem, & altero vacans rene, viſum eſt. Iecore etiam carens toto, nullum notatum eſt: quamquam quod non totum haberet, iam patuit. Hæc autem in perfectis, viviſque reperiuntur. Felle item priuata prodierunt, cùm ſua natura habere deberent. Alia contrà, plura habuerunt. Iam locis etiam permutatis iecur latere ſiniſtro, licet dextro contineri viſus eſt. Hæc, vt modo dixi, in animalibus iam perfectis explorata ſunt: in naſcentibus autem variè perturbãtur. Quæ ſi parum de ſua natura diſcedunt, vivere ſolent: ſi plus, vivere ne queunt, videlicet cùm quod præter naturam eſt, partibus vivendi principalibus accidit.

18 Modus verò conſiderandi de his eſt, vtrùm eandem cauſam putare oporteat partus ſingularis, & partium defectus: itemque partus numeroſi, & partium exceſſus; an non eandem. Primùm igitur quòd alia pariunt multa, alia vnum, meritò quiſpiam miretur. Quæ enim maxima inter animalia ſunt, ea ſingulos pariunt: vt elephas, camelus, equus, & reliquæ ſolipedes: quæ partim maiora cæteris ſunt, partim longè magnitudine ſuperant. Canis verò, & lupus, & reliqua multifida omnia ferè pariunt multa: atque etiam parva eiuſdem generis, vt mures. Biſulca pauca generant, præterquam ſues: hæc enim inter multipara eſt enumeranda. Ratio enim probabilis eſt, vt maiora animalia plura generare, pluſque afferre ſemmis poſſint. Sed certè id ipſum, quod admirari facit, cauſæ eſt, ne admiremur. Facit enim eorum magnitudo, ne multa pariant. Cibus enim in ijs abſumitur in corporis incrementum. Minoribus verò natura demendo de magnitudine, auget in excremento ſeminali exuperantiam. Item plus ſeminis genitalis eſſe, quod maioris eſt animalis, minus autem, quod minoris, neceſſe eſt. At multa effici parva in eodem poſſunt, multa magna effici difficile eſt. Mediocribus verò magnitudinis medium à Natura datum eſt. Sed quam ob rem animantium alia maiora ſunt, alia minora, alia mediocria, cauſam antè reddidimus.

19 Sunt autem alia vnipara, alia paucipara, alia multipara. Et magna ex parte vnipara ſunt, quæ ſolipeda: paucipara, quæ biſulca: multipara, quæ multifida. Cuius rei cauſa eſt, quòd magna ex parte magnitudines corporis ijs differentijs diſtinguuntur. Tamen non ita in omnibus eſt. Magnitudo enim, & parvitudo corporis cauſam habent partus amplioris, & parcioris; non ſolipedis, aut multifidi, aut biſulci generis ratio. Cuius rei teſtimonium eſt, quòd elephas animalium maximum, idemque multifidum eſt. Camelus biſulcum eſt, quod maximum inter reliqua eſt. Nec ſolùm in pedeſtriũ genere, ſed etiã in volatilium, & nantium, magna parum fœcunda ſunt, parva verò perquam fœcunda eadem de cauſa. Plantæ etiam, nõ quæ maximæ ſunt plurimùm afferunt fructus. Diximus quam ob rem alia parere multa, alia pauca ſua natura aſſolent.

20 Sed huius quæſtionis illud maximè quis miretur in ijs, quæ pariunt multa, quòd plerumque vno initu animalia id genus impleri cernuntur. Semen autem maris, ſive ad materiam confert, ſe adhibens partem conceptus, & miſcens cum ſumine fœminæ, ſive non eo modo, ſed vt nos cenſemus, cogit, conditque materiam contentam in vtero, ſœminaleq; fœminæ excrementum, vt ſuccus lactis humorem ſpiſſat, cur tandem non vnum efficit animal incrementi maioris? vt ſuccus in lacte non certa quantitate ad cogendum deſcribitur: ſed quò plus lactis plus ſucci ſubierit, eò plus coloſtri concreſcit. Semen igitur trahi à locis vteri, atque ob eam rem multa generari pro numero locorum, & acetabulorum, quæ vnum non ſunt, opinari nihil rationis eſt. Sæpe enim eodem in loco vteri gemini conſiſtunt. In genere etiam multiparo, cùm plenus fœtuum vterus fuerit, deinceps alius ab alio iacere cernuntur. Quod ex diſſectionibus patet.

21 Sed vt perficiendi cuiuſque animalis certa eſt magnitudo, tum ad maius tum verò ad minus, quem terminum non ſupergredi ſutur, vt vel maiora, vel minora evadant. Sed in medio magnitudinis ſpatio exceſſum, defectumve inter ſe ſapiunt, atque ita homo alius alio auctior eſt, & cæterorũ quodvis animalium: ſic materia ſeminalis, ex qua conſiſtunt, non indefinita eſt, nec in plus, nec in minus, vt ex quantalibet poſſint generari. Quæ igitur animalia ea, quàm diximus, cauſa plus excrementi ſecernunt, quàm ſatis ſit ad vnius animalis originem, ijs fieri non poteſt, vt ex eo toto vnum gignatur ani-

mal: sed tot numero gigni necesse est, quot magnitudinibus debitis præscripta sunt. Nec verò maris semen, aut facultas contenta in maris semine plus quicquam, aut minus constituit, quàm à Natura sancitum est. Eodemq; modo, si plus seminis mas emiserit, aut facultates plures in semine dividendo contentas, nihilo magis efficiet, quamvis plurimum accesserit: imò contrarium aget: exsiccãdo enim corrumpet. Neque enim ignis, quò plus fuerit, eò magis calefaciet aquam: sed certus caloris terminus est, ultra quẽ si ignem augeas, nihilò reddes aquam calidiorem, sed facies ut magis evaporetur, demumque deleatur, & exiccetur.

22 Cum igitur hæc moderationem certam inter se requirant, scilicet excrementum fœminæ, & maris, qui semen emittant, multipara animalia statim emittunt quod sibi conveniat, videlicet mas quod diu sum possit cõstituere plura: fœmina tantum ut plura constitui possint. Lactis autem illud exemplum simile non est. Seminis enim calor, non modo efficit quantum, sed etiam quale quid. At succi & coaguli calor quantum aumtaxat constituit. Causa igitur ut plures conceptus cõtrahantur, nec unum continuum ex cunctis cõsummetur in multiparis animalibus, hæc est, quòd non ex quantolibet conceptus inchoetur, sed si aut parum, aut multum admodum sit, gigni non poterit. Præscripta enim, certaque est virtus & patientis, & agentis. Simili modo in uniparis, magnisque animalibus, non multa ex multo excremento consistunt, cùm in ijs etiam ex certo quanto certum quãtum, quod conficitur, sit. Plus igitur materiæ talis non mittit ea, quam prædiximus, causa. Quã autem mittit, talis per naturam est, ex qua unus tantùm conceptus gigneretur. Quòd si aliquando plus accesserit, tunc gemini nascẽtur. Ex quo fit, ut hæc portenta potiùs iudicentur, quoniam præter solitũ, & quod magna ex parte agatur, proveniunt.

23 Homo cum omnibus generibus ambigit. Nam & uniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est. Sed maximè sua natura uniparum est. Humore profectò, caloreque corporis multiparum est. Seminis enim natura humida, & calida est. Sed suæ magnitudinis ratione pauciparum, atque uniparũ est. Hinc tempus etiam uteri ferendi enorme unum hoc animal sortitum est. Cæteris enim unum est tempus, homini verò plura sunt, quippe cùm & septimo mense, & octauo nascatur, atq; etiam inter septimum & octauũ positis. Qui enim mense octauo nascuntur, etsi minùs, tamen vivere possunt. Cuius rei causa accipi ex ijs, quæ modò explicauimus, potest. Dixi de his in Problematibus, atque de his rebus ita disseruisse, statuisseque satis sit.

24 Partium autem supervacuarũ præter naturam eadem causa est, quæ geminorũ generationis. Iam enim in conceptu causa accidit, videlicet si plus materiæ consistit, quàm pro ipsius natura partis sit. Sic enim accidit, ut vel pars maior, quàm iustum sit, efficiatur. Verbi gratia, digitus, aut manus, aut pes, aut aliud ex cæteris postremis, aut membris: vel fisso conceptu plures reddantur, quomodo in fluvijs vertigines, geminantur. Fit enim ibi, ut humor, qui fertur, & pro fluens movetur, si in aliquid offenderit, secetur, & ex una in duas evadat constitutiones, quæ eandem habeant motum. Hoc eodem modo in conceptibus evenit. Adnascuntur partes illæ vacuæ, maximè quidem propinquæ sed aliquãdo etiam remotæ propter conceptus motionem, quamquam præcipuè, quod materiæ exuperantia ibi reddatur, quò tandem decubunt: formam verò, unæ superfuit, inire recipit.

25 Quibus autem gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, ijs semper alterum ratum, alterum irritũ redditur, cùm per alimentum subinde delitescat, quoniam præter naturam est. Agnatum est enim modo abscessus. Nam & abscessus assumunt aliquid nutrimenti, quamvis pòst geniti sint, & præternaturã. Sed si quod creat, omnino aut superat, aut superatur, similia oriuntur duo: ac si partim superavit, partim superatum est, alterum fœmina, alterum mas generatur. Nihil enim interest de partibus, an de toto dicamus, videlicet quam ob causam alterum mas, alterum fœmina gignatur. Vbi autem partes eiusmodi desunt, ut postrema aliqua aut alia quævis membra, eandem causam esse putãdum, quàm si omnino quod gignitur, abortum patiatur.

26 Abortus autem conceptuum evenire complures, certum est. Differunt agnationes à partu multiplici, quomodo exposui. Monstra verò cùm ijs dissident, eò quòd pluribus coalescant. Sed nonnulla hoc etiam modo veniunt, si in parte maiore, & præcipua quadam perversum est. Vt si qua gemino vitio, aut pluribus rebus oriuntur, tum etiam locis partium commutatis, monstrum dicimus. Quod diversione motuum, translationeque materiæ accidit. Vnúmne, an plura sit per coagmentationem, quod monstrificum prodit animal, inquirendum est principij ratione. Verbi

bi gratia, ſi cor pars eiuſmodi eſt, quod vnum cor habet, vnum animal eſt; quod duo, id duo eſt animalia, quæ ſibi coaluerunt propter conceptuum coniunctionem. Partes verò ſupervacuas, agnationes eſſe, declaratum iam ſit.

27 *Accidit etiam ſæpe vt pluribus ex ijs, quæ antè obieſa non viderentur, animalibus iam perfectis meatus aut adducti corporarentur, aut diverterentur. Iam fœminis nonnullis os vteri compreſſum, concorporatumque ab ineunte ætate ad tempus vſque menſtruorum perſeveravit; mox vrgentibus menſtruis, dolore que infeſtante, alijs ſponte diſruptum eſt, alijs diſſectum à medicis. Nonnullæ interierunt, cùm aut per vim diſrumperetur, aut diſrumpi non poſſet. Pueris etiam quibuſdam genitalis poſtremum, & meatus, quà excrementum veſicæ tranſit, non eòdem tetenderunt, ſed infrà meatus ille tranſegit. Quam ob rem demiſſis clunibus mingunt, qui teſtibus paulò in partem ſuperiorem retractis, videntur à longè ſimul, & maris habere genitale, & fœminæ. Meatus etiam alimenti ſicci coaluit aliquibus beſtijs, ſcilicet, ovibus, & quibuſdam alijs. Nam & vaccam fuiſſe Pirinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per veſicam tranſmittebatur, diſſectuſque anus denuò properè coaleſcebat, nec reſecando evincere vitium poterant. De partu multiplici, & pauciſero, ac de agnatione partium, aut defectu, atque etiam de monſtrifico partu, dictum iam eſt.*

SECTIO TERTIA.

Ediſſeruntur vberiùs & clariùs diverſæ monſtroſarum generationum cauſæ, adductis ſingularum ferè exemplis ſatis memorabilibus.

28 QVAMVIS Sectione præcedenti Ariſtoteles expoſuerit varias monſtroſarum generationum cauſas; adhuc tamen oportet id paulò intelligibiliùs aperire, aſsignatis ſeorſim ijs, quæ ad monſtrorum geniturã concurrunt; idque, tũ ex eodem Ariſtotele, tum ex Plutarcho *libr. 5. de placitis Philoſophorum c. 8.* Galeno *de hiſtoria Philoſophica cap. 113.* Alberto Magno *in præſenti cap. 3.* alijſque. Quinque autem potiſſimùm concurrunt, prout ad præſens attinet, in generationem vnius animalis ex alio. *Primum* eſt virtus formatrix inhærens ſemini, quæ inſtar artificis totum corpus diſtinguit atque delineat. *Secũdum* eſt materia, ex quâ fœtus ſubſtantialiter conſtituitur. *Tertium* eſt, receptalum eiuſdem fœtus. *Quartum* eſt, temperamentum quatuor primarum qualitatum; nimirũ, frigoris & ſiccitatis, caliditatis & humiditatis, ex quarum colligatione & proportione pendet, tum integritas, tum & valetudo animalis. *Quintum* denique omnino extrinſecum fœtui eſt, vt regionis ſalubritas, aſtrorum influxus, bonitas climatis, alimentorum qualitas, aliaque eiuſmodi: quæ valde conferunt, vt fœtus evadat perfectus, & abſque vllo vitio naturæ.

29 *PRIMO* Igitur accidere ſolet monſtroſa generatio propter ruditatẽ hebetudinemque virtutis formatricis, ſive ſeminalis, quæ nequit fœtum ita concinnè elaborare, atque expolire, ac oportebat, vt in ſua ſpecie perfectus evaderet. Vnde oritur vt quandoque diverſæ corporis partes, indiſcretæ evadant, ideoque ineptæ ad munia debita naturalium operationum, ac ſæpe exprimentes figuram ſpeciei imperfectioris. Ad quam cauſam revocat Ariſt. *lib. 4. de Gener. Anim. capit. 3.* quòd nati fuerint aliqui homines arietini capitis: quoniam natura quoties nequit effectum perducere ad ſupremam perfectionem, conſiſtit hæretque in inferiori gradu. Sæpe etiam defectu eiuſdem virtutis ſeminalis membra fœtus locantur extra connaturale receptaculum, vti aliquando iecur deprehenſum eſt ſiniſtro latere, lien verò dextro, iuxta eundem Philoſophum *ſect. præcedenti.* Indidem quoque oritur, quòd aliqui homines hermaphroditi ſeu androgyni evadant: quia nimirum virtus formatrix non habet vim prævalentem in alterum ſexum præ altero, ſed æqualem in vtrumque: ideoque fœtus naſcitur cum duplici ſexu. Quod ipſum non in hominibus modò, ſed & in genere quadrupedum, fuiſſe deprehenſum tempore Neronis Cæſaris, refert Plinius *lib. 11. cap. 49.*

30 Id autem videtur anſam Ethnicis dediſſe, vt quoſdam Deorum androgynos exiſtimarent. Inde eſt quod ſæpe VENVS BARBATA legatur, cui ſub eà appellatione dicatum fuit Cypri delubrũ quodam, referente Servio *in l. 11. Æneid.* Quare & Macrobius *l. 3. Satur. c. 8.* de ipſa inquit: *Signum etiam huius eſt Cypri barbatum*

tum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura viri. Et putant eandem marem ac fœminam esse. Et Calvus accinit, *Pollentemque Deum Venerem*; non Deam. Aristophanes quoque illam ἀφρόδιτον appellat, masculino casu, & Homerus ἀφροδίτῃ, fœmineo, quamvis indifferenti. Levinus quoque, *Venerem*, inquit, *almum adorant, sive fœmina, sive mas est.* Virgilius quoq; de Iunone, aut Alecto, intelligendus *l.* 12. *Æneid.* dum inquit: *Nec dextræ erranti Deus abfuit*: quasi & Iuno androgynis accenseretur. De Diana quoque, sive Luna, idem existimarunt. De illa enim Plutarchus *lib. de Iside & Oriside ita loquitur*: μητέρα τῶν σελήνην τὸν κόσμον καλοῦσι καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν οἴονται. *Matrem mundi Lunam vocant, & putant habere fluxū vtriusque sexus.* Et Orpheus de eadem in Hymno: Αὐξομένην, καὶ λειπομένην, θῆλύ τε καὶ ἄρσεν, *Auctam, & deficiens, fœmina & masculus.* Hinc Lunus & Luna quandoque legitur, & Tertullianus *in Apologet. capit.* 15. lacessens Ethnicos, irridet *mœchum Anubim, & masculum Lunum, & Dianam flagellatam, & Iovis mortui testamentum recitatum, & tres Hercules famelicos.* Denique (vt plura alia omittam) Servius *ad* 6. *Æneid.* asserit omnes Deos ἀρσενοθήλεις, sive vtriusque sexus existimatos: ideoque Arnobius *lib.* 3. adversus Gentiles inquit: *Consuèstis in precibus, SIVE TV ES DEVS SIVE TV ES DEA, dicere.* Verùm pauca hæc ex amœnioribus litteris obiter libasse vix licet nobis severiora versantibus.

31 *SECVNDO* Accidit ex vitio materiæ; idq; multipliciter. Aut enim quandoque multiplex seminum confusio est, proindeque & virtutum formatricū: vnde evadit fœtus referens vultum hominis simul ac bruti, sive duplicis diversæ belluæ: qualiū plures, præsertim in mari, inveniri refert Plinius *lib.* 9. *c.* 2. & ex Recentioribus Nierembergius in sua Philosophia, & Georgius Schenkius *lib. de Mōstris.* Quibus adde ex Arnaldo Sorbitio *lib. de Monstris*, in Albania circa annum 1233 quandam mulierem edidisse puerum gemino capite, altero canino, & altero humano: aliam quoque anno 1595. alterum pedibus & auribus leporinis. Et, vt plura paucis perstringam, Laurentius Beyerlink *in Theatro Vitæ Humanæ littera E. pag. mihi* 464. refert mostrum humanæ & equinæ figuræ ab equâ genitum: *littera I. pag.* 41. homines hirsutos, villosos & vngulis armatos: alios sine capite ortos: alios capitibus oppositis vsque ad nasum cohærentibus: alios trium regum formam exhibentes: alios prægrandi & fungoso capite. *Et pag.* 42. *sequenti* alios habentes faciem galli Indici coloribus deformatam: alios vultu ranali. Quorum omnium fides penes relatos Authores sit. Nimirum, cōfusis inordinatè seminibus, & non distributis iuxta modum à naturâ exactum, fœtus quoque cōfuso quodam modo diversas exprimit species naturarum; non quas reipsa & quò ad essentialia habeat (prout suprà cōstitutum est) sed quas referat externis lineamentis. Id autem in Africâ frequentiùs accidere, quàm in alijs regionibus, Historici tradunt, & ratio suadet: quoniam propter ingentem ardorem climatis magna est ibi aquarum penuria, & pauci amnes. Ad quos cùm accurrant bestiæ innumeræ, eæque diversæ a distantibus locis, vt sitim extinguant, & sæpe nō inveniant consortem suæ speciei; cum eâ, quæ alterius est, coeunt, indeque progenerant tertium aliquod exteriùs dissimile vtrique parenti. Aut etiam propter materiæ defectum editur aliquando fœtus aliquo membro, aut sensu, aut particula corporis carens. ideoque aliqui nascuntur monoculi, vnipedes, aut ternis vel quaternis tantùm digitis, aut nani: sicut è contrà alij gigantæ proceritatis ob materiæ abundantiam.

32 *TERTIO* Oritur ex indebito receptaculo partium fœtus. Interdum namque evenit vt vna materia, quæ sufficiens posset esse duplici fœtui, ideoque ab initio cœperat distribui in duplex receptaculum, postea ob angustias aut indispositionem alterius è loculis, deflectat in alterum, ac proinde confundatur cum alia portione maiore, ac sufficiente ad vnicum fœtum. Hinc est vt, referente D. Augustino *lib.* 16. *de Civit. cap.* 8. ipsius ævo natus fuerit quidam, superioribus mēbris duplex, inferioribus simplex: quippe cui erant duo capita, duo pectora, quatuor manus; venter autē vnicus, & duo tāntùm pedes, sicut & vnico homini inesse solent. Simile aliud monstrum in Gallia natum suo tempore testatur Nicolaus de Lyra in Cōmentario Geneseos; aliudque hoc ipso sæculo Parisiis visum refert Lalemandet: vt ex vtroque notavimus in Physica *disp.* 17. *n.* 31. Ammianus Marcellinus

linus apud Rhodigium *lib.24.Antiq.Lect. c.3.* aſſerit, imperante Conſtantio editum fuiſſe infantem ore gemino, dentibus binis & barbà, oculis quatuor, auriculis duabus quidem, ſed breviſsimis. *Qui partus*, inquit Ammianus, *Rempubl. in ſtatum declinaturam deformem planè portẽdebat.* Zonaras quoque *tom.3.* ſcribit ſub Mauricio Imperatore natum canem ſex pedibus conſtantem, & leonino capite. Et in Faſciculo temporum habetur aliquandò ortum puerum quadrupedem, alterumque duo capita habentem, idque accidiſſe circa tempus impij Mahometi, quaſi in omẽ ingentis ruinæ, & communis mali, quod ex illius adventu imminebat generi humano. Similiter & Arnaldus Sorbinus *lib. de Monſtris* aſſerit puerum quendam natum vnico capite, ſed quatuor manibus, & totidem pedibus. Cedrenus quoque teſtatur, imperantibus Conſtantino Leonis Philoſophi Imper. filio, & Romano Lacameno, allatum fuiſſe ex Armenia Cõſtãtinopolim monſtrum, in quo erant duo pueri vterini, intimè cohærẽtes, quorum altero mortuo, alter ab eius cadavere induſtriâ Medicorum abſciſus fuit, & aliquandiu ſupervixit.

33 *QVARTO* Ex aſymmetriâ, ſeu improportione quatuor primarum qualitatum, ratione cuius facultates naturales non rectè, nec congruo tempore ſua munera ſeu operationes exercent. Hac de cauſa quãdoque intempeſtivus & iuſto maior cordis calor, excitans quaſi fumum excrementium in partibus terreſtribus, effundit infantibus barbam, etiam intra vterum. quod in Luſitania accidiſſe præcedenti ſæculo, Conimbricenſes aſſeverant *2.Phyſic.11.quæſt.5.ar.* 2. Eidem cauſæ adſcribendũ quod Ioannes Aventinus narrat *in Annalibus Boiorum*: nimirum, Gallæ filiæ Symmachi Conſulis ac Patricij Romani, ſub Iuſtiniano Imperatore, natam fuiſſe barbam, ob coſperſionem igneam corporis. Cui eradicandæ cùm Medici remedia adhibere vellent, illa maluit eam deformitatem ſubire, ideoque & ſecundas nuptias recuſavit, vt Deo inſerviret liberiùs. Eòdem quoque revocandum, quòd, teſte Herodoto *lib.1.* apud Pedaſios, qui mediterraneam ſupra Halicarnaſſum incolunt, quandoque invenirentur mulieres barbatæ: quas ij loco ſummi honoris cultui Palladis præficiebant. Et in Hiſpaniâ ſæpe accidit, vt mulieribus quibuſdam ardentis complexionis moſtaces enaſcantur nõ exigui. Alij è contrà ob defectum caloris & abundantiam humiditatis, in pueritiâ caneſcunt. quod non modò refert Plinius *lib.7.c.2.* ſed multoties experimento deprehenditur; vt propterea non ita ſtrictè videatur monſtris annumerandum.

34 *QVINTO* Ex conſtitutione climatis, influxuque aſtrorum in eo, & varijs circunſtantijs temporis ac loci, vbi quis editus & natus eſt. Id enim plurimùm conferre ſolet vt fœtus evadat, vel ſecundùm rectam naturæ diſpoſitionem, vel deformis & monſtroſus. Quare obſervatum eſt, in Ægypto, ob regionis conſtitutionem, nequaquam benignam, ſæpius, quàm alibi, monſtra naſci. Et Albertus Magnus *in Mineralibus*, ac Iandunus *2. Phyſic.q.24.* aſſerunt, quo tempore aſtra maximè favent generationi humanæ, bruta animantia per id tempus genita, imò & lapides mineralium, in figuram hominum conformari; quaſi & ipſorum generatio ex ſiderum influxu imitetur, quantùm fieri poteſt, generationem humanam. Vnde idem Albertus *vbi nuper lib.2. tract.3. cap.1.* affirmat ſe vidiſſe Venetijs marmor ſectum, in quo conſpiciebatur naturalis imago capitis Regis cum corona, & longâ barbâ. Deinde *capite 2.* aſſerit tunc temporis Coloniæ fuiſſe imaginem hominum naturalem in gemmâ onychinâ, habente latitudinem manus vnius hominis, & ampliùs: ſupra quã gemmam expreſſa erant naturaliter, & citra artem vllam, duo capita iuvenum albiſsima, quibus ad frontes capitum colligabatur figura ſerpentis nigerrimi; inferiùs autem circa mandibulam oris erat caput Æthiopis nigerrimi cum lõga barbâ; & ſubtus in collo lapis habens colorẽ vnguis, qui videbatur eſſe veſtimentum coronatum floribus circa capita. Quidquid tamen ſit an ea lapidum miracula ex relatâ causâ proceſſerint, axioma eſt Ptolemæi in Centiloquio notum, terreſtres vultus ſubijci vultibus cœleſtibus.

SE-

SECTIO QVARTA.

De alia mirabilium & monstrosarum generationum causâ, quæ est vis imaginativa. Vbi plurâ valde notanda ex narratione plurium Authorum.

36 PRÆTER Quinque causas monstrosarum generationū, præcedenti sectione assignatas, est alia non parùm in eas conferens; scilicet, vis imaginativa parentum, quæ interdum virtutem formatricem impedit à productione fœtùs perfectâ, atque aliò transfert, vt effectum producat vtrique generanti dissimilē, ac proinde mōstrosum, iuxta formam cogitatione vehementi apprehēsam. Idque, præter AA. progressu sectionis allegandos, docent Albertus M. Galenus *lib. de Theriacâ ad Pisonem c.* 14. Marsilius Ficinus *l.* 13 *Theol. Platonis c.* 1. Tartaretus 2. *de Anima artic. penult.* Michael Medina *l.* 2. *de rectâ in Deum fide c.* 7. Fernelius 7. *Physiologiæ c.* 12. Cardanus *l.* 12. *de Subtilitate*, Levinus *l.* 4. *de occultis Naturæ miraculis l.* 1. *c.* 7. & 19. Pererius *in Genesim c.* 30. *disp.* 3. Toletus 2. *Physic. q.* 3. aliique plures. Cuius rei aliquale exemplum est, quod in sacrâ Geneseos historia *cap.* 30. habetur, de gregibus Iacob maculosis ex vividâ intuitione virgarum multicolorum ovibus obiectarū. Similia accidisse deprehenditur ex imaginationis vehementiâ in vtroque, aut altero saltem parentum. Quod in hominibus longè magis, quàm in cœteris animalibus, evenire, tradit Aristoteles in *Problematis sectio* 10. *probl.* 12. vbi inquirit, Διὰ τί τοῖς ἄλλοις ζώοις τὰ ἔκγονα μᾶλλον τὰς φύσεις ὁμοιοῦνται, ἢ τοῖς ἀνθρώποις: *Cur proles cœterorum animalium magis, quàm hominis, suis parentibus similem gerit naturam?* Et statim addit: *An quod homo vago, varioque plurimùm animo in coitu est: prout autem pater materque in cōceptu affecti fuerunt, ita partus evariant. Cœtera verò animantia omnia, aut certè plurima, rei tantùm ipsi intendunt, totaque sese Veneri dedunt.* Vbi satis exprimit homines præ brutis, variâ ac multiplici imaginatione, dum coeunt, variare fœtum, dissimilemque sibi producere. Verùm & id, tum ex doctrina aliorum, tum ex narrationibus admirandorum casuum, hinc inde collectis, & fere exscriptis ad litteram, confirmare placet; ijs modò prætermissis, quæ de hoc ipso dedi prædicto tomo Theologiæ Florulentæ *Ludo* 5. *excursu* 1. *sect.* 4.

36 *HIPPOCRATES lib.* 1. *de superfœtatione* docet, desiderium mulieris prægnantis posse fœtum signare. *Si qua*, inquit, *mulier terram edere concupiscat, aut carbones, eademque edat; in capite pueri eius signa à talibus apparebunt.* Verùm & eumdem expressiùs tribuisse imaginationi hanc vim signandi fœtum, colligitur ex D. Hieronymo in traditionibus Hebraicis super Genesim: vbi ait, Hippocratem liberasse quamdam mulierem ab infamiâ & suspicione adulterij ex eo, quòd in ipsius cubiculo pependisset pictura fœtui similis, in quam ipsa habuerat cogitationē nimiùm intentam. Affine est quod Heliodorus, antiquissimus Scriptor, narrat in *Theagene & Cariclæâ*. Postquam enim scripsit hanc albam fuisse ortam ex parētibus Æthiopibus, eò quòd mater eius frequenter intuita fuisset Andromadæ imaginem alba facie constātem; addit, Gymnosophistas, qui erant summi sapientes eius regionis, id possibile censuisse. E contrà idem D. Hieronymus loco nuper allegato asserit mulierem quandam edidisse nigrum fœtum, quia licèt alba esset, vehementi imaginatione cogitaverat in quod ā Æthiope. Simile quid de aliâ, eam ob causam ab adulterij suspicione liberatâ à Fabio Quintiliano, refert Rhodiginius *lib.* 20. *lect. Antiq. cap.* 14.

37 *IMAGINATIONI* Etiam tribuit eandem vim Soranus, antiquissimus Medicus, teste D. Augustino contra Iulianum scribente: qui refert in Sorani libris memoriæ proditum, quòd cùm Dionysius Tyrannus esset valde deformis, nolletq; generare prolē sibi similem, iussit pulchram imaginem suspendi ante oculos vxoris, vt eius intuitu prolem picturæ, scilicet, pulchram, conciperet ederetque. Quòd in eum finem plurimū conducere docet Galenus *vbi suprà*. Qui & libro de Historia Philosophicâ ipsi adscripto, *c.* 117. refert sœpe mulieres statuas aliquas adamasse, & proles, quas ex illarū imaginatione conceperant, ijs similes edidisse. Idemque loco primùm allegato, scribit quemdam virum divitem, cùm deformis esset, imperasse vxori, vt tempore coitus inspiceret pulchram picturam: quo facto illa non deformem, instar viri, sed speciosam, instar eius imaginis, sobolem

lem peperit. Quæ omnia vi imaginationis fieri poſſe, & fœtum immutari, docet S. Auguſtinus *lib. 3. de Trin. c. 12. & l. 12. de Civit. cap. 25. & lib. 18.* eiuſdem Operis *cap. 5.* rationem reddens, quomodo factum ſit quòd apud Ægyptios nunquam deficeret bos aliquis variegatus albis maculis, quem Apim appellabant, & pro numine habebant; exiſtimat id contigiſſe, quia dæmon imaginationē vaccæ coeuntis immutabat præſentatione ſimilium ſpecierum in bove pariter coeunte. Ex cuius doctrinæ veritate, à priſcis ſæculis recepta, ortum eſt axioma illud, quo aſſeritur, *filium ex adulterâ, excuſare matrem à culpâ.* Quo indicatur, filios ex muliere adulterâ natos, plerumque magis ſimiles evadere marito adulteræ eiuſdem, quàm vero genitori. Mater enim perculſa timore vehementi ne deprehendatur in adulterio, imaginationem habet defixā in marito abſenti; ideoque potiùs concipit fœtum ſimilē marito, quàm adultero.

38 *VERVM* Pleraſque ex dictis generationibus non fuiſſe monſtroſas, eas præſertim, quæ fœtum non immutarunt notabiliter, poterit aliquis iure ac meritò exiſtimare. Ideo alias ſubijcere placet, quæ ſtrictè, & ad præſcriptum ſeverioris Philoſophiæ, inter monſtroſas cenſeri debent; ortaſque ex imaginationis vehementiā. Marcus Damaſcenus apud Petrū Mexiam *in Sylvâ variæ lectionis c. 7.* author eſt, in confinijs Piſæ, oppido *Petra ſanctæ* appellato, ortam fuiſſe puellam totā hirſutam, eò quòd mater tempore conceptus attentè intuita fuiſſet imaginem Divi Ioannis ad lectum pendentem. Eamque puellā Carolo Bohemiæ Regi fuiſſe præſentatam ſcribit Michael de Montagna. Quippe monſtra Principibus præſentari ſolita teſtantur, Dio apud Rhodiginium *lib. Antiq. Lect. 4. c. 11.* Phlegō Trallianus *lib. de Mirabilibus & longævis.* Similiter & Guillelmus Paradinus in Hiſtoriā Sabaudiæ *in epilogo ad cap. 46.* ſcribit quādam neptem Nicolai III. Papæ, qui erat de familiā Vrſinorum, peperiſſe prolem totam villoſam, vnguliſque armatam inſtar vrſi; eò quòd ſolita fuiſſet attentiùs intueri imagines vrſorum depictas in ſuā domo: ideoque Pontificem iuſsiſſe, vt omnes picturæ vrſorum, quotquot Romæ erant, delerentur. Quin & circa annum 1662. cùm eſſem in Aragoniā mēſe Septembri in Regio & admirando Monaſterio D. Ioannis *de la Peña*, Noſtri Ordinis, quatuor leucis ab vrbe Iacca, in eam venit mulier quædam ex vicina Galliā, quæ in publico ſpectaculo ſe exhibebat vilendā, toto ferè corpore notabiliter hirſutā. Quod ex ſimili causā ortū duxiſſe, ac præcedentes caſus, videtur rationi cōforme.

39 *MIRABILIVS* Adhuc eſt quod eruditiſsimus Beyerlinck refert in Magno Theatro littera I. pag. mihi 41. ſequentibus verbis. *Philippus Meurs Protonotarius Apoſtolicus, & Lovanij in Æde S. Petri Canonicus, vir tam ſenex, vt tria viderit ſæcula, ſæpe, & infinitis narravit, ſe habuiſſe ſororem toto reliquo corpore perfectam, quæ nullum habebat caput, ſed loco capitis collo ſuperpoſitam conchām teſtaceam ad ſimilitudinem mitelli, conſtantem duabus valuis, quæ aperiebantur & claudebantur; per quos cibum cochleari miniſtratum ſumebat; quam dicebat ita natam eſſe ex eo quòd mater eius tempore geſtationis vteri, muſculos marinos, quos in foro viderat venales, nimis intensè deſideraſſet, & potiri non potuiſſet. Illud monſtrum dicebat peruenisse vſque ad annum vndecimum ætatis, & mortuum eſſe ex eò quòd ſemel præ iracundiā cochlear, quo cibus miniſtrabatur, nimis fortiter præmordiſſet; vnde contingebat illas valuas teſtaceas frangi, quibus fractis ipſum moriebatur. Eius imaginem habebat pluries in cubiculo ſuo depictam, quam totus mundus vidit. Hiſtoria iſta eſt Lovanij nemini non nota.* Hucuſque Beyerlinck. Paræus quoque *lib. 24. c. 7. ſuæ chirurgiæ* ſcribit, anno D. 1517. in Boſci Regis Paræcia in Byerā ſylvā, viā ad fontem Bellaquæ, natum fuiſſe monſtrum humanum facie ranali, quia mater ipſo tempore conceptus habebat ranam manibus alligatam in remedium cuiuſdā morbi. Balduinus Ronſ[illegible]eus *lib. de primordijs hominis c. 10.* teſtatur Goudæ in Hollādiā fœminam quandam, viſis gregibus gallinarum Indicarum, adeò conſternatam animo fuiſſe, vt poſtea ediderit fœtum habentem, inſtar galli Indici, faciem varijs excreſcentijs carnoſis plurium colorum deturpatam. Iacobus Horſtius *libello de aureo dente*, inquit ſe pluries vidiſſe, non modò colores & maculas, ſed & carnea fragra, & ceraſa in dorſo ac genis, virtute imaginationis producta. Plura alia ſimilia legere eſt apud Schenkium *in libris obſervationum rararum*, Thomam Eraſtū *lib. de occultis pharmacorum proprietat. c. 34.* & Sebaſtianum Munſterum *lib. 3. Coſmogra-*

graphiæ: vbi ſcribit quandam fœminam ſimul edidiſſe duas filias colligatas, capitibus oppoſitis, id eſt, frontibus vſque ad naſum cohærentibus, eò quòd cum aliâ muliere habuiſſet capitis colliſionem, cũ prægnans eſſet.

42 *HORRIBILIA* Autem ſunt, quæ ſubijcio. Peramatus *lib. de hominis procreatione cap. 17.* differens de potentiâ imaginationis ad mutandum fœtum, refert Hiſtoriam cuiuſdam horribilis mõſtri nati in Indiâ Orientali, in oppido S. Laurentij die 6. Aprilis, anno 1573. celatam ad Ducem de Medina Sidonia, & varijs teſtimonijs fide dignis comprobatam. Scilicet, prædictum monſtrum habuiſſe oculos, aures, os, nares, valde deformes atque horribiles; in fronte duo cornua inſtar cornuum capræ primò enaſcentium; pilos oblongos; in ventre cingulum carneum duplicatum, cum fruſto carneo ex eo pendente inſtar peræ; in ſiniſtra manu ſonalium ſeu campanulam carneam, ſimilem ijs, quibus Indi vtuntur adtripudia; in cruribus ocreas carnes albas reduplicatas; in dextro crure quaſi cingulum aut compedem cruri circumductum; ac totũ figura expaveſcenda, ſimiliſque diabolo humanâ ſpecie tripudianti; natum denique (vt idem inſinuat) eo quòd mater ipſius exterrita fuiſſet à diabolo ſub eâ figurâ, quâ ſæpe converſatur cum hominibus earum regionum, & quam, dum conciperet, habuit in imaginatione impreſſam. Affine eſt quod narrat Ludov. Vives *in comment. ad lib. 12. S. Auguſt. de Civit. cap.* 24. nimirum, Sylvæ-ducis in Brabantiâ, virum quemdã, qui dæmonẽ exhibuerat ſcenico habitu in publicis ludis, domum reverſum ijſdem indutum veſtibus, dixiſſe vxori, ſe velle ex eâ progignere diabolũ; ipſam vero deterritam, accedente ſtatim coitu, concepiſſe ac tandem edidiſſe fœtum eiuſdem diabolicæ figuræ. VVyerus quoque *lib. 4. de præſtigijs dæmonum c. 18.* author eſt, quemdam ægrè ferentẽ quòd eius vxor prægnans eſſet, atque iracundia commotum, dixiſſe ei, ſe credere quòd diabolum in vtero geſtaret; illam verò tã execrabili dicto turbatam poſtea edidiſſe prolem cornutam inſtar figuræ diabolicæ, ac ſatyri, multis deformitatibus plenam.

43 *QVÆ* Hucuſque diximus etiam locum habent in brutis animantibus: nam & hæc vi phantaſiæ, ſive, quod perinde eſt, imaginativæ, ſolent figurare fœtum, illumque reddere parentibus diſſimilem, aut etiam monſtroſum. Iulius Scaliger *exercitat. 59. in Cardanum ſect. 1.* reddens rationem, cur in Scythia, Norvegia, & Allobrogum montibus, vulpes, aquilæ, vultures, perdices, imò & corvi albi inveniantur; aſſerit non aliam eſſe, quam quòd aſſiduo nivium, in ijs regionibus frequẽtium, aſpectu imbuatur phantaſia prædictarum avium ſpeciebus repræſentativis albedinis, ideoque conferat nimiùm in generationem fœtus albi. Mirabiliùs autem eſt, ſi fortè verum, quod Michael Medina *vbi ſuprà* affirmat, gallinã edituram, non pullum, ſed ſerpentem, ſi, dum ovis incubat, incluſis cancellis aliquibus ſerpens continuo eius oculis obijciatur. Similiter & quod aſſeverant Avicenna atque Albertus Magnus *lib. 9. de Animalibus*, pullum è gallina progenitum fuiſſe accipitrinâ cervice, eò quod gallinâ in ipſa conceptione fœtus exterrita fuiſſet ab accipitre ſupervolante.

44 *DOCTRINAM* Tota ſectione traditam confirmat S. P. N. Iſidorus *lib. 12. Etymologiarum cap. 1. circa finem*, vbi præmiſſo caſu ovium Iacobi, de quo ſupra, addit: *Hoc ipſum in equarum gregibus fieri fertur, vt generoſos objiciant equos viſibus concipientium, quò eorum ſimiles concipere & creare poſſint. Nam & columbarum dilectores depictas ponunt pulcherrimas columbas eiſdem locis quibus illæ verſantur, quò, rapiente viſu, ſimiles generent. Inde eſt, quòd quidam gravidas mulieres iubent nullos intueri turpiſſimos animalium vultus, vt cynocephalos & ſimios, ne viſibus occurrentes ſimiles fœtus pariant. Hanc enim fœminarum eſſe naturam, vt quales proſpexerint, ſive mente conceperint in extremo voluptatis æſtu, dum concipiunt, talem & ſobolem procreent. Et enim anima in vſu veneno formas extrinſecas intus tranſmittit, eorumque ſatiata typis rapit ſpecies eorum in propriam qualitatem. In animalibus bigenera dicuntur quæ ex diverſis naſcũtur, vt Mulus ex equa & aſino. Burdo ex equo & aſina. Hybridæ ex apris & porcis: Tityrus ex ove & hirco: Majno ex capra & ariete; eſt autem dux gregis.*

45 *SI* Autem quæras quomodo imaginatio vim habere poſsit ad figurandum fœtum, reddendumque diſsimilem progenitoribus, aut etiam monſtroſum; res difficillima explicatu eſt, cui edifferen-

dæ

dæ alibi fortè dicabimus integram controverſiam. Nunc obiter ſufficiat dicere imaginationem ſolùm eſſe cauſam per accidens eorum effectuum mirabilium, quatenus cauſa eſt multarum perturbationum, & alterationum, tum in proprio, tum & in alieno corpore; movendo, ſcilicet, ac dirigendo potentias animæ habentes vim alterandi ac movendi, vt potentiam animalem, loco motivam, appetitivamque, & humores ac ſpiritus, itemque potentiam conformatricem, medijs animi paſſionibus. De quo præcipuè legendus Thomas Fienus, Bavariæ ac Brabantiæ Ducum Medicus, & in Academiâ Lovanienſi Profeſſor Medicinæ Primarius *lib. de viribus imaginationis, præſertim quæſt.* 13. poſt Sennertum *lib. de conſenſu Chimicorum cum Galenicis & Ariſtotelicis cap.* 12. Picum Mirandulam *lib. de imaginatione*, Antonium item Mirandulam *lib.* 29. *de ſingulari certam.* Toſtatum *in cap.* 30. Geneſ. Vairum *lib.* 2. *de faſcino cap.* 3. Valleſium *de Sacra Philoſophiâ cap.* 11. Delrium *lib. de Magiâ* 1. *c.* 3. *q.* 4. præter alios decurſu ſectionis allegatos. Quibus pro coronide diſputationis adiunge Thomam Morum, æquè inſignem Poetam, ac Martyrem: qui, inter alia, ita accinit:

Atqui graves tradunt ſophi,
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam;
Eius latenter & notas
Certas & indelebiles,
Modoque inexplicabili,
In ſemen ipſum congeri:
Quibus receptis intimè,
Simulque concreſcentibus;
A mente matris inſitam
Natus refert imaginem.

DISP. QVADR. OCTAVA.

IN QVA ACTIONE CONSISTAT GENERATIO?

Num. 1. *STATVTA Iam ſuperioribus exiſtentiâ & natura ſubſtantialis generationis, nunc veſtigandum eſt in quâ actione & mutatione conſiſtat. Plures enim actiones, & mutationes concurrunt, aut comitantur generationẽ cuiuslibet ſubſtantialis compoſiti, de quibus iure, ac meritò diſputari poteſt, an conſtituant mutationem actionemvè ab ipſa generatione diſtinctam. Intervenit enim primò alteratio, quâ diſpoſitiones ad formam producendam introducuntur, & intenduntur in ſubiecto vſque ad inſtans generationis: vt calefactio, quâ materia ligni paulatim diſponitur ad recipiendam formam ignis. Deinde intervenit ratio eductionis, ſeu productionis formæ dependenter à materiâ: item & vnitionis quâ partes compoſiti activè conjunguntur; rurſus ratio converſionis, quâ ſubiectum, ſive materia mutatur ab vnâ formâ ad aliam; prætereaque productionis totius, ſivè compoſiti per ſe ſubſiſtentis. De ijs ergo omnibus dubitamus, an in aliqua illarum conſiſtat generatio, vel potiùs ſit actio ab enumeratis indiſtincta. De alijs verò actionibus ſubſequentibus generationem non diſputamus, nam compertum eſt illas generationem non conſtituere, cùm ipſam iam conſtitutam & in rerum naturâ exiſtentem præſupponant: vt patet in nutritione, augmentatione, & alijs ſimilibus. Præcipua autem dubitatio eſt de alteratione: de quâ locum habet diſputatio præſens apud Ariſto.* lib. 1. cap. 1. & 4.

SE-

SECTIO PRIMA.

Statuitur sententia docens actionem generativam substantiæ esse distinctam omnino ab alteratione, & probatur selectis rationibus, præcludunturque evasiones Authorum opinionis adversæ.

2 *DICENDVM* Est I. Generationem substantialem esse actionem distinctam realiter & essentialiter ab alteratione; & proinde substantiam geniti non resultare ex alteratione, neque ex qualitate aliqua per eam productà; sed per aliam efficientiam veram, ac distinctam ab actione qualitatum productiva. Ita docet expressè S. Thomas locis infrà allegandis & expendendis (quidquid alij contradicant) Capreolus *in 2. dist. 3. q. 1. ar. 3.* Henricus *Quodlib. 9. q. 4.* Alensis *3. p. q. 7.* Scotus *in 2. dist. 2. q. 9.* Conimbricenses *in præsenti cap. 2. q. 12. ar. 3.* vbi plures alios appellant pro eadem opinione, sicut & Rubius *tract. 1. q. 5.* Suarez *disp. 18. Metaph. sect. 1. à num. 15. vsque ad 19.* Hurtado *disp. 1. sect. 9.* Oviedo *Controv. 2. puncto 2.* Lalemandet *disp. 10. partit. 1. num. 7.* Ioannes à S. Tho. *in præsenti quæst. 1. ar. 3.* alijque plures ex omnibus Scholis.

3 *ASSERTIONEM* Sententiamque præiactam expressè tradit Aristoteles, tum cap. 1. huius prioris libri, tũ & 4. Primo enim capite, contra Veteres illos Philosophos, qui dixerunt omnia esse vnum, sive vnicum esse principium entis naturalis, nõ autem plura, vt diximus *lib. 1. Physic.* ex professò disputat: infertque ex eorum opinione ab absurdo, generationem non fore distinguendam ab alteratione. Verba sunt: ὅσοι μὲν γὰρ ἓν τι τὸ πᾶν εἶναι λέγουσι, καὶ παρὰ ταῦτα γεννῶσι, τούτοις ἀναγκαῖον ἀλλοίωσιν τὴν γένεσιν φάναι, καὶ τὸ κυρίως γιγνόμενον ἄλογον εἶναι: *Nam qui vniversum ipsum aiunt vnum quidpiam esse, & omnia ex vno oriri censent, ij generationem alterationem esse, & quod propriè generatur, id alteràscere dicant est necesse.* Idemque postea absurdum colligit ex opinione aliorum, qui plures materias ponunt. Deinde *cap. 4.* à principio statuit & probat alterationem à generatione magnopere discrepare: quia per alterationem solùm variantur affectiones seu accidentia totius, per generationem verò totum ipsum immutatur. Quod ipsum ibidem expressè tradit ac probat S. Thomas. *lect. 10.* neque verbũ aliquod apparet in Philosopho, aut adducitur ex ipso ab Adversarijs, quo vel leviter indicaverit oppositum nostræ assertioni.

4 *QVIA* Verò pluta in suum sensum testimonia S. Doctoris congerunt, vt probent generationem non esse actionem essentialiter distinctam à totà alteratione præcedenti, nec terminari immediatè ad substantiam; placet nonnulla ipsius loca producere, quibus expressè oppositum docet, & postea sect. sequenti ipsius ferè verbis occurrere, vel ijs testimonijs, quæ pro se afferunt Adversarij. Id autem non obscurè colligitur ex 3. *contra Gent. cap. 69.* vbi hæc habet: *Si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent proprias actiones, multò magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem huiusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales. Ergo forma substantialis est principium actionis, vt forma substantialis introducatur in generatum.* Hæc D. Thomas: quibus expressè docet generationem, quà introducitur forma substantialis, esse actionem distinctã ab actione quà disponitur materia, sive alteratur: nec solùm id docet, sed probat à maiori perfectione formæ substantialis, cui proinde assignari debet propria actio generativa substantiæ, quando quidem formæ accidentali imperfectiori propria actio, sive alteratio conceditur, productiva accidentis.

5 *EADEM* S. Doctoris mens colligitur, retorquendo præcipuum fundamentum Adversariorum, qui ideo probant ex ipsius sensu, generationem non esse distinctam actionem ab alteratione, quia est illius terminus. Atqui id perperã colligitur. Quod multiplici ter ostẽdo. *Primò*: Quia S. Thomas nunquam dixit substantiam genitam resultare ex alteratione, neque ex qualitate per illam productà: sed solum, generationem esse terminum alterationis. At si generatio non esset actio distincta ab alteratione, substantia genita resultaret ex alteratione, sive ex qualitate per illam producta. Ergo cũ nunquam hoc dixerit S. Thomas, ne in locis quidem quæ in oppositum allegantur, consequens est ipsum non docuisse, generationem esse actionem indistinctã

ab

ab alteratione. Maior cõstat ex ipsis verbis S. Doctoris, quibus fidunt Adversarij. Minorem probo: Quia quoties aliquid nõ fit per actionem distinctam, sibique propriè ac per se destinatam a natura, sed solùm ex consequenti ad actionem primò ac per se terminatam ad aliud, tantùm habet esse per resultantiam ex tali actione, vel ex termino ipsius, vt patet in resultantia proprietatum. At si generatio non esset actio propria substantiæ, & distincta ab alteratione, substantia genita non terminaret actionem distinctã, sibique propriam, sed solùm fieret ex consequenti ad alterationem primò ac per se terminatã ad aliud, scilicet, ad qualitatem. Ergo si generatio non esset actio ab alteratione distincta, substantia genita solùm haberet esse per resultantiam ab alteratione, sive à termino producto per alterationem.

6 *SECVNDO*: Nam ex eo quòd S. Doctor dixerit generationem esse terminum alterationis, solùm colligitur hanc ordinari ad illam, tamquam ad finẽ principaliorem agentis, sive naturæ; non verò tamquam ad terminum solius resultantiæ: quemadmodum assensus conclusionis terminat assensum præmissarum, vt finis præcipuè intentus, non autem tamquam aliquid ex illo resultans; & beatitudo formalis terminat omnem actionem meritoriã electorum, atque amorem supernaturalem concupiscentiæ, veluti finis præcipuus, non tamen quasi resultantia mera. Certum enim est, tam assensum conclusionis, quàm beatitudinem formalem, esse actionem distinctam ab assensu præmissarum, & à quolibet actu meritorio. Ergo pariter quamvis generatio dicatur terminus alterationis, tantùm colligitur hanc ordinari ad illam, veluti ad præcipuum finem; non verò tamquam ad terminum solius resultantiæ, & qui secus ac per se non sit vera actio.

7 *TERTIO*, & appositissimè, insigni testimonio eiusdẽ S. Doctoris *Quodlib.* 11. *art.* 4. vbi explicat quo sensu ipse dixerit generationem esse terminum alterationis. Ait enim: *Per alterationem materia disponitur ad formam, & per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat. Et secundùm hoc dicitur quòd generatio & corruptio sunt terminus alterationis, & illuminatio motus localis.* Idemq; repetit 1. *p. q.* 53. *art.* 3. Vbi eodem prorsus modo asserit illuminationem esse terminum localis motus corporis lucidi, ac generatio dicitur terminus alterationis. Atqui exploratum est illuminationẽ esse actionem distinctam à locali motu corporis lucidi, quamquam sit eius terminus. Ergo pariter licèt generatio sit terminus alterationis, adhuc locus est vt sit actio ab alteratione distincta.

8 *IAM* Ratione probatur conclusio, ex Aristotele desumpta loco allegato ex capite 4. huius libri, & sub hanc formam disposita. Aliqua debet esse actio per se terminata ad producendam substantiam, quæ generari dicitur. Sed eiusmodi actio nequit esse alteratio. Ergo debet esse actio aliqua ab alteratione distincta. At hæc nulla alia esse potest quam substantialis generatio. Hæc igitur distincta actio est ab alteratione. Vtraq; consequentia est evidẽs, & similiter minor syllogismi, quia alteratio non terminatur per se ad producendam substantiam, sed solùm ad qualitatem, vt omnium Philosophorum consensio est: ideoque communiter dicitur, dari per se motum alterationis ad solam qualitatem. Maior principalis probatur diversimodè. *Primò* ex illo communi ac verissimo Philosophorum axiomate, *Vnumquodque sicut habet esse, ita petit & fieri.* At substantia, quę generari dicitur, habet esse per se. Ergo petit fieri per se: ac proinde aliqua debet esse actio per se tendens ad illam producendam. *Secundò*, & à priori. Substantia quæ generari dicitur, est prima & perfecta radix omnium perfectionum & accidentium, quæ in ea sunt. Ergo debet esse aliqua actio per se tendens ad illius existentiam, potiori ratione, quã ad exĩstentiam cæterorum, quæ ipsi adiacent. Quoties enim duo se habent, alterum vt prima & perfecta radix, alterum vt quid adiacens & derivatũ ab illa, potiori iure debet esse actio per se tendens ad prioris, quam ad posterioris existentiã. *Tertiò*, & cohærenter, probatur eadem maior. Aliqua debet esse actio per se instituta ad existentiã & assecutionem finis præcipui in ordine rerũ naturalium. Aliàs natura diminutè procederet non exhibendo actionem per se terminatam ad habendũ id quod potissimè quærit, & cuius existentiã maximè perficitur. Sed substãtia, quę generari dicitur, est finis præcipuus in ordine rerũ naturaliũ; vtpotè cæteris omnibus rebus perfectior, & in cuius ornatũ ac decorẽ ordinã-

tur naturaliter accidentia omnia. Ergo de primo ad vltimum aliqua debet esse actio per se tendẽs ad producendã substantiam.

9 *CONFIRMATVR* Discursu desumpto ex loco illo S. Th. suprà allegato ex 3. contra Gent. Quia forma substantialis præeminet accidentali in esse, etiam præeminet in operatione: ac proinde dũ conceditur operatio propria accidentali formæ, potiori iure debet tribui actio propria formæ substantiali. Ergo propter eũdem excessum perfectionis substantię supra accidens, dum conceditur accidenti operatio propria tendens per se ad existẽtiam illius, potiori ratione assignari debet actio propria, quæ per se tendat ad existẽtiam substantiæ. At eiusmodi actio non est alia quàm generatio substantialis, vt ex se patet. Ergo generatio substantialis est actio propria, & distincta ab actione productiva per se cuiuslibet accidentis, proindeque ab alteratione.

10 *PROBATVR II.* Generatio enim non est eadem actio cum illa alteratione, quæ præcessit instans generationis; neque cum alia quæ sit, aut supponatur esse in instanti generationis. Ergo est actio distincta ab omni alteratione. Antecedens quò ad priorem partem facilè extorquetur: Alteratio enim quæ præcessit instans generationis, in rerum natura existebat, nondum existente generatione. At omnis actio in rerum natura existens, nõdum existente alia, debet esse realiter ab eà distincta; cùm separatio realis sit evidẽs realis distinctionis signũ. Generatio igitur nequit esse eadẽ actio cũ illa alteratione, quæ præcessit instans generationis. Præterea, etiã in sententia Adversariorũ, alteratio quæ, præcessit instans generationis, tota corrumpitur ante illud, nihilque eius manet vbi primùm existit generatio. Nõ ergo esse potest alteratio illa eadẽ actio cũ generatione. Impossibile enim est eãdem actionem simul desinere & incipere esse, aut realiter existere simul & non existere. Posterior verò antecedẽtis pars probatur; nimirũ, generationem nõ esse eãdem actionẽ cũ alteratione quæ existit, aut existere supponitur in instanti generationis. Iuxta dictam enim Adversariorum sententiam, & nostram quà asseritur, nullum accidens eorum, quæ fuerant in corrupto, perseverare in genito, manifestum est nihil alterationis præcedẽtis manere, quoniã illa fuerat in corrupto. Solùm ergo supereſt locus effugij ad alterationẽ aliam realiter ab ea distinctã, quæ supponatur existere in ipso generationis instãti. Sed hæc nequit esse eadẽ actio cũ substantiali generatione. Ergo de primo ad vltimum, neque alteratio quæ præcessit, neque illa quæ coèxistit, aut coèxistere generationi supponitur, est eadẽ actio cum generatione. Probatur minor. Alteratio quæ supponitur existere in instãti generationis, est eiusdẽ speciei, ac illa quæ generationẽ præcessit: quia terminus formalis vtriusq; est idẽ specie, solũq; differt penes maiorẽ aut minorẽ intensionẽ; quoniam alteratio præcedẽs solùm induxit v.g. calorẽ in gradu non sufficiẽte ad vltimã dispositionẽ, vt induceretur forma ignis; alteratio verò coèxistẽs generationi induxit calorẽ in gradu ad dispositionẽ vltimã sufficiente. Sed alteratio illa, quæ generationẽ præcessit, erat actio specie distincta, non verò eadem, cũ subsequenti generatione. Ergo & alteratio, quæ coexistere generationi supponitur, non est eadem actio cũ ipsa, sed specie distincta. Consequẽtia patet: quia quoties duo sunt eiusdẽ speciei, si vnũ ab alio tertio specie differat & alterũ differre necesse est. Minor verò probatur: Quia vbi formales termini actio nũ differunt specie, etiã actiones ipsæ debent secundũ speciẽ differre: cùm actio à formali termino speciẽ accipiat. Sed termini formales generationis, & illius alterationis, quæ ipsã in instanti præcessit, specie differunt, imò & plusquã specie; cùm generationis terminus formalis sit substãtia alterationis verò accidẽs. Ergo alteratio illa, quæ generationẽ præcessit, erat actio specie distincta, nõ verò eadẽ specie cũ subsequenti generatione. Indidẽ verò similiter constat, neque alterationẽ illã, quæ coèxistere generationi supponitur, esse eandẽ specie actionẽ cũ generatione ipsa, quoniã termini formales vtriusque specie, imò & plusquam specie, differunt.

11 *CONFIRMATVR.* Alteratio intẽsa in quolibet gradu solùm differt penes magis vel minùs ab alteratione remissa: atque adeò vtraque persistit intra eandem speciẽ. Sed alteratio quæ coèxistit, aut coèxistere supponitur generationi, solùm differt ab alteratione præcedẽti tãquam actio intensa à remissa, & penes magis vel minùs, vt ex se patet. Ergo vtraque alteratio, sive quæ præcessit generationem, sive quæ ipsi coèxistit, aut

coèxi-

coèxistere supponitur, permanet intra eandem speciem. Ergo neutra illarū præ altera habet inducere terminum specie distinctum, qualis est substantia genita. Patet hæc vltima consequentia: Quia excessus vnius actionis supra alteram eiusdem speciei solùm sufficit, vt inducat terminum perfectiorem intra eandem speciem; non verò terminum speciei diversæ, & præsertim superioris, qualis est substantia genita relatè ad qualitatem, quæ est vtriusque alterationis terminus.

12 *DICES*: Calefactio existens in instanti generationis est eiusdem speciei cū calefactione quæ illud instans præcessit, vt probatum est argumēto præiacto. Sed calefactio existens in instanti generationis producit substantiā ignis, licèt hæc non producatur per calefactionem præcedentē. Ergo stat optimè alterationē quæ existit in instanti generationis esse eandē speciē cum alteratione quæ præcessit, & tamen præ illa producere substantiā. Probatur minor. Aliqua debet existere actio in instāti generationis, quæ producat substantiam ignis: quia terminus & actio ipsius productiva invicem coèxistunt in instanti generationis. At nulla alia existit actio in instanti quo generatur ignis, nisi calefactio. Igitur calefactio existens in instanti generationis producit substantiam ignis. Difficultas solùm est in minore probanda, quam sic suadebis. Nulla alia existit actio in instanti quo generatur ignis, nisi quę immediatè à calore procedit; cū in eo instanti nulla sit virtus immediatè agens, nisi calor; maximè in sententia D. Thomæ negantis substantiæ vim immediatè operatricem. Sed actio immediatè à calore procedens nulla alia est, quam calefactio: neque enim aliā hucusque novimus. Ergo nulla alia actio existit in instanti quo generatur ignis, nisi calefactio.

13 *SED Contrà*. Præterquam enim quòd evasio hæc omnino præcludetur sectione ventura, reijcitur modò: Quia vis & efficacia argumenti à nobis propositi, dum probat alterationem coèxistentē generationi non posse præ altera præcedēte inducere formā substantialem, probat idem de calefactione relatè ad ignē, quæ vera alteratio est. Nulla enim actio eiusdem omnino speciei cum alia potest inducere terminū specie distinctū à termino alterius, quamquam possit producere terminum perfectiorem intra eandē speciem. At calefacto coèxistens generationi ignis est eiusdem speciei cū calefactione præcedente. Non ergo præ illa potest producere terminum specie distinctum a termino præcedentis calefactionis, ac proinde nec substantiā ignis. Fateor aliquā existere actionem in instāti generationis, quæ producat immediatè substantiā ignis & illā debere procedere immediatè à calore. Ea tamē non est calefactio, quæ a calore oritur veluti a principali causa, & solùm tendit ad qualitatē; sed est alia actio instrumentalis, qua calor virtute substantiæ generantis producit ignē, quocūque nomine appelletur. Potest tamen dici ignitio, seu combustio, a calore immediatè procedens tāquā ab instrumento, & mediatè a substantia ignis generantis, tāquā à principali causa. Quod iam satis discussū ac probatum manet in Physica *disp.* 15. & infra vlteriùs roborabitur.

14 *PROBATVR III.* Assertū. Alteratio enim, quæ præcedit tempore instans generationis, extitit in subiecto, sive composito, quòd iam in instanti generationis non existit. Ergo ex eadem alteratione nequit resultare substantia genita. Ergo necessaria est actio omnino distincta ab alteratione, vt producatur substātia. Secunda consequentia sequitur ex prima: quia posito substantiam non resultare ex alteratione, nulla supereſt actio vi cuius habeat esse per meram resultantiam, neque illa assignari potest. Omnis autem res quæ non habet esse per meram resultantiam ex actione aliena, debet fieri per actionem distinctā ac sibi propriam. Ergo posito substantiam non resultare ex alteratione, necessaria est actio distincta ab illa, per quam producatur substantia. Prima autem consequētia deducitur ex antecedēti: Quia nullus effectus resultat ex actione sibi realiter non coèxistente, & iam præterita; sed solùm ex ea quæ coèxistit effectui saltē in primo instanti. Sed posito alterationē, quæ præcessit instans generationis, extitisse in subiecto, seu cōposito, quod iam tunc non existit, necessariū est vt eadem alteratio non coèxistat substātiæ genitæ in instanti generationis: cùm destructo subiecto destruatur accidens in eo existens. Ergo posito alterationē præcedentem extitisse in subiecto seu composito non coèxistente iam generationi, substantia genita nequit resultare ex alteratione. Iam verò antecedens præcipuū,

ex quo vtramque consequentiam deduximus, infrà *disp.* 50. de subiecto accidentium ex professo probabitur, & vltrò ab ipsis Adversarijs conceditur; cùm vniversim asserant, accidentia materialia recipi in toto composito.

15 *CONFIRMATVR.* Omnis actio dum tribuit existentiam alteri, debet illã habere in se; quia nemo dat quod nõ habet. Sed alteratio quæ præcessit tẽpore generationem, iam non habet esse in ipso generationis instanti: quia tũc iam non habet esse cõpositum præcedens, in quo subiectabatur, & nulla actio permanet destructo ipsius subiecto. Ergo alteratio quæ præcessit generationẽ tempore, nequit in eo instanti dare existentiam alteri; ac proinde neque substantiæ. Vnde etiã manifestè colligitur, nec generationẽ posse naturaliter resultare ex alteratione, vt Adversarij aiunt. Nulla enim res, sive sit actio, sive terminus, naturaliter resultare potest ex actione, per quam, seu vi cuius non accipiat existentia: nequit autẽ accipere existentiam, nisi ab actione sibi coexistente, saltẽ pro primo instanti, quo per illã producitur. Atqui alteratio nõ coexistit in aliquo instanti realiter generationi, sicut neque alterationis subiectum. Non ergo generatio resultat naturaliter ex alteratione.

16 *RESP. I.* ex doctrina Authorũ sententiæ oppositæ, non requiri actualẽ existentiã alterationis in ipso generationis instanti, vt ex ea dicatur resultare naturaliter generatio, aut substantia genita: sed sufficere virtualem permanentiã alterationis, quę immediatè antea extitit, & reliquit materiã sigillatã. Quod adhuc potest vtcũque suaderi ab instantia generãtis iam mortui, aut aliter non manẽtis in se, nisi virtualiter solùm, seu in virtute à se decisa cùm peragitur generatio. Sicut ergo in eo eventu generans solùm virtualiter permanens est vera causa existentiæ sui effectus, ita alteratio iam non manẽs formaliter in se, sed solùm virtualiter, sive in sigillatione materiæ, sive in quolibet alio, potest per naturalem resultantiã esse realis causa generationis.

17 *SED Contrà I.* Repugnat enim aliquid oriri per naturalem resultantiam ex alio, cum quo non habet connexionem naturalem: vt patet in proprietatibus & natura; in relatione prædicamentali positis termino ac fundamento, & in quibuslibet secundarijs terminis productionũ. Sed generatio substantialis non habet cõnexionem naturalem cum alteratione, siquidem neutra alteri coexistit, vt probatum est; idemque manifestè apparet in substantia genita. Ergo repugnat generationem aut substantiam genitam resultare naturaliter ex alteratione. *Contrà II.* Nihil resultat naturaliter ex alio, cũ quo naturaliter est incomposibile pro omni instanti. Sed tam generatio, quàm substãtia genita, est naturaliter incomposibilis cum alteratione pro omni instanti, vt fatentur Authores oppositi. Ergo nec generatio, nec substantia genita, resultant naturaliter ex alteratione. *Contrà III.* & magis directè. Tunc solùm sufficit virtualis existentia causæ ad productionem effectus, quando manet aliqua virtus eiusdem causæ actu influens in effectus existentiã: vt contingit, vel in ipso exẽplo generantis iã mortui, cui nititur solutio; & quoties resultat relatio prædicamentalis ex fundamento priùs posito, & vbi aqua se reducit in pristinam frigiditatẽ. Sed in instanti generationis, iuxta Adversarios, neque existit formaliter alteratio, neque virtus aliqua, aut actio per alterationem producta, actu influẽs in generationẽ, vel in substantiã genitã: cùm asserãt fuisse factã resolutionẽ vsque ad nudam materiã. Non ergo tunc alteratio præcedẽs influit vel existit, adhuc virtualiter, in ordine ad generationem, vel substantiam genitam.

18 *CONTRA IV.* Vt generatio, vel substantia genita resultet activè naturaliter ex alteratione, non existente iam formaliter in seipsa, debet assignari quidquam aliud actu existens in eodem instanti, quo mediante alteratio activè influat. At in instanti generationis nihil assignari potest actu existens, quo mediãte activè influat alteratio. No enim materia prima, adhuc prout sigillata. Nã præterquamquòd ea sigillatio est difficillima explicatu, materia non præstat vllũ activum influxum, adhuc emanativum, in substantialem formam, sed solùm materialem & receptivum. Ergo alteratio nequit esse causa activa per emanationem respectu formæ genitæ mediãte materia, etiam vt sigillata. At nihil aliud assignant Authores oppositi, quo mediante substãtia genita resultet activè naturaliter ex alteratione. Igitur neque formaliter, neque virtualiter resultat ex alteratione gene-

ra-

neratio, aut substantia genita. *CONTRA* Denique. Nulla actio, adhuc impropria, & emanationis solius, actu existit, nisi simul existat formaliter id, à quo immediatè oritur. Sed generatio substantialis actu existit, quin simul existat formaliter alteratio, vt probatũ iã, & concessum est. Ergo generatio substãtialis nõ oritur immediatè, adhuc emanativè, ab alteratione.

19 *RESPONDEBIS II.* Vt generatio dicatur resultare ex alteratione, sufficere ex vi alterationis induci necessitatem vt generatio sequatur, nec requiri aut existentiam formalem, aut influxũ actualem alterationis in ipsam.

20 *SED Contrà.* Impugnationes enim præiactæ abundè probant requiri existentiam formalẽ, & influxũ actualem emanativum illius, à quo aliud naturaliter resultat. Neque aliter potest intelligi necessitas ab alteratione inducta circa existentiam generationis, quàm per actualem influxum & immediatum in ipsam. Quod verò alteratio necessitet ad generationẽ, non probat hanc excludi debere à ratione actionis ab ea distinctæ: vt patet, tum exemplo superiùs adducto in assensu præmissarum necessitante ad conclusionis assensum, qui tamen est actio omnino distincta; tum etiam in visione beata, quæ necessitat ad amorem in Patria, cùm tamen ille sit actio propria & distincta à visione.

21 *PROBATVR IV.* In sententia Adversariorum, quam proprio loco libẽter amplectimur, dispositiones prævenientes generationem recipiuntur in composito præcedente generationem; forma autem genita in omni sententia recipitur in materia. Ergo dispositiones prævenientes generationẽ producuntur actione distincta ab ea, qua producitur forma genita. Sed dispositiones illæ producuntur per alterationem, forma autẽ genita per generationẽ. Ergo generatio est actio distincta ab alteratione. Discursus evidens est, si prima consequentia probetur, quam sic suadeo. Si enim forma genita non fieret actione distincta ab ea, qua fiunt dispositiones prævenientes generationẽ, sed eadem actione; in eodẽ subiecto reciperentur dispositiones prævenientes, & forma genita. Ergo posita ex sententia Adversariorum contraria doctrina, & statuto semel subiectum receptivũ dispositionum prævenientium esse cõpositum præcedẽs generationẽ, formæ verò materiam primam; non est eadẽ actio productiva dispositionum & formæ, sed diversa. Antecedẽs, in quo solùm est difficultas, probo. Terminus enim, sive effectus productus per aliquã actionem, recipitur in eodem subiecto, ac ipsa actio, sive illa sit immanens, sive trãsiens; neque aliud est effectũ *infieri* pẽdere ab aliquo vt subiecto receptivo, quàm actionẽ productivam talis effectus pendere ab eodẽ subiecto recipiẽte. Ergo si forma genita non fit distincta actione ab ea, qua fiunt dispositiones prævenientes generationem, sed eadẽ actione; sicut eadem actio recipitur in eodẽ subiecto, sic dispositiones illæ & forma genita in eodem subiecto recipientur.

22 *VNDE* Colligitur I. ab absurdo: Formã substantialem noviter genitã debere recipi in toto cõposito præcedente; non autẽ in materia prima, vt omnes Philosophi docent. II. Formã substantialẽ de novo genitam coextituram realiter alteri formæ substantiali in eadem materia compositi præcedentis. Cùm enim probatum sit coèxistere debere illã præcedẽti cõposito, necessum est coèxistat substãtiali formæ eiusdẽ cõpositi. III. Si forma recenter genita sit cadaverica, idẽ omnino cõpositum substantiale fore simul vivens & mortuũ ratione vtriusq; formæ. Ac denique omnia illa absurda sequuntur naturaliter & de facto, quę adhuc de possibili inconveniẽtia censentur ab oppositis Authoribus, aliisq; communiter, vbi negant posse eandẽ materiã simul recipere plures formas substantiales. Ne ergo indicata absurda devorare opus sit, dicẽdũ est actionẽ qua producũtur dispositiones præveniẽtes generationẽ, non esse eandẽ, sed diversã ab ea, quà producitur forma genita. Nã si eadẽ actione fiãt, sicut actio ipsa habet vnicũ subiectũ receptivum sui, ita etiã dispositiones prę̃viæ & forma genita in eodẽ subiecto recipiẽtur. Vnde omnia absurda memorata efficaciter colligũtur.

23 *CONFIRMANTVR* Illationes præiactæ. Cuicumque subiecto realiter coexistit actio, etiã coèxistit effectus per eam productus. Sed in sententia opposita actio productiva formæ genitæ coexistit composito præcedenti tamquã subiecto. Ergo & forma genita debet coexistere composito præcedenti. Consequentia patet, & minor similiter: quia iuxta Adversarios actio productiva for-

mæ genitę est indistincta ab alteratione, quam totam aiunt coèxistere composito præcedenti, tamquam proprio subiecto. Maior autem, in qua solùm potest esse dissidium, probatur. Omnis enim effect⁹ per aliquam actionem productus debet coèxistere eidem actioni: quia actio immediatè dat esse effectui, quod intelligi non potest nisi in eo instanti quo ipsa existit. Ergo cuicumque subiecto coèxistit realiter actio, debet etiam coèxistere effectus per talem actionem productus. Patet consequentia: Quia pro omni instanti reali pro quo duæ res coèxistunt inter se, debent coèxistere eidem tertio; neque fieri, aut intelligi potest, si altera illarum coèxistat alicui tertio, vt altera etiam nõ coèxistat. Si ergo actio productiva formæ genitæ coèxistit realiter composito præcedenti, eidem quoque forma genita coèxistet.

24 *DICES* Fortè, non esse iustam sequelam, vt si duo aliqua sibi invicem coèxistunt, debeant coèxistere eidẽ tertio: vt patet in sententia Thomistarũ, aliorumque plurium, asserentium futura secundùm suum esse physicum esse præsentia in æternitate. Iuxta illam enim quàm optimè stat duo aliqua sibi coèxistere invicem, quin etiam coèxistant eidem tertio. Æternitas enim & Antichristus futurus, sibi coèxistunt: & tamen licèt æternitas coèxistat Adamo, Antichristus Adamo minimè coèxistit. Idemque est de tempore præsenti ac præterito, quorum neutrum alteri coèxistit, quamquam vnumquodque eorum coèxistat æternitati singulis coèxistenti. Stat igitur formam genitam coèxistere actioni per quam fit, & tamen non coèxistere composito, cui eadem actio coèxistit.

25 *SED Contrà*. Disparitas enim vtriusque est manifesta: Nam in ea opinione æternitas coèxistit futuris tamquã mensura supereminens singulis durationibus futurorum: ac proinde non valet consequentia ex eo quod æternitas singulis rebus coèxistat, vt omnia sibi invicẽ coèxistant: sicuti ex eo quòd fluvius aliquis toti ripæ præsens sit, inferre non licèt singulas ripæ partes sibi præsentes esse: quia nimirum fluvius supereminet ambitque indivisibiliter quidquid riparum est ab origine ipsius, vsque ad ingressum in mare. Duratio verò actionis illius, quà iuxta Adversarios producitur forma substantialis, non comparatur ad durationẽ compositi, sive subiecti in quo est, tamquam ad mensuram supereminentem, sed vnivocam: vtrumque enim mensuratur tempore, sive instanti continuativo illius; neutrum verò ævo, aut æternitate, quæ sunt mensuræ superiores. Ergo licèt non omnia quæ coèxistunt æternitati, debeant sibi invicem coèxistere; omne tamen quod coèxistit actioni productivæ, debet coèxistere subiecto recipiẽti eandẽ actionem. Sed forma substantialis, quæ gignitur, coèxistit actioni productivæ sui. Ergo & coèxistit subiecto recipienti eandem actionem, quod iuxta Adversarios est compositum præcedens: ac proinde sequuntur absurdà superiùs indicata.

26 *CONTRA II.* & retorquetur instantia. Quidquid coèxistit æternitati pro aliquo instanti, coèxistit etiam omnibus, quibus in propria mensura est præsens æternitas pro eodem instanti. Ergo similiter quidquid pro aliquo instanti coèxistit actioni productivæ, coèxistit etiam omnibus, quibus præsens est ipsa actio pro eodem instanti. Sed actio productiva formæ substantialis iuxta Adversarios, est præsens proprio subiecto, seu coèxistens composito præcedenti formam. Ergo forma coèxistẽs actioni productivæ sui debet coèxistere composito præcedenti pro eodem instanti.

27 *CONTRA* Denique. Impossibile est duo aliqua, aut plura existere in instanti A. quin simul existant. Sed forma genita existit in instanti A. in quo existit compositum præcedens, iuxta doctrinam Adversariorum. Ergo impossibile debet esse iuxta illos, vt forma genita nõ existat simul cum composito præcedenti. Maior ex terminis est manifesta. Minorem probo. Forma genita existit in instanti A. in quo existit actio ipsius productiva, vt iam ostensum est. Sed actio productiva formæ existit in eodem instãti A. simul cum composito præcedente formam, iuxta Adversarios. Ergo de primo ad vltimum forma genita existere debet in instanti A. in quo existit compositum præcedens.

(.)

SE-

SECTIO SECVNDA.

Sententia adversa refertur, eiusque argumenta objiciuntur & enervantur, ac plerumque retorquentur.

28 OPPOSITAM Sententiam docent Caietanus 1.*p.q.*15. *ar.*3. & nonnulli alij ex Thomistis quos referunt & sequuntur PP. Cōplutenses in præsenti *disput.*2.*q.*2.*§.*3. Illamque potissimùm probant testimonijs D. Thomæ, quorum præcipua objiciam & dissolvam, quamvis ferè omnia opportunè satis, & ad mentem S. Doctoris, superiùs in favorem opinionis nostræ præoccupata fuerint. Igitur generationem non esse actionem distinctam ab alteratione, sed posità hac resultare, & consequi ad ipsam tanquam terminum, non quidem directè ab eà productum, sed veluti consequutum & resultantem vi solius connexionis naturalis, sicut resultant passiones ab essentia,

29 *PROBANT I.* Insigni, vt aiunt, testimonio S. Doctoris tract. de Naturà materiæ vbi ita loquitur: *Quia in termino cuiuslibet motus est quies quædam secundùm naturam illius motus, ideo in fine alterationis quies est inductio formæ substantialis. Alteratio igitur, per quam spoliatur materia à formà priori, in se requirit subiectum actu existens, quia ipsa est motus: in suo verò termino non requirit subiectum actu existens: terminus autem eius est generatio. Vnde generatio non requirit subiectum nisi in potentia tantùm. Inde igitur manifestum est quòd generatio non est motus, sed mutatio.* Vbi S. Thomas expresè duo docet: primum, generationem esse terminum alterationis: secundum, generationem non esse motum, sed mutationem tantùm. At si generatio esset actio distincta ab alteratione, non esset terminus istius, quia ad actionem non terminatur alia actio; nullaque esset ratio cur generatio motus nō sit, cùm omnis actio physica habeat rationem motus. Dum ergo docet generationem esse alterationis terminum, & non habere rationem motus, consequenter docet non esse actionem ab alteratione distinctam.

30 *Secundum* testimonium afferunt ex 1.p.q.118.ar.2.ad4. illis verbis: *Homo generat sibi simile in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ.* Vbi loquens de generatione in quantùm generatio est, docere videtur illam solùm consistere in actione dispositiva, quæ fit per virtutē seminis. Sed actio illa dispositiva est indubiè alteratio. Ergo generatio in quantùm talis non est actio distincta ab alteratione. Alia item loca indicant eiusdem Angelici Doctoris: sed quæ specialem difficultatem non excitant supra hæc duo.

31 *AD I.* Testimonium iam cōstat ex dictis *à num.*5. nihil obesse quod generatio dicatur terminus alterationis, vt distincta & propria actio sit. Solū enim est terminus alterationis quatenus hæc ad illam ordinatur, tāquam ad finem inspectum principaliter à naturā: quo sensu non repugnat vnam actionem terminari ad aliam; vt patet ab exemplo assensus præmissarum, qui ordinatur ad cōclusionis assensum, & in actibus voluntatis tendentis ad assecutionem finis, quorū vnus ordine quodam terminatur ad alium, & succedit alteri. Quod verò generatio excludatur à ratione motus, non probat excludi debere a ratione propriæ actionis; nam ad motum plura requiruntur, quàm ad actionem, vt explicuimus in Physicà *disput.*32.*sect.*1. disputātes, ad quæ prædicamenta detur per se motus. Id que patet in nutritione, quæ est vera actio terminata ad substantiam, cum tamen in communi sententia, & ipsorū quibuscum disputamus, non detur ad substantiam per se motus. Quòd si verò S. Doctor aliquando insinuat alterationem habere duos terminos, scilicet, qualitatem & formā substantialem, vt reverà insinuat *Quodlib.*7. *ar.*9. intelligendus est, non de duobus terminis, quorum vnus resultet ex alio; sed quorum alter pònatur ex vi novæ actionis, consecutæ tamen ad exigentiam alterationis, sicuti novus conclusionis assēsus consequitur ad assensum præmissarū, & omnis forma ad exigentiam dispositionum.

32 *AD II.* Testim. de generatione hominis, *Resp.* hominem generare sibi simile in quantùm per virtutem ipsius disponitur materia; non producendo formam, aut illam educendo, vt in aliorū generationibus fit: sed quia disponendo materiam vnit illi formam, ipsamque attingit prout vnibilem cum materiā. Quod disertè hoc ipso sensu exponit idem Angeli-

gelicus Doctor q. 3. de Potentia ar. 9. ad 6. inquiens: *In alijs generationibus generans est causa ipsius formæ: in animâ autem rationali est causa vnionis talis formæ ad materiã per hoc quòd disponit materiam ad eam: nec oportet quòd sit causa ipsius formæ.* Manifestè ergo sentit, in alijs saltem generationibus præter humanam, agens, sive generans, non solùm causare dispositiones ad formam, sed etiam producere formam actione distincta ab eâ, quâ producit dispositiones. Alias enim, si agens solùm habet generare formas materiales, quatenus producit dispositiones, quibus annexa est naturaliter forma, & non exhibendo actionem propriam in ipsam; etiam dici posset causa animæ rationalis, quia producit dispositiones habentes cùm ea naturalem connexionem.

33 *DICES:* Ergo saltem homo in generationẽ alterius hominis solùm exhibet concursum, seu actionem alterativam, quâ posità generatio resultet, quãque substantia genita consequatur vt quid annexum, & absque novâ actione. Hoc autem posito, corruunt præcipua ferè argumenta, quibus sectione præcedẽti vniversim probavimus compositum substantiale *in fieri* exigere actionem ab alteratione distinctam. *RESP.* Negando consequentiam. Licèt enim homo generans non producat formam substantialem alterius hominis (quod solum negat S. Tho. allegatus) adhuc producit vnionem animæ ad corpus; non quidem prout se tenet ex parte ipsius animæ; sic enim procedit à Deo creante animam intra corpus; sed ex parte materiæ. Non enim homo generans producit solùm dispositiones; sed etiam & vlteriùs facit materiam subesse formæ, & animam ipsam quatenus forma corporis est, cõmunicari materiæ: quod sine dubio exigit actionem ab alteratione præcedenti distinctam.

34 *PROBANTII.* Ratione. Nulla enim assignari potest causa immediata generationis substantialis, si sit actio distincta ab alteratione. Cùm ergo substantialis generatio debeat habere causã seu virtutem immediatè sui productivã, erit indistincta in ratione actionis ab alteratione, & quid naturaliter ad ipsius positionem resultans. Probatur antecedens. Si enim substantialis generatio sit actio distincta ab alteratione, causa illius immediata non poterit esse substãtia, quia hæc immediatè activa non est; neque etiam accidens, quia accidens non potest elicere immediatè actionem substantialem distinctam ab accidentali. Non enim potest accidens elicere immediatè actionem, quam non continet in propria virtute formaliter, aut æquivalenter. At non continet in propria virtute formaliter aut æquivalenter actionem substãtialem, sed solùm accidentalem. Non ergo potest accidens immediatè elicere actionẽm substantialem, qualis debet esse generatio, si semel distinguatur ab alteratione in ratione actionis.

35 *DICES* Posse accidens immediatè elicere substantialem actionem, non virtute propria, & principali, sed instrumentali solùm, & vt motum à substãtiâ. *SED* Contrà. Posito enim iuxta sententiam D. Thomæ substantiam non esse immediatè operativam; sicut ab eâ prodire nequit immediatè actio, sic etiam neque motio. Nunquam ergo virtus accidentalis poterit immediatè elicere substantialem actionem, adhuc instrumentaliter & ex motione substantiæ. Solùm ergo producit substantiam, quatenus in genere causæ principalis producit dispositiones, quibus positis, per simplicem emanationem, sive naturali sequela resultet substantia genita.

36 *RESP.* Negando antecedens. Ad probationem concessio antecedenti quò ad primam partem nego illud quò ad secundam: quia licèt accidens non possit virtute propria elicere actionem, seu generationem substantialem, potest tamen virtute substantiæ, & veluti instrumentum ipsius. Diversimodè enim comparatur accidens operativum in ordine ad aliud accidens, quàm ad substantiam producendam: ad illud enim comparatur vt causa principalis, seu virtute propriâ operans; ad substantiam verò, vt instrumentum generantis, & in virtute substantiæ ipsius. Quæ solutio & doctrina est expressa D. Thomæ 3. *contra Gent. cap.* 69. & 1. *p. q.* 115. *ar.* 1. *ad* 5. Verum quidem est, accidens, vt producat instrumentaliter substantiam, indigere motione causæ principalis, sive substantiæ generantis. Hæc tamen motio non est quid superadditum virtuti accidentali, & seorsim procedens à substantia operantis: nam, vt rectè in obiectione colligitur, fieret inde substantiam esse immediatè operativam:

sed

sed tantùm est ipsa virtus accidētalis, quatenus orta, & redicata in ipsâ substantiâ generantis, veluti instrumentum ipsius connaturale; in quo differt ab instrumentis artificialibus, & strictè dictis, quæ motione superaddita indigent.

37 Quod planè docet idem S. Thomas *q. de Animâ art.* 11. *ad* 2. *& 1. p. q.* 118. *ar.* 1. *ad* 2. vbi ait, loquendo de generatione viventium, in quibus eadē ratio est: *Virtus illa activa, quæ est in semine, ex animâ generantis derivata est quasi quædam motio ipsius animæ generantis: neque est anima, aut pars animæ, nisi in virtute. sicut in serrâ, vel securi, non est forma lecti, sed motio quædam ad talem formam. Et ideo non oportet quòd ista vis activa habeat aliquod organum in actu: sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine.* Vbi duo adnotanda sunt: alterum, eandem virtutem activam, quæ residet in semine, appellari à D. Thomâ, non *motionem* absolutè, sed *quasi motionem*; cùm tamen ab ipso dicatur absolutè *motio*, quam accipit serra, vel securis ab artifice, vt inducat formam lecti: alterum verò, illam quasi motionem virtutis activæ derivatæ ab animâ, solùm exponi à D. Thomâ, per hoc quòd derivata sit ab animâ generantis. Igitur ex mente ipsius lōgè differt instrumentum strictè dictum, seu artificiale, à connaturali: quia primum indiget motione superaddita, & seorsim impressâ ab artifice, vt operetur artefactum: secundum verò absque superadditâ motione constituitur sufficienter potens ad producendam substantiam ex eo præcisè quòd ab animâ, sive à substantiâ generantis emanaverit, veluti virtus propria & connaturalis ipsius. Ergo de primo ad vltimum, ex eo quòd generatio substantialis procedat immediatè à virtute accidentali, ac proinde sit actio propria, & distincta ab alteratione, malè colligunt Adversarij substantiam fore immediatè operativam.

38 *INSTABIS*: Esto accidens absque motione superadditâ possit substātiam producere, tanquam instrumentum connaturale animæ, vel præcipui generantis; debet id præstare per eamdē actionem, quâ producit aliud accidens. Sed actio qua vnum accidens producit aliud, est alteratio. Ergo dato quod accidēs absque motione superadditâ possit producere substantiam, veluti instrumentum cōnaturale animæ, aut generantis, debet id præstare solùm mediâ alteratione: ac proinde non mediâ alia actione, quæ sit & appelletur generatio. Minor cum consequentiâ quo ad singulas partes, manifesta est. Maior, in quâ est difficultas, probatur. Instrumentum enim eâdem actione, quâ attingit, seu producit effectum sibi proprium, prout elevatâ, attingit terminū principalis agentis: neque vlla præterea actio adscribitur serræ aut securi in operationem lecti, veluti effectus præcipuè inspecti ab artifice, quàm actio vtriquè propria findendi, & scindendi. Ergo similiter, licèt accidens possit producere substantiam veluti instrumentum connaturale animæ, sive præcipui generantis, debet id præstare per actionem sibi propriā, quâ producit aliud accidens.

39 *VERVM* Obiectio, siquid probat, ab ijsdem Aqversarijs solvēda est. Probat enim generationem non esse terminum resultantem ex alteratione, sed eamdem omnino actionem cum illâ, & directè terminatam ad producēdam substantiam: quod ipsi, & merito, negant. Nam serra & securis per eandem omnino actionem sibi propriam findendi, & scindendi, prout elevatam ab artifice, operantur artefactum, ita vt operatio artefacti non resultet ex dictis actionibus, neque terminus illarum sit, sed idem omnino cum ijs. Ergo si pariter de instrumēto substantiæ vnius ad generationem alterius substantiæ discurritur, generatio nō erit terminus resultans ex operatione propriâ accidentis, quæ est alteratio; sed erit eadem omnino actio cum ipsâ. Vnde rursus sequitur accidens immediatè per suam propriam actionem producere substantiam: quod ipsi angue & cane peius arbitrantur.

40 *RESPONDEO* itaque negando maiorem. Vt enim præmisimus *num.* 13. alteratio non est ipsa actio instrumentalis, quæ ex subordinatione ad agens principale producit substantiam: sed alia actio prævia, & recepta in compositō præcedenti, producensque in illo dispositiones parantes viam ad introductionē formæ. Postea verò sequitur actio instrumentalis productiva substantiæ, immediatè procedēs à virtute accidentali vt elevata, sive vt subordinata, principali agenti, & mediatè ab ipsa substātia agentis, sive adhuc existat formaliter & in se ipso; sive virtualiter solùm & in illo effectu,

ctu, seu virtute accidentali orta à se. Itaque virtus eadem generantis duplicem actionem præstat, primam in virtute propriâ circa dispositiones, quæ est alteratio; secundam in virtute generantis circa substantiam rei genitæ, quæ dicitur generatio. Ad probationem maioris transeat, instrumentum strictè dictum eadē actione, quæ sibi propriâ est, prout elevatâ, attingere effectum principalis agentis. Instrumentum verò connaturale agentis in ordine ad effectum principalem illius producendum debet habere diversam actionem ab eâ, quam circa proprium & accidentalem effectum habet.

41 Huius verò disparitatis si rationem petas, nullam aliam assignat Ioānes à S. Thomâ vbi suprà *in fine articuli*, quàm quòd necesse sit corrumpi dispositionem præviam per productionem formæ principalis. Quasi hoc ipso, vltra actionem dispositivam necessaria non sit alia actio virtutis instrumentalis præcipui agentis, ad effectum principalem illius producendum.

42 *SED* Quis non videat insufficientiam huius disparitatis & solutionis? Argumentum enim contendit virtutem agentis principalis eâdem operatione, quæ sibi propria est, vt subordinatâ principali agenti, debere producere effectum ipsius præcipuum, qui est substãtia: sicuti instrumentum artificis eâdē actione, quæ sibi propria est, vt elevatâ, producit effectum præcipuè ab artifice inspectum. Huic autem obiectioni, sanè difficili, non satis occurritur asserendo virtutem connaturalem agentis substantialis, præ instrumento artificis, debere corrūpi per productionem effectus principalis. Hinc enim manifestè colligi videtur, dispositiones ab agente principali productas, seu virtutem ipsius instrumentalem, non posse elicere illam aliam actionem, quæ ab ipso Authore dicitur, & est generatio. Nam virtus proxima iam corrupta, & in rerum naturâ non existens in instanti A. generationis, nequit elicere actionem aliquam, neque principaliter, neque instrumentaliter, vt suprà demonstratum est. Sed iuxta ipsum virtus proxima generantis in instanti A. generationis iam corrupta est, & in rerum naturâ non existit. Ergo in eo instanti nullam elicere potest actionem, neque principalem & sibi propriam, neque aliam instrumentalem in virtute generantis. Si autem in instanti A. generationis existit virtus instrumentalis præcipui agentis in ordine ad producendam substantiam, cur virtus illa per actionem sibi propriam, vt præcipuo agenti subordinatam, non poterit inducere, seu attingere principalem eius effectum? Hoc enim quærit obiectio præiacta, à pari iustrumentorum artis.

43 *QVARE* Aliter iuxta dicta *num. 8. & 10.* asserendum est non posse virtutem accidentalem eâdem actione, quâ proprium effectum causat, producere substantiam in virtute principalis agentis: quia sive actio illa, quæ est alteratio, existat, sive non, in instanti generationis, adhuc debet dari actio aliqua per se, ac directè tendens in substantiam, vt in rerum naturâ existat; cùm substantia sit effectus potissimè à naturâ inspectus. Proindeque satis non est assignare actionem illam propriam virtutis accidentalis, qua per se tendit in aliud accidens, veluti principalis causa: sed vlteriùs oportet superaddere actionem aliam ex instituto naturæ tendentem ad ponendam in rerum naturâ substantiam, quæ à virtute accidẽtali procedat tanquam ab instrumento, & immediatè; à substantia verò agentis, tanquã à causa principali & mediatè. Circa artefactum verò in quãtùm tale sufficit actio artificialis: ac proinde non requiritur in instrumento artis alia ab ea, quæ connaturalis est ipsi instrumento, vt elevatâ per motionem artificis; quia sub eâ consideratione iam est actio artificialis, ac distincta ab omni aliâ purè naturali, & à se ipsa vt nudâ ab omni motione superadditâ.

44 *REPLICABIS*: Potest eadem actio instrumenti vt præscindens à motione esse propria ipsius, tanquã principalis causæ, & vt stat sub motione esse instrumẽtalis actio alterius præcipui agẽtis. Ergo similiter potest alteratio vt præscindens à subordinatione, sive motione substantiæ, esse actio ptopria accidentis; & quatenus stat sub motione, sive subordinatione, esse actio instrumentalis relatè ad substantiam. *RESP.* Negando consequentiam & paritatem: quia in actione naturali esse artificialem non est differẽtia aliqua essentialis, sed accidentalis tantùm, & per ordinem ad effectum nõ inspectum per se a naturâ. Vnde eadē actio naturalis, & quæ alias propria est instrumenti

menti vt præscindentis à motione, potest secundàrio reddi artificiales ex motione accidentaliter superaddita. At enim vero in actione productivà substantiæ esse generationem, non est differentia aliqua accidentalis, aut consecuta; sed primaria & essentialis: quia aliqua debet esse actio ex primaria & essentiali ratione tendens in productionem substantiæ, vtpotè effectùs potissimùm à naturâ inspecti. Non ergo sufficit actio propria accidentis vt subordinata substantiæ agenti, quia sub hac consideratione non addit differentiam aliquam essentialem.

45 *SED* Adhuc insurgit gravissima difficultas. Quomodo enim virtus accidentalis poterit præstare actionem aliam à sua propria, & purè instrumentalem, in instanti generationis? Nulla enim virtus præstare potest actionem propriè dictam, nisi in eo instanti quo in rerum naturâ existit. Sed iuxta sententiam infrà statuendam de resolutione vsque ad materiam primam, virtus accidentalis, de quâ loquimur, in instanti generationis iã non existit, quia recipiebatur in composito corrupto, & iam non existente. Ergo virtus illa accidentalis præstare nõ potest actionem propriè dictam in instanti generationis. Aliunde nulla virtus est, nullaque assignari valet causa, à quâ in eo instanti procedere possit immediatè generatio, si actio propria est. Ergo cùm nulla actio propria existat, nisi procedens immediatè ab aliqua virtute in rerum naturâ existente, generatio non erit propria & vera actio. Erit ergo solum aliquid ex alteratione resultans, ac proinde indistinctum ab eâ in ratione actionis.

46 *COETERVM* Huic difficultati, quanquam gravi, tenentur etiam satisfacere Authores contrariæ opinionis, & quicumque tradũt in corruptione substantiali fieri resolutionem vsque ad nudam materiam. Sive enim generatio sit actio distincta ab alteratione, sive solùm terminus naturaliter ex illius positione resultans, pro instanti ipsius debet existere causa, sive virtus proxima, aut actio, à quâ immediatè procedit, resultatve: quia repugnat effectum accipere esse in eo instanti, in quo eius causa immediata, & causalitas, mediâ quâ procedit, non existat: vt satis ostendimus *in Physic. d. 1. sect. 3*. Sed sive generatio sit actio distincta ab alteratione, sive solùm terminus naturaliter ex illius positione resultans, nulla existit causa in instanti generationis, seu virtus proxima, aut actio, à quâ generatio procedat, resultetve. Omnis enim actio, & virtus proxima, & causa, quæ præcessit, iam desijt esse per corruptionẽ subiecti. Non ergo existere poterit in illo instanti generatio, sive illa asseratur distincta actio ab alteratione, sive indistincta & naturaliter ex illius positione resultans. Ab actione enim in rerum natura nõ existente, nihil immediatè resultare potest.

47 *QVARE* Iuxta ea quæ latiùs dicam infra *disput. seq. à num. 49. vsque ad 53*. vbi rem ex professo discutio, asserendum est, actionem instrumentalem immediatè productivam substantiæ, & ab alteratione distinctam, non elici immediatè ab illa virtute accidentàli, quæ existebat in composito præcedente, & iam corrupto in instanti generationis, vti evidenter obiectio probat: sed ab aliquâ parte eiusdem virtutis, quæ corrupta non est, & adhuc perseverat in parte proximiori effectui noviter genito. Illa enim non recipiebatur in composito præcedenti, quãtùm ad id in quò destructum est; sed vel in aliquâ eius parte proximiore effectui, si sit compositum inanimatum, & quod possit ex parte aliquâ permanere, corruptis cœteris: vel, si sit compositum vivens, & quod indivisibiliter dissolvatur, existet illa pars virtutis in aliquo subiecto permanente adhuc & proximiore effectui producto, nimirum, cadaveri. Sed ne eadem postea repetamus, vide tradenda eo loco numeris allegatis, præsertim vltimo ipsorum: cuius doctrina maximè notanda est.

48 *PROBANTIII.* Si generatio est actiò distincta ab alteratione, illius subiectum non erit compositum præcedens, sed màteria prima. Nullum enim aliud assignari poterit. At materia prima nequit esse generationis subiectum. Ergo generatio non est actio distincta ab alteratione. Probatur minor. Si enim generatio est actio distincta ab alteratione, generatio erit accidens: cùm id sit de ratione àctionis. At nullum accidens iuxta sententiam Thomistarum recipitur in materiâ primâ, sed in toto composito. Ergo si generatio est actio distincta ab alteratione, nequit materia prima esse generationis subiectum.

HOC

49 *HOC* Argum. tangit difficultatem postea expediendam de subiecto generationis substantialis. Nunc breviter dico illam posse considerari in ratione mutationis, & sic habere pro subiecto solam materiam, quia hæc sola trãsmutatur in generatione ab vno esse in aliud. Si autem consideretur vt accidens inhærens, seu in ordine ad subiectum inhæsionis, illud est totum compositum per generationem productum. Et hoc quidẽ in sententia satis probabili. In alia vero magis probabili & receptissimà, adhuc inter Thomistas, nullum reputatur absurdũ quòd accidens aliquod purè viale, & vnico instanti durans, in materià nudà recipiatur pro priori ad substantialem formã. Neque inde colligũtur incommoda, quæ deduci solent ex eo quòd materia immediatè reciperet aliquam formam accidentalem & permanentem.

50 *COLLIGITVR* Ex dictis. I. Generationem non esse sitam in alteratione præcedente, vtpotè quæ iam in rerum naturà non existit: neque in illa cõcomitante generationem pro instãti reali in parte proximiore formæ genitæ, vt dicebamus *num.* 47. sed in aliâ realiter essentialiterque distinctâ, quæ à solâ virtute accidentali immediatè ortum ducit, & mediatè a substantiâ agentis principalis, II. Generationem non esse substantiam modalem, vt aliqui existimant, sed verum accidens: quia repugnat veram actionem creatam identificare secum rationem substantiæ. III. Omnes illas formalitates eductionis formæ, vnitionis extremorũ, productionisque totius, & conversionis ab vna formà in aliam, esse eamdẽ actionem indivisam cum generatione, licèt explicatam penes diversa munera, seu cõnotata; quia omnia illa præstari possunt ab eàdem actione, & actiones multiplicandæ non sunt absque necessitate: maximè cùm actio, quæ omnes prædictas denominationes subit, procedat ab vnicâ virtute operativa, & in ordine ad eundẽ terminum. Vide quæ diximus *in Physica disp.* 19 *sect.* 3.

DISP. QVADRAG. NONA.

DE CORRVPTIONE SVBSTANTIALI.

Vtrùm in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?

Nnm. 1. *DISPVTATIO Hæc à multis sæculis celeberrima est inter Philosophos, & in eâ quæritur vtrùm quando generatur aliquid substantialiter, materia spolietur non solùm formâ illâ substantiali quæ præcessit sed etiam quibuslibet accidentibus, cuiuscunque rationis essent. Porrò materiam in generatione denudari ab omni formâ substantiali præcedente, manifestum est: quia per generationem accipit novam formam substantialem, cum quâ infœderabilis est omnis alia substantialis forma, saltem naturaliter, vt ostendimus* disp. 9. Physicæ. *Quare solùm superest difficultas de formis accidentalibus, an simul cum formâ substantiali præcedente corrumpãtur. Seu discedant à materiâ quando hæc recipit novam substantialem formam. Quod alijs terminis examinari solet, an eadem accidentia permaneant in genito, quæ fuerant in corrupto. Pendet verò maximè resolutio huius difficultatis ab investigatione subiecti accidentium. Qui enim asserunt illud esse materiam primam, non verò substantiale compositum facilè & cohærenter docent, accidentia corrupti posse perseverare in genito; cùm subiectum inhæsionis illorum, quod est materia prima, perseveret. Qui verò è contrà existimant subiectum accidentium esse totum, sive compositum substantiale, consequenter existimant corrupto composito non manere accidentia, & proinde fieri resolutionem vsque ad materiam primam. Quanquam nonnulli Recentiores nolint eam illationem esse legitimam, & contendant, adhuc dato compositum substantiale esse subiectum inhæsionis, posse persistere in genito accidentia quæ fuerant in corrupto. Modò tamen investigandum nõ est, quod nam sit subiectum accidentium, sed differendum in sequentem disputationem. Controversia præsens locum habet apud Arist.* lib. 1 c. 4. textu 24. & lib. 2. cap. 4. textu 29.

SE-

SECTIO PRIMA.

Proponitur sententia negans fieri resolutionem vsque ad materiam primam, eiusque fundamenta quædam enervantur, quædam multipliciter vrgentur.

2 NON Fieri in corruptione substãtiali resolutionem vsque ad materiam primam, sed perseverare in genito eadem accidentia numero quæ fuerant in corrupto, est sententia plurimorum Authorum Veterum, quos plenà manu Recentiores allegant, & sequuntur P. Suarez *disp.* 14. *Metaph. sect.* 3. Pererius *lib.* 5. *Physic. c.* 18. Arriaga *disp.* 5. *Physic. n.* 11. & in præsenti Toletus, Averfa *q.* 21. *sect.* 7. Oviedo *controv.* 1. *puncto* 3. Lalemãdetus *disp.* 10. *part.* 3. *n.* 16. Spinula *disp.* 1. *sect.* 3. Sancta-Crucius *disp.* 1. *q.* 1. *sect.* 3. Qniros *disp.* 70. *q.* 1. Tellez *disp.* 71. *sect.* 4. Hemelman *tract.* 11. *disp.* 6. Oregius, Castelvi, Caprinus, plurefque alij, Richardus Lynce *lib.* 5. *Phys. tract.* 5. *cap.* 2. & RR. litteratissimusque P. Didacus de la Fuente Hurtado, diu in Regio Salmant. Societatis Collegio Theologiæ Professor celebris, ac Præfectus Studiorum; nunc eiusdẽ meritissimus Rector, *in Phys. diff.* 24. *c.* 2.

3 *PROBANT I.* Ex Aristot. hoc *lib.* 1. *de Generat. cap.* 4. *textu* 24. vbi videtur docere quędam accidentia permanere in genito, quæ fuerant in corrupto. Inquit enim: Ἐν δὲ τούτοις ἑαυτὶ ὑπομένη πάθος τὸ αὐτὸ ἐναντιώσεως ἐν τῷ γενομένῳ, καὶ ἐν τῷ φθαρέντι, &c. *Cæterum in hisce si qua è contrarietate affectio eadem remaneat in eo quod ortum est, quæ priùs in eo quòd interijt, erat; ceu cùm ex aëre fit aqua, aëris perspicuitas, aut frigus in aquâ remaneat; affectionum alterutram eius esse, in quod mutatio fiat, minimè oportet.* Supponit ergo Philosophus posse fieri, vt quando ex aëre fit aqua, perspicuitas aëris maneat in aqua; & è contrà quando ex aquâ fit aer, frigiditas aquæ maneat in aëre; & quidem neutram illarum affectionum esse propriam geniti, sed potiùs corrupti. Ergo ex mente Aristotelis affectio propria corrupti manet in genito, ac proinde non fit resolutio omnium accidentium seu affectionum in generatione & corruptione substantiali. Idemque videtur tradere *infrà lib.* 2. *c.* 4. *textu* 29.

4 *CONFIRMATVR.* Aristoteles enim expertus est manere diaphaneitatem & frigiditatem aquæ corruptæ in aëre genito (quæ duo sunt accidentia vtrique subiecto communia) & facilius fieri transitum elementorum symbolorum, quàm dissymbolorum inter se: quia in generatione aëris v.g. ex aqua, vna tãtùm qualitas vincenda & corrumpenda est; nempe, sola frigiditas; remanente humiditate communi: in dissimilium verò generatione, vtraque qualitas corrumpi debet, ideoque difficilior redditur. Quod & reperit *textu* 27. Ergo tam authoritate, quam experimento Aristotelis evincitur, accidentia quæ fuerant in corrupto, persistere eadem numero in genito.

5 *RESPONDEBIS* Ex D. Thomâ ibidem *lect.* 10. diaphaneitatem & frigiditatem aquæ corruptæ non permanere eandem numero in aëre genito; sed solùm resultare aliam similem, seu eandem identitate similitudinis specificæ, quæ reperitur inter qualitates elemẽtorum aquæ & aëris. Ideoque Doctor Angelicus post expensa ea Philosophi verba, concludit: *Dicendum ergo, quòd non manet idem numero; sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti; recedente formâ, quæ priùs erat talis accidentis; & advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem, vel accedentem.*

6 *SED* In oppositum instari potest. Si enim non maneat eadem numero qualitas, sed specie tantum; in elementis similibus non erit facilior transitus vnius in aliud, quàm in elementum dissimile: quod tamen expressè adversatur Philosopho *ibidẽ*. Sequela probatur: quia si in quo libet elemento, vt trãseat in aliud, necessum est removeri omnia accidentia in individuo, quotquot in illo præexistebant; oportebit omnia in eo removeri vsque ad materiam primam, nullo alio permanẽte. At nihil ampliùs removere opus est, vt transeat vnũ elementũ dissimile in aliud. Ergo non erit facilior transitus vnius elementi in aliud simile, quàm in aliud dissimile. Præterea videtur sequi ex solutione data, simile corrũpendum iri à suo simili: quia generans corrũpit id quod prius erat; ac proinde si in elementis similibus, corrupto & genito, solũ sunt similes qualitates; vnũ simile corrũpetur ab alio simili.

7 *VERVM* Hæ impugnationes

non vrgent, & vtraque illarum proponitur ac ſolvitur eodem loco à D. Th. Ex cuius doctrina negatur ſequela: quia licèt tam in generatione vnius elementi ſimilis, quàm diſsimilis ex alio, debeant omnia removeri vſque ad materiam primã; qualitates ſimiles vtriuſque non habent repugnantiam in agendo & patiendo; quæ tamen invenitur inter qualitates diverſas elementorũ diſsimilium, ſeu aſymbolorum, vt frequenter dicitur. Patet ergo, non obſtante numerica diſtinctione accidentium in genito & corrupto, faciliorem eſſe tranſitum vnius elementi in aliud ſimile, quàm in aliud diſsimile. Ad vlteriorem inſtantiam reſpondetur cum eodem S. Doctore, non eſſe inconveniẽs quòd ſimile corrumpat ſuum ſimile per accidens, corrũpendo ſubiectũ cui inhæret; ſicut maior flãma conſumit minorẽ abſumendo ſubiectum minoris flammæ.

8 *PROBANT II.* Quia ſi quantitas geniti v.g. eſſet numero diſtincta à quãtitate præexiſtente in corrupto, deberet eſſe aliqua illius cauſa efficiens. At hęc aſſignabilis non eſt. Ergo quantitas geniti nõ eſt diſtincta numero à quantitate corrupti. Probatur minor: nam in cadavere v.g. non eſt aſsignabilis efficiens cauſa illius quãtitatis, ſi numero diſtincta ſit. Nõ enim alia quantitas eſſe poteſt, cùm quãtitas activa non ſit; neque etiam qualitas corporea, quia hæc eſt poſterior quantitate; neque forma ſubſtantialis, cùm immediatè operativa non ſit, & præterea aſsignari non poſsit ſubſtantialis forma communis omnibus rebus corporeis, quẽadmodum aſsignatur quantitas communis omnibus. Nulla ergo cauſa efficiens aſsignari poteſt quantitatis, ſi numero diſtincta ſit in cadavere ab ea quæ præextitit in vivente. *CONFIRM.* Si enim quãtitas fieret de novo in materia cadaveris, fieret in illa, vt priùs natura eſt nõ quãta & indiviſibilis: quod planè repugnat.

9 *SED* Hæc ratio nullius roboris eſt: cùm facilè reſponderi poſsit exiſtere cauſam efficientem illius quãtitatis, ſcilicet, agens extrinſecum, quod producit formã cadaveris, & ſubinde quantitatem ab ea reſultantem naturali emanatione, quemadmodum intenſio frigoris emanat naturaliter ab aqua vbi ſe reducit in priſtinam frigiditatem. Neque inde infertur, omnibus formis aſsignari debere aliquam formã ſubſtantialem comunẽ. Sufficit enim convenientia omnium formarũ in ratione formæ ſubſtantialis, vi cuius, ſicut exigunt materiam, ita & quantitatẽ. Neque demũ quidquam abſurdi eſt in hoc, quod quantitas producatur in materiã prius naturà non quanta. Nam id in omni opinione affirmandum eſt: & iuxta illam, quæ ſtatuit quantitatem eſſe coævã materiæ, neceſſum eſt quantitatẽ a principio fuiſſe factam in materia non quanta pro aliquo prioti naturæ ad ipſam quantitatem, ac proinde non diviſibili pro illo priori. Sufficit enim ſecundùm illam prioritatẽ quòd in materia præintelligatur capacitas ad quantitatem, & diviſibilitatem, quà ratione intelligitur præſupponi extenſa & diviſibilis negativè, ſeu per non repugnantiã, vt in poſteriori naturæ ſigno formaliter extẽdatur, & diviſibilis reddatur.

10 *IDEO* Alij communiter non de quantitate cadaveris, ſed de qualitatibus eius, idem argumentũ maiori longè contentione vrgent. Qualitatũ enim exiſtentium in cadavere, ſi diſtinctæ ſint à qualitatibus præexiſtentibus in vivente, nulla cauſa efficiens aſsignari poteſt. Nõ enim fieri poſſunt per naturalem reſultantiã a forma ipſa cadaveris, vt modo de quantitate dicebamus; quia ſœpe nõ ſunt illi cõnaturales ſicut quãtitas, ſed peregrinæ & extraneæ, vt cicatrices, & calor, qui propterea breviter diſsipatur, & diu cum ipſa forma cadaveris non perſiſtit. Neq; etiã procedunt ab extrinſeco agente; quia interdũ nullũ eſt agens circunſtans, aut proximũ, quod poſsit inducere tantũ calorẽ, aut tale tẽperamẽtũ, quale manet aliquo tẽpore in cadavere hominis: maximè quãdo mors eſt violenta, vt per ſuffocationẽ, aut iugulationẽ. Non enim aqua, aut gladius, communicare poſſunt calorem illum, aut temperamentum; cùm nihil eius in ſe habeant, & nemo poſsit præſtare id, quod in ſe non habet, maximè in genere cauſæ efficientis. Imò in ijs caſibus vix aſſignare poſſumus cauſam efficientẽ particularẽ, à qua cõſentaneo modo procedere poſsit forma cadaveris; ideoq; ad cauſas vniverſales cõfugim⁹, quib⁹ vniverſim curę eſt, ne materia ſpoliata maneat omni formà ſubſtãtiali. In prædicto autẽ calore, & qualitatib⁹ peregrinis formæ cadaveris, nõ vrget hæc ratio: cũ talis forma cõnaturaliter illas nõ exigat, nec ei débitus ſit concurſus cauſarum vniverſaliũ ad accidentia præternaturalia. Nec denique

illę

ille calor & ſimiles qualitates provenire poſſunt à ſpiritibus vitalibus, aut ab humoribus, præſertim à ſanguine: tum, quia de ijſdē ſpiritibus & humoribus procedit argumentum, & contendit non diſtingui numero in cadavere ab ijs, qui præceſſerunt in vivente; quia cadaveri ſunt extranei, & nulla cauſa illorum idonea aſſignari poteſt: Tum rurſus, quia tēpus, quo durare poſſunt ſpiritus vitales, aut humores in cadavere, breviſsimū eſt; cicatrices autem & alia accidentia diutiùs permanēt. Ergo neque a ſpiritibus vitalibus, neq; ab humoribus, proveniunt cicatrices, & accidentia illa, quæ diutiùs permanent in cadavere.

11 *CONFIRMAT* Suarez *vbiſuprà n.* 22. Quia hæ qualitates intenſibiles & remiſsibiles, & habentes contrarium, quarum plurimæ in cadavere inveniuntur, ſi non manant ab intrinſeca formà, ſed per extrinſecam alterationem fiunt, non fiunt ſubitò in gradu intēſo, ſed paulatim; quoniam, & intrinſeca forma, & alia corpora circunſtantia reſiſtunt. At videmus eiuſmodi qualitates manere in inſtanti mortis in magna intenſione. Ergo veroſimile non eſt tūc ſubitò fieri per ſe media actione extrinſeci agentis. Igitur cū aliūde nō fiant media emanatione intrinſeca à forma cadaveris, ſignū eſt tunc nōn fieri, ſed eaſdem numero manere, quæ antea erāt. Nec ſufficit cū aliquibus dicere, neceſſariā non eſſe cauſam efficientē earum qualitatū, quia naturali ſequela ſuccedūt pereuntibus ſimilibus qualitatibus. Non, inquā, ſufficit: nam in ijs verbis involvitur repugnantia. Quid enim ſignificatur nomine naturalis ſequelę? Aut enim denotatur ſucceſsio neceſſaria vnius poſt aliud, aut naturalis dimanatio vnius ab alio. Si hoc poſteriùs ſignificetur, illamet dimanatio eſt quædā efficientia, & ideo repugnantia involvitur: ac præterea oſteſum manet, nullum eſſe principiū vel formā, à quà ſit talis emanatio. Si verò dicatur prius; oportet in primis reddere rationem illius neceſſariæ ſucceſsionis. Nō eſt autē ſufficiens ratio quod præceſſerit ſimilis qualitas, vt propterea alia qualitas ſimilis ſuccedat, ſi ſubiectū omnino mutatur; & quod ſuccedit priori ſubiecto nō exigit ſimilē qualitatē; qualiter forma cadaveris non exigit calorē illum, nec cicatricē. Et præterea omnis neceſſaria ſucceſsio exigit cauſam efficientē: nam quod ſuccedit alteri fit de novo. Ergo ab aliquo fit. Ergo vel per intrinſecā reſultantiā, vel per extrinſecā efficientiam. neque enim aliter intelligi poteſt naturalis ſequela. Cùm ergo interdū ac ſæpe non interveniat talis cauſa intrinſeca vel extrinſeca; ſignū eſt, non eſſe ibi naturalem ſequela; ſed permanentiam eiuſdē numero diſpoſitionis, vel qualitatis, Quòd ſi verò eadē qualitas manet; ergo & quantitas: nam cùm talis qualitas corporea ſit, & inhæreat media quātitate, non poteſt qualitas manere, niſi eadem numero quantitate manente. Igitur in generatione ſubſtantiali perſeverant in genito eædem numero qualitates & quantitas, quæ præextiterant in corrupto.

12 *VERVM* Neque argumentū hoc vrget nimiùm. Reſpōderi enim poteſt ex doctrinā D. Th. *vbiſup.* illas qualitates & accidētia quæ erant in corrupto, non eſſe eaſdē numero in genito, ſed ſolùm ijs ſimiles: quia aliquæ formæ habent talē affinitatē inter ſe, vt exigant ſimilia accidentia, præſertim in principio ſuæ generationis, quando nondū obtinent omnem ſuam perfectionē; & inter eiuſmodi formas eſt facilis tranſmutatio, vt aèris, in aquā, aquæ in aerē, embryonis in animal, animalis in cadaver. Vnde cùm materia ſub formà animalis exiſtens, & affecta diſpoſitionibus ad formā cadavericā præparantibus, ſit quaſi in via ad illam, exigit accidentia in genito ſimilia ijs, quæ præceſſerant in corrupto: ac proinde ſimilem calorem, & qualitates, & vniverſim accidentia, quorum capax eſt corpus mortuum. Verùm in ijs diſtinguendum eſt. Alia namque ſunt accidentia propria formæ cadaveris, & hæc ab illa naturaliter fluunt, ſicuti vniverſim paſsiones ab eſſentia; alia verò ſunt accidentia communia, aut etiam innaturalia formæ cadaveris ſecundùm ſe, ſolumque connaturalia in individuo, ex ſigillatione materiæ per diſpoſitiones præcedentes; & hæc producuntur ab agente extrinſeco. Quemadmodum enim materia vt ſigillata diſpoſitionibus ad formam cadaveris determinat agens, vt producat formam cadaveris, quæ tamen neque in aquā ſuffocante, neque in gladio occiſoris continetur, ſed in cauſis extrinſecis & vniverſalibus; ita etiam ſigillata eiſdem diſpoſitionibus exigit productionem ſimilium accidētium communium, imò & innaturaliū

eidem formæ cadaveris secundùm se, solumque illi connaturalium prout in individuo; quamquam hęc neque in aquâ, neque in gladio occisoris contineantur.

13 *AD Conf.* cùm addit Suarez, qualitates intensas, v.g. calorem, quem experimur in recenti cadavere, non induci tunc ab agente extrinseco, quod solùm gradatim inducit accidentia præternaturalia, & non exacta à forma recenter genita; *Resp.* Operationem, seu influxum agentis extrinseci modificari & temperari per reactionem passi, à quo repatitur & determinatur vt producat aliquas qualitates, quas ex se non produceret. Vnde aliquando nimius & lethifer calor causatur in visceribus animalis ex aquâ frigidissimâ suffocante, quia licèt agens frigidum ex se non producat, nisi frigus; tamē quando repatitur à calido in interfectione animalis, potest vtrumque causare intensiorem calorem per accidens, tum in ipso animali, tum in cadavere recenti (maximè per antiperistasim, seu circumobsistētiam contrarij) cœlo se habente vt causa per se. Quare opus nō est vt ille calor recentis cadaveris gradatim introducatur, sed poterit subito induci iuxta æqualē intensionē, ac illa quæ immediatè præcesserat in vivente; quia agens extrinsecum materiā invenit pręparatam ad æqualem calorem, & similes qualitates habendas.

14 *SED* contra solutionem hanc instabis multipliciter. *Primò*: Nam posito fieri resolutionem vsque ad materiam primā, hæc denudata est ab omnibus dispositionibus, quibus affecta erat in vivente; ac proinde non magis illum calorem, illā cicatricem, cęteraque exigit accidentia cadaveris, quàm alia quælibet; cum ex se ad omnia indifferēs sit. Nec sufficit quòd illæ dispositiones extiterint in instanti præcedente; quia id non refert vt propterea debeant poni similia accidētia in hoc instanti. Nec præterea dici potest materiam in instanti præcedēti mansisse sigillatam, vt reciperet immediatè pòst hanc formam cadaveris, & subinde calorem, cicatricem, aliasque similes qualitates in cadavere ac in vivente. Nam contrà est, sigillationem prædictam merè vocalem esse, non verò realem, si entitas nuda materiæ maneat, & sine vlla dispositione illarum, quæ præcesserant in vivente, existat pro illo priori quo recipit formam cadaveris. Nam esse sigillatam materiam est aliquis effectus formalis & accidentalis, v.g. esse calidam, aut frigidam, &c. ac proinde debet provenire ab aliqua forma accidentali realiter existente, imò & formaliter intellecta in illo signo naturæ, in quo materia intelligitur sigillata. Si ergo in instanti generationis, & pro illo priori naturæ, quo materia recipit formam cadaveris, nulla est forma accidentalis earum omnium quæ præcesserant; nihil supereſt à quo mâteria sigillata dicatur. Nec denique dispositiones præcedentes conducere possunt ad præsentem sigillationem; qualiter vbicatio præcedens in motu locali conducit ad subsequentem, vt mobile transeat de vno in alium locū distantem; & duratio A. conducit ad durationem B. sequentem, quin vna alteri coëxistat. Non, inquam, conducere potest prout sufficit ad effectum dispositionis, quę nullatenus se habet vt terminus *à quo* derelictę, aut negativè & impropriè, qualiter vna vbicatio & duratio ad alteram in motu & tempore; sed vt vera causa disponens, & positivè afficiens materiā. Debet ergo cum ipsa coëxistere in omni illo instanti, quo materia dispositā, seu sigillata est. Alioqui etiam volūtas vi cognitionis præcedentis, & iam nō existendis realiter, posset dici manere sigillatā ad volendum, ac proinde velle, quin intellectę actu cognoscat: quod absurdum est.

15 *INSTABIS II.* Ex eo quod materia disponatur ad formam, & prout sic prærequiratur ad illam, colligimus manere cum forma eandem materiam. Sed etiam materia prærequiritur ad formam ignis vt vltimò dispositā, ac proinde in quantùm calida vt octo pro aliquo priori ad ipsam formam. Ergo in quantum calida vt octo materia pro aliquo priori debet manere cū forma ignis. Ergo calor ipse vt octo, qui præcesserit in materia, perseverat simul cū forma adveniēte, ac proinde idem accidens, quod fuerat in corrupto, persistit in genito. Nec occurres sufficienter huic difficultati, si dicas, calorem vt octo, quo vltimo disponitur materia ad formam ignis, non esse illum numero calorem qui erat in corrupto, sed alium succedentem, qui pro aliquo priori solius naturæ disponit vltimo ad formam ignis, & pro alio naturę posteriori procedit effectivè emanativè ab eadē forma ignis tāquā ipsius proprietas. Non, inquā, occurres satis huic difficultati: Tum quia recurris ad opi-

opinionem minùs probabilē mutuæ causalitatis inter vltimam dispositionem & formam, quæ mille difficultatibus plena est: tum etiam quia hæc quæstio ab illius resolutione nō pendet: tum denique, quia nulla videtur esse ratio cur calor præcedens in materia ligni pro instantibus præcedentibus generationem ignis non permaneat cum eadem materia, sed destruatur adventu caloris vt octo. Etenim calor ille præcedens nullam habet oppositionem cum calore vt octo, qui est in instanti generationis, sicut calor vt quinque nullatenus opponitur calori vt septē, sed idem numero persistens intenditur vsque ad septē gradus. Quare ergo non intēdetur vsque ad octo, sed destruetur adveniente octavo caloris gradu? Imò si calor vt septem componebatur cū aliquo gradu frigoris in subiecto, cur componi non poterit cū calore vt octo, qui nullam cum eo luctam, nullam oppositionem habet, sicut cum gradu quolibet frigoris?

SECTIO SECVNDA.

Eligitur opinio affirmans, & suadetur tum authoritate Philosophi ac D. Thomæ, tum ratione efficaci, præclusis Adversariorum evasionibus.

16 *NIHILOMINVS* Subscribendum est sententiæ oppositæ, quà traditur in generatione substantiali fieri resolutionē vsque ad materiam primam, nullumq; accidens manere in genito ex ijs omnibus, quæ præexiterant in corruptò. Illam docent plures, quos allegant & sequuntur Conimbricēses *libr.* 1. *de Generat.* Fonseca 5. *Metaph. c.* 28. *q.* 20. *sect.* 2. Rubio *vbi supr.* & ex Thomistis omnes, vt videre est apud Complutenses & Ioannem a S. Thoma in præsenti, qui cæteros referunt, vt proinde otiosum sit singulorum nomina exscribere.

17 *PROBATVR I.* ex Philosopho hoc *libro* 1. *de Generat. cap.* 4. *textu.* 23 illis verbis: ὅταν δὲ ὅλον μεταβάλλῃ, μὴ ὑπομένοντος αἰσθητόν τινος, ὡς ὑποκειμένου τι αὐτοῦ· ἀλλ' οἷον ἐκ σπέρματος γίνεται πᾶσα, ἢ ἐκ ὕδατος ἁπᾶς, ἢ ἐκ ἀέρος πάντος ὕδωρ, γένεσις ἤδη τοῦ τοιούτου, τὸ δὲ φθορά. *At cùm totum mutatur, nec sensibile quidquam vt subiectū, idem permanet, sed perinde evenit, vt cùm ex toto semine sanguis, aut ex totâ aquâ aër fit; iam quod est tale, generatio huius est, & illius corruptio.* Supponit ergo Philosophus nihil sensibile, ac proinde nullum accidens subiectum sensibus, remanere in genito ex ijs omnibus, quæ præexisterant in corrupto; ideoque vbi ex corruptione totius seminis generatur sanguis, vel ex corruptione totius aquæ oritur aër, fieri resolutionem vsque ad nudam materiam.

18 *RESPONDENT* Adversarij Philosophum relatis verbis solùm negare in corruptione substantiali permanentiam compositi præcedentis; non verò accidentium quæ præcesserant. Etenim non ait, in mutatione totius nihil sensibile remanere, vt inde colligeremus nullum eius accidens persistere; sed nihil sensibile permanere vt subiectum. At subiectum sensibile est ipsum cōpositum substantiale, quod idem Aristoteles solet appellare substantiam sensibilem, quatenus est subiecta sensibilitati ratione accidentium. Ergo Philosophus solùm negat in corruptione substantiali permanentiam compositi substantialis; non verò accidētium quæ præcesserunt. Ita Suarez *disp* 14. *Metaph. sect.* 3. *n.* 52. Hurtadus, Oviedo, & alij Adversariorum, communiter.

19 *SED Contrà I.* Hæc namque expositio videtur repugnans verbis & sensui Philosophi. Compositum enim substantiale in quantùm tale non habet rationem sensibilis: substātia enim, etiam corporea, secundùm hanc rationem præcisè, non est sensibilis ratione sui, sed solùm ratione accidentium. Igitur nomine alicuius sensibilis vt subiecti, de quo affirmat Philosophus non permanere in corruptione, intelligi non debet, nisi aliquid affectum accidentibus, ijsque subiectum. Igitur si iuxta Adversarios permanet materia prima affecta accidentibus, ijsque subiecta; iam permanet aliquid sensibile vt subiectum generationis & corruptionis, quod Philosophus negat. *CONTRA II.* Si eadem accidentia persisterent in genito & corrupto, iam subiectum proprium inhæsionis illorum non esset totum, sive compositum substantiale, vt communiter ferè Adversarij statuunt, quotquot negant posse idem accidens transire de vno subiecto inhæsionis in aliud: sed sola materia esset proprium subiectum inhæsionis illorum; compositū verò esset subiectum non ita proprium, & solius denomi-

nationis. Ergo materia prima esset propriè & principaliter subiectum sensibile, seu affectum accidentibus sensibilibus. Ergo si materia in corruptione & generatione manet subiecta seu affecta iisdem accidentibus sensibilibus; manebit propriè & simpliciter idem sensibile vt subiectum, contra verba & sensum Philosophi.

20 *CONTRA III.* specialiùs & fortè vrgentiùs. Per *sensibile* enim Philosophus non intelligit id, quod absolutè & sub omni consideratione non permanet; sed solùm illud quod non permanet in corruptione *vt subiectum*. At compositum substantiale in corruptione absolutè & sub omni consideratione non permanet; sola autem materia non manet vt sensibile subiectum; nam alioqui & secùndùm se, ac præscindendo ab accidentibus sensibilibus, quibus afficiebatur, manet. Ergo per *sensibile* Philosophus non intelligit substantiale compositum, sed materiam vt subiectum sensibile, seu affectam eisdem accidentibus sensibilibus. Minor cum consequentia patet. Maior probatur ex ipsdem Philosophi verbis: *cùm totum mutatur, nec sensibile quidquam vt subiectum, idem permanet*. Ergo loquitur de illo sensibili, quod solùm non permanet in ratione subiecti sensibilis, quamquam absolutè & sub alia cõsideratione permaneat. alioqui reduplicativa illa *vt*, otiosa esset; solumque diceret Aristoteles, cùm totũ mutatur, non manere sensibile totum ipsum, sive compositum; quod perinde esset, ac dicere, cùm totum semen mutatur in sanguinem, non manere illud sub accidentibus seminis; & cùm tota aqua mutatur in aèrem, non manere totam aquã sub accidentibus sensibilibus aquæ: quæ quidem propositio adeò stupida & insulsa est, vt, non dicam Aristotele, sed & vulgari Philosopho indigna sit.

21 *CONFIRMATVR*: Quia in prædicto sensu, atque opinione nostra, interpretatur Philosophum D. Thomas *ibidem lect.* 10. vbi ait ex mente ipsius: *Dicit ergo primò, quòd quando est transmutatio, non solùm secundùm passiones, sed etiam secundùm totam rei substantiam (in quãtum, scilicet, materia accipit aliam formam substãtialem; ita scilicet, quòd non maneat aliquod sensibile, quasi sit idem subiectum numero ens actu; puta, quando ex toto semine generatur totus sanguis, aut ex toto aère generatur tota aqua; nulla segregatione aut congregatione interveniente, vt Democritus posuit) talis transmutatio est vnius generatio, & alterius corruptio.* Quod & postea clariùs exprimit verbis sectione præcedenti *num.* 5. exscriptis: vt propterea de illius mente dubitare non liceat.

22 *OPPONES* Testimonium eiusdem S. Doctoris 4. *contra Gent. cap.* 81. vbi videtur expressè oppositum tradidisse, dum ait: *Materia hominis post eius mortem, quæ tali formæ fuit subiecta, manet sub eisdem dimensionibus, ex quibus habebat, vt esset materia individualis.* Non ergo materia denudatur in corruptione substantiali ab omnibus accidentibus, sed permanet saltem sub eisdem dimensionibus quantitatis, sub quibus antea erat.

23 *SED Contrà*: Illo etenim loco S. Doctor solùm occurrit argumento infidelium negantium hominis resurrectionem, eò quod plura eius principia essentialia, v.g. esse corporeum, & alia eiusmodi, deperdantur in morte hominis, ac proinde irrecuperabilia sint eadem numero. Huic autem difficultati occurrit dupliciter: primò iuxta ipsorum infidelium, ac præcipuè Commentatoris, doctrinã, asserentium eandem numero quantitatẽ perseverare in genito, quæ fuerat in corrupto: quasi argueret ad hominem S. Thomas in hunc modum: Existentibus in rerum natura ijs omnibus, quibus potissimùm componitur homo, nullum absurdum est in eo quòd idem numero homo resurgat. Sed post mortem existit anima, & corpus, & quantitas (vt vos asseritis) quibus præcipuè componitur homo. Ergo nihil absurdi est in eo quòd idem numero homo resurgat. *Secundò* autem ex mente propria respondet S. Doctor, corporeitatem dupliciter accipi: vno modo prout est forma corporis de prædicamento substantiæ; & sic corporeitatem hominis manere post illius mortem, quatenus manet rationalis anima habens tribuere esse corporeum, ex quo resultat quantitas; atque adeò posse hominem reparari quò ad gradum corporeitatis: alio modo accipi, prout est forma accidentalis, ratione cuius dicitur corpus aliquod de prædicamento quantitatis; & sic quantitatẽ nihil aliud esse, quam trinam corporis dimensionem. Quibus positis sic concludit: *Etsi igitur corporeitas in nihilum cedit, corpore humano corrupto; tamen impedire non*

potest

poteſt quin idem numero reſurgat, eò quòd corporeitas primo modo dicta, nòn in nihilum cedit, ſed eadem manet. Potiùs ergo noſtrã ſententiam, quàm oppoſitam tradit, vel eo ipſo loco, quem Adverſarij in ſubſidiũ propriæ opinionis appellant. Quæ item ſolutio aptanda eſt alijs ipſius teſtimonijs in oppoſitũ allegari ſolitis, vt *in 4. diſt. 44. & q. 7. ac 9. tertiæ partis*, de quibus alibi. Ipſe verò per mediatam conſequentiam deducitur, recuperandam iri eamdem numero quantitatem, quia reunità materiæ eadem numero formà conſtituente corpus de prædicamento ſubſtantiæ, neceſſum erit eamdem numero quantitatẽ redire, ſicut & eaſdem potentias ſenſitivas, tum internas, tum exrernas.

24 *RATIO* Verò deſumitur ex eodem D. Angelico 1. *p. q. 76. ar. 6. & q. de Spiritualibus creaturis ar. 3. ad 19. & q. de Anima ar. 9. ad 5.* quibus locis ſtatuit, impoſsibile eſſe quòd aliqua diſpoſitio accidentalis cadat media inter corpus & animam, vel inter quamcunque formam ſubſtantialem, & accidentalem. Materia enim licèt vtramque ſuſcipiat, id præſtat ordine quodam: & quemadmodum anima priùs recipit intellectum, ac voluntatem, quàm intellectionem aut volitionẽ; ſic etiam materia priùs recipit eſſe ſubſtãtiale, quàm accidentale; cùm hoc ſecundum præſupponat illud primum, ab eoque dependeat in eſſe & fieri. Verùm circa hoc notandum eſt diſcrimen inter accidentia propria & communia. Priora enim exploratum eſt non inhærere materiæ, neque ipſi vniri, niſi mediante formà; quia non conveniunt materiæ, niſi quatenus à formà dimanant. At non dimanant à formà, niſi prout vnità materiæ, vtpote habente eſſe in materià, aut ex materià. Ergo accidentia propria non inhærent materiæ, neque ipſi vniuntur, niſi mediante formà prout vnità ipſi materiæ. Vnde calor vt octo, qui eſt proprietas ignis geniti, nequit vniri materiæ, niſi mediante forma ignis, à quà dimanat. Porrò eadem ratio eſt manifeſte de ijs accidentibus, quæ dimanant à forma ſaltem ſecundum gradum communẽ, ſicut quãtitas dimanat à gradu corporis, qui eſt communis omnibus, tam elementis, quã mixtis. Etenim quantitas eſt proprietas ſtrictè dicta, & quarto modo, reſpectu gradus communis corporis de prædicamento ſubſtantiæ; cùm conveniat omni corpori prædicamentali, ſoli & ſemper. Ergo quantitas non inhæret materiæ, neque ipſi vnitur, niſi mediante formà ſubſtantiali quatenus præſtat gradum corporis de prædicamento ſubſtantiæ. Ergo in generatione ſubſtantiali materia priùs naturà actuatur per formam ſubſtantialem, quàm per accidentalem ab eà dimanantem in ratione proprietatis, ſive ſecundũ gradum communem, ſive ſecundùm particularem.

25 Si autem accidentia propria formæ, qualitercunque propria illius ſint, præſupponunt illam in materià receptà pro aliquo priori naturæ; multò magis accidentia communia & fortuita eamdẽ ſubſtãtialem formam in materià præſupponent; quia accidentia hæc communia & fortuita conveniunt formæ ſubſtantiali, & ſubinde compoſito, pro aliquo poſteriori naturæ ad accidentia propria. Priùs enim naturà eſt ſubſtantiam corpoream eſſe quantam, quam extenſam in ordine ad hunc numero locum, & hominem eſſe riſibilem, quàm album. Si ergo accidentia propria præſupponunt formã ſubſtantialem pro aliquo priori naturæ receptam in materià, multò magis communia & fortuita accidentia. Ergo materia in generatione ſubſtantiali nullis accidentibus, neque proprijs formæ, neque communibus, actuata eſt pro priori naturæ ad formam ſubſtantialem, ſed expectat illam tanquam pura potentia. Igitur de primo ad vltimum nullum accidens, ſive commune, ſive proprium corrupti, manet in materià vbi recipit formam geniti: quia ſi illud in materia maneret, iam materia quatenus actuata per formam accidentalem pro aliquo priori naturæ, reciperet in alio poſteriori ſubſtantialem formam.

26 *RESPONDEBIS I.* ex doctrinà Eximij Suarez vbi ſupra *num. 56* materiam primò reſpicere formam ſubſtantialem ordine intentionis, quoniam ab eà ſpecificatur; non autem ordine executionis, quia hoc ſenſu priùs accidentalem formam reſpicit veluti medium & diſpoſitionem; ſicut vniverſim media priùs in executione ponuntur, quàm finis obtineatur.

27 *SED Contrà I.* Materia enim non reſpicit formam ſubſtantialem veluti finem extrinſecum, ſed tanquam actum informantem, quo intrinſecè completur

iux-

iuxta propriam genus substantiæ. Ergo priùs in executione recipit formam substantialem, quàm accidentalem, quæcunque illa sit. Probatur consequentia: Quia priùs in executione est materiã, & quodcunque aliud, compleri intrinsecè, & intra proprium genus, quàm extrinsecè solùm & in alieno genere. Sed materia per formam substantialem completur intrinsecè; & intra proprium genus; per formã verò accidentalem extrinsecè & in alieno genere, vt ex se patet. Ergo priùs in executione est materiam compleri per formam substantialem, quàm per accidentalem. Maior probatur. Priùs in executione est materiã, & quodcunque aliud, compleri per prædicata intimiora & immediatiora, quàm per extranea, aut remota. Vnde quia prædicata essẽtialia sunt cuique rei summè intima, priùs in executione illi conveniunt, quàm quodcunque aliud: & inter accidentalia, quia potentia operativa est intimior substantiæ, quàm operatio, priùs naturà in executione completur per potentiam, quam per operationem. Imò inter ipsas potentias atque operationes idem naturæ & causalitatis ordo est secundùm executionem, vt priùs substantia compleatur per intimiorem potentiam & operationem, quã per minùs intimam: v.g. anima rationalis per intellectum, quàm per voluntatem, & per intellectionem, quàm per volitionẽ. Ergo vniversim verum est, materiam, & quodcunque aliud, priùs ordine executionis compleri intrinsecè & in proprio genere, quàm extrinsecè solùm & in alieno genere. At materia per formam substantialem completur intrinsece & in proprio genere; per accidentalem verò, quæcunque illa sit, extrinsecè, & in genere alieno. Priùs ergo naturà est in executione materiam compleri per formam substãtialem, quàm per alim prorsùs accidentalem. Vnde obiter & consequenter infero animam, etiam rationalem, priùs naturà vniri materiæ, quam compleatur per potentias & proprietates ab eà dimanantes; & (quod valde notãdum est) Verbum divinum ita assumpsisse animam rationalem perfectam, vt pro aliquo priori naturæ in executione vnita fuerit anima Christi Verbo in ratione subsistentis, antequam inferret intellectum & voluntatem. Ratio à priori omnium est: quia nulla forma substantialis causat efficienter dimanativè proprias passiones & potentias, nisi in quantùm completa in proprio genere substantiæ, ac proinde in quantùm subsistens, seu existens, in eodem genere.

28 *CONTRA II.* Quod est prius naturà alio in ordine existendi, etiã est prius in executione, quia executio tẽdit ad ponendam rei existentiam. Sed forma substantialis est prior naturà quàm quælibet accidentalis in ordine existendi. Ergo etiam est prior in executione. Probatur minor. Forma substantialis existit per se *vt quo*; quælibet autem forma accidentalis solùm inexistit, sive existit in alio. At omne id quod per se existit, est prius naturà in ordine existendi quocunque solùm inexistente, seu existente in alio: sicut vniversè loquendo in omni genere est prius id quod per se habet perfectionem eius generis, quàm quod nõ per se, sed in alio, aut per aliud. Ergo forma substantialis est prior naturà in ordine existendi, quàm quælibet accidentalis. *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc. Sive materia habeat propriam existentiã partialem, vt Adversarij cõmuniter docent, sive illa careat, vt nos cẽsemus, certum est materiam in ratione existendi intra proprium genus compleri per existẽtiam formæ substantialis; atque adeò priùs naturà, quam per existentiam, seu inexistentiam formæ accidentalis, & in extraneo genere. Sed quod est priùs secundùm ordinem existendi, est etiam prius in executione, vt patet. Ergo priùs in executione est materiam compleri per existentiã formæ substantialis in proprio genere, quam per existentiam, seu inexistentiam formæ accidentalis in genere extraneo. Nulla igitur forma accidentalis præsupponitur in materia existens propriori naturæ ad substantialem formam quæ gignitur, aut communicatur mediã generatione; sed materia nuda ab omni accidẽte recipit illam pro priori naturæ ad quãlibet accidentalem formam.

29 *RESPONDEBIS II.* ex doctrinã Sancta-Crucij *vbi suprà*, debere quidem præsupponi formam substantialẽ in materiã pro priori ad omnem formam accidentalem ab eà dimanãtem per modum proprietatis, aut consecutam per modum accidentis communis, sive fortuiti: cæterum quantitatem adhuc præsupponi debere in materiã, quia non est pro-

proprietas ſubſtantiæ corporeæ prædicamentalis ratione formæ, ſed ſolùm ratione materiæ. Ergo ſaltem quantitas præexiſtit in materia ante formam, & illam inſeparabiliter comitatur in omni generatione, tanquam proprietas: ac proinde eſto cætera accidentia ſecuta ratione formæ corrumpantur ad ipſius corruptionem, non tamen quantitas.

30 *VERVM* Evaſio hæc præoccupata eſt impugnationibus modo propoſitis in ſolutionem præcedentem. Materia enim pro aliquo priori naturæ ad formam ſubſtantialem, quà intrinſe & in proprio genere perficitur ac completur, nequit actuari per aliquam formam ſeu proprietatem accidentalem, quà ſolùm perfici poteſt extra genus proprium. Ergo non poteſt quantitas præcedere pro aliquo priori naturæ in materiâ. *Deinde* (& magis directè) nequit quantitas eſſe proprietas materiæ, ſed ſolùm formæ corporeæ de prædicamento ſubſtantiæ. Ergo ruit fundamentum, quo aſſeritur materiam pro aliquo priori naturæ ad formam ſubſtantialem recipere quantitatem, veluti proprietatem ipſius. Probo antecedens multipliciter. *Primò* & quo ad vtramque partem ratione à priori. Nequit enim quantitas eſſe proprietas, niſi illius entitatis, ſive eſſentiæ, à quâ activè dimanat; cùm proprietates non habeant aliter eſſe, quàm per influxum emanativum ab eo, cuius proprietates ſunt. Sed quantitas activè non dimanat à materiâ, vtpotè pura potentiâ paſſivâ ex ſe, & cuiuslibet activitatis experte; à forma autem corporeâ de prædicamento ſubſtantiæ dimanare activè poteſt, quoniam illa eſſentialiter actus eſt, vi activa præditus. Ergo nequit quantitas eſſe proprietas materiæ, ſed ſolùm formæ de prædicamento ſubſtantiæ. Vnde infertur, materiam ex ſe nullâ omnino proprietatem poſitivam habere, quæ ſit talis ſtrictè & in quarto modo: quia nullam habet activitatem, adhuc per modum principij emanationis, niſi à formâ & per formam.

31 *Secundò* probatur idem antecedens ab inſtantiâ aliarum proprietatũ infra genus corporis prædicamẽtalis, quæ in ſingulis generibus conſideratæ, nõ ſunt proprietates materiæ, ſed formæ conſtituentis illum gradum. v.g. potentia nutritiva, quæ eſt proprietas gradus viventis, non convenit ratione materiæ, ſed formæ vegetativæ: potentia ſenſitiva, quæ eſt proprietas gradus animalis, non provenit ex materia, ſed ex animâ ſenſitivâ; idemque evidentiùs patet in intellectu & voluntate hominis, quæ ſunt proprietates naturæ rationalis. Ergo ſimiliter quantitas, quæ eſt proprietas gradus corporis de prædicamento ſubſtantiæ, non competit ipſi ratione materiæ, ſed formæ. Alioqui forma conſtituens ſubſtantialiter illum gradum, nullam omnino proprietatem ſtrictè dictam habebit, quod abſurdum eſt.

32 *Tertiò* probatur idem antecedens. Vnica quãtitas quæ exiſtit in bruto v.g. non comitatur inſeparabiliter materiam, ſed formam bruti. Ergo non eſt proprietas materiæ, ſed formæ corporeæ. Conſequentia patet: quia proprietas inſeparabiliter comitatur ſolum id, cuius proprietas eſt. Antecedens probo. Poteſtate abſolutâ Dei fieri poteſt vt anima bruti ſeparata à materiâ conſervetur, & vivat, ſentiatque. In hoc enim nulla eſſentialis repugnantia eſt, ſicut neque in eò quod accidentia Euchariſtica à ſubiecto ſeparata perſiſtant & operẽtur omni operatione ſibi conſentaneâ, & propriâ. Tum ſic. Eo ipſo quantitas vnica in bruto exiſtens deberet comitari formam à materiâ ſeparatam, non autem ipſam materiam. Nam forma bruti vt vivat ſentiatque, neceſſariò indiget organo quantitativo & extenſo, quo percipiat ſpecies rerum ſenſibilium, & formet ſenſionem: ac proinde indiget quantitate indiſpenſabiliter ex ſuppoſitione earum operationum. Ergo cùm quantitas vnica in bruto exiſtens nequeat ſimul manere in materia & in formâ realiter ab eâ ſeparatâ, conſequens eſt, vt quantitas præexiſtens bruti comitetur inſeparabiliter, non materiam, ſed formam.

33 *Quartò* denique ſuadetur. Si enim quantitas eſſet proprietas materiæ primæ ex ſe & pro priori ad formam, iam forma inveniret materiam pro priori actuatam in genere accidentali, ac proinde non habentem rationem puræ potentiæ, prout requiritur vt cum eâ conſtituat vnum per ſe ac ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Explicatur, ſeu vrgetur hæc impugnatio. Si quantitas eſſet proprietas materiæ pro priori ad formam ſubſtantialem, in prima rerum creatione quantitas prius naturâ fuiſſet vnita materiæ,

quàm

quàm formæ, & materiam inſeparabiliter comitata fuiſſet per omnes generationes ſequentes, ſicut quælibet proprietas inſeparabiliter comitatur rem illã, cuius proprietas eſt. Conſequens autem non modò tollit de medio omnem compoſitionem ſubſtantialem cuiuslibet formæ cum materiâ, ſed etiam affert omnia ferè incommoda quæ ex formâ corporeitatis coævâ materiæ inferunt communiter Philoſophi, etiam ij, quibuſcum diſputamus, vt ſingula expendenti patebit.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur & enervantur difficiles obiectiones, exponiturque quomodo vltima diſpoſitio requiratur ad veritatem ſubſtantialis generationis; ac tandem ſolvuntur argumenta obiecta à principio diſputationis.

34 OBIICIES I. Si canis vivus magno impetu proijciatur ſurſum, & in medio aſcenſu moriatur, manebit in eo impulſus vſque ad finem aſcenſus: quia ſine permanentiâ impulſus non poſſet vſque ad ſpatium illud proijci. Sed hoc ipſo idem impulſus, qui fuerat receptus in cane vivo perſeverat in mortuo. Poteſt ergo idem accidens quod fuit in cane vivo perſeverare in mortuo. Conſequentia patet: quia impulſus ille, quoddam accidens eſt. Minor probatur. Si enim impulſus ille exiſtens in cane mortuo non eſſet idem, qui fuerat in cane vivo, ſed alius numero diſtinctus, deberet agens aliquod producere talem impulſum. At nullum eſt agens, quod eum impulſum producat. Non quidem ipſum proijciens, quod ſupponimus iam longè abeſſe, aut ſtatim obiiſſe: neque cadaver eiuſdem canis, quod potiùs deorſum propendet, quàm ſurſum feratur, & in motum illum ſibi violẽtum nullam confert vim: non aer, quamvis fingatur magnâ celeritate ſubintrare locum relictum ab illo corpore; quia aer, maximè ſi ſupponatur leniter ſpirare, nequit tantam vim corpori mortuo imprimere, quanta requiritur vt corpus exanime ſurſum attollatur; vel ſi illam imprimit, poſſet naturaliter attollere illud vſque ad nubes, cùm eadem ratio ſit: non denique à cauſa vniverſali, quæ cùm ſe attemperet exigentiæ rerum, potiùs conducit vt corpus grave iuxta ſuam inclinationem deorſum propendeat, quàm contra illam elevetur ſurſum. Ergo cùm nulla ſit cauſa efficiens diſtinctum numero impulſum, idem omnino exiſtere putandus eſt in cane vivo ac mortuo.

35 *CONFIRM.* Siquis enim è feneſtrâ vicinâ attentè videat & notet mòtum illum canis ſurſum proiecti, non deprehendet ibidem pluſquam vnum numero motum. Ergo quia verè tunc idem motus numero eſt canis vivi & mortui, ac proinde idem impulſus. Nam, vt docent Ariſt. ac D. Thomas. 2. *de Animâ* ſenſus non fallitur circa proprium ſenſibile quando eſt in debitâ approximatione, & medium ſive organum impeditum non eſt, vt in caſu argumenti.

36 *RESP.* In hypoteſi obiectionis impulſum canis mortui, ſicut & motum, non fore eundem numero, ac motũ & impulſum canis viventis; ſed diſtinctũ realiter. Quare negatur minor argumenti. Ad probationem, conceſſa maiore, negatur minor. Ipſum enim agens extrinſecum, quod in medio illius motus inducit formam cadaveris efficienter, inducit etiam impulſum, quo canis mortuus ſurſum feratur vſque ad illud ferè ſpatium quod attingeret, ſi permaneret vivus. Etenim materia canis vivi, ſicut ratione diſpoſitionum, quibus affecta erat, exigit formam recentem cum ſimilibus, non tamen eiſdem numero, diſpoſitionibus ab agente introduci; ita etiam cum ſimili impulſu ac motu. Vnde quemadmodũ materia canis viventis, licèt gravis ac deorſum propendes ex ſe, vt impulſa tamen ab agente extrinſeco exigebat concurſum cauſæ extrinſecæ & vniverſalis ad motum ſurſum; ſic etiam materia canis mortui, licè ex ſe deorſum propẽdeat, prout tamen deſinit immediatè actuari a formâ canis vivi ſurſum proiectâ, exigit etiam impulſum, quo vſque ad finẽ ſpatij attollatur, aut ſaltem prope finẽ, quia canis mortuus gravior eſt, quàm vivus. Si autem rationem quæras, cur materia prout deſinens immediatè actuari à formâ præcedenti exigat conſimiles diſpoſitiones, accidentia, impulſum, ac motum; hæc reddi poteſt ac ſolet: quia forma cadaveris non eſt intenta propter ſe à naturâ, ſed ſolùm vt ſubſtituat pro formâ viva aliquanto tempore, veluti eius imago aut ſimulacrum. Cùm enim compoſi-

tum

tum vivens ex genere suo perfectissimũ opus sit inter omnia, quæ à natura elaborantur, sicuti non repentè fit, sed gradatim, & quibusdam dispositionibus intrãtibus in locum aliarum similium; ita quodammodo nec repentè dissolvitur, sed medijs dispositionibus in eius interitũ collimantibus; donec denique resoluto composito, eiusque affectionibus consequenter dissipatis, statim inducantur in cadaver similes dispositiones, in quibus vivens ipsum censeatur quoddammodo permanere; quamvis nonnihil repugnent eidem cadaveri secundùm se considerato, seu potiùs inspecto secundùm tempus aliquantò distans ab obitu: quia saltem cadaver vt primò incipiens, debet omnes affectiones viventis exprimere, sive illæ parum duraturæ sint, sive multùm.

37 *SED* Instabis: Eadem est ratio compositi viventis in primâ sui generatione, atque in vltima resolutione. Sed compositum vivens in primâ sui generatione ita gradatim fit, vt dispositiones quæ præcesserant sub formâ embryonis v.g. eædem numero perseverent vbi primùm animal producitur. Ergo & ita desinit esse gradatim, vt eædem numero dispositiones perseverent vbi primum animal resolvitur. Probatur minor: Quia dispositiones, quæ præcesserant sub formâ embryonis, longo tempore à naturâ elaboratæ sunt ex fine producendi animal. Ergo eædem numero perseverant vbi primùm animal producitur. Si enim non eædem numero persisterent, sed aliæ similes ac distinctæ realiter subrogarentur in instanti generationis animalis, frustrà natura insumpsisset vires, & tam longum tempus in earumdem formatione; vtpotè corrumpendarum, & minimè extiturarum vbi primùm animàl à naturâ primò inspectum existeret. *Vrgetur* difficultas. Nullus enim artifex operans iuxta regulas artis destruit dispositiones artificiales, quas efficit, vel invenit priùs factas, si composito per se inspecto cõgruæ sint. At natura est sapientissima artifex, operans semper iuxtà summæ artis regulas. Non ergo destruit dispositiones artificiales, quas efficit, vel invenit priùs factas, si composito per se inspecto ab ipsa cõgruæ sint. Dispositiones autem à natura factæ intuitu animalis per se inspecti, congruæ sunt eidem animali, vt patet evidentissimè, ac præsertim, in organizatione embryonis, eodem modo signatà, & artificio dispositâ, quod animali congruit. Ergo natura vbi primum producit animal, nõ destruit dispositiones prævias à se elaboratas, & præsertim organizationem illã, quæ in formâ embryonis præcessit.

38 *RESP.* Negando minorem. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad cuius probationem nego sequelam: quia omnes illæ dispositiones præviæ finem à naturâ immediatè & proximè præscriptum sortiuntur vbi materiam dispositam reddunt ad nobiliorem formam; scilicet, animalis; & subinde ad nobiliorem organizationem ex ea consecutam, quæ non aliter induceretur, quàm prævia illâ dispositione, seu organizatione minùs nobili. Cuius exemplum aliquomodo est in actibus supernaturalibus, quibus homo se disponit ad iustificationem, quamvis eà adveniente iã in se non existant. Satis enim est quòd disposuerint subiectum ad formam introducendam, & subinde ad eliciendos actus perfectiores. *Ad Instantiam* vlteriorem retorquetur obiectio. Sœpe enim artifex iuxta regulas operans inducit in materiã secundam, in quâ operatur, dispositionem aliquam, seu formam, aut figuram, infœderabilem cum eâ, quàm per se inspicit; ideoque opus est illam destruere vt hæc tandem introducatur. Dum enim quisque artifex, etiam summè industrius, ex marmore v.g. vult efficere statuam hominis, priùs variâ frusta à marmore dividit, deinde in aliqualem figuram conformat, ac denique partes omnes vultus corporisque ita mutat ac perficit, vt primam illam & imperfectam speciem omnino exuant, & in aliam transeant, quæ sola ab artifice quæritur. Similiter & Deus, summæ sapiẽtiæ artifex, vt nos ad supremam vitæ æternæ perfectionem disponat, præparat viatorum animas habitibus fidei ac spei theologicæ, veluti necessarijs ad eam obtinendam; cùm tamen neuter illorum iam maneat vbi primùm vitam æternã assequimur, sed tantùm alia duo dona nobiliora ijs correspondentia; nimirum, lumen gloriæ respondens fidei, & fruitio spei. Vnde & Paulus 1 *Corinth.* 13. inquit: *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Quid itaque mirum, si natura, iuxta artis regulas operans, efficiat priùs dispositiones aliquas remotè conducentes in finem generationis animalis,

malis, eāsque postmodum destruat, vt in ipso instanti generationis alias similes, sed perfectiores, inducat. Nimirum hæc eiusdem naturæ ars inevitabilis est, vt materia nullà dispositione afficiatur medià inter ipsam & formam; ac proinde, vt quidquid dispositionum, affectionum, & quorumlibet accidentium præcesserit in corrupto, destruatur adveniente formà geniti.

39 *AD Confirm.* præcipui argumenti, concesso antecedente, negatur consequentia: quia licèt sensus non decipiatur circa proprium sensibile positū in debità distantia, si medium, sive organū læsum non est; adhuc decipi potest ac solet circa sensibile commune, vt ostendemus in libris de Animà. Quòd autē obiectum sensibile sit idem numero, vel distinctum, non est quid spectans ad propriū sensibile vniuscuiusque sensus, sed solùm ad sensibile commune, vt ibidem dicemus. Nihil itaque mirum si visus decipiatur apprehendens motum animalis sursum proiecti, & in medio morientis, esse numero eundem, sicut & cicatricē, & colorem, & figuram cadaveris relatè ad eam, quæ præcesserat in vivente. Sanè frequenti præstigiorūludo edocemur nullo modo sensibus fidere quò ad identitatem vel distinctionem numericam rerum sensibilium: & certè vidētibus nobis corpus album per visionem continuam vsque ad instans C. exclusivè, posset Deus in eo instanti aliam numero albedinem omnino similem inducere: quo eventu visus distinctionem vnius ab alia non agnosceret; sicut nec duo individua eiusdē speciei discerneret, si omnino similia à Deo crearentur.

40 *DICES*, Hinc sequi, nos neutiquam certos esse posse de identitate numericà eiusdem rei frequenter visæ: ac proinde nec posse certò affirmare, eundem numero Solem heri & hodie fulgere; eosdem numero cœlos noctu & interdiu cieri; eādem numero tellurem hyeme rigere & æstate frondescere; idem numero pelagus fluere ac refluere, sævire ac desævire: sed posùs locum fore ad dubitandum, an hæc, & reliqua elementa, mixtaque, pro varietate temporum alia & alia sint, atque subitis mutationibus nunquam consistant, vt Cratylus & Heraclitus somniarunt. Sequela videtur manifesta: Nulla enim maior sensuum evidentia esse potest circa idētitatem numericam obiecti sensibilis, quam in impulsu canis proiecti, in cicatrice, colore, & figurà cadaveris ac viventis. Si ergo hæc evidentia est fallibilis, & nullā certitudinem inducit; nullam quoque habere possumus de numericà Solis, cœli, terræ, maris, atque aliorum elementorum & mixtorum idētitate.

41 *RESP.* Negando consequētiam: Quia licèt ex vi sensus solius certi esse non possimus de identitate numericà Solis, cœli, maris, ac terræ; ex vi tamen sensuum ac rationis simul evidentiā physicam de illorum identitate habemus; cùm præter experimentum frequēs sensuum, quibus idem numero obiectum semper apparet, nullum adsit rationi fundamentum ad dubitandum de illorum numericà diffunctione. At circa accidentia geniti & corrupti, licèt pro illorum identitate sint sensus, ratio vrget in oppositum, invenitque repugnantiam in eo quòd materia ante formam substantialē præveniatur aliquo accidenti. Vnde sensus ratione naturali corrigi debet, quēadmodum etiam, & supernaturali ratione corrigendus foret, si Deus, nullo mortalium id notante, substitueret alium Solē, cœlum, terram, mareve, huic existenti omnino simile; & veluti necessariò credendum revelaret. Tunc certè evidentia physica in oppositum redderetur fallibilis sensusque corrigendi essent ratione supernaturali innixa obscuro Dei testimonio.

42 *OBIICIES II.* Ex nostrà sententià colligi duplex absurdum. *Primum* est, pariter in nutritione, quà convertitur alimentum in substantiam alti, debere fieri resolutionem vsque ad materiam primam; ac proinde salubrius non esse vesci cibis delicatis & sanis, quàm rudibus & nocivis; quia cùm vtrorumque nulla qualitas, nullumque accidens iam maneat vbi conversio fit, æquè proderit, aut nocebit, vesci prioribus, vel posterioribus. *Secundum*: Tolli de medio communicationem naturæ substantialis mediā generatione. Generans enim solùm potest communicare naturam substantialē medijs dispositionibus à se causatis in compositō corrumpendo; ita vt illæ perringant ad ipsum instans generationis inclusivè. Nam si tunc iam non existant, nihil supererit, medio quo agens operetur, &

com-

communicet termino ſubſtantialem naturam. At poſito reſolutionem fieri vſque ad materiam primam, iam diſpoſitiones cauſatæ ab agente in ſubiecto corrupto non permanebunt in inſtanti generationis incluſivè, vt patet. Nihil ergo ſupererit, medio quo agens operetur, & termino communicet naturam ſubſtantialem.

43 *RESP.* Negando ſequelam vtriuſque abſurdi. Ad illationem prioris dicendum, licèt fiat reſolutio alimenti vſque ad materiam primam, vt tranſeat in ſubſtantiam aliti, adhuc ſalubrius eſſe veſci cibis bonarum qualitatũ, & proficuarum, quàm nocentium: quia licèt vtrarũque nihil maneat peracta nutritione, vt rectè in argumento aſſumitur; adhuc tamen vtrumque alimentum dum in ſtomacho eſt ſub formà alimenti diſſimiliter ſe habet. Salutiferum enim, ſeu conveniens & aptum, ratione benignarum qualitatũ prodeſt ſtomacho nihilque generat ei nocivum; contra verò crallum & difforme temperamento, ratione nocivarum qualitatum, intemperiem humorum, & nocumentum affert. Ad poſterioris illationem, quæ longè difficilior eſt, nego antecedens. Vt enim agens communicet ſubſtantialiter ſuam naturam in inſtanti generationis, non eſt opus aliquam ex diſpoſitionib⁹, quæ præceſſerunt in corrupto, perſeverare vſque ad inſtans generationis incluſivè, & coèxiſtere genito.

44 *PRO* Intellectu huius doctrinæ, in qua enodãda præcipuus ferè labor totius cõtroverſiæ poſitus eſt, nõnulla præmittẽda ſunt. *Primùm*, Diſpoſitionem vltimam nunquam eſſe ſimul cum formà quæ corrumpitur, ſed ſolùm cum eà quæ generatur. Ratio eſt, quia diſpoſitio vltima expellit formam præcedentem & oppoſitam à materia: ideoque D. Th. *q.* 28. *de Verit. art.* 8. *ad vltimum*, docet per calorem in ſummo expelli formam aquæ. At nulla res, forma, ſive diſpoſitio, coèxiſtit realiter formæ per ipſam expulſæ. Ergo vltima diſpoſitio non coèxiſtit realiter formæ præcedenti & oppoſitæ per ipſam expulſæ. Probatur minor. Omnis res, forma, ſeu diſpoſitio, quæ expellit formam aliquam, expellit eam ratione incompoſsibilitatis, quam cũ ipſa habet. At nulla res, forma, vel diſpoſitio, coèxiſtit realiter illi formæ, cum quà incompoſsibilis eſt, vt ex terminis patet. Nulla igitur res, forma, vel diſpoſitio, coèxiſtit realiter formæ per ipſam expulſæ. Quòd verò diſpoſitio vltima debeat coèxiſtere formæ genitæ, palã tradit ipſe D. Angelicus *eàdem quæſt.* 7. *ad* 11. illis verbis: *Calor conſummatus ſimul introducitur cũ forma ignis.* Atqui calor conſummatus, ſive vt octo, eſt diſpoſitio vltima. Ergo vltima diſpoſitio introducitur ſimul cũ forma quę generatur.

45 *PRÆMITTENDVM* Secũdò, in diſpoſitione vltima cohærere hęc duo: quòd ſcilicet præparet materiam ad formam terminativè & conſummatè, prout eſt terminus per ſe intentus ab alijs præcedentibus diſpoſitionibus, quæ omnes in vltimã tendũt; & præterea quòd cauſetur à formà in genere cauſæ formalis, & ſe cũdùm dependentiã in eſſe. Vtrũque expreſsè traditur ab eodẽ D. Th. *ar. illo* 8. nuper allegato, *ſine corp. & in* 4. *d. ſt.* 17. *q.* 1. *ar.* 4. *q.* 1. *& 2. & ar.* 5. *q.* 3. vbi affirmat, *diſpoſitionem vltimam eſſe effectũ formæ in genere cauſæ formalis, & tamen præcedere ipſam in genere cauſæ materialis.* Hoc enim ipſo quod diſpoſitio vltima ſit terminus per ſe inſpectus à præcedentibus diſpoſitionib⁹, quæ præcedũt formã in genere cauſæ materialis, ipſa vltima diſpoſitio terminativè & conſummatè, ſeu per modũ termini & conſummationis earũdem, habet etiam præcedere ex parte cauſę materialis, quaſi integrando vnam cauſam adæquatam diſpoſitivam materialemque cum ijs in ordine ad formã. Quare vltima diſpoſitio non ſolùm conducit ad ornatum & bene eſſe formæ genitæ, ſed etiã prout terminans & conſummans præcedentes, exercet in eam aliquid cauſalitatis diſpoſitivę & materialis. Sub ea autem cõſideratione notat D. Th. *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 3. *ar.* 1. (vbi & hanc ipſam doctrinam expreſsè tradit) *aliquid diſponere ad formam, ſicut præparando materiam ad receptionem formæ; ita quòd præexiſtat in materiã ante formã ordine fiendi, non ordine eſſendi; ſicut calor diſponit ad formam ignis, non quia mediũ cadat inter formam & materiam ſed quia materia appropriatur ad formam ignis per aduentum caloris.* Vbi manifeſtè negat diſpoſitionem præparativam materiæ ad formam cadere tamquam aliquid medium inter vtramque: cuius oppoſitum frequẽter aſſumunt oppoſitæ ſententiæ Authores.

46 Vnde colligitur, vltimam diſpoſitionem terminare duplicem actionem penes diverſas ſui formalitates: ſcilicet, actionem generativam quatenus eſt

passio propria rei genitę, seu formæ, cum qua connectitur; actionem verò alterativam, prout est consummatio & terminus alterationis precedentis. Quod ipsi dispositioni vltimæ cōvenit adhuc in facto esse, quia in facto esse vsurpat sibi id quod priori tempori debebatur, ratione similium dispositionum in eam ordinatarū, vt monet S. Th. *disp. illà 28. de Verit. art. 9. ad 10.* illis verbis: *Ea quæ in instanti fiunt, dicuntur fieri & factum esse: quia quatenus illud instans est terminus prioris temporis, in quo fiebat, vsurpat sibi id, quod priori tempori debetur.* Consequenter, sicut præcedentes dispositiones antecedunt formam in genere causæ materialis dispositivæ, ita & vltima dispositio (quamquam alioqui posterior eadē formà in genere causæ formalis & efficiētis per emanationem) antecedit in eodem genere dispositivo eandem formam; non quidem considerata in se præcisè; sed quatenus permodū termini integrans vnam causam dispositivā adæquatam, simul cum dispositionibus præcedētibus. Quod vltimum addo, quia mea opinione, vltima dispositio in se præcisè considerata, & seorsim à respectu ad dispositiones anteriores, non antecedit formam genitam in genere causæ dispositivæ.

47 *PRÆMITTENDVM Tertiò*, Dispositionē vltimā nō esse virtutem influentē effectivè in generationē substantialem, vt eodem loco docet D. Th. *ar. 8. ad. 5.* vbi loquens de dispositione vltima inquit: *Non facit aliquid ad formam effectivè, sed materialiter tantùm, in quātùm materia per dispositionem efficitur congrua ad receptionem formæ.* Ratio est: quia dispositio vltima, cùm sit accidens, nequit operari effectivè nisi prout recepta & inhærens alicui subiecto, quod mediante ipsa agat, seu operetur. At eiusmodi subiectum non est ipsum, quod corrumpitur, cùm nō coèxistat eidem vltimæ dispositioni. Ergo subiectum, cui inhæret dispositio vltima, quodque mediante ipsa agit, solùm potest esse ipsum genitum. At repugnat dispositionē effectivè cōcurrere ad generationē subiecti ipsius, in quo est. Ergo de primo ad vltimum dispositio vltima nequit concurrere effectivè ad generationē. Probatur minor subsumpta, præterquam quod traditur à D. Th. *1. 2. q. 85. ar. 1. ad 4.* Subiectum nāque cui inhæret dispositio, præstat ipsi dispositioni existentiam, & est à quo dispositio ipsa pendet in existendo, tāquam à causa sustentante & efficiente per emanationē. Ergo repugnat dispositionē effectivè causare existētiam eiusdē subiecti, seu, quod perinde est, effectivè cō currere ad ipsius subiecti generationem.

48 *PRÆMITTENDVM IV.* Virtutē generantis, quę effectivè operatur vt decisa & diffusa ab ipso, tāquam eius instrumentum, ante instans generationis inveniri simul cū dispositionibus antecedentibus, vbi generās est distans à materia ex qua generat, & solùm est immediatum ipsi per suam virtutem, veluti Sol, cùm media virtute diffusa à se producit herbā, & animal mediāte semine generat aliud animal. Ratio est evidens: quia ante instās generationis præcedit virtus decisa a generante, quæ paulatim operetur eandem generationē, dum gradum ad illā faciunt dispositiones præcedentes. Ergo oportet virtutē illam esse simul cū dispositionib⁹ præcedentibus, & paulatim tēdere ad ponendā generationē. Cùm verò nihil possit agere formaliter in seipsū, sed debeat necessario distingui pars movens & pars mota, vt docuimus *Physic. disp. 40.* oportet assignare partem aliquam proximā, quæ per virtutem à generante decisam simul cum dispositionibus antecedentibus effectivè agat in partem proximiorē, vt tandem sic peragatur generatio.

49 *DICES I.* Pars proximior non habet in se dispositionem vltimam, v.g. calorem vt octo, sed aliquid infra illum: alioqui esset in ea ignis genitus, & nō modò virtus ad generandum. Ergo virtus in parte proximiori existens nequit generare, seu effectivè producere dispositionem vltimam. *RESP.* Virtutem existentem in parte proximiore non habere in se dispositionem vltimam, v.g. calorem vt octo, sed aliquid infra illum, formaliter loquēdo: virtualiter tamen sive æquivalenter prout est vis decisa à generante, & instrumentum illius ad peragendam generationem, æquiparari vltimæ dispositioni, possęque loco generantis & in virtute illius producere substantiam ignis, & calorem vt octo cum eo connexum. Quæ doctrina deducitur ex D. Thom. *1. part. quæst. 76. art. 4. ad 4.* aiente: *In mixto manent qualitates propriæ elementorum, licèt remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium.* Censet ergo in calore, verbi gratia infra gradum octavū, posse manere

nere virtutem elementi productivam alterius elementi. At non virtutem principalem : cùm hæc debeat saltem esse æqualis perfectionis formaliter cum effectu. Ergo virtutem instrumentalem. Nimirum, vt persistamus in eodem exemplo, calor infra gradum vt octo, non consideratur tunc vt calor remissus, sive infra summum; sed vt virtuosus, sive tãquam virtus ignis, nata seu instituta ab Authore naturæ, vt in eius absentia producat instrumentaliter alium ignem, & subinde calorem vt octo. Quod si verò calor neque ad illum gradum infra summum pertingat, qui necessarius est ad substantiam ignis instrumentaliter ; aut impedietur generatio ignis; aut, si illa sequatur, erit virtute causæ superioris primæ, aut secundæ, supplentis quod deest. qua ratione suppleri censetur in generatione cadaveris ex iugularione, aut suffocatione; cùm neque in ferro, neque in aquà, contineatur forma cadaveris ; sed solùm possint auferre dispositiones necessarias ad conservandam vitam animalis, & inferre oppositas quoddammodo, medijs quibus causa superior inducat cadavericam formam.

50 *DICES II.* Esto ita contingat in generatione ignis, aliarumque rerum inanimatarum, non tamen in generatione viventium. In ijs enim nequit distingui pars efficiẽs & pars effecta, cum viventia non generentur successivè & per partes, sicut inanimata ; sed simul & in instanti vbi primùm materia organizata & vltimò disposita est. Ergo nequit assignari aliqua pars proxima, quæ sit movens sive efficiens, & alia quæ sit mota seu effecta ; nec tandem aliqua proximior, quæ operetur formam substantialem & vltimam dispositionem viventis, adhuc instrumentaliter & virtute generantis.

51 *RESP.* ex doctrinà D. Thomæ 1. *part. quæst.* 118. *artic.* 1. *ad* 3. & *quæst.* 4. *de Potentiâ artic.* 11. præsertim ad 8. virtutem activam seminis non esse in toto semine, sed in spiritibus, qui in ipso semine includuntur ; in ijsque esse aliquem calorem ex influxu corporum cœlestium, quorum virtute agunt inferiora. Partes autem spirituosæ seminis agunt in alias, quæ se habent vt materia, & formant illas ita, vt licèt materia illa corpulenta, ex qua fit generatio animalis, varietur penes diversas formas, quas embryonis dicimus, vsque ad perfectæ formæ introductionem ; non tamen destruatur illa pars spirituosa, in qua est virtus activa seminalis, nec mutetur, vt inquit S. Doctor *solutione ad d. argum.* 8. Quare semper manet distinctio inter partes quæ effectivè agunt, & illas in quibus introducitur forma animalis. Forma enim genita animalis non introducitur in ijs partibus quæ spumosiores sunt, cùm ex his non formetur fœtus ; sed in crassiori corpulentiorique materia seminis & sanguinis, ex qua fœtus componitur. Introducta autem formà animalis, addit S. Th. *q. illa* 118. *ar.* 1 *ad* 4. desinere esse illam virtutem activam quæ erat in semine, evanescente spiritu, & dissoluto semine: cùm enim solùm esset instrumentaria virtus ad productionẽ animalis, eo iam producto cessare debet: ac proinde resolvi, seu evaporari in aliquod corpus. Patet igitur semper distingui partem agẽtem, seu moventem, à parte mota, in qua forma animalis introducitur. Quodque supra de calore infra summum diximus, habere, scilicet, vim ad producendum ignem virtute generantis; etiam dicendum est de virtute seminis instrumentaria animalis in ordine ad producendum aliud animal.

52 *EX* His ad obiectionem illam *ex num.* 43. dicimus, locum esse vt generans communicet substantialiter suam naturam, media virtute à se causata: quia licèt omnes dispositiones præcedentes, quæ erant in corrupto pereant ipso pereunte, & iam nõ existant in instanti generationis ; adhuc tunc existit aliqua pars virtutis generantis in parte proximiori genito, sive illud sit vivens, sive non ; quæ vt instrumentum generantis, & nomine ipsius, producat substantiam geniti, subindeque vltimam ipsius dispositionem. Scilicet, loquendo de generatione inanimatorum, licèt omnes partes ligni quod corrumpitur, & quidquid caloris in ijs erat, dissolvatur, & iam non existat in instanti quo generatur ignis & calor vt octo ; nihilominus in parte aliqua ligni proximiore igni genito, & nondum combusta, perseverat adhuc gradus caloris infra summum, qui virtute ignis generantis producat in eo instanti alium ignem, coniungatque materiam ligni formæ ignis geniti. Similiter in animalibus, licèt dissolu-

luto iam corrupto desinant esse dispositiones, quæ ipsi inhærebant, adhuc persistit pars aliqua proximior animali genito, & nondum corrupta; quæ licèt non sit vltima dispositio formaliter, neque possit virtute propria producere animal, nec vltimam eius dispositionem; potest tamen instrumentaliter & vt virtus generantis vtrumque præstare, & coniungere partes materiæ præexistētis corpulentas & crassiores formæ de novo genitæ. Patet igitur non obstante resolutione compositi præcedentis vsque ad materiam primā, adhuc persistere veritatem generationis substantialis.

53 *NVNC* Respondendum est argumentis sententiæ adversæ propositis *sect.* 1. Ad I. & II. patet ex solutionibus ibidem interiectis vsque ad *num.* 13. Ad Instantiam primam *ex num.* 14. dicendū, materiam primam ratione dispositionum præcedentium esse in via ad vltimam dispositionem introducendam in instāti generationis, omnemque effectum, quem ab ijs recipiebat, perfici & cōsummari in eo instanti per adventū dispositionis vltimæ. Nam licèt pro priori naturæ ad formam substantialem non cadat dispositio vltima veluti media inter materiam & formā, nec in se precisè considerata exerceat causalitatem dispositivam materiæ in ordine ad formam, vt probatum est *n.* 46. & 47. nihilominus verè terminat & consummat habitudinem præcedentium dispositionū, & per consequens materiæ, quatenus sub ijs positæ. Quare vt materia dicatur, & reverà maneat sigillata potiùs ad hanc numero formam, quàm ad aliam numero aut specie, opus nō est interiacere formam, vel effectū accidētalem medium inter ipsam materiā & formā in ipso instanti generationis; sed sufficit vsque ad illud instans exclusivè fuisse affectam dispositionibus præcedentibus, & ratione illarū ordinatā ad habendā vltimā dispositionē in instanti generationis, licèt non pro omni signo naturę, sed solùm pro posteriori ad formam substantialem geniti. Itaque in instantibus præcedentibus sigillatio materiæ est formalis, & vialis: in instanti autem generationis solùm est terminativa, & cōcomitans ipsam formam.

54 *AD II.* Instantiam nego minorem. Pro priori enim naturæ ad formā ignis materia non debet præsupponi vltimò dispositа, neque calida vt octo formaliter, sed solùm ordinativè, prout ratione dispositionum præcedentium mansit ordinata ad vltimam dispositionem habendam in hoc instanti, tamquam ad complementum & terminum ipsarum. Quæ quidem ordinatio pro illo priori naturæ non est aliud, quam entitas eiusdem materiæ, vt exigens hanc numero formam substantialem, & subinde dispositionem vltimam, tamquam accidens cum ea connexum, intra totum reale instans generationis. Quod verò in fine additur, nullam esse oppositionem caloris præcedētis generationem cum calore vt octo, ac proinde videri numero eundem; minimè vrget: nam licèt essentia vtriusque eadem in specie sit, subiectum vtriusque diversum est: ac proinde corrupto ligno in quo erat calor præcedens, corrumpitur quidquid caloris in eo erat. Ergo calor vt octo existens in genito debet esse distinctus numero a præcedenti. Alioqui idem numero calor migraret de subiecto in subiectum: quod planè repugnat.

55 *QVARE* Asserendum est, formam corruptam non expelli per dispositiones præcedentes, cum verè ijs coexistat pro aliquo instanti reali: sed per formam de novo genitam tamquam incompossibilem cum ipsa in genere causæ formalis, & per vltimam dispositionem in genere causæ dispositivæ, seu destruentis dispositiones necessarias ad conservationem formæ corruptæ. Itaque adstipulantur sibi forma genita & vltima dispositio ipsius, ita vt forma substantialis genita expellat formaliter corruptam, dispositio autem vltima eius destruat dispositiones necessarias formę corruptæ. Quòd si inde colligas, pro aliquo priori naturæ ad formam genitam debere præexistere in materia expulsionem accidentiū formæ corruptæ præstitam formaliter ab vltimà dispositione, ac per consequens effectum aliquem positivum & accidentalem illius in materia, sine quo intelligi non potest ille privativus; *RESP.* Negando consequentiam: quia licèt pro illo priori naturæ ad formam genitam debeant intelligi expulsæ dispositiones, seu accidentia corrupti à dispositionibus geniti; non tamen tamquam à forma informante pro illo priori materiam, sed tamquam à termino dispositionum præcedentium, & cum ijs integrante vnicam

cam cauſam diſpoſitivam, & materialē; ita vt tam ex diſpoſitione concomitante formam genitam, quam ex alijs præcedentibus, & ordinatis ad ipſam, integretur vnica cauſa materialis diſpoſitiva, expellens accidentia corrupti.

DISP. QVINQVAGESIMA

DE SVBIECTO ACCIDENTIVM.

An ſubiectum accidentium ſit compoſitum ſubſtantiale, vel potiùs materia prima?

Num. 1. *HÆC Controverſia frequenter à Philoſophis excitatur* lib. 1. de Generat. præſertim c. 4. t. 24. *Cæterum non minùs opportunè locum habere poteſt in Prædicamentis* cap. de ſubſtantia. *Cùm enim ſubſtare accidentibus ſit præcipua proprietas ſubſtantiæ creatæ, illamque aſsignet Philoſophus, & eius Interpretes dicto capite; iure ac meritò ibidem diſputari poteſt, an ſubſtare accidentibus, ſeu eſſe ſubiectum accidentium conveniat ſubſtātiæ totali & completæ ex materia & forma, an verò partiali & incompletæ, qualis eſt materia ſola, aut forma ſeorſim. Imò longè congruentiùs ſupra dictum caput* de Subſtantia *excitari poteſt, cùm ibidem expreſsè videatur proferre ſuum ſenſum circa præſentem difficultatem, vt conſtabit ex dicendis* lect. 2. *à principio: quod tamen non fecit ſaltem apertè in libris de Generatione: quamquam non nihil indicet loco ſupra allegato,* & lib. 2. cap. 1. text. 6. *in quibus diſputatio præſens locum habere poteſt.*

SECTIO PRIMA.

Aperitur ſenſus controverſiæ, & relatis Authorum opinionibus extremè oppoſitis, præmittuntur quædam opportuna ad illius reſolutionem.

2 *NON* Procedit difficultas de accidentibus ſpiritualibus. Hęc enim certum eſt in anima rationali recipi. Quare intellectus & voluntas in ea ſolùm ſedem habent, ſicut & habitualis gratia, & character à tribus Sacramentis impreſſus. Similiter omnes habitus ſpirituales in alterutrà ex prædictis potentijs recipiuntur immediatè, ac ſubinde & mediatè in animà: quod idem de ſpeciebus & actibus ſpiritualibus fateri neceſſum eſt. Ratio omnium, quia prædicta accidentia, nullatenus dependent à materia in ſuo eſſe, ſed ſolùm ab anima rationali, in quà, etiam ſeparatà à corpore, conſervari poſſunt. Non ergo recipiuntur in materia vt ſubiecto inhæſionis. Sic enim penderent ab eà in ſuo eſſe, & non poſſent extra illam naturaliter conſervari. Quare totum diſsidium eſt circa accidentia materialia.

3 *RVRSVS* Nec procedit dubium circa ſubiectum denominationis accidentium. Certum enim eſt poſſe accidens materiale denominare ſubſtantiam compoſitam ex materia & forma, imò & completam prędicamentaliter. Hac ratione denominatur homo ſimpliciter albus ab albedine accidentali, ſicut & ruber à colore capillorum, & pulcher à proportione partium, & deformis ab earum improportione. Verùm & in hoc obſervanda eſt regula S. Tho. 3. *part. quæſt.* 16. *art.* 8. quod vbi forma aliqua indiſcriminatim denominare poteſt totum & partem ſi ſolùm in aliqua parte ſit, non denominat totum abſolutè, ſed ſolùm ſecundùm quid, & cum addito ac reſtrictione. Ideoque Æthiops non dicitur abſolutè aut ſimpliciter albus, ſed ſolùm ſecundùm dētes: quia albedo ex ſe indifferens eſt vt conveniat toti, aut parti. Contrà autem ſi aliquod accidens natura ſua conveniat parti, & non toti, abſolutè poterit denominari totum, quamquam ſoli parti immediatè conveniat. Quare ſimpliciter dicitur homo videns, aut claudus: quia viſio eſt accidens proprium partis alicuius,

nimirum oculorum, sicut & claudicatio tibiæ.

4 Vnde colliges opportunam rationem, quare Christus non dicatur absolutè creatura: quia hoc prædicatum est transcendens, vtpotè fundatum in ipso esse limitato, quod indifferenter convenit naturæ ac personæ, toti, ac parti; & principaliùs personæ, quàm naturæ; toti, quàm parti. Quare cùm in Christo Domino solùm aliqua pars eius complexi, nimirum, natura humana, sit creata, consequens est vt denominatio *creaturæ* non conveniat Christo absolutè, sed solùm cum addito, & restrictione ad humanitatem. E cõtrà dicitur absolutè servus Dei: quia servitus non fundatur in ipso esse creato, sed in dependẽtia alicuius ab alio in operatione, aut motu: servus enim non se movet, sed movetur ab alio, tãquam eius instrumentum. Cumque principium motus non sit persona, sed natura, & hæc in Christo pendeat quò ad operationes & motus à Deo; consequens est, vt sicut dicitur absolutè homo, possit etiam dici simpliciter servus Dei. Quare difficultas in præsenti non est de subiecto denominationis: vtpotè quod latiùs patet, includitque omne id, de quo verificatur prædicatio formæ, sive sit subiectum principale, sive minùs principale, sive intrinsecæ denominationis, sive solùm extrinsecæ. Non enim tantùm denominatur *albus* homo, qui est principale subiectum albedinis, sed etiam quantitas *alba* dicitur, licèt subiectum minùs principale albedinis sit: nec solùm à visione denominatur homo intrinsecè vidẽs, sed etiam paries extrinsecè visus.

5 *TOTVM* Itaque disidium est circa subiectum inhæsionis accidentium materialium: scilicet, quodnam sit subiectum cui vniuntur immediatè accidentia, & à quo sustẽtantur immediatè in suo esse: an scilicet, materia sola, an potiùs compositum, sive substantia completa. Nomine autem subiecti inhæsionis, accipitur in præsenti, tam subiectum *quo*, videlicet ratio, seu medium recipiendi accidentia; quam subiectũ *quod*, sive ipsum subsistens, aut suppositum, quod vltimò illa recipit. Porro circa formam substantialem parum aut nihil curæ est Authoribus in præsenti. Nam si illa materialis sit, & non subsistens, eadem ratio de ipsa erit ac de materia respectu accidẽtium ab ea dimanantium. Si autem spiritualis, ac per se subsistens fuerit, qualis est anima rationalis, æqualis ratio de illa erit, ac de composito, seu toto per se subsistente.

6 *PRIMA* Sententia docet subiectum inhæsionis accidentium esse materiam primam. Quod multipliciter ab Authoribus illius explicari solet. Averroes enim relatus à D. Thomà *Opusculo 32. cap. 4. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. & 4. contra Gent. c. 81.* dixit quantitatem, seu dimensiones interminatas esse coævas materiæ: quod ipsum plures ex Antiquis docuerunt allegati à P. Suarez *disp. 14. Metaph. sect. 3. à principio.* Alij verò è Recentioribus non modo quantitatem interminatam, sed etiam termina tam figuratamque tribuunt materiæ veluti subiecto inhæsionis, ita vt eadem numero quantitas cum materia transeat de corrupto in genitum. Quod communiter tueri solent quotquot ferè docent in generatione substantiali non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, allegati *disp. præcedenti, n. 2.*

7 Verum & ij adhuc dividuntur; existimantibus quibusdam ipsorum, materiam esse subiectum inhæsionis accidẽtium, suppositata tamen formà substantiali à qua primò actuatur; alijs verò è contrà putantibus, materiam secundum se, & independenter à forma, recipere quantitatem, & accidentia. Aliqui etiam ex prædictis addunt, materiam quò ad munus sustentandi accidentia non pendere à formà vt à conditione necessaria, sed vt à causa habilitante materiam, & perficiente illam in suo esse, quo possit sustentare accidentia, vtpotè ex se insufficientem, & non habentem esse absque forma. De quo consulendi sunt Conimbricenses *1. de Generat. cap. 4. q. 4. art. 1.* Alij plures existimant accidentia pendere a materia vt à subiecto immediato inhæsionis, ita vt à forma etiam pendeant tamquàm à causa efficiente per emanationẽ, & postea cõservante, ideoque, & consequenter, aiũt, quoties materia transit ab vna forma in aliam, eadem numero accidentia manere in genito, quæ præcesserant in corrupto, quia optimè stat, accidens ab vna forma productum, conservari ab alia.

8 Imò & P. Oviedo *de Generat. controv. 1. punct. 3. à n. 3.* & Sancta-Crucius *disp. 1. in lib. 1. de Generat. q. 1. sect. 2. n. 29. margin.* docent, adhuc dato quòd accidẽ-

cidentia inhæreant toti compoſito, non inferri reſolutionem fieri vſque ad materiam primam, ſed poſſe eadem accidentia variare ſubiectum: ac per conſequens fruſtrà Authores oppoſitos exeruiſſe vires ad probandum accidentia inhærere toti compoſito, cum adhuc eo permiſſo non evincāt omnimodam reſolutionem, quam ſartā tectam volunt. Denique materiam eſſe ſubiectum adæquatum quantitatis, & hanc reliquorum accidentium, docet Suarez *loco alleg.* Hurtado *in præſenti diſp.6.num.8.* Arriaga *diſp.5. Phyſic. num.13.& 31.* Tellez *diſp. 71. ſect. 4.& diſp.23. ſect.14.* Leſsius *de Divinis Perfect. lib.12.num.112.* Lugo de Euchar. *diſp.10.* Hemelman *tract. 11. diſp. 6.* P. Didacus de la Fuente Hurtado *diſp. 24. Phyſicæ cap.3.* Murcia, Raconis, Aſtudillo, Caprinus, & Giattinus, alijque plures, quanquā nonihil variantes inter ſe. Vide Pontium *diſp.6.Phyſic.q.4.& 5.abſolutè.*

9 *SECVNDA* Ex oppoſito docet, ſubiectum inhæſionis accidentium non eſſe materiam, ſed ſubſtantiam cōpletam, ſeu compoſitam ex materiā & formā. Ita D. Thomas 1.*p.q.76.ar.6.& q. vnica de Spirit.creaturis ar.3.ad* 18. & Albertus *in Summà de Homine 2.q.* an nutritio fiat ex ſimili, *ar.1.* Durandus *in 1.diſt. 8.2.p.q.4.* Capreolus *in 2.diſt.13.q.1.cōcl. 2.& 3.& diſt.18.q.1.concl.6.* Caietanus *de Ente & eſſentiā cap. 7.q. 16.* Soncinas *lib.8.Metaph.q.7.& 15.& 17.& 18.* Ferrara *4.contra Gent.cap.81.q.2.& 3.* Soto *1.Phyſic.q.7.* Complutenſes *diſp.2.de Generat.ſubſtant.q.4. 5.& 6.* Ioannes a S. Thoma *q.9.ar.1.* communiterque Recētiores Thomiſtæ. Ex PP. Societatis Rubio *lib.1.de Generat.cap.4.* Vazquez *tom. 2.in 3.p.diſp.120.num.30.* ac tandem noviſsimè Mazziota *in Selectis q.9.* quibus omnibus libenter ſubſcribo.

10 *PRO* Reſolutione controverſiæ iuxta ſenſum Doctoris Angelici, præmittendum eſt, quid requiratur vt aliquid ſit ſubiectum inhæſionis; quid etiam ſit ipſum inhærere accidentium. Quò ad primum duæ conditiones aſsignantur. Prima eſt, potentialitas ad recipiendam in ſe formam accidentalem. Secunda verò, actualitas ad ſuſtentandàm illam in eſſe. Ratio vtriuſque eſt evidens: quia ſubiectum inhæſionis recipit ſimul & ſuſtentat formam accidentalem in ſe. Ergo debet habere potentialitatem paſsivam ad recipiendam accidētalem formam, ſimulque actualitatem ad eam ſuſtentandam: nam & recipere eſt actus potentiæ paſsivæ, & ſuſtentare aliud eſt proprium ſubſiſtentis per ſe, ac proinde habentis propriā actualitatem. Quò ad ſecundum verò, ſcilicèt, vt aliquid dicatur inhærere ſubiecto, quidam exigunt, formam, ſeu accidens, quod inhærere dicitur, eſſe realitatem, & non modum. Im merito tamen: nam accidentia modalia verè ac propriè inhærent ſubiecto, cum hoc ſit de ratione communi accidentis, & non diſtinguatur à ratione entis in alio: ſicuti modi ſubſtantiales ex ratione cōmuni ac tranſcendentali ſubſtantiæ ſunt entia per ſe. Non ergo requiritur vt aliquid inhæreat ſubiecto, quòd ſit realitas accidentalis, ſed ſufficit ſi vel realitas, vel modus ſit.

11 *VNICA* Ergo conditio exigitur, vt aliquid dicatur alteri inhærere: ſcilicet, quod ita informet, ſive actuet ſubiectum, vt non det illi primum eſſe, ſeu ſimpliciter tale, ſed potiùs præſupponat illud, & ſolùm tribuat eſſe ſecundarium, ſeu conſecutum. Ratio à priori eſt: quia omne quod inhæret alteri, præſupponit illud tanquam fundamentum cōpletum & ſufficienti actualitate præditum ad ſuſtentandum ipſum: ac proinde ſupponit illud habens primum eſſe, ac ſimpliciter tale. In quo latum diſcrimen eſt inter formam accidentalem & ſubſtantialem. Licèt enim vtraque vniatur & pendeat à ſubiecto, forma ſubſtantialis ſolùm pendet ab illius potentialitate, vt in eo recepta incommunicabilis reddatur; non tamen pendet ab aliquà eius actualitate, ſed potius in eà præſupponit carentiam totius actualitatis; vtpotè in formās puram potentiam materiæ primæ. Accidentalis autem forma non modò pendet à potentialitate ſubiecti, in qua recipitur; ſed etiam ab eius eſſe & actualitate, in quà ſuſtentatur. Cùm enim ſolùm tribuat eſſe ſecundarium & conſecutum, ac proinde præſupponat primarium ſubiecti, conſequenter præſupponit in eo ſufficientem actualitatem à quà ſuſtentetur, cuique proinde inhæreat. Quam doctrinam luculenter tradit S. Thomas Opuſc. 31. in principio dum ait: *Id quod propriè eſt in potentiā ad eſſe ſubſtantiale eſt materia prima: quod autem eſt in potentia ad eſſe accidentale dicitur ſubiectum. Subiectum autem tribuit eſſe accidenti, quia accidens non habet*

eſſe

esse, nisi per subiectum. Vnde dicitur quòd accidens sit in subiecto; non autem dicitur quòd forma substantialis sit in subiecto: & secundũ hoc differt materia à subiecto, quia subiectum est quod non habet esse ex eo quòd aliquid ei advenit, sed quod est per se, & habet esse completum, vt homo, non habet esse per albedinem. Sed materia dicitur quòd habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se est esse incompletum; imò nullum habet esse, vt dicit Commentator 2. de Animâ. Hæc D. Thomas satis opportunè præsenti instituto: ex quibus liquet, inter alia, formam simpliciter loquendo tribuere esse materiæ, accidẽs verò non tribuere esse subiecto, sed potiùs subiectum accidenti: quia scilicèt forma non præsupponit actualitatem in materia, accidens verò præsupponit actualitatem in subiecto.

12 *OBIICIES*: Etiam materia prima exigit omnino existentiam; vt recipiat substantialem formam. Alioqui hæc in puro nihilo reciperetur. Ergo non solùm accidentalis forma, sed etiam substantialis præsupponit actualitatem in proprio subiecto: ac proinde ex hoc capite nulla est disparitas vtriusque.

13 *Præterea*: Accidens non recipitur in ipsa existentia subiecti, neque in eo prout est ens in actu, sed quatenus in potentia passivà est ad accidentalem formam, vt docet S. Tho. 1. *contra Gent. cap.* 23. & 1. *p. q.* 3. *ar.* 6. vbi asserit subiectum accidentis comparari ad ipsum vt potentiam ad actum, quia accidens est formà quædam constituens subiectum in actu secundùm esse accidentale. Tam ergo accidentalis, quàm substantialis forma, comparantur ad proprium subiectum, tanquam ad ens in potentia passivà absque vllo inter vtramque discrimine.

14 *HÆC* Tamen levia sunt. *Ad I.* enim cõstat ex dictis in *Physicâ disp.* 5. materiam primam, vt recipiat formã substantialem, non præexigere actualitatem existentiæ, sed satis esse si illam concomitanter habeat, mutuatam ab eadem formâ. Quod sufficit vt hæc non recipiatur in puro nihilo. Aliquid enim est materia pro illo priori naturæ, quo recipit formam, nempe potentia passiva exercitè susciplens formam, & specificativè existens; quorum nihil habebat in statu meræ possibilitatis, & futuritionis. Quod enim in eo statu constitutum est, neque habet specificatiuè & in re existentiam, neque recipit formam àliquam in exercitio. Vnde fit tandem, primam omnemque actualitatem in genere substantiæ provenire materiæ à formâ & per formã substantialem, vtpotè ab actu primo & simpliciter tali in eo genere. Forma autẽ accidentalis, cùm non det primum esse simpliciter subiecto, sed solùm esse secundarium & consecutum, necessariò præsupponit subiectum antecedenter existens, & in actu perfecto intra proprium genus.

15 *AD II.* Verum quidem est, accidens recipi in subiecto vt potentiâ passivâ ad effectum illius formalem, & specificum, sive ad propriã ipsius actualitatem. Cæterum idem accidens quo ad exercitium existendi præsupponit necessariò existentiam subiecti, quæ est existẽtia per se; non quidem veluti rationem formalem terminandi existentiam accidentis, quod non in se ipso, sed solùm in alio existere potest, tanquam ab eo sustẽtatum & terminatum. Vnde obiter colligitur ratio opportuna, vt accidens possit suppleri a Deo ita, vt sine proprio subiecto sustentante in rerum naturâ permaneat: quia, nimirum, accidens solùm pendet à subiecto quò ad exercitum existendi, & quò ad terminationem in alio; quod longè meliùs supleri potest à causâ primâ vt efficiente, quàm præstari à substantiâ creatâ vt sustentante & terminante. Consequenter notandum, substantiam sive subiectum, non esse causam purè materialem exercitij existendi accidentium, sed aliquid admixtum habere de formali in ratione terminantis & sustentantis: quatenus, scilicet, ipsum esse subsistens subiecti communicatur accidentibus, nõ vt reddat illa subsistentia, sed solũ existẽtia in alio; sic tamen terminata, vt non egeant communicatione sui circa alterũ subiectum, vt sustententur in suo esse. Quemadmodum autem licèt exercitium subsistentiæ creatæ circa propriam naturam sit formale, præstatur & suppletur à Deo per puram terminationem intrinsecam, absque nævo informationis; sic etiã licèt exercitium subiecti circa accidentia sit materiale & partim formale, potest à Deo suppleri absque informatione & receptione per solam extrinsecam manutentionem, & in genere causæ efficientis.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Materiam primam, adhuc ſuppoſitâ formâ vt conditione, non eſſe ſolam ſubiectum immediatum inhæſionis accidentium materialium: ſed tantùm eſſe ſubiectum quo compoſitum illa recipit pro poſteriori ad formam in materiâ receptam.

16 PRIOR Aſſerti pars eſt D.Tho. pluribus in locis docētis materiā primam non eſſe ſubiectum accidentium: vt *cap.7. de Ente & eſſentiâ*, & 1.*p.q.*76.*ar.*6.& *q.*77.*art.*6. vbi hæc habet: *Quia forma ſubſtantialis facit eſſe ſimpliciter, eius ſubiectum eſt ens in potentiâ tantùm. Forma autem accidentalis non facit eſſe ſimpliciter, ſed eſſe tale, aut tantum, aut aliquo modo ſe habens: ſubiectum enim eius eſt ens in actu.* Quæ verba licèt apertiſsimè contineant noſtram ſententiam, in hunc digero ſyllogiſmum. In hoc diſtinguit S.Doctor formam ſubſtantialē ab accidentali, quòd ſubiectum primæ ſit ens in potentiâ, ſecundæ verò ens in actu. Sed nomine entis in potentiâ intelligit materiam primam, nomine autem entis in actu, compoſitum ex materiâ & formâ. Ergo materia prima, iuxta ipſum, ſolùm eſt ſubiectum ſubſtantialis formæ, nō autem accidentalis; hoc enim tantùm eſt compoſitum ſubſtantiale. Scio nonnulla eiuſdem Angelici Doctoris teſtimonia à quibuſdam Adverſariorum allegari in oppoſitum; quaſi ille ſententiam mutaverit. Sed decurſu diſputationis conſtabit illum in traditâ opinione perſeveraſſe, quanquam ſpecie tenus aliquando in oppoſitā inclinaverit.

17 PORRO Ariſtoteles videtur à nobis manifeſtè ſtare in *Prædicam. cap. de Subſtantiâ*, vbi inter alia inquit, primas ſubſtantias, ſcilicèt, individua cōpleta intra ſubſtantiæ genus, eſſe ſubiecta cæterorum omnium, quæ in eis ſunt, ac proinde accidentium. Verba exſcribo: ἔτι αἱ πρῶται οὐσίαι, διὰ τὸ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ὑποκεῖσθαι, καὶ πάντα τὰ ἄλλα ἢ κατηγορεῖται τούτων, ἢ ἐν ταύταις εἶναι, διὰ τοῦτο μάλιστα οὐσίαι λέγονται. *Præterea primæ ſubſtantiæ, quia cæteris omnibus rebus ſubijciuntur, & cætera omnia his attribuuntur, aut in eis inſunt, propterea maximè ſubſtantiæ dicuntur.* Quod teſtimonium adeò expreſſum, & cuique fere obvium, miror ab Authoribus noſtræ opinionis obſervatum non fuiſſe. Neque effugium ſupereſt Adverſarijs, ſi fortè illud explicent de materiâ primâ, quaſi & hæc ſit prima ſubſtantia, quæ accidentibus ſubijciatur, cuique accidentia inſint. Contrà enim eſt, Philoſophum toto eo capite nomine primæ ſubſtantiæ ſolùm intelligere individuum completum, ſive compoſitum ex materiâ & formâ. Vnde & in limine capitis, poſt traditam primæ ſubſtantiæ definitionem, ſtatim adhibet exemplum in individuis completis, vt in quodam homine, & quodam leone: eodemque ſtylo proſequitur prædictum caput, prout legēti palam erit. Igitur ex mente Philoſophi ſubiectum omnium accidentium non eſt materia prima, ſed individuum completū ex materiâ & formâ, quod ab eo appellatur prima ſubſtantia.

18 *CONFIRM.* Quia eodem capite ſemel & iterum hanc propoſitionem ſtatuit: *Non exiſtentibus igitur primis ſubſtantijs, aliquid aliorum eſſe eſt impoſsibile.* Idque immediatè probat hac ratione: *Omnia enim alia aut prædicantur de eis, aut in ſubiectis eis ſunt.* Vbi docet manifeſtè, primas ſubſtantias, ſcilicèt, completas, & directè ſpectantes ad illud prædicamentum, de quò ibidem agit, eſſe ſubiectum omnium accidentium, ſeu, quod perinde eſt, omnium, quæ ijs inhærent. Et obiter notatum volo, ijs verbis Philoſophum nō leviter indicaſſe, in generatione ſubſtantiali fieri reſolutionem vſque ad materiā primam, vt diſputatione præcedenti tradidimus. Aſſerit enim, non manentibus primis ſubſtantijs, impoſsibile eſſe quòd maneat aliquid aliorum omnium, quæ eis inſunt. At in generatione ſubſtantiali non manet prima ſubſtantia, quæ præceſſit; ſcilicet, non manet compoſitum præcedens. Ergo impoſsibile eſt quod maneant accidentia, quæ inhærebant tali compoſito. Nec ſimiliter locus eſt exponendi Ariſtotelem de prima ſubſtantia acceptà pro materiâ primâ: Tum propter impugnationem præcedentem: Tum quia loquitur de illa prima ſubſtantia, quæ iuxta ipſum poteſt non manere. At iuſta Philoſophum ſolum compoſitum poteſt nō manere, materia autem æterna aſſeritur, & perpetuò manet. Non ergo nomine primæ ſubſtantiæ intelligit materiā primam, ſed compoſitum.

19 *CONFIRM. II.* ex eodem

lib.

lib. 1. *de Generat. cap.* 4. *textu* 24. illis verbis: *ὅταν δὲ μηδὲν ὑπομένῃ, ἓν θάτερον πάθος, ἢ συμβεβηκὸς ὅλως, γένεσις· τὸ δὲ φθορά. At cùm id non remanet, in quo affectuum alter, aut omnino accidens existit; tunc generatio vnius est, & alterius corruptio.* Supponit ergo in corruptione non manere id quod est subiectum accidentium. At in corruptione manet materia prima, compositum verò non manet, vt evidens est. Ergo iuxta Philosophum, non materia prima, sed compositum est subiectum accidentium. Quare immeritò Santa-Crucis *vbi suprà* veluti rem indubiam tradit, Philosophum in oppositâ fuisse sententiâ, cùm neque in locis, quæ ex ipso allegat, neque ex alijs posit efficaciter, aut verosimiliter colligi.

20 *OBIICI* Tamen potest locus ex 2. de Generat. *cap.* 1. *textu* 6. vbi videtur docere, materiam primam esse subiectum contrariarum qualitatum. Inquit enim: *Ac principium quidem summum constituere debemus materiam: quæ quidem etsi inseparabilis datur, contrarijs tamen substernitur, quia calor non est frigoris materia, nec frigus caloris; mò verò id, quod ambobus subditur.* Docet ergo materiam esse summũ principium, id est, primum subiectum, quod subditur, seu substernitur contrarijs accidentibus, ac proinde calori & frigori.

21 *SED* Respondetur facilè ex verbis immediatè adiectis ab eodem Philosopho, his, scilicèt: *Quapropter summum rerum principium potestate sensile corpus est.* Scilicet materia prima non est summum principium, seu primum subiectum accidentium actu & proximè, sed *potestate*, vt inquit Aristoteles, seu remotè: quatenus recipiendo immediatè formam, recipit mediatè & subinde accidentia contraria. Præterea relatis verbis solùm docet, materiam substerni, sive subdi accidentibus contrarijs, quod libenter fatemur: non tamen explicat, an subdatur immediatè, & vt *quod*, prout Aduersarij volunt; an verò *vt quò* solùm & mediatè, prout nos asserimus. Nihil ergo asserit Philosophus, quod è re Aduersariorum sit.

22 *IAM* Verò probatur Assertum ratione deducta ex Philosopho & D. Thomâ locis adductis, in hanc formam redacta. Illud est subiectum immediatum & per se accidentium, cui convenit primo immediatè, ac per se substare accidẽtibus. At non materiæ primæ, sed soli cõposito ex materiâ & formâ, convenit primò immediatè ac per se substare accidẽtibus. Non ergo materia prima, sed solum compositum, est subiectum immediatè ac per se accidentium. Consequentia manifestè deducitur. Maior videtur ex terminis manifesta: quia esse subiectum accidentium est sub ijs esse, aut substare: ac proinde illud est subiectum primum, immediatum, ac per se accidẽtium, cui primò, immediatè, ac per se convenit substare accidentibus. Minor principalis probatur: Substare primò & immediatè ac per se accidentibus, illi solùm convenit, cuius proprietas est accidentibus substare. At non materiæ, sed solius compositi ex materiâ & formâ proprietas est aceidentibus substare. Nõ ergo materiæ primæ, sed soli composito ex materiâ & forma, convenit primò, immediatè, ac per se substare accidentibus. Probatur minor. Substare accidentibus solùm est proprietas primæ substantiæ, vt omnibus in confesso est cum Philosopho allegatis locis. At non materia, sed compositum ex materiâ & formâ, & quidem determinatũ, atque in individuo existens, est prima substantia, vt superiùs probatum est. Ergo nõ materiæ, sed solius compositi proprietas est substare accidentibus.

23 *CONFIRMATVR.* Substare accidentibus, seu esse subiectum inhæsionis illorum, solùm est proprietas entis per se subsistentis. At non materia prima, sed solum compositum ex materiâ & formâ (loquor de rebus materialibus) est ens per se subsistens. Ergo substare accidentibus, seu esse subiectum inhæsionis illorũ, non est materiæ proprietas, sed solius cõpositi ex materia & formâ. Minor patet: quia materia vt condistincta à composito non est per se subsistens. Aliàs posset naturaliter extra compositum existere, quod in omni sententiâ absurdum est. Maior autem probatur. Substare accidentibus, seu esse subiectum inhæsionis illorũ, solùm est proprietas entis potentis illa sustentare. At solum ens per se subsistens potest accidentia sustentare: quia nihil potest sustentari in alio, nisi illud subsistat & existat per se. Ergo substare accidentibus, seu esse subiectum inhæsionis illorum, solùm est proprietas entis per se subsistentis.

24 *OCCVRRES I.* ex doctri-

nâ

nà Adverſariorum aſſerendo, rationem primæ ſubſtantiæ potiùs ac priùs convenire materiæ, quàm compoſito: quia materia eſt primum ſubiectum intra genus ſubſtantiæ, & prior naturà ipſo compoſito. Omnis enim pars eſt cauſa intrinſecà, ac proinde prior naturà toto. Ergo ràtio primæ ſubſtantiæ priùs naturà convenit materiæ primæ, quam toti, ſeu compoſito ex materià & formà. Ergo ſi primæ ſubſtantiæ proprietas eſt ſubſtare accidentibus, priùs naturà cõvenit proprietas hæc materiæ, quàm toti compoſito; proindeque illa erit primum ſubiectum & immediatum inhæſionis accidentium.

25 *SED Contrà I.* Nam nomine & re primæ ſubſtantiæ, tam ab Ariſtotele, quàm à cæteris Philoſophis, non accipitur id quod habet rationem primi ſubiecti ad formam ſubſtantialem, ſed id quod eſt primum & immediatum ſubiectum formarum accidentalium, vt ſuprà vidimus. At licèt materia ſit primum ſubiectum ſubſtantialis formæ, non eſt primum & immediatum ſubiectum formarum accidentalium. Ergo nomine & re primæ ſubſtantiæ non accipitur materia prima. Probatur minor ratione ſupra inſinuatà. Id quod eſt primum & immediatum ſubiectum formarum accidẽtalium, debet eſſe per ſe ſubſiſtens, vt potè ſuſtentans in ſe accidentia. Ergo cùm materia non ſit per ſe ſubſiſtens, non poteſt in ſe ſuſtentare accidentia, ac proinde neque eſſe illorum primum ſubiectum & immediatum.

26 *CONTRA II.* Licèt materia in ratione puræ potentiæ ſit prior natura toto, ſeu compoſito, in ratione tamẽ ſubſiſtentis non eſt prior naturà, ſed poſterior. Ergo ſimiliter in ratione ſubiecti accidentium eſt poſterior, non autem prior. Conſequentia patet: Quia, vt iam probatum eſt, ſubiectum accidentiũ quà tale, debet eſſe per ſe ſubſiſtens. Antecedens verò probatur: Tum, quia materia pro priori naturæ ad totum non habet ſubſiſtentiam propriam, vt ſuppono ex communi ſententià: tum quia ſubſiſtentia in opinione frequenti Adverſariorum eſt actus vltimus intra genus ſubſtantiæ; ac proinde nõ præcedit in materià pro priori naturæ ad formam, vel ad compoſitionẽ totius. Irrationabile enim eſſet aſſerere, materiam præſupponi in vltimo actu de genere ſubſtantiæ pro priori naturæ ad actum primum in eodem genere. Igitur licèt materia in ratione puræ potentiæ ſit prior naturà toto, ſeu compoſito, in ratione tamen ſubſiſtentis non eſt naturà prior, ſed poſterior.

27 *CONTRA III.* Subſtare accidentibus eſt proprietas per ſe & immediatè conſecuta ad rationem entis per ſe ſubſiſtentis. Quod enim primò omnium concipitur in ſubſtantia prædicamentali, eſt ratio entis per ſe ſubſiſtentis, ſive ſiſtẽtis in ſe ipſo, & ſubinde ac ſecundario ſubſtare alijs. Ergo priùs naturà debet ſubſtãtia præſupponi per ſe ſubſiſtens, quã ſubſtans accidentibus. Sed pro illo priori naturæ quo materia antecedit compoſitũ, nondum concipitur aliquid per ſe ſubſiſtens, vt probatum eſt. Ergo pro illo priori naturæ nondum concipitur aliquid ſubſtans accidentibus. Vt ergo intelligatur ſubiectum accidentium, debet priùs naturà præcedere compoſitum ex materià & formà, cui tantum convenit eſſe ſubſiſtens per ſe.

28 *OCCVRRES II.* aſſerendo cum Adverſarijs, materiam primam pro priori naturæ, ad formam, & ad compoſitum, habere propriam exiſtentiam, ſive diſtinctam, ſive indiſtinctam realiter: ac proinde iam exiſtere per ſe ſufficiẽti modo ad ſuſtentandum accidentia. Modus enim exiſtendi per ſe ad ſuſtentandum accidentia ſufficiens, eſt ille, quo materia eſt vltimò completa in ratione primi ſubiecti ſubſtantialis. At materia pro illo priori naturæ ad formam & compoſitum, eſt vltimo completa in ratione primi ſubiecti ſubſtantialis, tum per ſuam entitatem, tum per exiſtentiam propriam, ſive diſtinctam, ſive indiſtinctam, quidquid enim pro poſteriori naturæ ipſi advenit, non pertinet ad rationem primi ſubiecti ſubſtantialis, ſed ad rationem formæ, & totius, vt ex ſe patet. Iam ergo materia pro illo priori naturæ ad formã & compoſitum exiſtit modo ſufficienti ad ſuſtentandum accidentia.

29 *SED Contrà I.* Materia enim vt ſatis ſuperque probatum manet in Phyſica *diſp. 5.* nulla gaudet exiſtentia propria, neque diſtincta, neque indiſtincta, cùm ex ſe ſit pura potentia expers totius actualitatis: ac proinde in ſolutione ſupponitur ſententia à nobis reiecta, & minùs probabilis, vt ibidem oſtenſum eſt.

Non

Non ergo materia pro priori naturæ ad formam & compositum præsupponitur cum actualitate sufficienti ad recipiendū accidentia.

30 *CONTRA II.* Et, permissà gratis illà opinione, adhuc materia nequit pro illo priori esse subiectum accidētium, sed solùm pars subiecti illorum, resultaturi pro posteriori signo. Quod enim est propriè subiectum accidentium, & nō solùm pars subiecti, debet esse simpliciter & absolutè completum intra genus substantiæ. Sed materia, esto habeat propriā existentiam partialem, non est quid simpliciter & absolutè completum, sed potiùs incompletum intra genus substantiæ. Ergo materia, esto habeat suam existentiam partialem, non est propriè subiectū, sed solùm pars subiecti accidentium. Cōsequentia est evidens, & minor similiter: quia esto materia pro illo priori habeat propriam existentiam partialem, nondū intelligitur actuata per formam, quà cōpletur intra genus substantiæ.

31 *Maior* autem, in quà est dissidiū, probatur multipliciter. *Primò:* Quod enim est propriè subiectum accidentium, & non solùm pars subiecti, est illud quod intra genus proprium substantiæ habet vltimam perfectionem; ac proinde solùm ipsi supereſt vt in alieno & extraneo genere perficiatur. Ergo debet esse simpliciter & absolutè completum intra genus substantiæ. *Secundo* probatur eadem maior. Naturà enim insitum est vnicuique rei, vt priùs in se, atque intra proprium genus adquirat vltimam actualitatem intrinsecam, quàm perfectionem accidentariam, & in extraneo genere conuenientem. Sed quod est propriè subiectum accidentium per complementum absolutè & simpliciter in genere substantiæ adquirit vltimam actualitatem sibi intrinsecam; per receptionem verò accidentium adquirit solùm perfectionem accidentariā, & in extraneo genere conuenientem, vt ex se patet. Ergo quod est propriè subiectum accidentium debet esse priùs naturà completum intra genus substantiæ.

32 *Tertiò* probatur eadem maior. Quod enim propriè est subiectū accidentium, sustentat illa, seu reddit perfectè existentia in alio. Ergo debet esse perfectè existens per se, aç proinde vltimò completum intra genus substantiæ. Nihil enim potest reddere aliud sufficienti modo existens, nisi sufficienter existat per se ipsum; quà ratione solùm existit quod cōpletum est in genere substantiæ. Neque recurras ad animam rationalem, quæ in statu separationis sustentat accidentia spiritualia, quin in se ipsa completa sit intra genus substantiæ. Etenim quò ad accidētia spiritualia rationalis animus independenter à materià est substātia completa, & per se subsistens; imò & quò ad materialia accidentia non indiget complemēto materiæ, tanquam actu perficiente intra genus substantiæ, sed solùm tanquam subiecto: cuius oppositum cōtingit in materià.

33 *CONFIRMATVR* Impugnatio præiacta, & simul fulcitur præcipua ratio Asserti. Sive enim materia habeat, sive non habeat propriam existentiam, imò & subsistentiam partialem; adhuc nequit esse immediatè susceptiva accidentium. Adhuc enim potentia ipsius passiva debet respicere formas ordine quodam naturæ rerum consentaneo, ac proinde priùs substātialem formam, quæ est primus eius actus, & intra proprium genus substantiæ, quàm accidentalem, quæ est actus consecutus, & in extraneo genere. Omnis enim potētia passiva priùs respicit actum primum, à quo intimam perfectionem accipit, quàm secūdarium, à quo extraneam solùm & consecutam. At etiam permisso, materiā habere propriam existentiam, imò & subsistentiam partialem, adhuc forma substantialis est actus primus, à quo intimè materia perficitur in proprio genere; accidentalis verò est actus solùm secundarius & consecutus, à quo perficitur in genere extraneo. Ergo adhuc eo permisso, materia priùs respicit & perficitur per substantialem, quam per accidentalem formam. Non ergo recipit accidentia immediatè, sed solùm mediantè substantiali formā.

34 *CONFIRM. II.* Eo namque ordine materia debet recipere formas, quo illas respicit: sicuti vniversè loquendo subiectum non nisi eo ordine, quo formas respicit, illas recipit in se. Vnde quia anima priùs respicit potentias intellectivam & volitivam, quam ipsarum actus, priùs quoque recipit intellectum, & voluntatē, quàm intellectionem & volitionem. Similiterque, quia substantia materialis priùs naturà respicit quantitatem, vtpotè proprietatem, quàm colorem, qui acci-

dens

dens commune est, priùs quoque naturà recipit quantitatem, quàm colorem; & quidem non aliter colorem, quàm mediante quantitate, sicut nec anima intellectionem & volitionē, nisi mediante intellectu ac voluntate, prout in ipsa receptis. Modò sic. Sed materia priùs respicit formam substantialem, quā accidentalē. Ergo & priùs naturà recipit substantialē, quàm accidentalē formā; proindeq; hāc non recipit, nisi mediante formā substantiali. Probatur minor. Materia priùs respicit actū, à quo intrinsecè & in proprio genere specificatur, quàm actum à quo speciem non desumit, sed solùm perfectionē secundariam & in extraneo genere. Sed forma substantialis est actus, a quo materia intrinsecè, & in proprio genere specificatur; accidentalis verò forma est actus à quo speciem non accipit, sed solum perfectionem secundariam, & in genere extraneo. Priùs ergo materia respicit substātialem formam, quàm accidentalem.

35 *DICES I.* ex doctrina Eximij Suarez *disp.* 14. *Metaph. sect.* 3. *num.* 56. quem alij Recentiores imitantur, materiam priùs respicere formam substantialem, quàm accidentalem, ordine intentionis; non tamē ordine executionis. Hoc enim posteriori sensu priùs accidentalem formam respicit, veluti medium & dispositionem ad formā substantialē in se recipiēdā: sicuti vniversim media priùs in executione ponuntur, quàm finis obtineatur.

36 *VERVM* Solutio hæc relata à nobis est, & efficaciter pluribus impugnata *disput.* proximè præcedenti *à num.* 26. quæ hic repetere opus non est. Deinde exemplis modò adductis intellectus & voluntatis, actuumque vtriusque potentiæ, & quantitatis, ac coloris, evincitur planè subiectum priùs in executione recipere actum, quem priùs ordine naturæ respicit. Manifestum est autem materiam priùs ordine naturæ respicere actum primum substantialem, quàm secundarium & accidentalem. Priùs ergo in executione actum primum substantialem, quā secundariū & accidentalē recipit. Cæteræ impugnationes legantur loco indicato.

37 *DICES II.* (admentem aliorum ex Adversarijs, qui docent formam substantialem solùm esse conditionem requisitam, vt materia recipiat accidentia) stare optimè vt materia respiciat priùs naturā formam substantialem, quàm accidentalem, imò & quòd prius naturā recipiat illam, quàm istam; & tamen non ideo recipiat accidentalem formam mediante formā substantiali. Quod probari potest exemplo eodem intellectus, volantatisque à nobis in confirmationem adducto. Licèt enim anima priùs naturà respiciat, imo & recipiat intellectum quàm voluntarem, sicut & intellectionem, quam volitionem, non ideo recipit voluntatem mediante intellectu, nec volitionem media intellectione. Si enim anima mediante intellectu reciperet voluntatem aut media intellectione volitionem, intellectus esset subiectum immediatè receptivum voluntatis, & intellectio volitionis: sicuti quia eadem anima mediante intellectu recipit intellectionem, & media voluntate volitionē, intellectus est subiectum intellectionis immediatum, sicut & voluntas volitionis. At falsum est, & à nemine assertum, quod intellectus sit subiectum immediatè receptivum voluntatis, aut intellectio volitionis: nulla enim potentia est subiectum receptivum alterius potentiæ, sicuti & nulla operatio alterius operationis. Ergo de primo ad vltimum, licèt materia priùs naturà respiciat, imò & recipiat substantialem formam, quàm accidentalem, non colligitur recipere accidentalem mediante substantiali formà. Igitur quēadmodum in relato exemplo, licèt priùs naturà intellectus respiciatur & recipiatur ab anima, quàm voluntas, vtraque potētia recipitur in animà tamquam in subiecto immediato; ita etiam, licèt materia respiciat, imò & recipiat priùs naturà substantialem, quam accidentalem formam, poterit vtràque in materia tamquam in subiecto immediato recipi.

38 *HÆC* Solutio videtur omnium verosimilior, quæ excogitari possunt pro sententiā adversā, licèt illam nō legerim apud Authores contrarios. Placet tamen ipsam exhibuisse, neque vnquam prætermittere quidquid favere potest opinionibus, quas impugno. quod tamē desideratur apud plerosque Authores, levi solùm, aut perfunctoria manu proponentes argumenta sibi opposita, & tantùm extimam pungentia cutem, vt inde suam opinionem indoctis lectoribus evidentem esse persuadeant. Iam verò in solutionem præiactam, quamquam impugnatu difficilem, multipliciter ar-

gumento. *Primò* sic. Vt enim materia, quatenus condistincta à formâ sit subiectum immediatè receptivum accidentium, debet per se ipsam vt cõdistinctam à forma esse per se subsistens, potensque seorsim ab alio existere. Sed materia vt condistincta à forma non est per se subsistens, nec potens seorsim ab alio existere. Ergo materia vt condistincta à forma non est subiectum immediatè receptivũ accidentium, sed solùm mediante forma. Consequentia patet, & minor similiter, cùm ex suprà dictis constet, materiam aut non habere propriam subsistentiam, aut si illam habet, esse solùm partialem per modum potentiæ passivæ; ideoque ineptam ad sustendandum accidentia, & ad existendum seorsim à forma. Maior autem probatur, tum à priori, tum à pari. A priori quidem: nam subiectum immediatè receptivum accidentium, per se, vt condistinctum ab omni alio, debet sustentare accidentia in seipso, & reddere illa inexistentia. At solùm potest sustentare accidentia, & inexistentia illa reddere id, quod est per se subsistens, potensque seorsim ab alio existere, vt superiùs ostensum est. A pari autem probatur eadem maior retorquendo instantiam eiusdem animæ rationalis, cui solutio præiacta innititur. Vt enim anima prout condistincta à materia sit subiectum receptivum immediatè intellectus, voluntatisque, debet esse per se subsistens, potensque seorsim à materia existere. Vnde nec forma materialis, seu corporea, est immediatè susceptiva accidentium, quia per se subsistens non est, nec potens existere seorsim à materia. Ergo pariter, vt materia quatenus condistincta à forma sit subiectũ immediatè receptivum accidentium, debet esse per se subsistens, potensq; seorsim a forma existere.

39 *SECVNDO* Impugnatur eadem solutio. Dum enim asseritur, materiam priùs naturâ recipere formam substantialem, quàm accidentalem, non tamen hanc mediante illa; planè asseritur formam substantialem non esse materiæ ipsi rationem formalem recipiendi accidentia, sed conditionem tantùm; sicut receptio intellectus non est rationali animæ ratio formalis recipiendi voluntatem, nec intellectio ad recipiendam volitionem, sed mera conditio. Atqui substantialis forma respectu materiæ non se habet vt conditio mera, sed vt ratio formalis recipiendi accidẽtia. Ergo materia non solum recipit formam substantialem prius naturâ, quã accidentalem, vt solutio tradita admittit, sed etiam hanc mediante illa, quod directe negat. Maior cũ consequentia patet. Minor probatur. Forma enim substãtialis respectu materiæ non est conditio, sed ratio formalis ad cõplendam illam intra propriũ genus substãtiæ. Ergo neque ipsi materiæ est conditio sed ratio formalis recipiendi accidentia. Antecedens probatione non eget. Consequentia suadetur: Quia, vt supra probatũ manet, solius rei actuatæ iam in proprio genere substantiæ est recipere aliquid extranei generis, qualia sunt accidentia. Si igitur substantialis forma no est conditio, sed formalis ratio respectu materiæ vt sit actuata intra genus substantiæ, etiã erit ipsi ratio formalis vt recipiat accidentia.

40 *Confirmat.* hæc impugnatio. Quia approximatio ignis ad passum (idemque videre est in alijs conditionibus ad agendum) est pura conditio vt vrat & calefaciat, pro aliquo priori ad illam præsupponitur ignis integrè ac plenè constitutus in linea substantiæ, ac virtutis operativæ. Sed materia pro priori naturæ ad formã non est integrè ac perfectè constituta in linea substantiæ, vt per se patet, nec etiã in ratione virtutis, aut quasi virtutis receptivæ accidentiũ, vt fatetur data solutio. Ergo ob oppositã rationẽ forma substantialis non est conditio respectu materiæ vt recipiat accidentia. Nec prodest si neges paritatẽ ex eo, quòd approximatio solùm sit conditio concomitans vt ignis agat, receptio verò formæ sit prævia cõditio vt materia recipiat accidentia. Si enim substãtialis forma, sive illius receptio, est solùm conditio, quãquam prævia, vt materia recipiat accidẽtia, semper debes asserere, materiã per se ipsam esse vltimò completã & perfectam intra genus substantiæ, connotata solùm forma vt cõditione: quia subiectum receptivum formarum extranei generis, debet esse vltimò completũ & perfectũ intra propriũ genus. At evidentissimũ est materiã per se ipsam non esse vltimò cõpletã & perfectã intra propriũ genus, connotata solũ forma vt conditione. Ergo substãtialis forma, sive ipsius receptio, nõ est conditio, adhuc prævia, vt materia recipiat accidentia. Nec præterea retorqueas instantiam hãc in

in anima rationali, quæ licèt sit incompleta intra genus proprium, sustentat spiritualia accidentia. Hæc enim obiectio præoccupata fuit *n.* 32. ob singularem rationalis animæ conditionē. *Tertiò*, & principaliter refellitur discursu ex D. Thomà efformato *disp. præced. n.* 33. ex quo planè constat materiam non recipere accidentia, neque propria, neque communia, nisi mediante formà substantiali.

41 *Quartò* denique reijcitur. Vitales enim potentiæ sensitivæ & illarum actus recipiuntur in materia mediante formà vt ratione formali vivendi ac sentiendi, & non vt conditione. Ergo similiter quātitas, & cœtera accidentia. Illatio deducitur, tum à pari ratione vtriusque; tum etiam, quia virtutes sensitivæ, & illarum actus, debent recipi in parte organica & modo extenso: alias non operarentur materialiter. Si ergo virtutes sensitivæ & illarum actus recipiuntur in materia mediante formà substantiali, idem dicendum est de quantitate; ac subinde de cœteris accidentibus. Antecedens vero, suppositā distinctione reali potentiarum ab animà, à D. Thomà statuta, & à multis Adversariorum admissà, probatur quo ad priorem partem. Vitales enim potentiæ sensitivæ emanant ab anima vt radice prima vitæ, & tamquam illius proprietates. Ergo anima est id, quo mediante materia recipit easdem potentias, seu ratio recipiendi illas immediatè. Omne enim principium vitale, sive per modum potentiæ radicalis, sive proximæ, sicut est ratio activa vitæ subsequentis, sic etiā receptiva, cùm sit principium se movens intrinsecè. Indidē verò extorquetur posterior eiusdem antecedentis pars, adhuc posità communiori Adversariorū opinione, negante distinctionē potentiarum ab anima. Actiones enim sensitivæ, cùm sint vitales, recipiuntur in eodem principio à quo eliciuntur. At nō eliciuntur à materia, nisi mediante animà vt ratione formali vivendi ac sentiendi. Ergo nec recipiuntur in materia, nisi mediante animà vt ratione formali vivēdi & sentiēdi. Probatur minor: Quia esse rationē formalem vivendi ac sentiendi, non convenit materiæ, sed solùm animæ, quæ definitur per id, *quo primò vivimus, sentimus, & intelligimus*. Ergo operationes sensitivæ nō eliciuntur à materia, nisi mediante anima, vt ratione formali vivendi ac sentiendi.

42 *POSTERIOR* Asserti pars, quà statuimus materiā esse principiū *quo* compositū recipit materialia accidentia, facilè probatur. Materia enim cùm sit primū subiectū & pura potentia passiva, est prima radix recipiendi quidquid materiale est. Ergo ipsa est principiū *quo* subiectum recipit accidētia materialia. Vnde oportet in ijs accidentibus tria distinguere secundum mentis considerationē. Primum est quòd materialia sint: secundum, quòd habeant rationē actus, quamquā secūdarij, & consecuti ad esse subiecti simpliciter: tertiū, quòd quædam illorum vitalia sint, sive per modū virtutis proximæ, sive per modū actionis, operationisve. Sub prima consideratione recipiuntur accidentia ratione materiæ vt principij *quo*; quia illa est prima ratio recipiendi quidquid materiale est, sive de linea substantiq, sive accidentis, quatenus materiale. Sub secūda inspectione accidentia conveniūt cōposito ratione formę substātialis, vt principij *quo*; quia forma cùm sit actus primus simpliciter, est etiā radix totius actualitatis cōsecutæ in proprio cōposito. Sub tertia deniq; ratione, forma, scilicet, anima est principium *quo*, non solùm eliciendi, sed etiam recipiēdi omnia accidentia vitalia. Neque vllum est absurdum, quòd in eisdem accidentibus operationibusque locus præcisioni sit, vt secundùm vnā cōsiderationē pendeant à forma, secundùm alterā verò à materia, tāquam à principio *quo* recipiēdi: sicut eadē indivisibilis cognitio vt vitalis respicit potentiā solam vt principiū *quo* receptivum; quatenus verò expressiva obiecti respicit speciem solā, vt principium *quo* intentionale.

43 *QVAPROPTER* Tā materia, quam forma, respectu accidentium materialium habent rationem principij *quo* solùm partialis, accipiendo vnamquamque seorsim: cæterum subiectum inhæsionis illorum est cōpositum ex vtraque resultās indivisibiliter & per modū vnius. Habet enim quidquid requiritur, & suprà *n.* 10. assignatum est, vt subiectū inhæsionis sit: scilicet, potentialitatem ad recipiendum illa, & actualitatem ad sustentandum: potentialitatē, ratione materiæ; actualitatē vero ratione formæ. Proindeq; soli subiecto cōvenit esse subiectum immediatū inhæsionis accidētium: nō autē materiæ, neque formæ, nisi veluti principio *quo* & partiali, atque intra propriā linēā. Quare

non est necessum, aut rationi conforme, assignare duas vniones eorūdem accidētium, alteram, qua inhæreant materiæ, alteram verò quà inhæreant formæ. Cùm enim neutra illarum sit subiectum immediatum accidentium, neque extremū cui fit vnio, sed vnaquæque solùm sit principium partialiter constitutivū talis extremi; non est opus assignare duplicem eiusdem accidentis vnionē. Cùm verò extremum ipsum vnionis, scilicet compositū, indivisibiliter ac per modū vnius ex vtràque parte resultet, non eget duplici vnione accidentis, sed vnica. Sicut posita sententia D. Thomæ de vnica existentia realiter distincta ab vnoquoque composito, & aliunde opinione probabili, etiam intra ipsius Scholam, de distinctione reali vnionis superadditæ extremis, existentia nō vnitur cōposito media duplici vnione sed vnica & indivisibili. Idemq; de subsistentia putandū ob eandem rationē, maximè in mea opinione, iuxta quā existentia substantialis rei non distinguitur realiter à subsistentia eiusdem, vt ex D. Angelico, & varijs rationibus ex professo ottēdam in Mētaphysica. Ita ergo de accidentibus relatè ad compositum asserendum est, vnica indivisibili vnione coniungi.

44 De subsistentia autem Verbi divini asserendum videtur, saltem in triduo mortis vnitam fuisse duplici vnione realiter distincta, altera animæ, altera corpori Christi. Nam cum anima Christi separata tunc existeret à corpore, etiam vnio hypostatica respondens animæ, & intrinsecè recepta in illa, debuit separari ab vnione hypostatica respondente cadaveri Christi Domini, seu corpori ipsius iam defuncto, quòd nunquam dimissum fuit à Verbo, sicut neque anima, vt fides docet. Vnde & conijcere licèt Verbum à principio Incarnationis coniunctum fuisse humānitati duplici vnione partiali, altera ad animam, altera ad corpus terminata, quarum quælibet seorsim perseveraverit in triduo mortis, vnaquæque in suo proprio extremo, ne cogamur asserere per mortem Christi resultasse novum modū vnionis hypostaticę in quolibet extremorum seorsim. Vnio enim Verbi ad humanitatem vt humanitas erat quoddam totum, dissoluta fuit per mortem Christi: nā desinente esse humanitate illa, necessum fuit desinere vnionem in eà receptam.

SECTIO TERTIA.

Argumenta sententiæ oppositæ soluta.

45 OBIICIES I. Si rationes, quib⁹ probavimus solius cōpositi esse recipere accidētia, sunt alicuius roboris, probant planè, non modò materiam, & formam seorsim, sed neque cōpositum ex vtraque esse subiectū immediatè receptivū accidentium. Nam compositum ex vtraque non est omnino cōpletū in genere substantiæ, nec per se subsistens, nisi ei superaddatur subsistentia. Si ergo iuxta probationes nostræ opinionis solū id quod est cōpletum in genere substantiæ, & per se subsistens, recipit immediatè accidētia, cōpositum ex materia & forma nō erit immediatū illorū subiectū sed solū suppositū, sive subsistens. At consequens absurdū est, vt patet in humanitate Christi, quæ recipit propria accidentia immediatè, cū hæc non recipiātur in supposito, quod increatū est, & incapax receptionis accidentiū. Alioquī dimittente Verbo divino humanitatē, illamq; relinquente in rerum natura, omnia eius accidentia desinerent esse per variationem subiecti: quod etiam absurdum est.

46 *RESP.* Negando sequelā. Quāvis enim cōpositū ex materia & forma debeat esse per se subsistens, seu cōpletū in linea substātiæ vt recipiat accidentia, adhuc subsistētia ipsa non est ratio recipiēdi, sed solùm terminandi. Itaque sicut iuxta dicta *sup. n.* 44. forma est principium *quo* totius actualitatis accidentiū, & materia principium *quo* receptionis, ita etiā subsistentia est principium *quo* terminationis eorundem accidentium. Quare suppositum quidem recipit accidentia, non tamen secundùm subsistentiam, vel rationē illius, sed solum ratione materiæ, prout ibidem dictum est. Ratione enim subsistentiæ solum terminat accidentia, idque mediatè, seu mediante terminatione cōpositi ex materia & formà. Hoc enim ipso quòd subsistentia, sive propria, sive aliena, terminet immediatè naturam, seu compositum substantiale, terminat etiam ex consequenti quidquid accidit eidem naturæ, illamve consequitur extra proprium genus. Hinc patet ad illationem absurdi in subsistentia Verbi, illā non esse receptivā, sed purè ac mediatè

tè terminativam accidentium humanitatis aſſumptæ; quatenus terminando humanitatem immediatè, terminat ſubinde & conſequenter accidentia omnia eiuſdem humanitatis. Vnde ſi humanitas ita dimitteretur à Verbo, vt in rerum natura maneret, non mutarentur illius accidentia: quia adhuc perſiſterent omnia illius principia immediata, tam in recipiendo, quam in actuando, quæ ſunt materia & forma; licèt deficeret principium mediatũ, ac remotè ſolũ terminativum, quod eſt ſubſiſtentia Verbi: non enim variatur, aut deſinit eſſe accidens per merã variationem principij mediati, niſi etiam immediatum varietur. Ideoque accidentia Euchariſticæ quãtitatis, vt color, ſapor odor, &c. eadem omnino perſiſtunt, quia permanet immediatum illorum ſubiectum, quod eſt quantitas, quamvis deſierit eſſe ſubiectum illorum mediatũ, quod erat ſubſtantia panis & vini. Cùm ergo in humanitate, ſi à Verbo dimitteretur, perſiſteret adhuc ſubiectum immediatũ accidentium, quamquam deficeret ſubſiſtẽtia, quæ ſolùm eſt terminus mediatus, eadem numero accidentia manerent.

47 *OBIICIES II.* Argumẽtũ præcipuum P. Suarez *diſp. 14. Metaph. ſect. 3.* vbi contendit materia primã poſſe ac ſolere aliquando eſſe ſubiectũ vnicum quãtitatis: Quia in materia eſt ſufficiens capacitas, vt ipſi inhæreat quãtitas immediatè. Ergo exiſtimãda eſt immediatũ ſubiectum accidentium. Conſequentia patet. Antecedens probatur multipliciter. *Primò.* Materia enim de ſe habet ſufficientẽ capacitatẽ ad recipiendũ accidens, & ſuſtentandum illud, ſiquidem habet propriũ eſſentiæ actũ, quo conſtituitur ens in actu oppoſito potẽtiæ obiectivæ. *Secundò.* Materia habet ſufficientẽ entitatẽ, vt in ea ſuſtentet immediatè ſubſtantialẽ formã, quæ eſt entitas multò ſolidior quantitate & quolibet alio accidẽte. *Tertiò.* Si propter aliquid materia non haberet ſufficientem capacitatem vt ipſi immediatè quãtitas inhæreat, maximè, quia dependet à formã, ac proinde ſolũ mediante illa poteſt accidentia recipere. At compoſitum etiã dependet è diſpoſitionibus, & tamen non ideo ijs mediantibus recipit cætera accidẽtia, ſed immediatè. Ergo nec materia recipit quantitatem mediante forma, quamvis ab ea dependeat; ſed immediate. *Quartò.* Eodem modo ſe habet materia circa quantitatem in homine, ac in alijs miſtis. At materia in homine eſt ſubiectum immediatum quantitatis, nõ vero forma, quæ ſicut ſpiritualis & inextẽdibilis eſt, ſic etiã nequit immediatè recipere effectũ formalem extẽſionis a quãtitate, ac proinde nec quãtitatem ipſam. Ergo & in alijs mixtis ſubiectũ immediatum quantitatis non eſt forma, ſed materia. *Quintò.* Materia debet determinari per diſpoſitiones prævias, quarũ vna eſt quãtitas, ad recipiendam formã: debet enim priùs dividi in partes, quàm ipſi applicetur forma; quæ ſolùm applicatur tãtæ vel tãtæ materiæ. Ergo prius materia debet recipere quantitatem, ſicut & cæteras diſpoſitiones; ac proinde eſt ſubiectum cui immediatè inhæret quantitas.

48 *RESP.* Negando aſſumptum, & antecedens argumenti. *AD I.* Probationem, conſtat ex dictis in Phyſica *ai put. 5.* materiam non habere propriam exiſtentiam, ſed eſſe potentiam purè paſſivam & receptivam primi actus, qui eſt ſubſtantialis forma. Verùm adhuc permiſſa gratis opinione contraria, non probatur materiam habere ſufficientem actualitatem & robur ad ſuſtentanda accidentia, vt oſtenſum eſt ſuprà *à n. 29.* quia priùs recipit & recipere debet eſſe ſubſtantiale ſimpliciter à forma, quàm accidentale & ſecundùm quid à quantitate. *AD II. Prob.* Materia non ſuſtentat formã ſubſtantialẽ dando ipſi eſſe, ſed potius recipiendo ab illa; quia tantum eſt potentia paſſiva: ſubiectum verò accidentium ſuſtentat dando ijs eſſe, tamquam aliquid omnino cõpletum, aut ſubſiſtens per ſe. Patet igitur, vt materia recipiat formã, ipſamq; modo dicto ſuſtentet, ſufficere potentiã eius paſſivam; vt verò ſit ſubiectum accidentium, debere materiam eſſe per ſeipſam ens in actu completo, aut per ſe ſubſiſtente: quæ duo materiæ repugnant. *AD III. Prob.* Compoſitum ſolum pendet à diſpoſitionibus vt à cauſis, ſeu conditionibus requiſitis ad ipſius conſervationem, ita tamen vt ex ſe habeat actualitatem plenam intra genus ſubſtantiæ, qua poſſit ſubſtentare, tum eaſdẽ diſpoſitiones tũ & alia accidentia immediatè. At verò materia pendet à forma, non tãquã à diſpoſitione cõſervante, ſed tamquam ab actu primo & formali, ſine quo nullam actualitatem habet, qua accidentia ſuſtentet. *AD IV. Probationem* patet ex dictis *à num. 44.*

formam substantialem nõ concurrere recipiendo accidentia materialia: quia nec est subiectum *quod* receptivum illorum; sed hoc soli composito convenit; nec est subiectum *quò* recipiendi, sed hoc proprium materiæ est. Tantùm itaque forma est principium actuandi, quod etiam requiritur ad inhæsionem ex parte subiecti, sicut & ad recipiendum potentialitas, quæ ex materia vt principio oritur. Nulla autem est repugnantia in eo, quòd forma spiritualis, qualis est anima, sit ratio & comprincipium inhæsionis accidenti materiali. Cùm enim rationalis anima sit essentialiter forma corporis humani, vt in Concilio vltimo Lateranensi definitũ fuit sub Leone X. & potens subsidio, sive ministerio corporis, elicere operationes materiales ac sensitivas; nihil mirum si & ipsi composito substantiali corporeoque sit principium ad terminanda, sustentandaque accidentia materialia. *Ad V. Probationem*, in quà nimiùm fidit Oviedo hic, *controv.* 1. *p.* 1 *n.* 8. dicimus, quantitatem non esse dispositionem prævìam, sed solùm concomitantem formam; cùm sit proprietas secuta ad formam substantialem secundùm gradum corporeitatis. Vnde non requiritur, materiam pro aliquo priori ad formam esse quantam, aut divisam; sed sufficit habere id concomitanter & intra instans reale. Quod probatur ex doctrina ipsius Oviedo, aliorumque ex Adversarijs, negantium mutuam causalitatem inter dispositionem vltimam & formam. Non enim minùs exigit forma ignis v. g. materiam esse calidam vt octo ad introductionem sui, quàm esse quantã & divisam. At licèt forma ignis exigat materiam calidam vt octo intra instans reale ad introductionem sui, non tamen exigit illam esse calidã vt octo pro priori naturæ ad eandem formam. Aliàs sicut forma ignis præcedit in genere causæ efficientis calorem vt octo, veluti proprietatẽ suam; sic & calor ipse in genere causæ dispositivæ præcederet ipsam formam ignis; atque adeò daretur mutua causalitas vtriusque, quod ipsi negant. Ergo pariter, cùm quantitas sit proprietas substantialis formæ quatenus corporea est, non requiritur in materia pro priori ad ipsam formam; sed sufficit si illam comitetur, & sequatur, vt passio consecuta in eodem instanti reali ad ipsam formam. Instatur etiam in omni modo dicendi Adversariorum, asserentium quantitatem convenire materiæ vt proprietatem pro priori naturæ ad formam, ac proinde materiam pro aliquo priori naturæ causare quantitatem. Modò sic. Materia causans quantitatem exigit indistantiã ab ipsa: quia causare non potest id, quod distans ab ipsa est. Et tamen non ideo præsupponitur materia indistans, sed indistantia est quid consecutum ad quantitatem, vtpote differẽtia loci. Ergo pariter, licèt materia non, nisi quanta & divisibilis, possit recipere materialem formam, malè colligitur debere esse quantam divisibilemque pro priori naturæ ad formam, sed sufficit si id consequenter & concomitanter habeat.

49 *OBIICIES III.* Accidentia nullatenus pendent à formà, nec forma præstat causalitatem in illa. Ergo materia independenter a forma recipit accidentia, atque adeò immediatè. Consequẽtia patet. Antecedẽs vero probatur: Quia forma nec causat accidentia in genere causæ materialis, cùm non importet potentialitatem receptivam ipsorum: nec præterea in genere causæ formalis, cùm forma non informet accidentia: nec denique in genere causæ efficientis per dimanationem, cùm hoc modo ad summũ pendere possint à forma accidentia ipsius propria, non autem communia. Aliud præterea genus ad rem excogitari nequit in quo forma causet communia accidẽtia. Ergo hæc saltem nullatenus dependent à forma.

50 *RESP.* Formam concurrere ad inhæsionem accidentium, non veluti principium recipiendi, quod est potentiale; sed veluti principium actuandi; non quidem ipsa accidentia, quasi cõstituat cum eis aliquam tertiam naturam; sed informatione actuante materiam. Eo namque ipso quòd materiam actuet, præstat esse substantiale & in actu simpliciter quo compositum constituitur potens terminare & sustentare esse secundarium, sive accidentale. Itaque forma constituendo compositum & informando materiã est principium formale inhæsionis, sive sustentationis accidentium.

51 *OBIICIES IV.* Accidentia immediatè inhærent illi subiecto, de cuius potentia educitur substantialis forma. At hæc educitur ex potentia passiva materiæ. Ergo accidentia inhærent materiæ immediatè. *Confirmatur.* Actio ge-

ne-

nerativa, quà forma educitur de potentiâ materiæ, non recipitur in compoſito, ſed in ipsâ materiâ, quam tranſmutat immediatè de potentiâ in actum. Et tamen actio illa eſt verum accidens. Ergo & cæteta accidẽtia nõ recipiũtur immediatè in compoſito, ſed in materia. Nulla enim ratio ſpecialis eſt in cæteris accidentibus, quæ pariter non vrgeat in potentiâ generativâ. *RESP.* Negando maiorem: Quia accidentia immediatè inhærere debent, non illi ſubiecto, ex quo forma ſubſtantialis educitur; ſed ex quo ipſa educuntur. Cùm verò eductio ſit productio rei dependenter in eſſe & fieri à ſubiecto, accidentiaque in eſſe & fieri pendeant à cõpoſito per ſe ſubſiſtenti, conſequens eſt vt ex ipſo ſubiecto educantur. Vnde retorquetur obiectio. Quia forma educitur ex potentiâ materiæ, ipſi inhæret immediatè. Sed accidentia educuntur ex potentiâ compoſiti. Ergo & ipſi inhærent immediatè. *AD Confirm.* prætermiſsâ aliorum ſolutione, concedo maiorem & minorẽ, ſed nego conſequentiam. Vt enim præmiſi ſupra *diſp.* 1. huius tractatus *à nu.* 24. generatio eſt actio inſtantanea, & pura via ad introductionem formæ in materiâ; ideoque poteſt in eâ immediatè recipi, quin impediat à ſubſtantiali formâ rationem actus ſimpliciter primi. Cætera verò accidentia, de quibus in præſenti diſputamus, permanentia ſunt, & àfficiũt totum ipſum, iam conſtitutum in actu: ac proinde non in materia, ſed in ipſo, recipi debent.

52 *INSTABIS* Acriter. Prædicamentalis relatio dependentiæ àDeo, iuxta ſententiam Thomiſtarũ diſtinguentium realiter à fundamento relationem, inhæret materiæ immediatè. Sed iuxta prædictam ſententiam illa relatio eſt accidens permanens. Poteſt igitur aliquod accidens permanens, & non ſolùm viale, recipi in materiâ immediatè. Minor cum conſequentiâ patet. Maior probatur multipliciter. *Primò.* Prædicamentalis illa relatio dependentiæ à Deo convenit materiæ primæ pro illo priori naturæ ad formam, in quo terminat, ſeu terminare intelligitur creationem. Sed quidquid pro illo priori naturæ ad formam convenit materiæ primæ, ſi eſt accidens, inhæret ipſi immediatè. Ergo prædicamentalis relatio, ſi eſt accidens ſuperadditum, vt tradit illa opinio, inhæret materiæ immediatè. *Secundò* Relatio prædicamentalis dependentiæ, qua materia refertur àd formam, nequit non inhærere eidem materiæ immediatè: quia inhæret ſubiecto, cui immediatè præſtat effectum ſuum proprium formalem, & hunc, non compoſito, ſed materiæ præſtat. Ergo ita dicendum de relatione dependentiæ ad Deum. *Tertiò.* Relatio ſimilitudinis, qua vna materia eſt ſimilis alteri eiuſdem ſpeciei, nequit non afficere immediatè eamdem materiam.

53 *RESP.* Negando maiorem. Relatio enim prædicamentalis, ſive quà materia prima refertur ad Deum vt primam cauſam, ſive quà reſpicit formam, ſive quà materiam alteram ſibi ſimilem, aut diſsimilem, non inhæret materiæ immediatè, ſed toti, ſive compoſito ſubſtãtiali; quod ſicut ſuſtentat omnia alia accidentia, ita & relationes omnes prædicamentales. Solùm inter has eſt hæc diſtinctio, quòd aliquæ habent pro fundamento materiam, vt omnes enumeratæ in obiectione; aliquæ verò formam, vt relatio dependentiæ ipſius ad Deum, & ad materiam primam, & ſimilitudinis ad alteram formam. Conveniunt tamen omnes in eo, quòd immediatè inhæreãt cõpoſito ſubſtantiali, ac ſubſiſtenti per ſe, quòd proinde ſuſtentare poteſt quidquid ipſi adhæret. Idemque eſt de omnibus relationibus quæcunque fundantur in accidenti, vt in actione, paſsione, quantitate, & qualitate. omnium enim ratio vna eſt, & compoſitum habet rationem ſubiecti *quod* reſpectu illarum. Neque id impeditur ex eò quòd prædictæ relationes, præſertim in argumento memoratæ, tribuãt denominationes proprias materiæ, ſuiſque fundamentis, & non compoſito. Reſpondetur enim, id provenire ex eo quòd denominatio formæ non præſtatur ſubiecto, niſi iuxta applicationem formæ, & ſubiecti capacitatẽ: quæ in toto nõ eſt ad recipiẽdas illas denominationes, quæ ſunt partis propriæ, ſed alias. Poteſt v.g. relatio, quam materia importat reſpectu formæ, denominare materiam recipientem, & vnitam; non tamen compoſitum ipſum, quod proprie nec recipit, nec vnitur formæ: ſed ad ſummum denominabit ipſum relatione affectum, aut cõſtitutum, aut inadæquatè relatum, & quo ad alteram è duabus partibus, quibus intrinſecè conſtituitur.

DIS-

DISP. QVINQVAG. PRIMA

DE SVBIECTO GENERATIONIS.

Vtrùm habeat plures formas ſubſtantiales, aut aliquam coævam ſibi?

Num. 1. CONSTITVTVM *Eſt diſputatione præcedenti, ſubiectum immediatum accidentium non eſſe materiam primam, ſed compoſitum ſubſtantiale. Ibidem quoque*, & in Phyſica diſp. 14. ſect. 1. *aſſerimus generationem ſubſtantialem recipi immediatè in materiâ, idque non obſtare vt ex illâ & formâ reſultet vnum per ſe intra genus ſubſtantiæ. Verùm adhuc oportet ſpeciatim examinare, an materia ſit ſubiectum generationis quatenus affecta per formam aliquam ſubſtantialem prævium, & realiter diſtinctâ ab eâ, quæ poſtea producitur, & communicatur ſibi mediante eâdem generatione; an verò nudè ſumpta, & ſecundùm ſuam entitatem ſolam. Quod ipſum alijs verbis inquiri ſolet, ſcilicèt, an materia recipiens generationem ſubſtantialem habeat ſimul duas formas realiter diſtinctas, in quorum conſortio vnum per ſe conſtituat.*

SECTIO PRIMA.

Referuntur ſententiæ, & mens Ariſtotelis aperitur, ac ſenſus diſputationis.

2 PRIMA Sententia docet tot dari formas realiter diſtinctas in compoſito ſubſtãtiali, quot in eo ſunt gradus metaphyſici, ſeu prædicata formaliter diſtincta. Ita Henricus de Gandaro apud Eximium Suarez *diſp. 15. Metaphy. ſect. 10.* Paulus Venetus *in ſummâ de Anima c. 5. & 7. Metaph.* Alij volunt ſaltem formam aliquam corporeitatis præſupponi realiter in materia, ipſi coævam, vt recipiat formas ſubſtantiales ſubſequentium generationum, & in earum conſortio totum ſubſtantiale conſtituat. Ita Avicebron *in lib. Fontis vitæ.* Avicenna *lib. 1 ſufficientiæ cap. 1.* Albertus Magnus *2. Metaph. tract. 2.* Richardus *in 2. diſt. 17.* Et in viventibus corporeis dari aliam formam ſubſtantialem, præter animam, tuetur Scotus *in 4. diſt. 12. q. 3.* atque ipſius Diſcipuli: vt Faber *theoremate 37.* Cavello *diſp. 1. de Anima ſect. 4.* Maſtrius *diſp. 2. Phyſ. ſect. 4. ar. 2. & diſt. 5. ar. 1.* ac Pontius *diſp. 1. de Anima ſect. 3.* Suffragantur Scoto alij, vt Coninch. *de Sacram. ar. 2.* Camerarius *2. p. q. 27.* Dandinus *lib. 1. de Anima textu 12.* Zabarelus, Murcia, & Piccolomineus apud Pontium.

3 Quamvis verò eidem ferè opinioni accenſendi videbantur qui docent elementa ſecundum proprias formas ſubſtantiales manere formaliter in mixto, etiam & ij, qui plures animas conſtituunt in eodem homine ſecundùm gradus diverſos vegetandi, ſentiendi, ac rationandi; adhuc tamen illos non refero, nec circa eorum ſententiam inſtituo diſputationem: quoniam vtraque difficultas proprio loco examinanda eſt: prior quidem infrà, cùm de mixtione diſſeramus; poſterior verò *tract. de Anima*, vbi opportunius ſedem habent.

4 *SECVNDA* Negat pluralitatem omnem formarum ſubſtantialium, tam in viventibus, quàm in non viventibus; reijcitque tam formam corporeitatis, quàm aliam, quæcunque ea ſit, coævam materiæ, & præſuppoſitam in eâ vt recipiat ſubſtantialem generationem. Ita Averroes *in præſenti, comment. 79.* Alenſis *1. p. q. 62.* Durandus *in 1. diſt. 8. q. 4.* Suarez *ſuprà*, vbi plurimos pro eodem placito allegat, & *diſp. 13 ſect. 3.* Hurtado *diſp. Phyſicæ 4.* Averſa *q. 20 ſect. 3.* Arriaga *diſp. 3. Phyſicæ à num. 50.* aſſerens nullum in Hiſpaniâ oppoſitum docere, paucos in Italia, & in Germaniâ rariſsimos, Oviedo *contr. 3. Phyſicæ puncto 2.* Spinula *diſp. 1. de Anima ſect. 2. concl. vnica*, Lalemandet *de Anima diſp. 11.* Quiros *diſp. Phyſicæ 47 ſect. 3.* poſt Conimbricenſes *in præſenti lib. 1. c. 4. q. 19. & 20.* Eamdem complexantur omnes Thomiſtæ cum Ariſt. & D. Tho. ſtatim expendendis: præſertim Hervæus *tract. de vnitate formarum*, vbi centum argumenta proponit pro hac opinione; cũ tamen præſtaret expendiſſe, vt Græci aiunt, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λυρέως, *pauca qui-*

quidem, verùm argutè. Denique eamdem tuentur ferè quotquot aiunt formas substantiales elementorum non manere formaliter in mixto, sicut & qui negant esse plures animas in eodem vivente, multiplicatas iuxta pluralitatem metaphysicorum graduum vitæ; quos allegabimus vtroque loco superiùs indicato.

5 *PORRO* Aristotelem esse ab hac sententiâ, videtur indubium. Nam *lib.1.Physic.textu 78.* docet formam dare esse rei, & vnitatem. Quare si forma in composito substantiali, seu vivente, seu non vivente, non est vna, sed multiplex, nequaquam dabit ipsi vnitatem: ideoque compositum non erit vnum simpliciter ac per se. Deinde & *7.Metaph.c.13. textu* 49. asserit ex duobus entibus in actu (cuiusmodi planè sunt duæ substantiales formæ) non posse fieri, nisi plura simpliciter. Denique *in præsenti lib.1.cap.3.* vbi inquirit potissimum, *an contingat aliquid generari, atque interire simpliciter.* Et respondet affirmativè, atque, inter alia, inquit: Συντόμως δὲ καὶ νῦν λεκτέον, ὅτι τρόπον τινὰ ἐκ μὴ ὄντος ἁπλῶς γίνεται, &c. *Verùm compendiosè nunc quoque dicamus oportet, è non ente simpliciter aliquo modo fieri generationem, & alio ex ente semper: nanque ens in potentiâ, sed actu non ens, præexistat est necesse. quod sanè, vt patet, vtroque dicitur modo.* Si autem subiectum generationis substantialis retineret aliquam formam substantialem corporeitatis sibi coævã, aut aliam quamlibet secundùm gradum communem substantiæ, generatio non fieret ex non ente simpliciter, sive ex ente solùm in potentia, vt Arist. decernit; sed potiùs ex ente simpliciter, seu in actu. Quippe fieret ex materia iam actuata per illam formam substantialẽ per se loquendo; atque adeò habente rationem entis simpliciter, sive in actu formali. Eandem sententiam sequitur D. Thomas plurimis locis, sed præcipuè *in præsenti ad textum 24.lect.10.& 1.p.q.76.ar.4.& 2.contra Gent.c.51.& 58.*

6 *VERVM* Ne frustra eamdem doctrinam repetamus, & vt sensus disputationis aperiatur, notandum est, Authores primæ sententiæ nolle vt in materiâ, sive subiecto generationis existat aliqua forma substantialis completa, & realiter adæquatè distincta ab ea, quæ generatur; sed partialis tantùm, & subordinata, ac simul cum illâ constituens vnicum compositum substantiale. Nam alioqui plures formas substantiales adæquatas, & non subordinatas, nullum locũ habere in eàdem materia simul, saltem naturaliter loquendo, communis omnium ferè Philosophorum sententia est, quam statuimus *in Physic.disput.9.* An verò illam deserere teneantur Authores prioris opinionis, sibique ipsis contradicere, ex dicendis apparebit. Recolenda sunt quæ ibidem statuimus, veluti definiendæ huic controversiæ admodum opportuna.

SECTIO SECVNDA.

Refellitur opinio, quæ multiplicat realiter formas iuxta pluralitatem prædicatorum essentialium.

7 *SIT I. Assertio.* In materiâ primâ, sive subiecto substantiali generationis, non sunt plures formæ partiales realiter distinctæ iuxta pluralitatem graduum metaphysicorum, sive essentialium. Ita Arist. & D. Thomas locis allegatis. Ac suaderi quidem potest ijs rationibus, quibus loco Physicæ nuper allegato ostensum est, materiam non habere capacitatem naturalem, imò nec obedientialem, ad plures formas substantiales, quæcunque eæ sint, simul habendas, easque prorsus incompossibiles esse, atque mutuam afferre exclusionem à subiecto. Verùm specialiùs adhuc oportet in præsentiarum procedere.

8 *PRIMO* Ratione desumpta ex Arist. locis *suprà* indicatis. Quia ex pluribus entibus in actu nequit fieri vnũ per se simpliciter. At plures formæ realiter distinctæ iuxta pluralitatem prædicatorum essentialium, sunt plura entia in actu. Ergo ex pluribus formis realiter distinctis, iuxta pluralitatem prædicatorum essentialium, nequit fieri simpliciter vnũ per se. Cùm ergo quodlibet substantiale compositum sit vnum per se, idque omnino strictè ac simpliciter, consequens est vt in eo non sit eiusmodi pluralitas formarum. Vtraque consequentia est manifesta: ac minor similiter, quia cùm forma quælibet substantialis essentialiter sit ens & actus primus; plures formæ nequeunt non esse plura entia in actu. Iam maior præcipua, quanquam videatur evidens, probatur à priori, idque dupliciter. *Primò.* Quia omnis vnitas per se simpliciter talis,

talis, resultat in quolibet composito ex partibus per se ordinatis ad invicem per modum primæ seu puræ potentiæ, & primi actus. At plura entia in actu non sunt partes per se ordinatæ ad invicē per modum primæ potentiæ & primi actus; cùm enti in actu per se repugnet ratio primæ seu puræ potentiæ. Ergo ex pluribus entibus in actu nequit fieri vnū per se simpliciter. *Secundò*: Quia nequit fieri vnum per simpliciter, nisi ex partibus, quarum quælibet incompleta est, ac propterea egens alterà comparte ad sui complementum in aliquo tertio. At ex pluribus entibus in actu, nullùm est incompletū, nec egens alterò ente in actu, vt comparte, ad sui complementum in aliquo tertio; cùm iam supponatur completum. Ergo &c.

9 *CONFIRMATVR*: Quoniam ex materià iam actuatà per quamlibet formam substantialem, & ex eadem formà recepta in ipsa, constituitur ens in actu simpliciter intra genus substantiæ. At omne ens in actu simpliciter intra genus substantiæ nequit iam vlteriùs recipere alium primum actum, qualis est substantialis forma; nec cum eo constituere vnum per se. Ergo materia iam actuata per quamlibet formam substantialem in se receptam, nequit vlteriùs recipere aliā substantialem formam, nec cum eà constituere vnum per se.

10 *RESPONDENT* Aduersarij, cōcedendo maiorem primi ac præcipui syllogismi de entibus in actu completis, & non subordinatis; negando autē de incompletis, & quorum alter alteri subordinatus est, & naturà sua institutus ad componendum cum illo: qualem aiūt esse vnam formam substantialem secundùm gradum genericum, comparatam alteri secundùm specificum gradum.

11 *SED Contrà I.* Quæcunque enim forma sit recepta in materia secūdum gradum genericum, etiam vniversalissimum substantiæ, est actus primus simpliciter materiæ, vt patet ex definitione substantialis formæ. Ergo eo ipso nullum relinquit locum vt materia recipiat simul alium actum primum simpliciter, qualis certè esset quælibet alia forma secundùm specificum, aut restrictiorem gradum. Alioqui hæc posterior esset & non esset simpliciter actus primus materiæ. *Secundo*. Forma recepta in materia secundùm gradum genericum, etiā vniversalissimum substantiæ, eo ipso esset in sua entitate reipsa determinata secundū speciem & individuum, sicuti quælibet alia entitas in rerū naturà existens. Alioqui foret idea Platonica, & impotens terminare actionem sui productivam, quæ semper tendit ad producendum aliquid singulare, & in individuo. Atqui quæcunque forma substantialis sit recepta in materià secundùm gradum specificum & individualem, iam constituit cum illa vnū ens in actu completum; ac proinde non relinquit locum receptioni alterius actus primi, seu formæ substantialis, cum qua constituat vnum per se. Ergo forma recepta in materia secundùm gradum cōmunem, etiam vniversalissimum substātiæ, iam eo ipso constitueret cum illā vnū ens in actu completum; ac proinde non relinqueret locum receptioni alterius actus, sive formæ, ad constituendum cū illa vnum per se. Hæc impugnatio vlteriùs roborabitur *sect. sequenti*.

12 *SECVNDO* Probatur: nam in quolibet composito substantiali gradus genericus & vniversaliōr prædicatur essentialiter & in sensu formali de specifico & individuo; vt patet in his propositionibus: *Marmor est lapis*; & *Lapis est corpus*; & *Corpus est substantia*. Enuntiāt enim superiora de inferioribus secundùm rectā lineam prædicamentalem; quà prædicatione nulla alia formalior est. Ergo omnes ij gradus constituuntur ab eadem omnino forma. Si enim à diversis constituerentur, ad summum possent superiores prædicatione accidentali, aut materiali, enuntiari de inferioribus: qualiter solùm vera est hæc enuntiatio, *Album est dulce*, quia albedo & dulcedo, quibus constituitur, non sunt eadem forma, sed duplex. Quæ ratio coincidit ferè cum illa, quà probari solet in Logicà gradus superiores & inferiores non distingui realiter inter se.

13 *DICES* ex doctrina Aduersariorum, gradus diversos non posse non provenire à formis diversis; posse tamen superiores prædicari de inferioribus formaliter, quia est subordinatio inter eos in recta linea prædicamentali; quæ tamen non est inter albedinem & dulcedinem.

14 *SED Contrà I.* Gradus enim superiores & inferiores non sunt diversi reipsà, aut distincti; nisi secundùm rationem

nem tantum. Aliàs non possent priores prædicari de posterioribus, adhuc in sensu reali, & entitativo. Ergo nec proveniunt à formis diversis, seu distinctis re ipsa, nisi secundùm rationem tantùm; nimirum, ab eadem forma, secundùm diversas considerationes penes gradus communes & speciales. *II.* Quamvis gradus inferiores compositi substantialis & superiores habeant subordinationem inter se, si tamen vnus distingueretur realiter ab alio, non posset de illo prædicari strictè aut metaphysicè loquendo. Ergo nec prædicari poterit vnus de alio, si proveniant à formis realiter distinctis, quanquam subordinatis inter se. *III.* Sequitur enim ex solutione data, & doctrinà Adversariorum, etiam in accidentibus, v.g. in albedine, sivè in hoc concreto *album*, debere constitui formas realiter diversas; quarum altera constituat prædicamentum qualitatis, sivè genus supremum; altera, genus intermedium qualitatis naturalis; altera, subalternum qualitatis naturalis simul ac materialis; altera genus infimum coloris; altera denique speciem albedinis: quia albedo totidem prædicata essentialia & diversa habet, ac modo diximus. Similiter & in Angelis ratione diversorum prædicatorum constituendæ forent diversæ formæ secundùm rem. Quæ omnia absurda sunt apud Philosophos, qui passim agnoscunt qualitates simplices; & apud Theologos, vnicam & indivisibilem formam per se subsistentem, & irreceptam, constituentes in Angelis: quos propterea S. Dionysius appellat *simplices summitates*. Sequitur denique, adhuc potiori ratione, in homine, ratione diversorum graduum, vegetativi, sensitivi, & rationalis, debere existere totidem formas, sive animas realiter distinctas. quod tamen non modò communiter reijcitur veluti falsum, verùm & severiori notà inuritur, vt apparebit ex dicendis latè *tract. de Anima*. Mitto alias rationes, quia ad reijciēdam opinionem obsoletam, qualis est hucusque impugnata, sufficiunt præiactæ. Præterquamquod illa vberiùs impugnari poterit ex dicendis progressu disputationis.

15 *OBIICIES.* Non potest vnica forma sufficere composito substantiali, constanti diversis prædicatis essentialibus: idque ex multiplici capite. *Primò*: Quia Arist. 1. *Metaph. cap.* 2. probat non dari processum in infinitum in causis formalibus, quia nequit ille dari in prædicatis essentialibus. Ergo supponit causas formales, sive formas, multiplicari debere iuxta pluralitatem ipsorum. Alioqui enim ratio Philosophi nullius roboris esset. Deinde & *lib. 7. c.* 10. docet, partibus definitionis correspōdere partes rei definitæ. Cùm igitur diversa prædicata formalia & quidditativa sint partes eiusdem definitionis, debent ijs correspondere formæ realiter diversæ. *Secūdò*. Quoties proprietates emanantes à forma sunt realiter diversæ, etiam forma debet esse diversa secundū rem. At proprietates emanantes à formà constituente gradum superiorem, sunt realiter diversæ à proprietatibus formæ inferiorem gradum constituentis. Ergo & formæ ipsæ sunt secundùm rem diversæ. *Tertiò*: Quia si eadem esset forma constituens gradum genericum, v.g. elementi, & ignis, quidquid habet rationem elementi haberet rationem ignis. Quod patet esse falsū in aquà, terrà, & aere: quæ quidem elementa sunt, sed ignis non sunt.

16 *RESP.* Negando assumptum. *AD I. Probationem*, ex Philosopho respondetur, optimam esse rationem, quà vtitur. Cùm enim quælibet forma tribuat saltem vnum gradum, rectè infertur non dari infinitas formas, si non dantur infiniti gradus constituti. Inde verò non colligitur debere esse infinitas formas, si gradus infiniti sint, nec plures, si gradus sint plures; nisi ad summum plures formas pluralitate rationis, quam solam habent ijdem gradus. Quod verò in posteriori testimonio obijcitur ex eodem Philosopho, intelligendum est de definitione physica, quæ datur per materiam & formam, realiter distinctas: aut certè si de metaphysicà intelligatur, solùm evincitur pluralitas rationis, seu metaphysica partium in forma, sicut & in composito definito. *AD II.* nego maiorem. Sufficit enim virtualis aut eminentialis multiplicitas in formà secundùm diversos gradus, vt sit radix proprietatum realiter diversarum, vt patet in naturà angelica, in quantitate, & qualitatibus simplicibus, iuxta ea quæ *num.* 14. diximus. Imò & secundùm eundem gradum specificum & atomum eadem natura angelica, eademque anima rationalis, est radix diversarū proprietatum, vt intellectus & voluntatis: quia radix est quasi primum principiū, vnde

vnde cœtera dimanant; ideoque vnicum existens, parit plura effecta. *AD III.* negatur sequela: quæ sanè tam illegitima est, ac sequēs: Ex eò quòd homo & animal in eo clausum sint idem realiter, infertur, omne quod habet rationem animalis, habiturum rationem hominis. Et ratio omnium est, quia licet gradus genericus ac specificus sint idem realiter, tam in composito, quam in forma substantiali; adhuc distinguuntur virtualiter, tanquam ratio superior & inferior; & à superiori ad inferius non valet consequentia affirmativa, sed negativa tantùm, vt ex Summulis notum est. Plura alia argumenta pro opinione contraria tendunt vt probent pluralitatem animarum iuxta varietatē graduum vitæ: ideoque ea differrè vsum vsque ad dictum tractatum de Animâ.

SECTIO TERTIA.

Reijcitur sententia Scoti vnico argumento communi, multipliciter & speciatim expenso, concluditurque formam vnicam & specificam sufficere in composito substantiali.

17 SIT II. *Assertio.* In materiâ primâ, sive subiecto generationis non datur forma aliqua corporeitatis, præsertim ipsi coæva, & mediante quâ recipiat formam vivētis productam per generationem. Hæc conclusio est contra omnes Authores primæ sententiæ, & suaderi posset ijsdem rationibus, quibus præcedens. Adhuc tamen speciatim.

18 *PROBATVR I.* Quia ex duabus formis adæquatis in specie atomâ atque individuo, nequit resultare vnum per se substantiale. Atqui tam forma corporeitatis posita ab Adversarijs, quàm forma propria viventis, sunt adæquatæ in specie atomâ atque individuo; compositum autem vivens est vnum per se substātiale. Ergo ex formâ corporeitatis ab Adversarijs posita, & forma propria vivētis, nequit resultare compositum vivens. Ergo materia non recipit generationem, formamve viventis, mediāte formâ corporeitatis, ab Adversarijs positâ. Vtraque consequentia est perspicua. Maior constat: quia ex duabus formis adæquatis in specie atomâ atque individuo, quæ primùm recipitur in materia, constituit cum ea totum aliquod completum & adæquatum in esse substantiali simpliciter. Atqui ex toto iam completo & adæquato simpliciter in esse substantiali, & ex formâ alia adæquata superveniente, nequit resultare vnum substantiale per se, vt evidens cuique est. Ergo ex duabus formis adæquatis in specie atomâ atque individuo, nequit resultare vnum substantiale per se. Tum præterea cōstat eadē maior: quia omnia illa, ex quibus resultat vnum per se substātiale, debent esse inter se subordinata, & quorum vnum naturaliter exigat vnionem cum alio. Atqui duarum formarum, si adæquatæ sint in specie atomâ atque individuo, neutra alteri subordinatur, nec naturaliter exigit vnionem cum illâ, sed potiùs disiunctionem, vt ex se patet.

19 Iam minor illa præcipui syllogismi, in qua est præcipuum difficilium, quo ad posteriorem partem videtur manifesta, etiam apud Aduersarios; cùm ipsi fateantur formam viventis esse, quæ constituit illud formaliter adæquate in specie atque individuo. Quòd ad posteriorem verò partem suadetur, idque multipliciter. *Primò*: Quia forma corporeitatis posita ab Aduersarijs constituit adæquatè formaliter compositum corporeum, sive corpus prædicamentale, nō tolùm in gradu generico, sed etiam in specifico atque individuo; cùm sit forma substantialis in rerum naturâ existens, & quælibet forma eiusmodi sit in determinatâ specie, ac singularis; propterea quæ formalis ratio adæquata sui compositi specifici ac singularis. *Secundo.* Forma corporeitatis posita ab Aduersarijs talis est, vt iuxta quosdam illorum præsupponatur realiter in specie atque individuo existens ante formam viventis, à primâ rerum creatione simul cū materia; iuxta alios verò existat naturaliter & de facto, tam ante, quàm post eandem viventis formam. Atqui forma naturaliter existens in materiâ seorsim ab aliâ formâ, nequit non esse forma adæquata in specie atomâ atque individuo. *Tertiò.* Forma quæ non est adæquata, sed incompleta tantùm, debet compleri & perfici per aliam formam, vt ex ambabus resultet aliquod totum. Atqui forma corporeitatis posita ab Aduersarijs nequit compleri & perfici per aliam formam substantialem; cùm vtraque debeat esse actus primus simpliciter; & nullus actus pri-

primus eiuſmodi poſsit compleri ac perfici per alterum: alioqui forma poſterior non eſſet actus primus, ſed ſecundus, aut conſequens primum. Ergo forma corporeitatis poſita ab Adverſarijs eſt adæquata, non autem incompleta.

20 *CONFIRM.* Probationes minoris præcipuæ ab abſurdo. Si enim forma corporeitatis eſſet incompleta in ratione ſubſtantialis formæ, exigeret naturaliter aliam ſupervenientem viventis, per quã denique compleretur. Omne enim quod in proprio genere incompletum eſt, exigit naturaliter complementum ſuum. Atqui forma corporeitatis non exigit naturaliter formam viventis. Ergo non eſt incompleta in ratione ſubſtantialis formæ. Probatur minor ſubſumpta, in qua ſolùm eſt difficultas. Aut enim forma corporeitatis ex ratione communi exigeret naturaliter formam viventis; aut ex ratione particulari, ſcilicet, quatenus non eſt quæcumque corporeitatis forma, ſed illa determinata, quæ in viventi eſt. Primum eſſe non poteſt: Quia ſi forma corporeitatis generatim ſumpta exigeret naturaliter formam viventis, vbicúque illa eſſet, hãc exigeret; ac proinde in quatuor elemẽtis, in lapidibus, & quibuslibet alijs rebus inanimatis. Vnde & fieret formam corporeitatis in ijs omnibus eſſe violentam, aut ſaltem in ſtatu præternaturali, vtpotè carentem complemento naturaliter exacto. Secũdum etiam eſt falſum; idque adhuc ex mente Adverſariorum, ſi conſequenter loquantur. Cùm enim ipſi aſſerant eandem numero formã corporeitatis, quæ modò eſt in vivente, fuiſſe antea, & manere poſtea ſub alijs & alijs formis ſubſtantialibus, per varias generationes productis; conſequenter dicere tenentur, formam illam, adhuc ex ratione particulari, non exigere formã viventis. Alioqui in alijs compoſitis præcedentib⁹ & ſubſequentibus eſſet violenta, aut ſaltẽ in præternaturali ſtatu. Quod ſanè eſt contra naturæ ordinem communem, iuxta quem nulla res caret perfectione & complemento naturaliter exacto.

21 *CONFIRM. II.* Si enim forma corporeitatis exigeret naturaliter formam viventis, etiam ſubiectum generationis, ſive materia, vt actuata per illã, exigeret hanc, veluti vltimum complementum, & perfectionem intra genus ſubſtantiæ. Ergo ſemper & vbique illam haberet ſibi coniunctam, ſaltem naturaliter loquendo, ſive ſecundùm cõmunes naturæ leges: quia iuxta has quælibet res obtinet de facto perfectionem, ſive complementum, quod naturaliter exigit. Vnde fieret omnem ſubſtantiam corporeã, ſive compoſitam ex materia & forma corporeitatis, eſſe ſimul viventem; nullã verò inanimã: quia omnis ſubſtantia eiuſmodi haberet de facto non ſolùm formã corporeitatis, ſed etiam viventis. Quare & lapides, & ligna arida, & elementa viverent, & denique quæcumque ſubſtantię ab omnibus inanimæ exiſtimantur.

22 *ILLVSTRATVR* Res exemplo eiuſdem materiæ primæ, quæ, quia incõpleta eſt intra genus ſubſtantiæ, exigit naturaliter aliquam formam ſubſtãtialem, per quam compleatur; ideoque nũquam eſt ſine aliqua ſubſtantiali forma iuxta communem Philoſophorum ſententiam, & fortè nec poteſt eſſe ſupernaturaliter, vt vidimus *in Phyſicâ diſp. 8.* Atqui iuxta Adverſarios forma corporeitatis, & materia prout exiſtens ſub illa, exigit naturaliter formam viventis, per quam compleatur. Ergo nunquam forma corporeitatis, nec materia per illam actuata, erunt abſque forma viventis: ideoque omne compoſitum ex materia & forma corporea erit vivens, ſiue animatum.

23 *OCCVRRES* Huic vltimæ probationi ex doctrina Adverſariorum, & præcipuè Pontij *vbi ſup. n. 62.* negando paritatem: quia materia ideo ſemper eſt ſub aliqua forma ſubſtantiali, ita vt naturaliter nequeat ſine illa exiſtere, quoniam nõ ſolùm exigit naturaliter compleri & perfici per aliquam formam, ſed etiam ex ſe ſemper eſt ſufficienter diſpoſita ad illam, & ſemper applicatur aliqua cauſa ſufficiẽs ad eam producendam in ipſa materia. At vero totum illud compoſitum ex materia & forma corporeitatis, nõ ſemper habet diſpoſitiones requiſitas ad formam viventis, aut ad aliam viteriorem; ideoque poteſt eſſe naturaliter, & ſæpe eſt abſq; forma vivẽtis, imò & abſque omni alia forma, præter formam corporeitatis.

24 *SED Contrà I.* Ideo enim materia ſemper eſt diſpoſita ad aliquam ſubſtantialem formam, ſemperque habet aliquod agens ſufficienter applicatũ ad eam producendam, quia, cùm ex ſe incõpleta ſit, naturaliter exigit formã aliquam, per quam cõpleatur intra genus ſubſtãtiæ. Et

ratio à priori est: quia naturæ ordine perfectissimo & providentissimo statutum est, vt res omnes, communiter loquendo, obtineant eam perfectionem, quam naturaliter exigunt ad sui complementū; ac proinde habeant de facto ac semper media illa, quibus egent ad id comparandum; quales sunt dispositiones necessariæ, & concursus agentis sufficienter applicati, ad eam perfectionem inducēdam. Atqui iuxta Aduersarios, tam forma corporeitatis, quàm materia per illam actuata, exigunt naturaliter formam viuentis, aut aliam vlteriorem, ad sui complemētum. Ergo semper habent, habebuntque dispositiones necessarias, & aliquod agens sufficienter applicatū ad eam producēdam; ac proinde & semper debent secum habere eandem formam. quod est absurdum illatum.

25 *CONTRA II.* Dum enim asseritur in solutione tradita, compositum ex materia & formà corporeitatis non semper habere dispositiones necessarias, aut concursum agentis applicatum ad habēdam formam viuentis, aut aliam vlteriorem; supponitur planè, posse ac solere cōtingere naturaliter, vt compositū illud in rerum natura præextiterit antè, aut permaneat postea cum sola forma corporeitatis, & sine vlla alia, sive viuentis, sive non viuentis. Hinc autem plura absurda inferuntur. *Primum* est, sæpe ac naturaliter dari de facto veram substantialemque corruptionem compositi, tam viuentis, quàm non viuentis, absque vlla generatione: quia, nimirum, vbi & quoties viuens moritur, aut non viuens corrūpitur, nulla generabitur substantialis forma, sed solùm destruetur forma viuentis, aut nō viuentis, quæ præcesserit, & manebit eadem forma corporeitatis, quæ erat antea. Cōsequens autem quàm absurdum sit, non modò constat ex communi Philosophorū sensu, sed etiam ex Aristotele, qui oppositum vbique docet, præsertim in hoc tractatu *lib. 2. c. 10.* vbi ex professo probat seriem generationum & corruptionum esse perpetuam. *Secundum* est, iuxta doctrinam Aduersariorum præiactam fore, vt detur actio naturæ, vel agentis physici, per se terminata ad malum. Nimirum, actio illa, quà agens corrumpit formam viuentis, non producendo aliam, sed relinquendo formam corporeitatis in subiecto, vt antea; solùm tenderet per se ad malum corruptionis, sive ad non esse viuentis; non verò ad bonum generationis seu ad esse noui compositi. Atqui nullam actionem, nullumque agens per se tendere ad inducendum malum, sed solùm per accidens, & ex consequēti ad bonum directè inspectum, axioma etiam Philosophorum ac Theologorum commune est, traditum à S. Dionysio, indeque certum, quod naturæ inclinatio primaria sit ad bonum; vtpotè speciatim orta à Deo, qui summè bonus est, & cuius opera cuncta sunt valde bona, vt habetur *Genesis 2.*

26 *CONTRA III.* & consequēter. In homine v.g. (idemque est de cæteris animalibus) non datur forma aliqua corporea, præter specificam vitæ, quæ antecedat realiter illius generationē, & maneat post corruptionem. Ergo nec forma illa corporeitatis, quæ antecedat & subsequatur formam specificam vitæ, vt in solutione præiacta supponitur, & ab Aduersarijs traditur. Probo antecedens. Forma enim corporea quæ datur in mortuo, non est eadem quæ erat in homine viuēte, sed alia. Quare Arist. 2. *de Generat. Animal. cap.* 1. non longè à fine, inquit: ὁ γὰρ ἐστὶ πρόσωπον μὴ ἔχον ψυχήν, τὸ δὲ σὰρξ· ἀλλὰ φθαρέντα ὁμωνύμως λεγθήσεται τὸ μὴ εἶναι πρόσωπον, τὸ δὲ σὰρξ, ὥσπερ καὶ εἰ ἐγίγνετο ξύλινα ἢ λίθινα. *Non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro: sed corrupta æquivocè dicetur facies aut caro, perinde quasi lignea aut lapidea facta sit.* Si autem nec facies nec caro est eadem in homine vivo ac mortuo, sed longè alia; idem profectò quantùm ad rem ipsam dicendum erit de forma corporea, quæ aliam in viuente, quàm in mortuo, carnem ac faciem naturaliter exigit. Deinde & ratione suadetur idipsum: nam forma corporea in mortuo exigit determinata accidentia, & contraria ijs quæ exigebat in vivo, per se loquendo; vt frigiditatem prope summum, pallorem, fœtorem, immobilitatem proximam, seu potentias immobiles ab intrinseco. Ergo forma corporea non est eadem numero in defuncto, quæ fuerat in homine viuente: quia nequit eadem numero forma per se exigere accidentia contraria, & proprietates oppositas, ex quibus distinctionem formarum substantialium venamur. Ergo in homine non datur forma corporeitatis, quæ antecedat generationē, & permaneat post corruptionem.

DI-

27 *DICES*: Forma corporea in homine mortuo exigit eandem organizationem, quã exigebat in vivo; idque sufficit vt eadem numero forma sit. *SED Contrà I.* Etenim ex Philosopho ostensum est, carnem & faciẽ hominis vivi ac mortui esse reipsa diversam, & solo nomine, sive æquivocè eandem. Ergo neque organizatio est reipsa eadem, sed diversa, & nomine tenus eadem. II. Esto organizatio hominis mortui ac vivi, sit eadem vnivocè secundùm speciem essentialem (quod tamen est falsum) adhuc nõ sufficit vt forma substantialis corporea vtriusque eadẽ sit: quia quælibet illarum, vt constincta ab alia, exigit per se accidentia opposita, vt iam ostensum est; & eadem forma nequit per se exigere accidentia opposita. Alias forma vini & aceti esset eadẽ: quia quãvis vnaquæque illarũ exigat aliquod accidens sibi propriũ ac peculiare, etiam exigit plura alia vtrique cõmunia: similiterq; forma aquæ esset eadem, ac forma terræ; quia licèt exigat specialim humiditatem prope summũ, aliunde exigit frigiditatem in summo aut prope summum, quã etiam per se exigit forma terræ. III. Evasio manifestè præcluditur in formâ corporeâ vermis, aut cineris, in quã denique resolvitur cadaver. Illa enim nullã proprietatem habet similem ijs, quas habebat forma corporea hominis viventis, sed omnes longè diversas. Ergo non est eadem cum illa; ac proinde hæc non permanet in subsequentibus corruptionibus.

28 *DENIQVE*, Ne aliquid illius præcipui syllogismi maneat no plenè probatũ, suadetur vlteriùs posterior illa præcipuæ minoris pars, quã asseruimus, formam specificam viventis esse adæquatã in genere formæ substantialis, ac proinde ex illa, & forma corporeitatis realiter distincta, non posse consurgere vnum per se substantiale. Id autem ostẽditur haud difficulter. *Primò*: quia forma specifica equi v.g. est per se sufficiens ad præstandũ non modo effectum formalem specificum in linea vivendi; sed etiam effectus graduum superiorum & vniversaliorum corporis, atque substantiæ; cùm sit forma intrinsecè corporea, substantialisque; non autem spiritualis, aut accidentalis. Atqui omnis forma per se sufficiens ad præstandũ omnes effectus graduum superiorum & inferiorum intra genus substantiæ, est adæquata in ratione formæ substantialis. Igitur forma specifica equi est adæquata in ratione formæ substantialis. Eademque probatio æquè militat in cæteris formis plantarum, & brutorum. *Secundò*. Sicuti juxta Adversarios materia, licèt imperfectissima, potest supernaturaliter existere absque omni formâ substantiali; & forma corporeitatis frequentissimè existit absque formâ viventis; ita etiam fateri debent formam viventis, equi v.g. posse existere in materia, saltem supernaturaliter, absque formâ aliâ corporeitatis realiter superaddita: siquidem in eâ propter perfectiorem actualitatem vrgentior ratio est, vt valeat seorsim ab alia forma distincta existere. Modo arguo sic. Compositum ex materiâ & forma equi resultans in ea hypothesi non solùm esset animal hinnibile, vt patet, sed & corporeum. esset enim substantia coalescens ex materiâ & formâ: at non substantia spiritualis seu incorporea: ergò materialis & corporea; quia inter vtramque nõ datur medium. Ergo forma equi præstaret tunc gradum corporis, ac proinde & nũc, quia nunc est eiusdem rationis, ac foret tunc. Ergo est forma adæquata ac sufficiens intra genus substantiæ, independenter ab omni alia formâ corporeitatis realiter superaddità. *Præterea.* Compositum illud ex materiâ & formâ equi esset verè equus ac proinde animal, atque adeò vivens. Atqui vivens in animali imbibitum est essentialiter corpus de prædicamẽto substantiæ, quia eiusmodi corpus primo & adæquatè dividitur in vivens, seu animatum; & non vivens, seu inanimatum. Ergo compositum illud esset corpus de prædicamento substantiæ, idque independenter à formâ corporeitatis distinctâ, quam tunc supponimus non futuram.

ALIAS Probationes omittimus modò, videndas locis indicatis, & apud Suarez *disp.* 13. *Metaph. sect.* 3. vbi latè rẽ examinat.

SECTIO TERTIA.

Argumenta opinionis adversæ multipliciter roborata, ac solutâ.

29 *OPPONVNTI.* Adversarij Philosophum 1. *de Animâ text.* 72. vbi probat animam non esse corpus, quia aliàs duo corpora essent in eodem loco. Ergo præter animam de-

bet dari in composito materiali alia forma, quà constituatur in ratione corporis, ac proinde forma corporeitatis. *RESP.* retorquendo obiectionem in Aduersarios: quia posità formà corporeitatis in materia, debet vtraque esse intimè coniuncta in eodem loco; ac proinde iam duo corpora in eodem loco erũt, si semel id colligitur ex eò quòd anima brutorũ (de his enim procedit obiectio) sit corpus. Deinde dico Arist. eo loco negare animam esse corpus, non quomodocumque, sed per modum materiæ cõstantis subtilibus partibus, vt asserebant veteres ij Philosophi, quos ibidẽ refellit. Inde enim inferretur duo corpora, scilicet, duas materias, naturaliter esse in eodẽ loco: quod planè repugnat. Ex eò autem quòd anima sit corpus per modum formæ substãtialis solùm infertur quòd simul sit cum alia sui comparte, habente rationẽ corporis per modum materiæ. Hoc autẽ non modo absurdum non est, verùm etiã est necessarium, vt quæ per modum partium constituunt vnum per se substantiale sint simul in eodem loco, idque ratione vnius quãtitatis; cùm tamẽ duo corpora per modum materiæ exigant quantitatem duplicem, ac proinde nequeant esse naturaliter in v-o, sed tantùm in duplici loco.

30 *INSTABIS*: Iuxta eundem Arist. corpus quod actuatur ab anima, nõ est materia vt induta accidentibus, quia hæc non spectant ad compositionem substantialem; neque etiã nudè sumpta, sed quatenus organica. Definitur enim anima à Philosopho *actus corporis physici, organici, potentiâ vitam habẽtis*: ac proinde oportet materiam, quatenus recipit animam, esse actuatam formà organicà substantiali, ac proinde corporea; quia organũ vitę non, nisi corporeum est. Igitur ex mente Arist. materia non recipit animam, nisi quatenus actuata per formam corporeitatis. *RESP.* Nomine *corporis organici* non esse opus, vt intelligatur materia prima actuata per formã organicam corporeitatis; sed compositum ipsum vivẽs & organicum, cuius ipsa anima est actus constitutivus, quodque per illam constituitur tanquam per formam. Quare solùm colligitur, animam ipsam esse simul formam corporeitatis per propriam entitatẽ. Nec inconvenit animam per ordinem ad totum ipsum, quod constituit, censeri definitam eà definitione: vt patet in illa alia ipsius animæ ab eodem Arist. tradita per hoc vt sit, *quo primò vivimus, &c.* Vbi planè definitur in ordine ad concretum vivens. Sic etiam qualitas definitur in ordine ad subiectum quale, & lumen definitur *actus perspicui*, vt patet ex 2. *de Anima c.* 7. Sunt enim concreta hæc notiora formis per ea definitis. Vnde corruunt plures impugnationes Aduersariorum apud Pontiũ vbi suprà *à n.* 50.

31 *VRGEBIS.* Saltem in anima rationali hæc solutio locum habere nõ potest: quia licèt essentialiter sit forma corporis humani, vt definitum est in Concil. Lateranensi sub Leone X. adhuc est omnino spiritualis, ac proinde prorsus incorporea secundùm suam entitatẽ; siquidem in eadẽ entitate repugnat simul esse corpus & spiritum. Ergo saltem materia hominis debet esse actuata per aliquam formam corporeitatis præviam, distinctamque realiter ab anima rationali. Alioquì hæc non erit actus corporis organici, nec constitutivus, nec informativus.

32 *HÆC* obiectio valde difficilis est, ideoq; latiùs extricanda *tract. de Animâ*, vbi discutim⁹ vtrùm in homine sint plures animæ. Nunc breviter moneo, etiam Scotũ, & ipsius asseclas, innodari non sine eàdẽ ferè difficultate, ac teneri eidem satisfacere. Non enim minùs repugnare videtur entitati animæ spirituali esse vegetativam, quàm corpoream; siquidẽ omninò ipsi in sua entitate repugnat crescere, aut nutriri ab intrinseco, in quo consistit vegetatio. At nihilominus neq; ipsi in homine assignant formam aliquã vegetativam, realiter distinctam à rationali, & in materia immediatè receptam; sed aiunt animam rationalẽ sufficere ad præstandũ materiæ gradũ vegetativũ. Ergo pariter nec propterea assignanda est in homine forma aliqua corporea, realiter distincta à rationali, & in materia immediatè recepta; sed potiùs dicendũ, ipsam rationalem animã sufficere ad præstandum materiæ gradum corporis, sicut & vegetativũ & sensitivũ gradũ. Cùm enim ij omnes sint inferiores gradu rationali, ac præcipuo animę sufficienter in ea continentur, tãquam in forma superiori, vt ab ipsa simul præstari valeant. Quæ enim in inferioribꝰ dispersa sunt, in superioribus vniuntur. Sed de hoc operosiùs loco indicato.

33 *OBIICIVNT II.* In homine post mortem remanent eadem accidentia

tia numero, quæ habebat dum viveret. Ergo manet etiam idem subiectum ipsorum, quod antea erat: quia accidentia nequeunt migrare de subiecto in subiectum. At, iuxta nostram doctrinam, subiectum accidentiū non erat materia nudè sumpta, sed quatenus actuata per formā substātialem hominis viventis. Ergo post mortē hominis manet materia actuata per aliquam formam substātialem, quæ erat in homine vivente. Cumque talis forma permanēs post obitum non sit anima, vt patet, restat vt sit forma distincta corporeitatis. Totus hic discursus pendet vnicè à probatione præcipui antecedētis: quod suadere conantur ijs ipsis argumētis, quæ suprà *disp. 49. sect. 1. & 3.* proposuimus ac dissolvimus. Quare solùm superest vt nonnulla alia adijciamus, quæ in idem probādum accumulant. Itaq; antecedens illud probant: quia facies & cicatrices, & nęvi cadaveris humani, nequeunt distingui numero ab ijs, quæ erant in homine vivēte: quia hęc non determinaverunt agens extrinsecum ad similia accidentia in cadavere producenda (quæ posset esse vnica ratio vt inter se distinguerētur) quia substantia hominis est omnino diversæ rationis à substantia cadaveris; atque adeò accidentia illius nequeunt determinare agēs extrinsecū ad productionē similiū accidentiū in cadavere, sed potiùs diversorū.

34 *RESP.* Negando antecedens iuxta doctrinam traditam dicta *disp. 49. per totam.* Ad probationem nego assumptū: nam sicut dispositiones antecedentes & corruptivæ determinaverunt agens extrinsecum, vt produceret simul cum forma cadaveris aliam dispositionem vltimam ijs similem, quamvis in substantia dissimili; etiam potuerunt determinare illud, vt in cadavere produceret similem cicatricem, faciem, & cæsimilem, inquā, non vnivocè, sed æquivocè solùm, vt *n.* 26. vidimus ex Arist. Plura alia vide loco iam indicato.

35 *DICES*, Sequi ex tradita solutione duo absurda. *Primum* est, accidentia cuiuslibet compositi corrupti etiam determinatura agēs extrinsecum, vt in quolibet composito noviter genito producat similia accidentia: cùm ratio à nobis assignata sit in omnibus eadem. Consequēs autem est absurdum: quia sæpe aqua cōvertitur in vinum, & vnum elementum in aliud dissymbolum, etiā immediatè, vt dicemus circa finem huius tractatus, quamvis non habeant accidētia similia, sed prorsus diversa. Ergo neque aqua, neque elementum dissymbolum, in ijs casibus determinant agens extrinsecum ad producenda accidentia similia. *Secundum* est, permansura semper accidentia similia in composito generato; quod cùm idē specie ac numero persistat, eadem specie ac numero accidentia exigere ac retinere debet. Hoc autem esse falsum constat in cadavere, quod licèt initio exprimat figuram & cætera accidentia hominis vivētis, paulatim illa exuit, & alia induit.

36 *RESP.* Negando assumptum. *AD I.* concesso sequelam, & nego minorem: nam etiam si quando aqua convertitur in vinum, aut vnum elementum dissymbolum immediatè transit in aliud, etiam determinant agens extrinsecū vt producat in genito accidentia similia ijs, quibus compositum corruptum afficiebatur. Cū enim hoc non destruatur, nisi mediis dispositionibus in se receptis, & præparantibus materiam ad receptionē novæ formæ, ac proinde ad subeundam dispositionem vltimam perfectivam geniti, cū quà illæ similitudinem specificam habēt, & ad quam naturaliter ordinantur; cōsequens est, vt determinent agens extrinsecū ad producenda accidētia in genito similia ijs, quæ præcesserant in corrupto; scilicet, ad producendas dispositiones cōnaturales genito, similes præternaturalibus, seu etiam violentis, præexistentibus in corrupto. Quare nec aqua trāsit in vinum, nisi priùs affecta dispositionibus remotis, quæ sint eiusdem speciei cum accidentibus proprijs vini; nec in elemētum dissymbolum ignis, nisi quatenus affecta per calorem intensum, sibi contrarium, & affinem calori proprio ignis. *AD II.* concedo sequelā de ijs accidentibus, quæ necessariam connexionem habent cum cōposito generato, tāquam propria ipsius aut inseparabilia: nego autē de ijs, quæ solùm contingenter ipsi accidūt, aut solùm initio suæ productionis, & nō de cætero; qualiter de calore relatè ad cadaver humanū diximus loco allegato. Idemq; videtur dicendum de vultu, colore, & alijs similibus accidētibus; quæ, cùm in homine vivente, & substantialiter invariato, tam facilè mutationem subire soleant; quantò magis in cadavere, quod suaptè natura citiùs in corruptionem tendit?

37 *OBIICIVNT III.* & consequenter. In morte animalis non producitur forma aliqua nova cadaveris. Ergo solùm manet aliqua forma, quæ priùs existebat in homine; quæ cum non sit forma viventis, debet esse alia cõporeitatis. Antecedens probant: Quia qualitercumque & quibuslibet dispositionibus corruptivis moriatur animal, cadaver ex eo relictum eiusdem rationis specificæ, imò & individuæ est. Sive enim homo moriatur suspendio, gladio, suffocatione, aut hoc vel illo morbo specie diverso, idē cadaver resultat. Hoc autem è contra accideret, si in morte animalis produceretur forma aliqua nova cadaveris. Deberet enim esse diversa iuxta varietatem præcedentium dispositionum.

38 *RESP.* Negando antecedens. Si enim verũ esset, daretur planè in morte animalis vera corruptio absque generatione, vt suprà arguebamus: insuperque idem numero animal simul esset vivens & cadaver, quia simul retineret formam viventis, & formam cadaveris, a qua nequit non denominari intrinsecè & constitui absolutè cadaver; sicuti, iuxta Adversarios, à forma corporeitatis constituitur corpus simpliciter & absolutè. Cõsequens autem est absurdissimum, & contra communem omnium existimationẽ qui nec denominant, nec esse putant cadaver aliquod, nisi sit corpus mortuum, seu vita spoliatum. Vnde & cadaver dictum quasi *caro data vermibus*. quod planè solius corporis mortui est. Ad probationem antecedentis (aliorum solutionibus relictis, quas nec referre, nec impugnare vacat) admissa maiore, nego minorem: quia qualitercumque, & ex quavis causa extrinseca moriatur animal, dispositiones intrinsecæ & præcipuæ ad formã cadaveris eædem sunt; nimirum, temperamentum illud, quod est conforme cadaveri, & repugnans viventi; quodque à varijs causis & quoddammodo oppositis provenire potest: sicuti eadem est forma carbonis geniti ex igne, sive procedat ab aqua, sive à vino, sive a terra, sive à quolibet alio principiõ extinguẽte ignem, & generante carbonem. Quare diversitas illa causarum, tum externarum, tum & internarum cadaveris, vt morborum dissimilium, nimij caloris, aut frigoris, huius aut illius febris, de materiali se habet omnesque relatæ causæ de formali solum exiguntur ad generationem cadaveris, quatenus conveniunt in activitate, seu influxu conducente ad temperamentum exactum à cadavere, & animali repugnans.

39 *OBIICIVNT IV.* Eadem numero forma substantialis, quà Christus vivens constituebatur in ratione corporis, permanit vnita materiæ ipsius in triduo mortis, ac proinde realiter separata ab anima ipsius. Ergo forma illa in Christo vivente erat realiter distincta ab anima ipsius. Consequentia patet; quia separatio realis nequit esse, nisi inter extrema, quæ in quolibet statu distinguuntur realiter. Antecedens autem probant argumento theologico: Quia idem corpus Christi, quod fuit natum de Virgine, fuit etiam passum & sepultum. Hoc enim cõmuni Fidelium consensu receptum est, veluti consecutum ex articulo fidei, quo credimus Christum fuisse sepultum. Cũque sepultus non fuerit quò ad animam, debuit sepeliri quò ad illud ipsum corpus, quod erat ipsius proprium, & acceptum ex Virgine. Idque expressè docent Patres, & speciatim S. Ambrosius relatus *dist. 2. de Consecrat.* Atqui non verificaretur idem corpus Christi fuisse natum de Virgine & sepultum, si forma eadem substãtialis, quà Christus vivens constituebatur in ratione corporis, non permaneret vnita materiæ ipsius in triduo mortis. Ergo permansit. Probatur minor: quia idem numero corpus nequit permanere, nisi constitutum ab eadem numero forma corporis.

40 *RESP.* Negando antecedens. Ad probationem nego minorem: quia vt absolutè permanserit idem corpus Christi sepultum, quod fuit de Virgine natum, non requiritur permanẽtia eiusdem formæ substantialis, quà cõstituebatur Christus in ratione corporis de prædicamento substantiæ; sed sufficit persistẽtia eiusdem numero materiæ vnitæ eidem suppositò Verbi divini post mortem, cui ante mortem Christi vnita erat. Id enim sufficit ad verificandum simpliciter id, quod à Fidelibus creditur, & à Patribus traditur, circa identitatem corporis Christi ante & post mortem; licèt non sufficiat ad verificandum fuisse idem corpus omnibus modis. Hoc enim nec requiritur, nec necessarium existimari debet, etiam iuxta Adversarios, qui dicere tenentur corpus

Chri-

Chriſti ante mortem fuiſſe ſubſtantialiter & ſecundùm ſuam entitatem vivens, quod tamen poſt obitum non ſic remanſit, ſed mortuum; ac propterea non idem omnibus modis. Solutio hæc & doctrina expreſſa eſt S. Tho. 1.*p.q.*50. *ar.* 5. Adde vlterius, tum re ipsà, tum & communi omnium ſenſu, eſſe idem numero corpus S. Petri v.g. ante & poſt mortem, ex eo præciſè quod permaneat eadem numero materia ipſius ſub formà cadaveris, quanquam alteri ſuppoſito coniuncta. Ergo multò magis idem fuiſſe corpus Chriſti cenſendum eſt, ante & poſt mortem; quia non ſolùm fuit in illo eadem numero materia, ſed & idem ſuppoſitum.

41 *INSTABIS.* Patres docent idem corpus, quod fuit natum de Virgine, fuiſſe etiam ſepultum, vt convincerēt Hæreticos illos, qui aſſerebant Chriſti corpus in morte fuiſſe reſolutum in elementa. Ergo eo ipſo docent fuiſſe idem corpus, non ſolùm ſuppoſitaliter, ſed etiā formaliter. Nam ſi ſolùm ſuppoſitaliter eſſet idem, non rectè impugnaretur Hæreticorum error prædictus: ſiquidem adhuc poſtquam reſolutum fuiſſet in elemēta, eſſet ſuppoſitaliter idem, ſive, quod perinde eſt, maneret vnitum Verbo diuino ſub formà elementi, ſicuti de facto vnitum manſit ſub formà cadaveris.

42 *RESP.* Obiectionem hanc, in quà nimiùm fidit Pontius *n.* 45. cum Hiquæo, etiam debere ſolvi ab ipſo: nam dato quòd Chriſti corpus fuiſſet reſolutū in elementa, etiam retineret formam corporeitatis, quà elementa conſtant. Ergo idem numero corpus Chriſti compoſitum ex materià & formà prædicta permaneret, quamvis ſub formà elementi: ideoque argumentum Patrum eſſet nullius roboris. Deinde dico, Patres non impugnaſſe errorem illum ex eo quòd corpus Chriſti permanſiſſet ſuppoſitaliter idem; ſed ex eo quòd verè idem corpus Chriſti viventis, quod de Virgine natum eſt, depoſitum fuerit in ſepulchro: ſicuti idem corpus cuiuslibet alterius hominis viventis, eſt quòd poſt eius obitum manet ac ſepelitur: ac proinde ſicut corpora aliorum hominum per mortem non reſolvuntur in elementa, ſed manent ſub forma mixti, quod eſt cadaver; ita etiam corpus Chriſti. Quæ conſideratio ſufficiens eſt & efficax ad impugnandum illū errorem.

43 *DICES:* Si in triduo mortis aliquis Apoſtolorum conſecraſſet panem, poſuiſſet ſub ſpeciebus illius corpus Chriſti, quod eſt terminus per ſe converſionis; ac proinde poſuiſſet illud conſtitutum, non per animam, vt patet, neque per novam cadaveris formam, quæ non magis eſt forma Chriſti, quàm ignis generatus ex ligno ſit corpus ligni. Ergo poſuiſſet corpus Chriſti conſtans eàdem formà corporeitatis, quà conſtabat ante triduum mortis. *RESP.* per conſecrationem panis ex vi verborum poni corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, eà ſolùm ratione, quà corpus Chriſti conſtat ex materia & formà præſtante gradum corporeitatis, quæcumque hæc ſit tempore ipſo conſecrationis. Vnde conſecratio facta in triduo mortis poneret ex vi verborum ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti compoſitum ex materia & forma corporea cadaveris, quà tunc conſtabat; ſicut vivente Chriſto ponit ex vi verborum corpus Chriſti coaleſcens ex materià & anima, prout hæc præſtat gradum corporis. Etenim corpus in triduo mortis coaleſcens ex materia & formà corporea cadaveris recenter productà, verè erat corpus Chriſti, non ſolùm propter identitatem materiæ in vità & morte, ſed etiam propter identitatem ſuppoſiti divini terminantis compoſitum vivum ac mortuum. In quo ſanè apparet diſcrimen ab igne: qui ſolùm poteſt dici conſtans ex corpore ligni, ex quo genitus eſt, propter identitatem ſolius materiæ; non verò ob identitatem ſuppoſiti, quod eſt diverſum in igne ac in ligno.

(*)

DISP. QVINQ. SECVNDA:

DE AVGMENTATIONE ET NVTRITIONE.

An in rerum naturà existant augmentatio ac nutritio, qua alimentum in substantiam aliti convertatur?

Num. 1. PHILOSOPHVS *Tam hoc libro 1. de Generat. cap. 5. quàm alibi sæpe, ita de naturà augmentationis ac nutritionis, & discrimine utr usque inter se, agit, vt illarum existentiam supponat, veluti rem indubiam. Nomine autem augmentationis intelligit motum à minore ad maiorem quantitatem; nutritionis verò, conversionem alimenti in substantiam aliti; scilicet, eiusdem viventis. Verùm id non adeò evidens est, vt à nullo negatum fuerit. Magister enim Sentētiarum* in 2. dist. 30. *negat alimentum converti in substantiam aliti, idque multis rationibus probare conatur, quas proponere & extricare oportet, pluraque alia adijcere scitu dignissima circa existentiam & naturam augmentationis ac nutritionis, quæ priscis Philosophis curæ ac labori fuerunt, nunc verò à Recentioribus, aut leviter attinguntur, aut neque obiter quidem memorantur.*

SECTIO PRIMA.

Demonstratur existentia augmentationis ac nutritionis; & accuratè exponitur, quomodo non obstanti conversione alimenti in substantiam aliti, idem numero homo sit in principio infantiæ, & progressu vitæ, ac senectæ.

2 DICENDVM Est, In rērum naturà existere motum augmentationis, quo viventia transeunt à minori ad maiorem quantitatem; item & nutritionis, quo alimentū verè convertitur in substantiam aliti.

PRIOR Pars communis est inter Philosophos cum Aristotele in præsenti *cap.* 5. tum *textu* 26. vbi docet, augmentationem versari circa magnitudinem; tum & *textu* 31. vbi statuit, media augmentatione totam viventis carnem augescere. Vbi S. Thomas, *De ratione*, inquit, *præexistentis magnitudinis est, quòd fiat additio ad præexistentem magnitudinem: dicitur enim aliquid augeri ex eo quòd fiat maius.* Et probatur evidenti ratione eiusdem S. Doctoris 1. *p. q.* 119. *ar.* 5. Evidens namque est, hominē in pueritia esse maiorem, quàm in infantiâ; in adolescentiâ, quàm in pueritiâ; in iuventute, quàm in adolescentiâ. Ergo evidens est ipsum augeri, seu transire a minori ad maiorem quantitatem. *DICES*, Fieri maiorem, non re ipsâ, sed per rarefactionem, quæ est motus ab augmentatione diversus. *SED Contrà*. Si homo solùm fieret maior per rarefactionem, & non per augmentum verum quantitatis, quò quis adultior est, eò mollioribus ac rarioribus membris constaret; vt patet in omnibus ijs, quæ rarefiunt. At oculorum experimēto constat, eò densiora & solidiora fieri hominis membra, quò adultior est, & propior ætati virili. Ergo non augetur per rarefactionem, sed per veram quantitatis accretionem. *CONFIRMATVR*. In viventibus datur veræ diminutionis motus à condensatione distinctus, quo transeunt a maiore ad minorem quantitatē, vt stabilitum relinquimus *lib.* 5. *Physicorum disp.* 32. Ergo & pariter in ijs datur veræ augmentationis motus, à rarefactione distinctus, quo transeant à minori quantitate ad maiorem.

3 *OBIICIES*: Si homo quò adultior est adquireret successivè maiorem quantitatem motu augmentationis, hæc esset successiva pariter & continua, sicut vita hominis ab infantiâ vsque ad virilem ætatem. Consequens autem est contra Philosophum 8. *Physic. textu* 23. illis verbis: οὔτε γὰρ αὐξανέσθαι, οὔτε φθίνειν οἷόντε συνεχῶς, ἀλλ' ἔστι καὶ τὸ μέσον. *Fieri enim non potest, vt incrementa continuè, vel decrementa suscipiantur: sed est & medium ipsum*; quibus negare videtur augmentationem esse continuam. Ergo homo non quò adultior est adquirit successivè maiorem quātitatē per motū augmentationis.

RESP.

4 *RESP.* Ad veritatem assertionis traditæ sufficere, quod vera augmentatio in rerum naturà existat, quoties vivens transit à minore ad maiorẽ quantitatem, sive hoc fiat continuè, sive non. Adhuc tamen dicendum, eo testimonio solùm negari continuitatem augmentationis, diminutionisvè per totam vitam; cùm in eà sit augmentum, status, & diminutio: deinde & continuitatem regularem, seu respondentem partibus temporis ita, vt si v.g. vivens augetur per vnicam horam, tantumdem augeatur in primâ illius medietate, ac in secundâ. Hoc enim ibidem Aristoteles veluti absurdum reijcit eo loco adversus Heraclitum, atque impugnat exemplo excavationis lapidis, tractionis navis à pluribus hominibus, & scissionis lapidis. Videre namque est, licèt plures guttæ excavent lapidem, non ideò cuilibet guttæ tribui particulã excavationis, nec medietatem medietati: sed omnibus guttis paulatim ac successivè cadentibus disponi lapidem ad excavationem prædictam. Ergo neque augmentatio facta spatio vnius horæ v.g. debet dividi mensurarivè iuxta proportionalem divisionem eiusdem horæ: sed poterit evenire vt vivens augeatur inæqualiter in diversis horæ partibus, & quandoque magis, aut minus in principio, quã in medio, aut fine horæ, propter diversam subiecti dispositionem. Non ergo augmẽtatio est continua, scilicet, per correspondentiam ad continuitatem regularem temporis. Vnde & experimento constat, nonnullos adolescentes quandoque plus crescere & augeri vnico anno, quàm tribus aut quatuor: quod tamen nõ ita eveniret si augmentatio deberet esse omnino regularis & proportionata tempori. Hanc itaque continuitatem negat Philosophus augmentationi, non verò illam quà motus aliquis absolutè dicitur esse cõtinuus, quia nimirum eo tempore quo durat, sive longo, seu brevi, non interrumpitur. Vide quæ diximus disput. allegatâ 5. Physicorum.

5 *POSTERIOR* Asserti pars omnium quoque Philosophorũ ac Theologorum est, si Magistrum Sententiarum excipias *in 2. dist.* 30. vbi negat alimentũ converti in substantiam aliti, ac proinde tollit de medio veram nutritionem. Verùm eo ipso loco impugnatur communiter à Scholasticis, præsertim Durãdo *q.* 4. Ægidio Romanõ *q.* 2. *ar.* 1. ac D. Thomâ similiter *q.* 2. *ar.* 1. & *Quodlib.* 8. *ar.* 5. & 1. *p. q.* 119. *ar.* 1. Constatque manifestè ex doctrina Aristotelis in hoc capite, alimentum per nutritionem cõverti in substantiam & carnem aliti. Nam, vt rectè ponderat ex ipso, *textu* 41. Ægidius, nihil nutrit carnem, vel illam auget, nisi quod est potentiâ caro, & quod per agens fit actu. Sed hoc fit per nutrimentum. Ergo nutrimentum quo nutritur & augetur caro, erat caro in potentiâ, & per actionem nutritivam fit caro actu: ac proinde convertitur in substantiam & carnem nutriti. Præterea iuxta eumdem Philosophum hoc capite textu 38. & 50. nutrimentum in principio est dissimile; in fine autem simile, & sub specie ac formâ nutriti. Sed quidquid est sub specie ac formâ nutriti pertinet ad eius substantiam. Ergo nutrimentum in fine pertinet ad nutriti substãtiam: ac proinde verè convertitur in substantiam aliti.

6 *PROBATVR* Præterea ratione communi ab experimento desumptâ. Manifestum est enim corpus hominis v.g. crescere, & omnes eius partes informari primò ac per se ab anima, siquidem tam secundùm illas, quas quis accepit in generatione à parentibus, quàm penes alias progressu temporis accrescentes, videmus sentire ac vivificari corpus humanum. Ergo vel illæ partes accrescunt per creationem; vel per miraculosam multiplicàtionem, qualiter quinque panes in deserto à Christo multiplicati sunt; vel per rarefactionem; vel tandem per conversionem alimenti in substantiam aliti. At non per creationem: quia creatio non est opus naturæ, sed Authoris naturæ; adquisitio autem novarum partium est frequentissimum naturæ opus. Non etiam per miraculosam multiplicationem partium præexistentium: tum ob eandem rationem modò assignatam; tum quia indignum est & irrationabile Philosophum ad miracula & mysteria in ijs naturæ rebus confugere, vt Ægidius ipse meritò in præsenti notat. Non præterea per rarefactionem. Aliàs corpus iuvenis esset rarius, quàm infantis, minusque solidum, vt superiùs argumentabamur probantes existentiam augmentationis. Superest ergo vt partes illæ accrescant per conversionẽ alimenti in substantiam aliti, quam nutritionem appellamus.

CON-

7 *CONFIRMATVR.* Aliquis enim debet existere motus, sive actio, per se instituta à naturâ ad restaurandum id, quod deperditur de substantiâ naturæ animalis virtute caloris naturalis, & exercitio illius diutino. Alias natura, quæ in alis omnibus providentissima est, in hoc vno defeciſſet. Ergo aliquis existit motus, quo animal adquirat partes substantiæ spectantes ad integritatem suæ naturæ, & supplentes defectum illarum, quæ consumptæ sunt. At nomine motus, quo animal adquirit partes substantiæ spectantes ad integritatem suæ naturæ, & supplentes vicem absumptarum calore naturali, nihil aliud intelligimus, quàm nutritionem. Est igitur à naturâ institutus, & de facto existit motus nutritionis. Porrò aliquid deperdi de substantiâ animalis diutino exercitio caloris naturalis, non solùm patet experimento, sed & ratione. Cùm enim omnes partes substantiæ existentes in animali absolutè corruptibiles sint, etiam illæ, quas quis primò à parentibus accepit, tandemque in obitu ex integro corrumpantur; quid mirum, quòd in decursu vitæ paulatim decidant, & per particulas absumantur activitate diutinâ naturalis caloris?

8 *DICES,* In ipso vitæ progressu non absumi partes substantiæ aliquas virtute naturalis caloris, etiam paulatim & imperceptibiliter; ac proinde non esse opus nutritione, quâ recuperentur. Assumptum probat Magister. Si enim virtute caloris naturalis in ipso vitæ progressu absumerentur partes aliquot substantiæ, cùm exercitium caloris sit cõtinuum, absumptio quoque partium esset continua. Posset ergo contingere, saltem post plures vitæ annos, vt activitate diutinâ caloris naturalis absumptum fuisset paulatim quidquid substantiæ à parentibus per generationem acceptum est, manente illo solũ quod per nutritionem est adquisitum. Ergo non maneret idem homo, sed esset numero distinctus: quia vbi substantia humana est numero alia, nequit nõ esse homo alius numero ab eo, qui antea extitit. Neque sufficit ad identitatem numericam quòd eadem rationalis forma persistat: quia hoc numero individuum non minùs exigit hanc numero materiam signatam quantitate, quam hanc determinatam formam. Ergo licèt maneat eadẽ forma determinata, si tamen non persistit eadẽ numero materia signata quantitate, non permanebit idem numero homo.

9 *VRGEBIS I.* Si per possibile aut impossibile anima quæ fuit vnius hominis, infunderetur corpori alterius, vt Pythagorici putarunt, resultaret alius homo distinctus à primo realiter per solam distinctionem materiæ, quamvis esset eadem numero forma. Ergo pariter si per nutritionem potest abire tota prior materia, & decursu temporis succedere alia numero distincta, quamvis eadem forma permaneat, resultabit alius homo distinctus. *VRGEBIS II.* Si Deus vnoquoque die homini membrum aliquod abscinderet, aliudque loco illius supponeret, permanente eadem numero animâ; cùm tãdem iam omnia priora membra abscissa essent, & totidem similia subrogata fuissent, non esset idem numero homo, qui antea. Ergo pariter si virtute naturalis caloris omnes substantiæ partes absumãtur, & aliæ pro ijs subrogentur, quamvis eadẽ anima persistat, non erit idem numero homo, qui antea. *VRGEBIS III.* Nam per mediatam illationem colligitur, neque animam in ijs omnibus casibus fore numero eandem: quia rationalis animæ individuatur per ordinem ad materiam singularem; atque adeò vbi hæc aufertur, seu desinit esse coniuncta, qualitercumque id fiat, non potest informare aliam succedentem materiam: ac proinde anima, quæ est in materiâ ex integro ac noviter adquisita, nequit esse illa ipsa quæ antea.

10 *RESPONDET* Durandus *vbi suprà*, ex successiva deperditione partium præexistentium, & adquisitione novarum per nutritionem, nullatenus sequi variationem numericam hominis in toto, vel in parte. Quod sic probat. Illud nõ variat individuum in toto, vel in parte, quod manet in individuo idem in toto, vel in parte. Sed non obstante conversione alimenti in veritatem naturæ humanæ nutriti materia manet eadem simpliciter in toto & in parte. Ergo non obstãte conversione alimenti in veritatem naturæ humanæ, non variatur individuum in toto, neque in parte. Maiorem supponit vt certam. Minorem probat: Quòd enim adveniente alimento materia non sit alia in toto, quàm priùs, evidens est: quia materia animalis non tota simul de-

per-

perditur, ita vt forma fiat præcisè & totaliter in aliâ materia. Aliàs eſſet vera corruptio animalis, & vera generatio alterius; non autem nutritio. Item neque materia eſt alia in parte: quia illa partialitas neque poteſt eſſe ſecundùm eſſentiam materiæ, quæ ex ſe partes non habet, ſed indiviſibilis eſt; neque ſecundùm quantitatem; quia illud quod ex alimento converſum eſt, non differt ſecundùm ſitum quantitatis ab eo, cui advenit; ſed eſt eadē numero quantitas, & eadem pars quantitatis vtrumque perficiens. Eſt igitur eadem materia quæ prius in toto & in parte. Hæc Durandus.

11 *SED Contra I.* & eiſdem ferè Durandi verbis argumentum in ipſum efformo. Illud variat individuum in toto vel in parte, quod non manet in individuo idem in toto, vel in parte. Sed poſitâ converſione alimenti in veritatem naturæ humanæ, materia nutriti non manet eadem in toto, neque in parte. Ergo poſitâ converſione alimenti in veritatem naturæ humanæ, variatur individuum in toto, vel in parte. Conſequentia eſt directè oppoſita Durando, & rectè deducta ex præmiſſis. Maior certa, ſi maior, quam ipſe velut indubiam aſſumit, certa eſt. Minorem probo: Quia poſita converſione alimenti in veritatem naturæ humanæ, ad reparandum id quod de veritate eiuſdem naturæ deperditum eſt virtute naturalis caloris, materia nutriti nō manet eadem quæ antea, quō ad illam partē de novo adquiſitam. Pars enim materiæ quæ amiſſa, ſeu deperdita fuit, & iam in illo individuo non manet, nequit eſſe eadem numero cum illa parte materiæ quæ de novo adquiritur, & iam manet, neque vnquam deperdita eſt. Aliàs verificaretur ſimul eandem materiæ partem in eodem inſtanti reali eſſe amiſſam & non amiſſam, manere ſimul & non manere: quod aperte repugnat. Ergo materia nutriti non manet eadem realiter quō ad illam partem. Hinc autem infertur, materiam quō ad totum non manere: Quia, vt in obiectione proponitur, actiuitas caloris naturalis aſsidua eſt, ac proinde ſi abſumit partem aliquam ſubſtantiæ humanæ, poterit longo temporis progreſſu paulatim omnes ſubſtātiæ partes abſumere, ſuccedentibus omnino alijs in earum locum. At ſicut abſumptâ parte vnâ ſubſtantiæ deperditur pars aliquæ materiæ, ſic & omnibus ſubſtantiæ partibus abſumptis tota materia, quæ antea erat, deperditur. Ergo non manebit materia nutriti eadem, neque in parte, neque in toto, ſi per caloris actiuitatem deperditur, & per nutritionem adquiritur aliquid de veritate humanæ naturæ, ſiue ſubſtantiæ.

12 *CONTRA II.* Converſio alimenti in veritatem naturæ humanæ non eſt totalis, ſeu penes materiā & formam ſimul. Hæc enim omnino miraculoſa eſt, & ſolum in Admirabili Euchariſtiæ Sacramēto locum habet; in quo Deus ſupernaturaliter operans totam panis & vini ſubſtantiam, nulla earum materia in rerum naturā manēte, convertit in Chriſti Domini corpus & ſanguinem. Converſio autem alimenti ſolum eſt partialis & imperfecta: in qua nimirū, licèt alimentū ſufficienter attritum & elaboratum a naturā tranſeat in ſubſtantiam aliti, manet tamen realiter ipſius materiā ſub formā nutriti, quæ antea erat ſub formā alimenti. Simili certè modo, ac parum aquæ miſtum ingenti vini quantitati iuxta frequētiorem Philoſophorum ſententiam convertitur in vinum, quatenus interfectis aquæ particulis, & corruptis diſpoſitionibus, quibus conſervabatur, materia aquæ afficitur diſpoſitionibus vini prævalentibus in quantitate & efficacia; atque adeò aqua in vinum convertitur, & materia eius manet ſub formā vini. Ergo homo per converſionem alimenti in veritatem propriæ naturæ, accipit intra ſe partem illam materiæ, quæ erat ſub formā alimēti. Ergo non manet eadem materia hominis quō ad illam partē, ac antea; ſiquidem antea nō adquiſierat partem illam, quam modò habet ſibi adiunctam mediā nutritione. Cumque ſic poſsit alias & alias materiæ partes accipere ex alimento, ad ſupplendum omne id, quod antea deperditum eſt virtute naturalis caloris; tandem fiet, vt materia prior hominis non maneat, neque in toto, neque ex parte.

13 *CONTRA III.* Neque pars illa materiæ, neque quantitatis, quæ advenit homini per nutritionem, eſt eadem numero cum materia & quantitate hominis præexiſtence, vt Durandus vult. Ergo verè variatur homo per novam partem materiæ & quantitatis ſibi ſuperadditam. Conſequentia patet, & antecedens pro-

probatur communi illo principio: Quod semel est separatum realiter ab aliquonō potest esse idem numero realiter cum illo: aliàs idem posset re ipsa separari à se ipso. Sed pars illa materiæ & quantitatis, seu (vt iuxta ipsum Durādum loquamur) materia illa & quantitas alimenti, quæ advenit homini per nutritionem, erat antea separata realiter à materiâ & quantitate hominis præexistēte, vt ex se patet. Ergo postea per nutritionem nequit esse eadem numero realiter cum materiâ & quantitate præexistente in homine. Denique solutio Durandi est directè opposita doctrinæ Aristotelis *in præsenti textu* 35.

14 *NEQVE* Obstat quòd materia secundùm se indivisibilis sit præcisivè loquendo, & prout abstrahit à quantitate. Nam prout sigillata iam per illam, verè habet partes quo ad entitatem substantiales, realiter distinctas inter se, vt proprio loco ostendemus. Et, quidquid sit de hoc, non potest verificari, substantiam hominis crescere, aut decrescere, iuxta communem locutionem & sensum, etiā ipsius Durandi, nisi adquirat & deperdat aliquam substantiæ portionem, quæ proinde separetur & realiter distincta sit à præexistente, vel remanente in subiecto. Datur ergo variatio materiæ partialis vt minimum in homine, & per mediatam consequentiam variatio totalis, si existit vera nutritio, quà alimentum in substantiam aliti convertatur, vt contendit argumentum præiactum.

15 *RESPONDEBIS II.* ex Alberto de Saxonia *in præsenti q.* 10. quēadmodum supernaturaliter vna res est plures res numero, scilicet, divinitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ita naturaliter vnam numero rem posse successivè esse plures res numero, licèt non simul: & hac ratione Petrum auctum & præexistētem esse eundem numero, quia licèt ante augmentum fuerit tantùm A. post augmentum tamen fit A. & B. Quare S. Petrus in terrâ erat anima & corpus simul: & tamen idem S. Petrus in cœlo modò est anima solùm: alioqui nunc falsò diceretur, *Sanctus Patrus est in cœlo.*

16 *SED* Contra. Impossibile enim apparet esse eandem numero rem, vbi deficit omnino partiale constitutivū ipsius secundùm vnitatem numericam: licuti impossibile est eandem specie rem persistere deficiente omnino aliquo partiali eius constitutivo secundùm speciem. Propterea namque dicitur essentias esse indivisibiles sicut numeros, quibus si vel vnicam auferas vnitatem partialem, totam speciem numeri destruas. Atqui politâ existentiâ nutritionis convertentis alimentum in substantiam aliti, & afferentis paulatim ac successivè materiam adæquatè distinctam à materia prima per generationem susceptâ, variatur & deficit omnino partiale constitutivum Petri v.g. secundùm vnitatem numericā, quia variatur & deficit materia prima & quantitas per generationem suscepta quibus secundùm vnitatem numericam constituebatur. Ergo non manet idem numero Petrus. *Deinde*: Nulla res naturalis eadem numero potest idemtificare secum successivè plura numero realiter distincta; quia quæ semel realiter distinguuntur, semper distinguuntur realiter; maximè si separabilia sint ad invicem, vt materia de novo adquisita, & individuūm humanum à tempore generationis præexistēs. Ergo repugnat individuum humanum à tēpore generationis præexistens idemtificare secum duas res numero distinctas, imò & separabiles, quales sunt, compositum ex materiâ primâ per generationem acceptâ, & compositū succedens ex aliâ numero materia primâ per nutritionem adquisitâ. *Denique* illa propositio, *Sanctus Petrus est in cœlo*, vera est, quia communi sensu accipitur de S. Petro inadæquatè sumpto pro sola animâ; non verò adæquatè & loquendo in rigore Scholarum; sic enim falsa esset; cùm ad propositionē strictè & metaphysicè veram exigatur, quidquid est realiter in subiecto esse realiter in prædicato. At in anima D. Petri nō est realiter quidquid erat in D. Petro: ac proinde hæc in rigore Scholarum est falsa, *S. Petrus est ipsius anima in cœlo existens*; sicut & ista, *Anima S. Petri est S. Petrus.*

17 *QVARE* Aliter occurrendum est propositæ difficultati ex doctrinâ Philosophi *in præsenti capite* 5. *textu* 35. illis verbis: δεῖ γὰρ νοῆσαι, ὡσπέρ εἴ τις μετροίη τῷ αὐτῷ τῷ μέτρῳ ὕδωρ· ἀεὶ γὰρ ἄλλο καὶ ἄλλο τὸ γινόμενον. οὕτω καὶ αὐξάνεται ἡ ὕλη τῆς σαρκός, καὶ ἔχοτωουν παντὶ προσγίνεται, ἀλλ' ἀπαρχεῖ, τὸ δὲ προσέρχεται τὸ δὲ σχήματος ἢ τοῦ εἴδους, ὁτωοῦν μορίῳ. *Oportet autem intelligere perinde atque si quis aquam mensura eadem metiatur quod emanfit aliud atque aliud semper est.*

Ad

Ad hunc itaque modum, & carnis materies augetur: & non cuivis parti eius quippiam additur; ſed alia dilabitur, alia accedit. At cuivis figuræ ac formæ parti, fit acceſſio. Vbi S. Thomas, fideliſsimus Philoſophi Interpres, & quem nunquam, præſertim in hac parte, ſine admiratione lego, id explicat lectio 15. inquiens: *Oportet intelligere quod dictum eſt de carne ſecundùm ſpeciem, & ſecundùm materiam; ſiquis menſuret aquam eadem menſura, ità tamen quòd ſemper ſit aqua & alia aqua: puta, ſi ex vaſe pleno aquâ, guttatim aqua effluat, & guttatim ſemper infundatur. Erit enim ſemper idem quantùm ad menſuram aquæ, non tamen quantùm ad materiam aquæ. Sic autem comparatur ſpecies ad materiam ſicut menſura ad menſuratum, eo quòd forma eſt finis materiæ, vt dicitur ſecundo Phyſicorum. Sic enim oportet intelligere quòd ſpecies carnis permaneat eadem tamquam menſura quædam: non tamen ſemper permaneat eadem materia, in qua ſpecies ſuſcipitur. Eſt etiam ſimile de fluvio, qui ſemper manet idem quantùm ad ſpeciem fluuij; materialis tamen aqua ſemper eſt alia & alia. Similiter eſt etiã in igne, cuius ſpecies & figura ſemper manet; ſed ligna, in quibus materialiter ignis ardet, conſumuntur, & alia apponuntur. Idem etiam apparet in populo civitatis, qui ſemper manet idem ſecũdùm quod eſt ſpecies, quamvis hominum, ex quibus conſtituitur populus, quidam moriantur, & quidam ſuccedant. Et ſemper permanet id, quod pertinet ad ſpeciem carnis; licèt materia, in qua fundatur talis ſpecies, paulatim conſumatur per actionem caloris, & alia de novo adveniat per nutrimentum.* Hæc & plura alia Doctor Angelicus, præſenti inſtituto admodum opportuna. Quæ vt explicem,

18 Notandum, rem aliquam eſſe eandem numero, poſſe tripliciter accipi: ſcilicèt, proprijſsimè, proprie, & minùs propriè. Tunc res eſt proprijſsimè eadem numero, quando neque quò ad formam, neque quò ad materiam ſubſtantialiter vnquam variatur in toto, nec in parte. Et hac ratione ſolùm res incorruptibiles dicuntur permanere eædem numero, vt cœli in opinione, quæ docet eos eſſe prorſus incorruptibiles; & homines glorificati poſt diem iudicij, qui nullam de cætero ſubibunt ſubſtantialem mutationẽ, adhuc partialem, neque quò ad formam, neque quò ad materiam. Propriè autem dicitur permanere res eadem numero, quãdo manet ſecundùm partem ſui principaliorem omnino eadem; licèt quò ad partẽ minùs principalem ſucceſsivè & paulatim immutetur per deperditionẽ quarundam particularum, & aliarum adquiſitionem. Et hac ratione Petrus dicitur idẽ in infantiâ, iuventute, ac ſenecta; quia ſem per eandem numero animam ſubſtantialiter invariatam retinet; licèt ex parte materiæ paulatim ſubeat imperceptibilẽ ferè quarũdam particularum deperditionem ex activitate caloris naturalis, & aliarum adquiſitionem. Minùs verò propriè dicitur res permanere eadem numero, quando paulatim mutationem ſubit tam ex parte materiæ, quam formæ; vt lapis, cuius nõ ſolùm materia, ſed etiam forma, creſcit ac decreſcit paulatim & imperceptibiliter; & fluvius, qui ſenſim penes alveum ac defluentes aquas variatur; & populus qui tam ex parte domuum labentium & recenter erectarum, quam civium, paulatim viciſsitudinẽ patitur; & ignis continuatus, qui ſucceſsivè variatur penes materiam & formã. Quanquam & in hoc poſtremo gradu ſit latitudo, & magis idem numero videatur lapis penes varios ſtatus, quàm fluvius, & populus, ob ſtrictiorem vnionem partium inter ſe, & compoſitionem ſubſtantialem ex vtraque, quæ neque in fluvio, neque in populo deprehenditur.

18 *HIS* Præiactis, ad præcipuam difficultatem *ex num.* 8. dicẽdum eſt iuxta allegata teſtimonia Ariſtotelis, ac D. Thomæ, & huius præſertim 4. *contra Gent. cap.* 81. poſſe quidem contingere vi caloris naturalis paulatim abſumentis quaſdam ſubſtantiæ partes, & vi nutritionis adquirentis alias de novo, vt homo, in ſenecta ſaltem, conſtet materia numero diverſa, ſicut & quãtitate, ab ea, quam à parentibus accepit per generationem. Ex quo ſolùm infertur hominem in ſenecta non eſſe eundem numero proprijſsimè ac in infantia, propter variationem omnimodam partis minùs principalis, quamquam imperceptibilem. Propriè tamen ſemper eſt idem homo numero, tum propter identitatem numericam eiuſdem animæ rationalis in omni ſtatu; tum quia pro quolibet inſtanti reali, imò & hora vitæ, tam nulla, aut modica eſt variatio ex parte materiæ, vt pro nihilo reputetur. Similiter & dicendum, cum hac ipſa variatione

materiæ cohærere, quòd propriè, licèt non propriſſimè, eadem numero ſit: nimirum eſt ſemper eadē cū omni illa proprietate, quæ exigitur ad idēntitatem numericam materiæ viventium; licèt non cum illa ſumma proprietate, quam exigit materia rerum incorruptibilium, vt corporum cœleſtium, & Beatorum poſt diem iudicij. Quare ſemper in homine fene & infante dicenda eſt eadem materia propriè manere, proprietate infra ſummam, & materiæ viventium corruptibilium conſentanea. Ex quibus patet ad præcipuam obiectionem.

19 *AD I.* Inſtantiam, conceſſo antecedente, nego conſequentiam, & paritatem: quia Pythagoras aſsignabat vnicuique animo rationali variationem materiæ, non penes partes imperceptibiles, & paulatim; ſed ex integro. Vnde & animam vnius hominis aſſerebat poſt obitum vniri animæ alterius, ſeu hominis, ſeu etiam bruti, vt expendimus *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 1. *excurſu* 10. *à num.* 150. quod ſine diſtinctione numerica individui, aut etiam ſpecifica, eſſe non poſſet. *AD II.* Homo, cui Deus quotidie aliquod membrum abſcinderet, & aliud loco illius ſubrogaret, cùm tandem omnia membra à præcedentibus diſtincta haberet, idem numero abſolutè perſiſteret propter continuationem longè maioris partis materiæ ſub eadem numero forma rationali. Non tamen permaneret tam propriè idem numero, ac homo paulatim & imperceptibiliter variatus penes materiam: quia hic retinet vnitatem numericam rei viventi corruptibili omnino conſentaneam; non tamen ille, vt ex ſe patet. *AD III.* Nego ſequelam: Quia licet anima individuetur in ordine ad materiam ſignatam & ſingularem, non tamen in ordine ad materiam cœleſtem, & intrantmutabilem; ſed ſublunarem & propriam viventis corruptibilis, cui congenitum à natura eſt pati viciſſitudinem qualitatum contrariarum, & poſſe creſcere ac decreſcere ſubſtantialiter penes materiam. Vnde potius ex hac variatione materiæ colligitur perſiſtere eandem numero formam; vtpotè ſemper retinētem tale ſubiectum quale ipſius naturæ conſentaneum eſt.

20 *DICES:* Non videri concedēdum, totam hominis materiam poſſe ſucceſsivè & paulatim mutari: quia ſaltem partes ſpermaticæ, quales ſunt nervi, & oſſa, aliæque ſimiles, & omnino ſolidæ ac duræ, difficillimè decreſcere aut corrumpi poſſunt virtute naturalis caloris. *RESP.* Si illæ partes non abſumantur virtute naturalis caloris, propter duritiem & ſoliditatem ipſarum meliùs conſultum iri veritati noſtræ aſſertionis, quà dicimus converti alimentum in ſubſtantiam aliti; & aliunde fatemur hominem in diverſis ſtatibus perſiſtere ſemper eundem numero. At conformius eſt Ariſtoteli ac D. Thomæ allegatis, & rationi naturali, omnes partes animalis, etiam ſpermaticas, & duras, paulatim activitate caloris abſumi, quia omnes illæ corruptibiles ſunt: atque adeò quemadmodum ex intemperie humorum tandem aliquando in ictu oculi penitus conſumuntur; mirum non eſt ſi aſsidua naturalis caloris activitate, cœteras partes depaſcentis, paulatim abſumantur. Addendum præterea ex Philoſopho in præſenti *textu* 38. quoties vivens per nutritionem augmentationemque creſcit & augetur, totum illud creſcere & augeri; ac proinde quò ad omnes partes, ſive duras, ſive molles. Quod ampliùs proprio loco explicamus. Ergo pariter cum decreſcit & minuitur; totum decreſcit, minuiturque; ac propterea ſecundùm vtrūque genus partium.

21 *INSTABIS:* Ergo etiam in Chriſto Domino ad finem vitæ, nulla pars, neque ſolida, neque mollis, permanſit ex ijs omnibus, quas in Incarnatione accepit ex Virgine Matre: quia de Chriſto in rebus naturalibus perinde ſentiendum eſt, ac de alijs hominibus: atque adeò ſi in cœteris hominibus virtute naturalis caloris abſumuntur proceſſu temporis omnes partes ſubſtantiæ per generationem acceptæ, etiam illæ, quæ ſpermaticæ & duræ ſunt; in Chriſto ſimiliter dicendum erit, progreſſu vitæ abſumptas fuiſſe exercitio diutino naturalis caloris. Conſequens autē abſurdum eſt. Ergo, &c. Abſurditas conſequentis probatur ex illo axiomate Theologorum de Verbo divino aientium: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Præterea ex D. Auguſtino *ſerm. de Aſſumpt. Virginis cap.* 5. vbi inquit: *Caro Chriſti, caro eſt Mariæ.* Et inferiùs: *Caro Chriſti, quamvis gloria reſurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen māſit, quæ ſuſcepta eſt de Maria.* Abſurdū ergo

eſt

eſt dicere totam ſubſtantiam Chriſti ſuſceptam ex Virgine fuiſſe abſumptam virtute naturalis caloris.

22 *RESP.* Negando ſequelam: quia ſubſtantia carnis Chriſti ex puriſſimis ſanguinibus Deiparæ ſuſcepta fuit, & optimè diſpoſita, & in mediocri quantitate. Præterea in tempore infantiæ, quia alimentum eſt facile, & ferè ſine reſiſtentia convertitur, parum illius primæ ſubſtantiæ per eius actionem reſolvitur; præſertim in Chriſto, qui temperatiſſimo & convenientiſſimo cibo alebatur; ſcilicet, *vbere de cælo pleno*, vt Eccleſia accinit. Reliquo autem vitæ tempore idem dicendum, quia in Chriſto ſolùm fuit tempus augmenti, aut ſtatus, in quo humidum radicale ferè ex integro perſeverat, nulla ſui, aut ferè nulla abſumptione facta, præſertim vbi alimentum eſt ſummè temperatum & proportionatum, quale in Chriſto ſemper fuit. Vnde non colligitur aliquid illius ſubſtantiæ, quam accepit ex Virgine, deperditum fuiſſe. Quod ſi hæc tibi non videantur ſufficere, addendum cum Eximio Suarez *tom. 2. in 3. part. diſputat. 1 ſect. 2.* ex quo hanc ſolutionem mutuamur, potuiſſe fieri ex ſpeciali Providentia Dei & voluntate Chriſti, vt nihil eius ſubſtantiæ decideret, ob ſingularem amorem erga Virginem Matrem: & ita fuiſſe factum.

SECTIO SECVNDA.

Obiiciuntur & enervantur argumenta contraria, examinatúrque latè an cum doctrinâ communi de exiſtentia nutritionis componatur veritas reſurrectionis futuræ.

23 *OBIICIES I.* Non poteſt ſubſtantia ſemel deperdita per actiuitatē naturalis caloris reſtaurari per virtutem congenitam animalis. Ergo non exiſtit nutritio tendens ad eam reſtaurationem. Probatur antecedens dupliciter. *Primò*: quia ſi animal per potentiam ſibi connaturalem poſſet reſtaurare ſubſtātiam ſemel deperditam, poſſet homo naturaliter nunquam mori. Scilicet, poſſet ſumere alimentum in ea proportione & qualitate, quæ ſufficeret ſolùm ad recuperandam ſubſtantiam deperditam, & conſervationem humidi radicalis in debita menſura: *Secundò*, à pari humidi radicalis, quod virtute nullius potentiæ connaturalis homini reſtaurari poteſt, vt conſentiunt Medici, ac Sacræ Scripturæ Interpretes, qui exinde potiſsimùm commendant fructum arboris vitæ, quod haberet vim ad reſtaurandum humidum radicale deperditum. Quare Hiſpaniæ Salomon, & Academiæ Noſtræ æternum decus, Alphonſus Toſtatus *in cap. 13. Geneſeos quæſt. 175.* cenſet, propterea dictam fuiſſe *arborem vitæ*, quòd fructus eius virtute præditus eſſet ad præſervandum hominem à corruptione in omne tempus, faciendumque ipſum immortalem. Quamquam aliquantò minùs eidem fructui concedant Scotus & Durandus *in 2. diſtinct. 19. quæſt. 1.* ac Pererius *libr. 3. in Geneſim quæſt. 3.* Si autem ſolius arboris vitæ proprium erat reſtaurare humidum radicale ſemel deperditum; ergo ſimiliter & reſtaurare partes ſubſtantiæ deperditas, in quibus eadem ratio eſt, ac in humido radicali. Non igitur exiſtit in homine principium aliquod connaturale motus nutritionis, quo reſtauret deperditas ſubſtantiæ partes, per converſionem alimenti in ſubſtantiam aliti.

24 *CONFIRMATVR.* Ad veram namque nutritionem exigitur, vt anima viventis vniatur materiæ alimenti, quò illam convertat in ſubſtantiam proprij compoſiti. Hoc autem impoſsibile apparet, præſertim in homine; quia ad id oporteret fieri novam animæ vnionem ad novam illam partem. Nequit autem nova animæ rationalis vnio fieri ad novam partē; cùm tota animæ vnio ad partes præexiſtentes antecedat, & præterea ſpiritualis ſit, quæ à potentia nutritiva produci non poteſt. Non ergo poſsibile eſt, vt anima, præſertim rationalis, vniatur materiæ alimenti prout neceſſarium eſſet, vt homo cōverteret alimentum in ſubſtantiam aliti.

25 *RESP.* Negando antecedens. Ad primam probationem nego ſequelā: quia quantumvis ſobriè & ad moderationis præſcriptum homo alimentum accipiat, adhuc tot peregrinis, & inter ſe diſſidētibus qualitatibus afficitur, præſertim ab humido extraneo & nutrimentali, vt tandē humidū radicale omnino diſſolvatur, & homo intereat. Quæ ſolutio deſumi-

mitur ex D. Thomà 1. *p. q.* 119. *art.* 3. & 4. Ex eiusdem quoque doctrina occurrendum est secundæ probationi, negando absolutè, humidum radicale semel amissum quo ad aliquam sui partē, esse prorsus irreparabile virtute naturalis caloris. Licèt enim hic nequeat illum restaurare in ea perfectione & vigore, quam habuit à principio generationis, potest producere partes aliquas humidi nutrimentalis, quæ vtcunque suppleant eius defectum. Excellentia autem fructus arboris vitæ in eo sita erat, vt roboraret humidum radicale contra debilitatem provenientem ex admixtione extranei, & redderet ita purum, sicut à principio vitæ, vt idem S. Doctor tradit 1. *part. q.* 97. *artic.* 4. Neque id tamen sufficienter præstaret fructus arboris vitæ semel manducanti, aut iterum: sed opus esset sæpiùs sumere de illo, quia habebat virtutem limitatam, & non omnino præservatricem a debilitate sequenti, sed sanatricem præcedentis, & perfectè conservatricem illius in vigore primigenio. Quemadmodum ergo virtute caloris naturalis nunc de facto, licèt non reproducatur pars humidi radicalis deperdita, producitur tamen pars humidi nutrimentalis pro illa substituens; ita etiam, licèt non producantur eædem numero partes substantiæ, quæ deperditæ sunt; producuntur aliæ pro ijs substituentes, & animal quoddammodo pristinæ integritati reddentes.

26 *AD Confirm.* Quemadmodum per generationem totalem ab agente naturali producitur vnio animę, etiam rationalis, ad corpus; ita per generationem partialem virtute nativa animalis producitur vnio eiusdem animæ ad novam partem materiæ alimenti conversi in substantiam aliti. Neque obstat quòd anima ante conversionem alimenti tota præexisteret vnita partibus corporis præcedentibus. Licèt enim tota esset vnita, non tamen totaliter, nec cum repugnantia ad vnionem cum partibus præcedentibus. Alioqui si manus abscindatur a corpore animalis, ac proinde amittat vnionem cum anima, non poterit postea per miraculum vniri, & informari ab eadem anima: quod tamen falsum est, & plurimis experimentis reijcitur; maximè exemplo auriculæ Malcho mirabiliter restitutæ à Christo Domino, & manus S. Ioannis Damasceni priùs ab Iconomachis abscisæ in odium sanctarum Imaginum, quarum cultum scriptis suis egregiè promoverat, similiter restitutæ à Deipara. Sicut ergo in ijs casibus anima præexistens tota in corpore Damasceni & Malchi potuit postea superadditam vnius manum, & alterius auriculam informare; sic etiam partem novam alimēti in substantiam animalis conversam. Quod verò additur, vnionem illam esse spiritualem, propterea aque improducibilem virtute naturali nutritiva; falsum est. Anima enim rationalis non coniungitur corpori vnione spirituali, sed materiali; qualis est etiam vnitas totius resultantis ex anima & corpore, seu ipsum compositum, quod absolutè materiale est, & corporeum. Ratio à priori est, quia illa vnio non fundatur in aliqua dependentia formæ spiritualis à materia, quæ omnino repugnat, neque in aliqua operatione spirituali agentis; sed solùm in dispositiva & generativa, quæ prorsus materiales sunt.

27 *OBIICIES II.* Verba illa Christi Domini capit. 15. Mathæi v. 17. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Quibus plane de medio tollere videtur actionem conversivam alimenti in substantiam aliti, ac proinde nutritionem; cùm asserat, totum alimentum in excrementa diffluere. Nulla igitur actio est, quæ per conversionem alimenti in substantiam aliti recuperet partes substantiæ animalis deperditas.

28 *RESP.* cum D. Thomà *loco alleg.* in verbis Christi Domini *omne* intelligi debere iuxta distributionem accomodam: vt sensus sit, ex omni quod intrat per os, aliquid in secessum emitti, licèt non omnes illius partes collectivè emittantur. Hoc enim posito subsistit energia rationis Christi Domini, dum asserit, ea quæ per os intrant, non coinquinare hominem. Omne enim quod hominem inquinare posset solùm est illud, quod impuritatem habet; non verò quod in eius substantiam convertitur. At omne quod impuritatem habet non coinquinat hominē, cùm per secessum emittatur. Nihil ergo eorum, quæ per os intrant, coinquinat hominem. Aut enim convertitur ex parte in eius substantiam, & hoc modo inquinare illum nequit; aut quo ex capite posset inquinare, non inquinat,

quo-

quoniam in secessum emittitur.

29 *OBIICIES III.* & longè difficiliùs, veritatem resurrectionis futuræ in proprio & integro vniuscuiusque hominis corpore, stare non posse cum existentia nutritionis, seu conversionis alimenti in substantiam aliti. Nam eà posità cadaver humanum poterit converti in substantiam avium, ferarum, aut piscium, si ab ijs comedatur, vt sæpe fieri solet. Ergo cùm caro & substantia hominis per cõversionem facta sit caro & substantia bruti, non resurget cum homine in die iudicij, quia tunc caro brutorum non resurget.

30 *CONFIRMATVR I.* Ponamus præterea, avem illam, feram, aut piscem, in cuius substantiam conversa est caro Petri v.g. postea esse alimentũ Ioannis, & proindè similiter converti in eius substantiam. Tunc certè eadem numero erit caro Ioannis, quæ fuerat Petri, quantùm ad id, quod in substantiam Ioannis conversum est, eiusque animæ informationem subijt. Ergo alter illorum non resurget integer in die iudicij, & cum tota illa substantia quàm habuit cùm moreretur. Patet consequentia. Aut enim resurget Ioannes cum tota illa substantia, quã habebat tempore mortis; & tunc Petrus non resurget integer, vtpotè deficiente sibi illa carnis portione, quæ primùm bruto, deinde Ioanni per generationẽ accessit. Aut certè si resurgit integer Petrus, auferenda erit à Ioanne illa pars materiæ quæ ex corpore Petri mediatè sibi vnita fuerat per nutritionem; ac proinde Ioannes integer nõ resurget. Nam alioqui impossibile est, vtrumque simul cum eadem numero parte substantiæ & carnis resurgere, ne cogamur dicere eandem materiæ partem simul à diversis animis in iudicio informandam: quod prorsus impossibile est.

31 *CONFIRMATVR II.* data hypothesi in qua totus homo ab alijs hominibus devoretur, vt sæpe apud Charibes, aliosque Barbaros, quos ἀνθρωποφάγους, seu *hominivoros* Græci appellant, fieri consuevit. In eo namque eventu maior saltem pars illius hominis convertetur in substantiam aliorum. Aut ergo recuperabit totam illam materiæ portionem in die iudicij, aut nõ. Si hoc secundùm asseras; ergo vix resurget cũ medietate eius substantiæ, quam habebat tempore mortis. Si primũ dicas; ergo à cæteris hominibus iuxta distributionem rectam auferenda erit tanta pars substantiæ, quantam ex corpore illius in propriam substantiam converterunt: ac proinde nullus illorum integer ad iudicium resurget.

32 *CONFIRM. III.* supponendo alterum illorum hominum esse prædestinatum, alterum reprobum. Nõ videtur verosimile partem substantiæ auferendã à reprobo ad complementum & integritatẽ prædestinati, cuius substantia in substãtiam reprobi cõversa primùm fuisset per nutritionem. Certum enim est reprobos cum eo ipso corpore in quo peccarunt, & diem vltimũ viæ peregerunt, æterno igni adiudicandos, nullamque partem corporis eorum absque tormento futurã, multò autem minùs æterna felicitate donandam. Ergo nulla pars substantiæ hominis reprobi transferenda est in prædestinatũ. Ergo prædestinatus non resurget integer, neque cum omnibus illis substantiæ partibus, quas habebat, & in quibus fortè martyrium passus est, ac specialem gloriã meruit. quod est alterum absurdum nõ minoris momenti. Imò & partes illæ corporis si in reprobo permaneant, subibũt eternos cruciatus: quod credere impium est. Ne ergo hæc absurda sequantur, neganda videtur existentia nutritionis, quà verè alimentũ in substantiã aliti convertatur.

33 *CONFIRM. IV.* Ponamus præterea hominem aliquem toto vitæ decursu non alio cibo vti, quàm carnibus aliorum hominum. Si illas convertit in substantiam aliti media nutritione, tempore mortis suæ quidquid substantiæ seu carnis in ipso est, totũ ex materia & substantia aliorum hominum erit. Aut ergo in iudicio erit cum illa ipsa substantia & carne, quam habebat tempore mortis; aut cum alia. Si cum alia; nõ erit vera resurrectio: quia ad veram resurrectionem exigitur, vt illud ipsum quod antea in quolibet individuo extitit, postea recuperetur, & iterum ad vitam surgat. Si autem dicatur hominem illum cum eàdem carne ac substantia resurgere; sequuntur absurda superiùs illata, nempe cæteros non integrè resurrecturos, & carnem hominis prædestinati perpetuò torquendam, reprobi autem æterna felicitate donandam; si nimirum homo ille prædestinatus sit, cæteri autem reprobi, quorum carnibus toto vitæ tempore vescebatur.

34 *DICES* Fortè, reſurrecturum hominem illum cum tota illa ſubſtantia & carne, quam adquiſivit ex aſsidua comeſtione aliorum hominum, vt ſic vera illius reſurrectio ſalvetur. Inde autem non infertur, cæteros abſque integritate naturæ humanæ ſiſtendos generali iudicio; quia portio ſubſtantiæ ab vnoquoque ablata non eſt de veritate naturæ humanæ, neque ad eius integritatem exacta, cùm hæc ſalvetur in prima illa ſubſtantiæ portione, quæ per generationem accepta eſt, quæque ſupponitur in vnoquoque illorum manere, quamvis cæteræ portiones carnis ſubſtantiæque per nutritionem in ſubſtantiam illius hominis aliti cõvertantur. Neque etiam colligitur carnẽ reprobi, quà reprobi eſt, perpetuò beandam aut prædeſtinati inæternũ torquendam: quia vi nutritionis & converſionis caro vnius tranſmutata eſt quò ad omnes dimenſiones & accidentia, & quò ad formam ſubſtantialem, nullo alio remanente, quàm materia prima; ac proinde per nutritionem caro vnius facta eſt caro propria alterius.

35 *SED* In oppoſitum vrgent plura. *Primum* eſt, voluntariè & ſine fundamento aſſeri, ſolam illam ſubſtantiæ portionem, quam quis primò à parentibus accepit, eſſe de veritate humanæ naturæ; cùm illa iuxta Philoſophos paulatim tota abſumatur virtute naturalis caloris, adhuc vivente homine, & nihil eius phyſicè remaneat poſt plures annos, v.g. in ſenecta. Et tamen in homine ſene perſiſtit veritas naturæ humanæ. Ergo illa prima ſubſtantiæ portio non eſt neceſſaria ad veritatem naturæ humanæ, ſaltem poſt plures vitæ annos. *Secundum* eſt. Sinamus gratis portionem illam eſſe de veritate naturæ humanæ. Homo ille nihil aliud comedens, quàm carnes humanas, ſi filium generet, oportet totum id quod filius ab eo accepit eſſe de ſubſtantia hominum comeſtorum: quia ſemen oritur ex ſuperfluitate alimenti, vt Philoſophus probat *lib. 1. de Generat. animalium cap.* 18. & 19. & alimentum illud erat de ſubſtantia eorundem. Ergo id quod eſt de veritate naturæ humanæ in homine iſto, fuit etiã de veritate eiuldem naturæ in alijs hominibus, quorum carnes pater comedit. *Tertium*. Ponamus adhuc cibari aliquem ſolis embryis, in quibꝰ nihil videtur eſſe, quod non ſit de veritate naturæ humanæ, quia totum quod eſt in eis, à parentibus per generationem accipitur. Si ergo ſuperfluitas cibi convertitur in ſemen, oportet illud quod fuit de veritate naturæ humanæ in embryis (quæ etiam ad reſurrectionem pertinent, poſtquam animam rationalem receperunt) eſſe etiam de veritate humanę naturę in puero, qui ex tali ſemine generatur. Cumque nequeat idem reſurgere ſimul in duobus, neceſſariò colligitur, aut puerum illum, aut alios ex quorũ ſubſtantia genitus fuit, non poſſe ſiſti in iudicio cum ijs omnibus, quæ ſpectant ad veritatem naturæ humanæ. Hoc autem abſurdiſsimum eſt. Ergo negari debet nutritio, ſeu converſio alimenti in ſubſtantiam aliti, ex qua manifeſtè infertur.

36 *HANC* Graviſsimam difficultatem Recentiores Philoſophi ne leviter quidem tetigerunt. Illam tamen ſibi propoſuit S. Thomas *in 4. Sententiarum*, *aliàs in Supplemento Tertiæ Partis q.* 80. cui epigrapha eſt, *De integritate corporum reſurgentium*; præſertim articulo 4. vbi inquirit, *Vtrùm totum quod fuit in corpore de veritate humanæ naturæ reſurget in ipſo*; & affirmativè reſpondet, probatque in argumento *Sed contrà*, dupliciter. *Primò*: nam quidquid fuit de veritate naturæ humanæ, fuit perfectum animà rationali. At ex hoc habet corpus humanum ordinem ad reſurrectionem, quia fuit anima rationali perfectum. Ergo quidquid fuit de veritate naturæ humanæ reſurget in vnoquoque. *Secundò*: quia ſi à corpore hominis ſubtrahatur aliquid, quod eſt de veritate naturæ humanæ in ipſo, non erit corpus hominis perfectum. Sed omnis imperfectio hominis tolletur in reſurrectione, præcipuè ab electis, quibus promiſſum eſt Lucæ 21. quòd capillus de capite ipſorum non peribit. Ergo quidquid fuit de veritate naturæ humanæ reſurget in homine.

37 *EX* Ipſius ergo doctrina pro ſolutione argumenti notandum eſt, vnũquodque ſic ſe habere ad veritatem, ſicut ſe habet ad eſſe, vt dicitur 2. *Metaph. textu* 4. Qua propter Avicenna inquit, veritatem cuiuſque rei eſſe proprietatem ipſius eſſe, quod ſtabilitum eſt ei: & ſecundùm hoc aliquid dicitur eſſe de veritate humanæ naturæ, quia propriè pertinet ad eſſe ipſius: & hoc eſt quod participat formam humanæ naturæ; ſicut verum aurum dicitur quod habet veram formam

mam auri, ex qua est proprium esse auri. Nunc videndum superest, quid sit illud quod est de veritate naturæ humanæ, vt exinde constet quas substantiæ partes recuperaturus sit vnusquisque in extremo iudicio, an omnes illas quas ex nutritione adquisiuit, vndecunque illa proveneri t; an etiam illas, quæ in substantiam aliorum hominum, seu brutorum conversæ sunt; an illas tantùm quas in primà generatione recipit à parentibus. Omnes enim fateri debemus vnumquenque hominum resurrecturum cum ijs omnibus, quæ spectant ad integritatem humanæ naturæ; solumque difficultas est in ijs assignandis, vt cum doctrinà Philosophorum communi circa nutritionem futuræ resurrectionis veritas Catholica componatur.

38 *CIRCA* Quod notandum ex eodem Angelico Doctore, tum loco allegato, tum *in 2. dist.* 30. triplicem esse opinionem. *Prima* docet nihil de novo incipere esse de veritate naturæ humanæ, sed quidquid ad illam pertinet, totũ fuisse à principio institutionis eius; & hoc per se ipsum multiplicari, vt ex eo possit semen decidi à generante, ex quo filius generetur, in quo etiam illa pars decisa multiplicetur, vt ad perfectam quantitatem perveniat per augmentũ, & sic deinceps: itaque hoc modo multiplicatum fuisse totum genus humanum. Vnde secundùm hanc opinionem, quidquid ex alimento generatur, non pertinet ad veritatem naturæ humanæ, quanquam videatur speciem sanguinis aut carnis habere.

39 *Secunda* opinio est afferentium è contrà, aliquid de novo addi ad veritatem humanæ naturæ per transmutationẽ naturalem alimenti in corpus humanũ, consideratà veritate naturæ humanæ in specie, ad cuius conservationem ordinatur actus generativæ virtutis. Si autem veritas humanæ naturæ in individuo cõsideretur, ad cuius conservationẽ & perfectionem actus nutritivæ virtutis ordinatur, non additur aliquid per alimentũ, quod sit primò de veritate humanæ naturæ huius individui, sed solùm secundariò. Ponunt enim, veritatem humanæ naturæ primò & principaliter consistere in humido radicali, ex quo est constitutio prima humani generis: quod autem cõvertitur de alimento in veram carnem & sanguinem, non esse principaliter de veritate humanæ naturæ illius individui, sed secundariò solùm; licèt possit esse principaliter de veritate naturæ humanæ alterius individui, quod ex semine illius generatur. Statuunt enim, semen esse superfluum alimenti vel cum admistione alicuius, quod est primò de veritate naturæ humanæ in generatione, vt quidam dicunt; vel etiam sine admixtione eius vt dicunt alij; atque adeò quod est humidũ nutrimentale in vno, esse humidum radicale in alio.

40 *Tertia* docet, aliquid de novo incipere esse de veritate naturæ humanæ principaliter, etiam in hoc individuo: quia non est talis distinctio in humano corpore, vt aliqua pars materialis signata necessariò maneat per totam vitam; sed ad hoc indifferenter se habet quælibet pars singillatim accepta, vt maneat quidem semper quantùm ad id quod est speciei in eà; possit tamen fluere & refluere quantùm ad id, quod est materiæ in ipsà. Ideoque humidum nutrimentale non distinguit à radicali ex parte principij, vt dicatur radicale, quod est ex semine generatum; nutrimentale autem quod generatur ex alimento: sed magis distinguit vnum ab altero ratione termini: vt radicale dicatur quod ad terminum generationis pervenit per actum generativæ, seu etiam nutritivæ virtutis; nutrimentale autem, quod nondum pervenit ad hunc terminum, sed est adhuc in viâ nutriendi.

41 *IVXTA* Triplicem ergo opinionem relatam occurri potest argumento cum eodem D. Thomà, cuius verba ferè exscripsimus. Iuxta primam quidem, dicendo naturam humanam, tam quò ad veritatem & perfectionem substantialem speciei, quam vniuscuiusque individui, & debitam ipsius quantitatem, salvari absque omni eo, quod ex alimento adquisitum est: quia hoc non additur tanquam quid pertinens ad veritatem naturæ humanæ, neque in specie, neque in individuo; sed tantùm ad resistendum consumptioni, quæ posset induci virtute caloris naturalis: sicut argento apponitur plumbum, ne ex liquefactione consumatur. Vnde cùm ad veram resurrectionem sufficiat humanam naturam cum totâ suâ perfectione specifica & individuali restaurari, & calor naturalis tũc nihil acturus sit ad consumptionem humidi radicalis; nulla necessitas erit, vt resur-

surgat aliquid in homine generatum ex alimento. Sive ergo ex comestione aviũ, sive piscium, sive hominum, etiam in embryone existentium, alitus fuerit, & ex ijs adquisijsse videatur aliquid, aut multũ carnis, sanguinisve; nihil omnino eius recuperabit in resurrectione; *sed resurget tãtùm illud, quod fuit de veritate humanæ naturæ individui, & per decisionem & multiplicationem ad prædictam perfectionem perveniet in numero & quantitate.*

42 *VERVM* Observandum est, opinionem prædictam esse illam ipsam Magistri Sententiarum *in 2. dist.* 30. suprà relatam, quà negat existere de facto nutritionem, acceptam pro conversione substantiæ alimenti in substantiam aliti: ideoque D. Thomam solùm præstare solutionem nuper exscriptam argumento, tanquam ex sensu Magistri; nõ verò quasi ex mente propria. Ipse enim Magistrum impugnat eo loco Sententiarum, sicut & Ægidius Romanus eiusdem S. Doctoris discipulus, auditorque; & Durandus, alijque Scholastici Veteres. Quare solutio hæc ex mente Magistri data reijcitur illo ipso argumento, quo à principio disputationis probavimus existere de facto, tum augmentationem, tum & nutritionem, seu conversionem alimenti in substantiã aliti: quà positâ, necessariò colligitur ex alimento diutino aliquid substantiæ adquiri, quod proinde sit de veritate naturæ humanæ.

43 *CONFIRMATVR*, seu potiùs explicatur ampliùs illa ratio discursu S. Thomæ dicto loco Sentent. vbi irrationabilem vocat prædictam opinionem. Non enim potest fieri augmẽtum, nisi materia, quæ primò est terminata parvis dimensionibus, postmodũ ad maiores dimensiones perveniat. Hoc autem dupliciter cogitari potest: vel ita, vt de materiâ sit tantumdem sub magnis, ac sub parvis dimensionibus: & hæc mutatio de parvo in magnum non est vera augmentatio, sed rarefactio. Densum namque & rarum in hoc differunt, quòd in raro est parùm de materiâ sub magnis dimensionibus, & in denso multùm sub parvis, vt dicitur 4. *Physic. textu* 84. Vel etiã id explicari potest, vt plus de materia sit sub dimensionibus magnis, quã sub parvis. Hoc autẽ repugnat fieri nisi per hoc, vt sit materia ibi de novo creata; aut per hoc, vt materia alterius corporis fiat materia huius, quod nutriri & augeri dicitur. At non per novæ materiæ creationem: quia rerum omniũ materiam simul creavit Deus à conditione primâ Vniversi, vt Sancti Patres docent, & D. Thomas ex ijs notat. Ergo secundum est dicendum; ac proinde quoties plus materiæ est sub dimensionibus magnis rei viventis, quàm sub parvis, materia quæ sub forma alimẽti erat, adiungitur materiæ viventis, & ponitur sub illius formâ.

44 *CONFIRM. II.* Authoritate ac discursu S. Augustini *lib.* 10. *de Genesi ad litt. cap.* 26. prope finem, vbi docet, nihil esse absurdius, quàm putare, vllum esse corpus, quod manente naturæ suæ quantitate vndique crescat, nisi rarescat; cùm nullum fiat augmentum corporis, nisi per additionem, aut rarefactionem. Atqui augmentum corporis humani per rarefactionem non fit, vt suprà *num.* 3. & 6. demonstratum est. Ergo per additionẽ. At non materiæ noviter creatæ, nec per miraculum multiplicatæ, vt probatum manet. Ergo per accessionem materiæ præexistentis in alio composito, & vnitæ rei quæ additur: atque adeò de primo ad vltimum corpus humanum crescit per materiã nutrimenti sibi naturaliter adiũctam mediâ nutritione. Neque locus est explicandi Augustinum de modo illo, quo aliæ res communiter crescunt per additionem materiæ absque verâ conversione. Nam hoc sensu nihil probaret eò loci Augustinus contra Tertullianum, quĩ ponebat animam crescere, sed nullo modo diminui. Magis enim cõmunis est modus augmenti, quo corpus humanũ crescit, quam ille quo anima crescere ad incrementum corporis, vt ipse Tertullianus opinabatur, & D. Tho. allegatus notat. Ergo vt argumentum S. Augustini cõvincat, necessariò intelligendum est, non de accremento communi rebus viventibus & non viventibus per qualemcunque materiæ accessionẽ; sed de illa, quæ proprie viventium est, ac proinde per veram conversionem substantiæ alimenti in substantiam aliti.

45 *SECVNDO* Reijcitur. Si enim per sumptionem alimenti non adquiritur substantia, sed solùm restituitur calori naturali digerenti; neque etiam adquiretur vera caro: quandoquidem caro hominis & cuiuscunque animalis vera illius substantia est, spectatque ad veritatẽ na-

naturæ ipſius. Vnde ergo oritur quòd homo progreſſu temporis adquirat veram carnem, ſi hæc ex ſumptione alimenti nõ oritur? Dicere enim cum aliquibus à D. Thoma allegatis, eſſe multum de quintâ eſſentiâ in corpore humano, penes cuius incremẽtum multiplicetur corpus ipſum; ſupponit falſum. Corpus enim quintæ eſſentiæ non componit humanum corpus, niſi ſecundùm virtutem tantùm; cùm neque ſit commiſcibile, nec diviſibile, nec poſsit eſſe extra proprium locum. Ergo multiplicatio corporis humani ſecundũ ſubſtantiam, non provenit ex quinta eſſentiâ. Dicere vero cum aliis ab eodem Doctore Angelico memoratis, materiã primam ex ſe carere omni quantitate & formâ, æqualiterque ſe habere ad recipiendum omnes quàntitates, ſicut ad recipiendum omnes formas; atque adeò quantumvis parum ſit de materia primâ in quovis parvo corpore, poſſe recipere quantamlibet quantitatem, etiam toti mundo æqualem, quemadmodũ ex materiâ inſtar puncti totus mundus eſt factus; & per conſequens non eſſe neceſſariam adquiſitionem materiæ media nutritione; dicere, inquam, hoc, præter rem eſt: quia ſic cogitatur materia indiviſibilis ad modum puncti, cùm tamen hoc modo indiviſibilis non ſit. Materia enim ſolum indiviſibilis eſt per negationem totius generis quantitatis; punctum autem eſt indiviſibile ſicut quantitatis principiũ, ſitum determinatum habens.

46 Deinde, quia licèt materia ſecundùm ſe conſiderata nullam quantitatem habeat, & præſcindat à diviſibilitate, non ideò eſt in potentiâ reſpectu cuiuslibet quãtitatis imaginabilis. Cùm enim quantitates determinatæ & omnia alia accidentia ſecundùm exigentiã formæ recipiantur in materiâ, quia hæc & forma ſimul ſunt cauſa eorum, quæ insũt, vt dicitur 1. *Phyſi. textu* 80. oportet quòd materia prima ad nullam quantitatem ſit in potentiâ, niſi quæ competat formæ. At non eſt forma aliqua, cui competat omnis quantitas imaginabilis, vt traditur 3. *Phyſic. textu* 69. Ergo materia non eſt in potentiâ ad quamlibet quantitatẽ imaginabilem. *Denique* in præſenti non loquimur de materia ſecundùm ſe, aut abſtracta ab omnibus materiæ partibus, quæ in rerum naturâ diſperſæ ſunt; ſed de hac numero parte materiæ quæ ſignata exiſtit in corpore Petri v.g. & hac contẽdimus debere ſubſtantialiter creſcere vt augeatur in quantitate. Sed Petrus dum eſt ſub ſtatu augmẽti per aſsiduam ſumptionem nutrimenti augetur in quantitate. Ergo creſcit ſimiliter in materiâ. Verè ergo Petrus per nutritionem adquirit aliquid ſubſtantiæ, ac proinde ſpectans in ipſo ad veritatem naturæ humànæ. At vnuſquiſque reſurget cum ijs omnibus, quæ in ipſo ſpectant ad veritatem naturæ humanæ. Ergo Petrus reſurget cum omni illa ſubſtantiâ, quam adquiſivit ex alimento. Et tunc vrget difficultas argumenti, in cuius enodatione verſamur.

47 *IDEO* Aliter cum eodem Doctore Angelico *alleg. loco ex Supplem.* 3. *p.* reſpondendum eſt iuxta ſecundam & tertiam opinionem, vnumquemque reſurrecturum cum ijs omnibus quæ ſpectant ad identitatem numericam & integritatem ipſius, non obſtanti converſione alimenti, etiam humani, in ſubſtantiam aliti. Vnumquodque enim in illo reſurget, in quo magis acceſsit ad perfectam participationẽ virtutis ſpeciei; & ſi æqualiter in vtroque acceſſerit, reſurget in illo, in quo primò habuit ordinem ad reſurrectionem ex coniunctione ad animã rationalem illius hominis. Et ideo ſi in carnibus comeſtis fuit aliqua ſuperfluitas, quæ non pertinet ad veritatem humanæ naturæ in primo, reſurgere poterit in ſecundo: alioqui illud quod pertinebat ad reſurrectionem in primo reſurget in eo, & non in ſecũdo: ſed in ſecũdo, loco eius, ſumetur, vel aliquid de eo quod ex alijs cibis in carnem ſecundi còverſum eſt; vel ſi nullo cibo vnquam paſtus fuiſſet, niſi carnibus humanis, divinâ virtute aliunde ſuppleretur quantùm indigeret ad perfectionem quantitatis; ſicut etiam ſuppletur in ijs qui ante perfectam ætatẽ decedunt. Nec per hoc præiudicatur idẽtitati in numero; ſicut nec præiudicatur per hoc quòd partes ſecundùm materiam fluunt & refluunt.

48 *HVCVSQVE* S. Thomas, ex cuius doctrinâ ſufficienter occurritur argumento propoſito *num.* 29. in cuius ſolutione tandiu immorati ſumus. Sed maioris claritatis cauſa reſpondendo ad ſingulas eius partes. Ad I. Nego antecedens: nam licèt caro hominis tranſierit immediatè in cadaver, deinde in alimentum ſub formâ chyli, rurſus in ſanguinẽ,

ac denique in carnem avis, feræ, aut piscis, nihilominus restituenda est homini in resurrectione; non quidem prout per conversionem facta est caro bruti, sed prout à principio fuit caro hominis. Quod patet etiam in opinione contraria, iuxta quam negari non potest materiam primam hominis post obitum esse materiam cadaveris, deinde vermium, &c. cùm id evidens sit; & recuperandam ab homine resurgente, non prout materia cadaveris, aut vermis facta est, sed prout materia hominis à principio fuit. Et quemadmodùm ex hoc secundo non infertur cadaver, aut vermem resurrecturum; sic neque ex primo colligitur resurrectio avium, ferarum, aut piscium, à quibus homo comestus fuit.

49 *AD I. Confirm.* Materia illa bruti desumpta ex corpore Petri, & per nutritionem adquisita à Ioanne resurget in altero illorum, in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei. Et si æqualiter in vtroque accesserit, resurget in illo in quo primò habuit ordinem ad resurrectionem ex coniunctione ad animam rationalem. Inde autem neutiquam infertur alterum illorum nō integrè resurrecturum. Vterque enim resurget cum integritate illa, quæ sufficit ad vnitatem specificam naturæ, & numericam individui; quod sicut per amissionē quarundam partium substantiæ ex diutina activitate caloris naturalis non desinit esse idem numero; sic etiam per amissionem quarundam partium materiæ in alterum transferendarum, non desinet esse numero idem. Alioqui cùm S. Christophorus in resurrectione æqualis staturæ futurus sit, ac SS. Martyres Innocentes, omnesque ad mensuram Christi Domini; oporteret dicere, aut S. Christophorum, aut Innocentes non futuros eosdem numero in resurrectione, quòniam & gigāteæ illius staturæ erit aliquid detrahendum, & pusillæ istorum addendum aliquid.

50 *AD II. Confirm.* Datâ hypothesi in quâ tota alicuius hominis caro, aut etiam ossa attrita, in substantiā aliorū convertantur; in resurrectione à primo possessore recuperabūtur, saltem quātum ad id quod necessarium est ad illius vnitatem numericam, & sufficientem integritatem individualem. Quòd si alicui illorū quidquam desit ad complementum integrale, supplebitur divinâ virtute; sicut costa Adami suppleta fuit replente Deo carnem pro eâ, vt habetur *Genes. 2.*

51 *AD III. Confirm.* Sicuti partes illæ substantiæ, quæ defluunt virtute naturalis caloris, fiunt propriæ rei illius in quam defluunt, & nunquam resurrecturæ sunt, etiam iuxta opinionē adversam; ita etiam si fortè pars aliqua carnis prædestinati convertatur in carnem reprobi, aut è contrà, fiet propria illius in quem vltimò pervenerit. Quare non mirum, si simul cum eo resurgat ad gloriam vel pœnam æternam: & hoc quidem dato quod manere debeat in secundo possessore, iuxta doctrinam traditam. Si autē restituenda sit primo, restituēda erit prout illius propria fuit à principiō. Vnde congruum est, vt illius æternam felicitatem, aut infelicitatem sequatur: quemadmodū si adscitiā comā, aut dentibus prædestinati vtatur reprobus ad luxum, aut gulā, dentes & comæ restituentur prædestinato, vt proprij ipsius à principio. Credo autem, membra illa, in quibus Martyres palsi sunt, in omni eventu restituenda ijs fore ex integro: tum quia videtur à Christo promissum ijs verbis: *Capillus de capite vestro non peribit.* Quare esto corpora Martyrum, non modò à brutis, sed ab hominibus quoq; efferatis convertantur in propriam substantiam; omnino redintegrabuntur, saltem quò ad ea omnia membra, & corporis particulas, in quibus tormenta pro Christo sustinuerunt. Idemque videtur dicendū de ijs membris, imò & particulis, quibus prædestinati & reprobi specialiter meruerunt, aut peccārunt, vt ita integritas & perfecta iudicij divini rectitudo persistat.

52 *AD IV. Confirm.* Qui toto vitæ decursu tantùm humanis carnibus vesceretur, resurgeret cum substantiā illā, quam ex alimento comparavit. Exinde verò solùm infertur, cæteros absque illā substantiæ portione resurrecturos, quæ ex singulis illorum transijt in substantiam primi. Quæ certè cùm in vnoquoque illorum modica sit, poterit non esse necessaria ad sufficientem cuiusque integritatem; aut si magna, absque negotio supplebitur à Deo, vel distribuetur ad proportionem inter vtrumque, vt ambo integri sufficienter resurgant. Idemque dicendum de homine qui ab illo generare-

tur

tur ex superfluo alimenti. *Non enim est possibile*, inquit S. Thomas articulo illo alleg. solut. ad 4. *quòd totum quod fuit in carnibus comestis in semine convertatur: quia post multam depurationem cibi pervenitur ad decoctionem seminis, quod est superfluitas vltimi cibi. Illud autem, quod de carnibus comestis in semine convertitur, pertinet magis ad veritatem naturæ humanæ in eo, qui ex semine nascitur, quàm in illo ex cuius carnibus semen est generatum. Et ideo secundùm regulam priùs datam, hoc quod in semine cõversum est, resurget in eo qui ex semine nascitur. Residuum verò materiæ resurget in illo, ex cuius carnibus comestis semen est generatum.*

53 *DENIQVE* Ad id quod objicitur in homine qui solis embryjs vesceretur, & filium generaret, dicendum cum D. Tho. *solut. ad 5.* embrya non pertinere ad resurrectionem, vsquedum alimentur anima rationali; in quo statu iam multùm advenit supra substantiam seminis de substantiâ nutrimenti, quo fœtus in vtero matris nutritur. Et ideo si aliquis embryjs vescatur, & ex superfluo cibi illius generetur aliquis, illud quod erit in substantiâ seminis, resurget quidem in eo, qui ex semine generatur, nisi in eo contineatur aliquid quod fuerit de substantiâ seminum in illis, ex quorum carnibus comestis semen generatum est; quia hoc resurgeret in primo, & non in secundo. Residuum autem carnium comestarũ, quod non est conversum in semen, constat resurrecturum in primo, supplente divinâ virtute id quod deest.

DISP. QVINQ. TERTIA.

DE NATVRA NVTRITIONIS ET AVGMENTATIONIS.

Quomodo peragatur Nutritio & Augmentatio?

Num. 1. *PROBATA Iam existentia & indicatâ naturâ nutritionis atque augmentationis, superest explicandum, quomodo vtraque peragatur, & in quibus conveniant ac differant. De quo cum plura dixerimus in Physica* disp. 32. *quæ frustrà hic repeterentur, solùm alia proferemus, quæ speciatim ad tractatum præsentem attinent. Hæc disputatio habet locum apud Arist.* lib. 1. c. 5. *vbi communiter ab Authoribus excitatur.*

SECTIO PRIMA.

Exponuntur actiones præviæ, disponentes ad nutritionem augmentationemque, & mirabilis naturæ ordo in ijs servatus.

2 *QVAMVIS* Nutritio potissimùm constituatur per conversionem alimenti in substantiam aliti, sunt plures actiones præviæ, quibus animal nondum nutritur, sed solùm parat sibi viam ad nutritionem. Prima est masticatio cibi in ore dentium attritu, quâ ille non solùm scinditur conteriturque, sed etiam alteratur mediâ salivâ, vt docet Galenus *lib. 4. de Simpl. c. 6.* colligiturque ex qualitatibus eiusdem cibi iam masticati, vt colore, odore, & sapore, qui apparent diversi à præcedentibus. Cum verò ex prædicta actione initium desumant digestio & nutritio, sequitur vtilissimam esse dentium, præsertim molarium, integritatem ac soliditatem: quoniam nimiùm deservit attritioni minutæ ciborum, ac proinde tam digestioni, quã nutritioni. Quæ doctrina est Arist. *lib. 2. de Part. Animalium c. 3.* illis verbis: *ἡ γὰρ εἰς μικρὰ διαίρεσις τῆς τροφῆς, φησὶ ποιεῖ τῷ ἐμφερῆ τὴν ἐργασίαν. Cibi enim illa minutatim divisio facit, vt calor facilius conficiendo expediat.* Ijs verò, quibus aut infirmitas, aut longæva ætas, dentes excussit, non dura aut robusta alimenta cõgruunt, sed mollia, & quæ attritione non egeant, vt digerantur. Cibus autem masticatus iam, & quoddammodo alteratus, per œsophagũ mittitur in ventriculum, sive stomachum.

SVC-

3 *SVCCEDIT* Actio secunda, quæ est digestio, seu prima cōcoctio, mediâ quâ cibus trāsit in formā massæ cuiusdam albicantis, quam Latini Philosophi *chylum* appellant, voce mutuatâ à Græcis, quibus χυλὸς idem est propriè, ac succus, quem res exsudat, funditve: oriturque à verbo χύω, *fundo*. Eâ vtitur Galenus *lib.* 1. *ad Glaucum*: diciturque etiam *cremor* à Celso ac Plinio: sicut & χυλίσματα à Theophrasto *lib.* 9. *Hist. plantarum*: nam & plantæ in chylum quoddāmodo convertunt alimentum, quo nutriuntur: quāvis non soleant partem alimenti in excrementum convertere, vt animalibus accidit. *Stirpes enim* (inquit Arist. vbi nuper) *sive plantæ suis radicibus alimentum ex terrâ iam confectum hauriunt: quo circa ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet. terra enim, caloreque eius, perinde, ac ventre, vtuntur. At animalium genus omne ferè, sed apertè quæ incedunt, quasi terrā in se continent sinum ventris, ex quo, vt illæ radicibus, ita hæc, aliquo intercedente, cibum assumere debent, donec finem sequentis concoctionis faciant.*

4 *PRÆTEREA* Tracto chylo ex ventriculo per venas melaraicas ad iecur (quod opinione Galeni *lib.* 6. *de Placit. c.* 17. est officina sanguinis, contra Aristot. vbi suprà *cap.* 4. existimātem esse cor) fit tertia alteratio, & secunda concoctio: mediâ quâ è chylo fiunt quatuor humores, distribuunturque in quatuor vicina receptacula iuxta cuiusque humoris naturam: ita vt partes terrestriores chyli iam defæcati, quæ sunt naturæ atræ bilis, seu, quod perinde est, melancholiæ, descendant ad lienem; partes verò leviores, transeuntes in flavam bilem, seu cholerā, ascendant ad vesicam fellis; partes mediæ inter vtrasque, rubescentesque, fiant sanguis, & accedant iecori, quod videtur esse sanguis concretus: ac denique illæ, simul cum phlegmate, quod nullam sedem propriam habet, diffunduntur per venas totius corporis. Liquor verò aquæ aut vini, qui deservierat concoctionibus, cùm superfluit, descendit per venas emulgentes, primùm ad renes, postea ad vesicam vrinæ; quam ingreditur, non recta via, sed quasi percolando, quia in eâ solùm est foramen à parte inferiori.

5 *RVRSVS* Quædam portio sanguinis transit à iecore ad cor, in eiusque vesicis repositus, præ nimio calore cordis fervet, quemadmodum aqua in lebete prunis ardentibus superimposito; ibique fit alteratio quarta, quâ sanguis ita expurgatur, vt ex purioribus partibus eius exhalentur spiritus, qui *vitales* dicuntur. Hi autem à vi cordis pulsatrice mittuntur per varias arterias æquabili ac regulari motu: ex cuius defectu, & varijs perturbationibus, Medici deprehendunt diversas humani corporis ægritudines. Aliqui verò ex prædictis spiritibus ascendunt per angustas venas ad cerebrum, vbi residere dicitur principium vitæ sensitivæ; ibidemque aliquantulum refrigerati a frigiditate loci, demittuntur per totum corpus; præsertim vt deserviant quinque sensibus ad ipsorum congruas operationes. Eteiusmodi refrigeratio est quarta alteratio earum, quæ ad nutritionem disponunt.

6 *TANDEM* Ex iecore diffunditur sanguis per venas in totum corpus, quasi cibus & alimentum commune, quo aluntur, nutriuntur, & augentur partes omnes viventis: quod, quoties nutritur, & augetur, totum nutritur, & augetur, vt dictum est in Physica *disp.* 32. *sect.* 1. Sanguis verò ipse alteratus iuxta exigētiam partis vicinæ cōvertitur, hìc in carnē, ibi in nervos, alibi in ossa, &c. Cæteri etiam humores, convenienti modo alterati, nutriunt partes viventis, quibus adhærent, in eiusque substantiam cōvertuntur. Sic demum peragitur tota nutritio, quæ præsuppositivè solùm consistit in prædictis alterationibus; formaliterverò in hac conversione humoris, ex alimento geniti, in substantiam viventis. Vbi & notandum, veluti consectarium præiactæ doctrinæ, per omnes corporis partes, in quibus contingunt prædictæ alterationes, dispersas esse potentias alterativas, nutritivas, & loco motivas, sive per attractum, sive per impulsum. Plura de his scitu dignissima tradunt Medici, & ex Patribus Samonas *tom.* 6. *Biblioth. VV. Patrum*, atque ex Recentioribus Conimbricenses *in præsenti lib.* 1. *c.* 5. præcipuè *q.* 3. vbi rem exponunt perpulchrè & eruditè, vt assolent.

7 *CÆTERVM* Quamvis nutritio consistat in eâ conversione alimenti, sive humoris iam defæcati, in substantiam viventis; adhuc oportet plures mutationes, actionesve in eâ assignare, aut realiter distinctas, aut virtualiter, saltē. Postquam enim pars sanguinis v. g. disposita

est

est vt fiat pars carnis in equo (si hic fortasse constet animà divisibili, vt de animalibus imperfectis frequenter traditur) dum iam ille nutritur, interveniunt hæ actiones. *Prima*, quà materia eius sanguinis vnitur præexistenti materiæ equi. *Secunda*, quà producitur pars formę equi, vt informet eam partem materiæ noviter adquisitæ, sive vnitæ. *Tertia*, quà fit vnio, copulans eas novas partes materiæ & formæ noviter adquisitas. *Quarta*, qua efficitur vnio continuans novam partem formæ cum partibus præexistentibus formæ. *Quinta*, qua eadem vnio coniungitur vnioni partium materiæ inter se, atque in ea recipitur. Ijs adde emanationem puncto-rum ex prædictis partibus, quibus ipsæ copulantur. In homine autem, qui solus inter animalia constat forma spirituali & prorsus ingenerabili, nulla actio, sive alteratio, terminatur ad particulam formæ in seipsa producendam. Quare superest solùm, vt anima rationalis terminet actionem nutritivam, quatenus ex eà accipit novam vnionem partialem substantialemque ad partes materiæ recenter adquisitæ. Porrò si quinque actiones, sive mutationes præiactæ, sint realiter distinctæ (quod multi docent) asserendum videtur, nutritionem ijs omnibus coalescẽtem, esse quoddam aggregatum, sive ens per accidẽs. Si verò sint eadem actio, virtute multiplex, & ad plures terminos partiales, invicemque subordinatos tendens (vt videtur valde probabile, & conforme naturæ, quæ compendio studet) nutritio non erit ens per accidens, sed simplex quædam conversio alimenti, sive humoris defæcati, in substantiam viventis.

8 *EX* Præiactis colligitur, omnes alterationes & actiones hucusq; memoratas, etiam præsupponi ad augmentationem: nam cũ pars quantitatis adauctæ sit proprietas partis substantiæ noviter adquisitæ, ac proinde naturaliter post illam sequatur; etiam augmentatio sequitur nutritionem. Licèt enim hæc sæpe inveniatur absque augmentatione, vt videre licet in homine iam perfectè adulto, aut etiam devexæ ætatis, qui nutritur, & iam non augetur, sed potiùs minuitur; augmentatio tamen nũquam invenitur, nec potest esse absque nutritione. Cùm enim quantitas sit proprietas substãtiæ materialis, quoties illa augetur, etiã hæc crescere debet; quod fit media nutritione. In qua, licèt vivens simul cum parte substantiæ nova adquirat etiam novam partem quantitatis, ipsi correspondentem, ob rationem modò indicatam, non tamen propterea augetur: quia augmentatio non est quælibet adquisitio novæ quantitatis, sed tantæ, vt per eam vivens fiat maius quàm antea. Quod communiter non cõtingit in perfectà ætate, aut etia devexà, in quà plerumque plus substantiæ & quãtitatis deperditur, quàm adquiritur. Quod planè tradit Arist. hoc *lib.* 1. *& c.* 5. *textu* 41. dicens *Animatũ in diminutionẽ decũbẽs, tãtisper nutritionis vsũ capit, dũ salutẽ corporis defendit: non tamen semper excrescit.* His positis,

SECTIO SECVNDA.

Nutritionem & augmentationem non fieri in instanti, sed successivè, & continuè, absque morularum interruptione.

9 SIT 1. *Assertio.* Nutritio & augmentatio peragũtur successivè, non verò in instãti. Ita Aristoteles 5. *Phys. textu* 18. loquens de augmentatione, quã docet esse motum per se ad maiorẽ quantitatem; ac proinde tradens esse successivã, sicuti omnis motus strictè dictus (de quo solo ibidẽ agit) est successivus. Idemq; ipsũ in præsenti supponit *lib.* 1. *cap.* 5. initio ferè. Eadẽ porrò ratio est de nutritione, vt infrà constabit. Aristotelẽ sequitur S. Thomas in locũ allegatum 5. *Phys.* & *lib.* 1. huius tractatus *lect.* 11. & 16. & pluribus alijs locis apud Alamanĩ *q.* 33. *ar.* 3. & 3. *p. q.* 33. *ar.* 1. pluresque, tũ Scholastici, tũ Philosophi, quos allegãt & sequũtur in præsenti Conimbricẽses *c.* 5. *q.* 16. *ar.* 2. Suarez *de Anima lib.* 2. *c.* 6. Pererius *lib.* 14. *de Rebus Nat. c.* 2. Rubius *hic. c.* 5. *q.* 3. *n.* 7. Tellez *disp.* 72. *sect.* 2. Sancta-Crucius *disp.* 1. *q.* 9 *sect.* 2. Lalemãdet, Castelvi, & alij quamplures Recentiorum, præsertim Thomistæ, vt Bañez in præsenti *cap.* 5. *q.* 2. Complutenses *disp.* 5. *q.* 3.

10 *PORRO* Successivam esse augmentationem inde patet, quòd omnis motus strictè dictus sit successivus; vtpotè respiciens terminum constantem latitudine percurrendà. Atqui augmentatio est motus strictè dictus. Ergo & successivus. Consequentia patet. Maior

ac minor ex communi Philosophorum sensu statutę manent *disp.* 32. *Phys.* allegata præter plura alia, quæ dabimus *disp. seq. sect.* 2. Inde autem pervia illatione deducitur nutritionem illam, quæ adiunctũ sibi habet motum augmentationis (qualis communiter est in homine à tempore generationis vsque ad finem adolescentiæ) etiam successivã esse. Eo nãque ipso quod motus augmẽtationis sit coniunctus, debet augere quantitatem, seu producere eius particulam, non in instanti, sed in tẽpore, atque adeò & successivè, vt probatum relinquimus *disp.* 38. *Physicæ sect.* 1. Ergo & nutritio, quæ simul cũ augmentatione est, debet producere particulã aliquam substantiæ, non in instanti, sed in tempore, ac per consequẽs successivè. Patet consequẽntia: Quia sicut in nulla particula tẽporis dari potest naturaliter quãtitas totalis sine substãtia totali, cuius sit passio; ita nec partialis quantitas sine substantia partiali, cuius passio sit: proindeq; hæc posterior produci debet in illa ipsa particula temporis, in qua producitur illa prior.

11 Neque inde colligas, partẽ novam quantitas adauctæ produci solum secundariò, instar proprietatum, ac proinde non terminare per se motũ, sed solum indirectè & consequenter. Non inquã, colligas: quia hanc obiectionẽ satis superque extricavimꝰ *disp. illa* 32. *sect.* 2. *à n.* 16. vbi ostensum est à naturà per se & propter se quæri maioritatẽ vivẽtis, sive vt fiat maius, medio motu augmentationis; atque adeò mediante illo non quæri per se partẽ novam substãtiæ, quæ secundùm se abstrahit à statu augmẽti & decrementi, sed partem novã quantitatis, quà vivens fiat maius. Neq; vlteriùs inferas nutritionem fore motum strictè dictum, si semel asserimus illam successivè fieri. Hæc enim obiectio etiã enervata fuit præcipuo loco *n.* 21. vbi ostendimus non dari motũ per se ad substantiam: quia licèt nutritio fiat successivè, adhuc deficiunt ipsi conditiones exactæ ad motũ strictè dictum: nam nec terminꝰ illius, qui est substantia vivẽtis noviter adquisita, habet intra propriũ genus latitudinẽ percurrendã, sed solum vt affecta per quantitatem, & in extraneo genere; nec subiectum nutritionis est ens in actu, sed in potentia, vtpotè materia prima, in qua recipitur; nec denique terminus *à quo* ipsius est positivus, sed negativus; scilicèt, *non esse* substantiæ, quæ denuo adquiritur. Patet verò oppositum per omnia exigi ad strictum motum.

12 *VERVM* Adhuc abstrahendo ab eo quòd nutritio sit cõiuncta augmentationi, probatur illam successivam esse. Vt enim præmisimus *disp.* 38. iam allegata, ratio cur substantia viventis in prima sui productione non fiat successivè, sed potiùs in instanti ea est, quod illa in sui generatione exigat determinatã certamq; materiam, & quantitatem, ita vt in minori nequeat introduci substãtialis forma. Hæc autem ratio omnino cessat in nutritione, quæ, adhuc abstrahendo à consortio augmentationis, non exigit determinatam materiam, aut certam quantitatem; sed potest fieri per partes minores ac minores in infinitum. Cùm enim vivens per primam sui productionẽ iam acceperit materiã & quantitatem sibi debitam & conveniẽtẽ, vt anima informet corpus; quælibet pars materiæ alimenti, quantũvis minor & minor, potest ipsi vniri, & subire informationẽ eiusdẽ animæ, conservariq; in cõsortio cæterarũ partiũ, à quibus fovetur. Ergo ex oppositio principio dicendũ est, quãvis prima productio substantiæ viventis peragatur in instanti, nutritionem tamẽ non, nisi successivè fieri.

13 *CONFIRM.* Quoties enim vltima dispositio ad quamlibet formã non producitur, nisi successivè, etiã forma ipsa solũ successivè producitur. Habent enim mutuã connexionem: ac proinde simul produci debẽt. Atqui vltima dispositio materiæ alimenti, vt ponatur deniq; sub formà aliti per nutritionẽ, non producitur, nisi successivè. Ergo materia alimenti ponitur denique sub forma aliti per nutritionem solum successivè, ideoque & nutritio successivè fit. Probatur minor multipliciter. *Primò* ratione Sanct. Thomæ 3. *p. q.* 33. *art.* 1. *corp.* quia anima in corpore formato non exequitur operationes, scilicet, ad corpus spectantes, nihilq; producit, nisi in tempore, atque adeò successivè. Atqui vltima dispositio materiæ alimenti vt ponatur sub forma aliti, producitur virtute ipsius animæ in corpore formato, vt Sanct. Doctor *ibidem* assumit; & constat, quia producitur operatione vitali circa corpus. Ergo vltima dispositio materiæ alimenti, vt ponatur sub forma aliti non producitur, nisi in tempore, atque adeò successivè. *Secundò* ratione desumpta ex Aristotele *in præsenti libr.* 1. *capit.* 5. quia omne agens

priùs

priùs agit in partes ſibi proximas paſsi contrarij, quàm in diſtantes, ſeu remotiores. Quod & vberiùs adhuc eum ipſo probavimus *in Phyſica diſp.* 39. Ergo anima mediante potentia nutritiva priùs agit in partes alimenti proximiores, quàm in minùs proximas; ac proinde priùs in illis producit vltimam diſpoſitionem ad formam aliti. Hoc autem modo producũtur, quæcumque ſucceſsivè fiunt. *Tertiò*: quia alterationes præcedentes nutritionem, quas enumeravimus *ſect. præced.* producũt diſpoſitiones vniformiter difformiter, & quidem ſucceſsivè, ſeu in tempore; quia alteratio eſt motus ſucceſsivus, vt ex cõmuni ſententia ſtatuemus *diſp. ſeq.* Ergo ſaltem in aliqua particula temporis alteratio producit tandem vltimam diſpoſitionem, vt materia vniatur formæ alimenti, ac proinde illam ſucceſsivè producit.

14 *DENIQVE* Augmentationem fieri ſucceſsivè (quæ eſt poſterior Aſſerti pars) non ſolùm conſtat ex iiſdem ferè rationibus, & quia nunquam illa ſine nutritione invenitur; ſed etiam ſpeciatim ratione deſumpta ex Ariſtot. loco nuper allegato *textu* 25. vbi docet augmentationem non eſſe abſque motu locali. Ait enim: φαίνεται γὰρ, τὸ μὴ ἀλλοιούμενον, ὅτι δὲ ἀνάγκης μεταβάλλον κατὰ τόπον, οὐδὲ τὸ κινούμενον. τὸ δὲ αὐξανόμενον, καὶ τὸ φθῖνον ἄλλον δὲ τρόπον τε φερομένου· τὸ μὲν γὰρ φερόμενον, ὅλον ἀλλάττει τόπον· τὸ δὲ αὐξανόμενον, ὥσπερ τὸ ἑλαυνόμενον, &c. *Nam neque id, quod alterationem ſubit, neq; id quod generatur, neceſſariò mutari loco cernitur. Quod autem accreſcit aut decreſcit, cernitur* (ſcilicet, mutare locũ) *at alio, quàm quod fertur, modo. quod enim fertur, tota mole locum mutat: quod autem accreſcit, perinde, atque quod diſtendi producivè ſolet. Hoc enim manente, partes aliò, non ſicuti globi partes, migrant, ſuumque deſerunt locum. nam globi partes toto manente æquali in loco, locum ex loco mutant. at partes eorum quæ augẽtur, ſemper in ampliorem locum vergere ſolent; & eorum quæ decreſcunt, in minorem.* Modò ſic. Omnis mutatio, quæ ſecum affert motum localem, eſt ſucceſsiva. Motus enim localis eſt ſucceſsivus, vtpote habens adiunctam ſibi intrinſecè temporis ſucceſsionem. Atqui augmentatio ſecum affert motum localem, ſiquidem extendit quantitatem viventis ad ampliorem locum, quod ſine motu locali eſſe non poteſt. Ergo augmentatio eſt ſucceſsiva. Hoc autem ſtatuto, planè conſtat illam non, niſi ſucceſsivè, ſive in tempore fieri, vt generatim de omni ente ſucceſsivo probatum eſt *diſp. illa* 38 *Phyſicæ ſect.* 1. Igitur augmentatio fit ſucceſsivè. Indidem vero patet, etiam diminutionem ſucceſsivam eſſe, quia annexum habet motum localem, quo vivens deſinit occupare locum ampliorem, & contrahitur ad reſtrictiorem.

15 *EX* Præiactis colligitur, augmentationem eſſe continuam, ac proinde nullis morulis interruptam eo tempore, quo fit, ſive longo, ſive brevi: quidquid in oppoſitum velint nonnulli Authores allegandi, *num.* 16. Ratio eſt: quia omnis motus localis, quandiu durat, ſive multùm, ſive parùm, debet eſſe continuus: vtpotè habens ſibi annexam intrinſecè durationem proprij temporis, quod eſſentialiter eſt quantitas ſucceſsiva & continua. Quare & nullis morulis interſecatur quandiu durat, etiamſi ſit motus tardus, vt latè docuimus *diſp.* 41. *Phyſicæ*, præſertim *ſect.* 1. Atqui augmentatio nunquam eſt ſine motu locali, vt nuper probatum eſt ratione Ariſtotelis, & docet S. Thomas illuſtri teſtimonio 3. *part. quæſt.* 33. *artic.* 1. illis verbis: *Augmentum corporis Chriſti, adhuc exiſtentis in vtero Matris, oportet eſſe ſucceſsivum: tum, quia augmentum non eſt ſine motu locali: tum etiam, quia procedit ex virtute animæ iam in corpore formato operantis; quæ non operatur, niſi in tempore.* Ergo augmentatio nunquam eſt ſine continuitate motus localis: atq; adeò ſaltem ex hoc capite, ſemper eſt continua, quãdiu durat; proindeque nullis morulis interrupta. Si autem augmentatio continua eſt, & abſque morarum interſtitio; planè ſequitur continuam quoque eſſe nutritionem, illam ſaltem quæ fit cum augmento viventis. nam alias fieret, in aliqua temporis morula produci particulam quantitatis, quin ſimul producatur pars ſubſtantiæ: quod eſt naturaliter impoſsibile.

SECTIO PRIMA.

Quibus argumentis moti nonnulli Authores præsertim Recentiores, oppositam doctrinam tuæantur, & illorum solutio.

16 OPPOSITAM Sententiam docent aliqui Authores, qui docēt non solùm nutritionem, sed & augmentationem, esse successivas & continuas solùm impropriè, & eo sensu, quo dicimus successivè & continuè fieri in mundo generationes & corruptiones, in aula litteraria disputationes, & in circo spectacula publica, aut solemnes ludos; quanquam omnia prædicta interrumpantur physicè per aliquas temporis morulas, etiam dum fiunt, sive peraguntur. Ita Averroes, Albertus Magnus, Capreolus, Soncinas, ac Pompanacius, & ex Recentioribus Toletus *in præsenti capit. 5. quæst. 11.* Hurtado *disp. 3. quæst. 3.* Arriaga *disput. 2. sect. 4.* qui asserunt nutritionem augmentationemque non fieri cum correspondentia ad partes temporis, sed esse mutationes quasdam instantaneas, vel simultaneas, morulis interruptas, medijs quibus convertitur substantia & quantitas alimenti in substantiam & quantitatem aliti, postquam vi facultatum nutritivæ & augmentativæ subierunt alterationem.

17 *OBIICIVNT I.* Aristotelem 8. *Physic. textu 23.* vbi refellit quosdam asserentes, omnia semper moveri, quanquam plura imperceptibiliter, & inter alia inquit: *Non est difficile his occurrere, neque enim augeri, nec minui possibile est continuè: sed est & medium, quod est quies & mora.* Idque declarat exemplis guttarum excavantium lapides, & plantarum in rupibus nascentium, easque discindentium. *Non enim* (inquit) *si tantùm expulit & removit gutta, expulit & removit dimidium in dimidio tempore priùs.* Quibus planè videtur docere, augmentationem non esse continuam, sed morulis interruptam. Eadem verò ratio est de nutritione, etiam illa, quæ coniunctam habet augmentationem: nam si hæc cōtinua nō est, neque illa erit. Alioqui enim vivens in aliqua temporis morulà, adquireret aliquam substantiæ particulam, & nullam quantitatis. quod est naturaliter impossibile.

18 *CONFIRM.* Ex doctrina D. Th. qui nō solùm subscribit Aristoteli eodem loco, sed ipsius quoque doctrinam ex mēte propria repetit *2. 2. q. 24. art. 6. corp. & 1. 2. q. 52. art. 3.* ait enim: *Augmentum corporale in animalibus & plantis non est motus continuus; ita, scilicet, quòd si aliquid tātū augeatur in tanto tēpore, necesse sit quòd proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur; sicut contingit in motu locali: sed post aliquod tempus natura disponens ad augmentum, & nihil agens actu; & postmodum perducit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plāta in actu.* Ergo ex mente S. Thom. augmētatio non est continua per correspondentiam æqualem ad partes temporis, nec successivè fluens, sed morulis interrupta.

19 *RESP.* Aristotelem non negare augmentationi continuam successionem eo tempore, quo durat, peragiturve, seu brevi. Id enim ab ipso traditum cōstat ex prædictis, & probat planè S. Thomas pluribus locis apud Alamanium *q. 38. iam citata, ar. 3.* vbi docet augmentationem ex mente Aristotelis *1. Physic. text. 9. & 18.* esse motum distinctum à mutatione; & omnem motum quatenus distinctum à mutatione, esse successivum ac continuum, vt tradit idem Philosophus *5. Physic. text. 34. 39. & 44. ac lib. 4. de cœlo text. 119. & 132.* Ergo tum ex mente Philosophi, tum & D. Tho. augmentatio est motus successivus & continuus. Quod & expressè confirmat idem S. Doctor verbis *n. 15.* allegatis ex tertia parte, vbi tandem suam mentem aperuit. Atqui neuter illorum docuit augmētationē esse continuā, ita vt duret per totam vitam; nam homo v. g. in senecta saltem non augetur: nec ab ortu vsque ad finē adolescentiæ; quia non semper adest alimentū, aut bona valetudo; & sæpe calor naturalis agit in humidū radicale, ipsumque absumit; ac tēpus aliquod impenditur in cōcoctione alimēti. Ergo solùm restat, vt ex mēte vtriusq; augmentatio sit continua eo tempore quo peragitur, seu longo, seu brevi.

20 Itaque non est motus continuus, sicut vnicus motus localis lapidis ruentis ex sublimi in cētrū, qui non interrūpitur, sed cōtinuatur idē numero à principio infinē, donec lapis tandē quiescat in cētro. Neque debet instar eiusdē motus localis mensurari, vt quemadmodū hic tantūdē spatij percurrit in vna tēporis medietate

ac

ac in alia (abstrahendo à vicinitate finis) ita & augmentatio hominis, primo anno pueritiæ v.g. tãta sit in priori medietate, ac in posteriori. Id enim ex mẽte vtriusq; cõmunis Magistri falsum est, & reijcitur experimento, quo deprehenditur nõnullos pueros & adolescentes crescere magis dimidio, aut vnico anno, quàm duobus integris, intra ætatem aũgmenti capacem. Restat igitur, vt negato augmẽtationi eo genere strictissimæ cõtinuationis, quæ vnico motui locali in se præcisè considerato adscribitur, ea sola continuitas asseratur, quæ est in motu locali, continuo quidẽ ac successivo, sed morulis interrupto. Hic enim quandiu vnus numero est physicè, etiam successivus est & continuus, absque vlla interruptione: cæterũ quoties multiplicatur numero physicè, quamvis per brevissimũ tempus, iam non est strictè successivus, nec continuus physicè, nisi ad summũ moraliter, quia brevissima interruptio reputatur iudicio prudẽtiũ quasi nulla. Ita etiam de augmẽtatione dicendum, quandiu vna numero physicè est, sive parũ, sive multùm duret, cõtinuã & successivam esse, instar illius numero motus localis, quẽ secum affert semper, vt vidimus ex Arist. ac D. Th. *n.* 14. & 15. At verò non semper eadẽ numero est augmentatio, sed multiplex, & interrupta physicè, etiã intra statũ augmẽti; & sæpe maior in fine, quã in principio, aut è contrà; sicut & motus gravium circa centrũ velocior est in fine, quam circa mediũ. Ex quibus patet etiam ad confirmationem.

21 *OBIICIVNT II.* Omnis mutatio continua & successiva debet habere terminum divisibilem, quia exigit ex parte termini latitudinem percurrendam. At nutritio non habet terminum divisibilẽ: quia terminus illius est substantia, quæ intra proprium genus indivisibilis est. Ergo nutritio non est mutatio continua & successiva. *RESP.* dupliciter, *Primò* negando minorem: quia substantia intra proprium genus habet partes actu & realiter distinctas, quas entitativas vocant, licèt dependenter à quantitate, vt conditione necessariã. *Secundò*, iuxta aliam opinionem illas negantem, occurritur allerendo substantiam intra proprium genus habere divisibilitatem radicalem, & æquivalentẽ formali; ac propterea sufficientem vt terminet nutritionem successivam & continuam: sicut in qualitate sufficit divisibilitas virtualis, vt terminet per se motum continuum ac successivum alterationis. Verùm de hoc agemꝰ ex professo in Metaphysica *cap. de Quantitate.*

22 *OBIICIVNT III.* Si nutritio esset continua fieret per partes minores & minores, vt reliquæ cõtinuæ mutationes. At non fit per partes minores & minores, sed potiùs per certas ac determinatas. Ergo nutritio non est continua. Probatur minor. Ideo enim forma substantialis in prima sui productione non fit per partes minores & minores, sed solum in certa ac determinata mensura, infra quã nequeat produci, quia habet certam & determinatam essentiã, vt *disp.* 38. *Physicæ* dicebamus. Atqui terminus nutritionis etiam habet determinatã essentiã, vt patet, vel ex eo quòd nutritio determinatã essentiam habeat, desumptam per ordinẽ ad illum. Ergo nutritio non fit per partes minores & minores, sed potiùs per certas ac determinatas.

23 *CONFIRM.* Præcipuæ illius minoris probatio. Si enim nutritio fieret per partes minores & minores, sive, quod perinde est, successivè & continuè; incideret quoque per *vltimum sui non esse*; & cõsequenter verè dici posset: *Nunc non est forma alibi in materia alimenti, & immediatè pòst erit.* Hoc enim modo incipiunt quæcumque successivè fiunt. At nutritio non incipit prædicto modo. Ergo nec fit per partes minores & minores, sive continuè & successivè. Probatur minor. Nam vel in illo *nunc*, sive instanti, materia alimenti habet iam vltimam dispositionem ad formam partialem alibi, vel non? Si primum; introducetur hæc in illo instanti, simul cum vltima dispositione; quia cum hac mutuam & necessariam connexionem habet; ac proinde nutritio non fiet per partes minores & minores, nec successivè; sed per partem determinatam, & in ipso instanti. Si autem secundum; forma non introducetur in tempore immediatè sequenti post illud instans; quia in ea particula temporis materia adquiret vltimam dispositionem præviam ad formam alimenti omnino posteriorem.

24 *RESP.* Negando minorẽ, & reddendo disparitatem. Forma enim substãtialis ante primã sui generationẽ non supponitur existens in materia determinata ac sibi proportionata, ideoq; in momento

generationis exigit materiam certam, & determinatam termino intrinseco parvitatis, qui appellatur frequenter *minimum quod sic*. Supposità verò generatione, & receptione formæ in prædictà materiâ terminatà versus parvitatem, iam locus est vt illius aggeneratio fieri possit per particulas minores & minores substantiæ. Quod à priori constat ex quantitate, quæ in prima sui productione simul cum substantiâ, exigit certam & determinatam magnitudinem; postea verò augetur per partes incertas, minoresque ac minores.

25 *AD Confirm.* similiter nego minorem. Ad probationem disiunctivè propositam respondeo, duplicem esse dispositionem vltimam: alteram antecedentem in composito præcedenti, sive in alimento, quæ præcedit duratione formam partialem aliti, sicut in generatione formam totalem: alteram consequentem, sive concomitantem in composito recenter genito, sive totali, sive partiali, simul cum ipso productam. Quare in illo instanti, de quo procedit obiectio, licèt sit vltima dispositio antecedens vt materia recipiat formam aliti, non tamen vltima dispositio concomitans. Hæc quippe producitur in particulâ temporis immediatè sequente: quæ sicut sufficit, vt in ea producatur forma partialis substantiæ, sic etiam vt fiat quidquid est necessario cum eâ connexum; qualis est vltima dispositio concomitans.

26 *INSTABIS* Multipliciter. *Primò*. Res permanentes differunt à successivis in suo *esse*, tam totali, quàm partiali, atque adeò etiam in suo *fieri*, sive quò ad totum, sive quò ad partem mediâ nutritione adquisitam. Ergo quemadmodum res permanentes quò ad esse totale fiunt in instanti, & non in tempore, vt tota successiva; sic etiam quælibet pars permanentis rei adquisita per nutritionem, fiet in instanti, & non in particula temporis, vt pars successivæ rei. *Secundò*. Quando verificatur *non esse* formæ alimenti, debet etiam verificari esse in materia illius formam aliti. alioqui enim materia in aliqua duratione esset absque omni formâ. Atqui instans aliquod est, in quo verè dicatur: *Nunc non est forma alimenti, & immediatè antea erat*: scilicet, illud instans, in quo est maximum cibi distemperamentum. Ergo in eodem instanti verè dicetur: *Nunc est forma aliti, & immediatè antea non erat*. Ergo forma aliti, ac proinde nutritio non fit successivè, seu in tempore, sed in instanti. *Tertiò*. Si enim partialis forma aliti, quæ est terminus nutritionis, inciperet successivè, etiam successivè desineret forma alimenti, instar rerum successivarum: quia inceptio vnius deberet esse desitio alterius, & facta in eâdē particula temporis. Atqui res successivæ desinunt intrinsecè in instanti, sive per *primū sui esse*. Ergo & forma alimēti desinet eodem modo. Ergo erit instans, in quo verè dicatur: *Nunc non est forma alimenti, & immediatè antea erat*. Ergo cùm in eo instanti, iuxta nostram sententiam, nondum sit forma aliti, materia interim erit absque vlla forma.

27 *AD I.* Instantiam, respondeo admisso antecedente, negando consequentiam: quia quamvis res permanens differat à successivâ in suo *esse* & *fieri*; adhuc partes prioris in sui accremento conveniunt cum partibus posterioris in eo, quòd possint fieri in minori ac minori mensura, vt *num.* 12. probatum est: quia scilicet, viventi semel iam producto, ac proinde habenti formam ac materiam certam & determinatam, non repugnat, sed connaturale prorsus est, subire augmentum penes partes minores & minores quacumque determinata. Vnde nihil absurdi est in eo, quòd quantùm ad hoc pars rei permanentis conveniat cum partibus rei successivæ, aliàs diversis. Idque constat à pari in partibus quantitatis permanentis, quæ per motum successivum augmentationis fiunt, & ad terminum alterationis, qui permanens est, & tamen successivè fit. *AD II. Instantiam*, negatur minor: quia neque in illo instanti alimētum est sub maximo distemperamento, ad quod pervenire non potest, sed tantùm prope illud. Quare pro illo instanti in materia alimenti solùm est vltima dispositio antecedens vltimum distemperamentum, incompossibile, & formam sequentem, quæ duo ponuntur in parte tēporis immediatè sequenti. *AD III.* Licèt non desinat in tempore forma alimenti absolutè, sive secundùm se totam, desinit tamen prout tanta, & quantùm ad aliquid præcedentis materiæ, quantum vis minus ac minus. Quemadmodum enim vt deficiat vlna quatenus tanta sufficit defectus cuiuslibet particulæ, quantum-

cun-

cunque minoris ac minoris; sic etiam sufficit, vt deficiat substantia alimenti quatenus tanta. Quare nego sequelam: quia quamvis forma alimenti prout tanta desinat successivè, seu in tempore, adhuc verum est desinere in instanti quò ad totam suam entitatem: quia cùm secundùm hanc supponatur habere determinationē omnimodam materiæ certæ, cōsistit planè in indivisibili: & consequenter non debet desinere in tempore instar rerum successivarum, sive per *primum sui non esse*; sed in instanti, more rerum indivisibiliū, sive *per vltimum sui esse*. Quapropter simul sunt disiunctio materiæ partialis sub forma alimenti, & positio sub forma aliti, quæ incompossibilis est cum ipsa: ideoque materia nunquam existit sine alterutra illarum.

28 *DICES*: Quamvis vltima dispositio antecedens ad formam aliti producatur in minore subiecti parte ac minore; adhuc tamen quatenus vltima non producitur, nisi in instanti: quia quatenus vltima, est determinata & certa, ac proinde consistit in indivisibili. *RESP.* nullam earùm dispositionum, quæ per alterationem fiunt, produci in instanti, sed in tempore: quoniam alteratio successiva est, & proinde terminum suum ponit successivè. Quare hoc solùm modo producitur dispositio vltima antecedēs, quæ formam aliti duratione præcedit, quoniā illa per alterationem fit. Dispositio autem vltima concomitans non fit per alterationem, sed per aggenerationem ipsam, seu nutritionem, quæ sicuti in tempore producit primariò substantiam partialem aliti, ita etiam quidquid est necessario eidem connexum vt proprietas, qualis est vltima dispositio concomitans.

29 Neque obstat quòd hæc dispositio, quatenus vltima, sit determinata & certa. Hoc enim ad summum concedi potest de illa considerata *iam in facto esse*, & prout importante determinationem in suà entitate iam productà: non verò de eà prout *in fieri*. Sub hac enim ratione potius indeterminata est, & incipit per partes minores ac minores; ideoque fit, non in instanti, sed in tempore; licet sub priori consideratione introducatur opposito modo, & in instanti terminativo alterationis præcedentis, vt aliqui volunt. Qui idem quoddammodo aiunt de substantiâ partiali per nutritionem adquisitâ. Dicunt enim formam partialem aliti comparatam ad materiam alimenti posse considerari in viâ, sive *in introduci*, seu *extendi* ad novam partem materiæ; & sic fieri in tēpore per nutritionem successivam: si autem consideretur *in introducto esse*, & quatenus informat determinatam materiā; incipere in instanti: scilicet, non per nutritionē *in fieri*, sed *in facto esse*; sive, quod idem est, per vltimum *mutatum esse* nutritionis.

SECTIO QVARTA.

Nutritionis naturam aliam esse realiter ab augmentatione. Aristoteles illustratur, & obiectiones expediuntur.

30 *SIT II. Assertio.* Nutritio, tam vt actio, quàm vt mutatio quædam est, distinguitur realiter ab augmentatione. Ita Arist. hoc *lib.* 1. *cap.* 5. vbi & D. Tho. *lect.* 16. & frequenter Philosophi, contra Albertum de Saxonia *in præsenti q.* 9. & Marsilium *q.* 10. existimantes oppositum. Ratio Assertī est: quia nutritio & augmentatio, quocunque modo accipiantur, habent diversam naturam, diversum terminum, ac subiectū: quæ omnia absque reali vtriusque distinctione, nec esse, nec intelligi possunt. Habent, inquam, diversam naturam: quoniam nutritio non est motus strictè dictus, qualis est augmentatio, vt in Physicâ *disp.* 32. constitutum est: eadem verò, sive actio, sive mutatio secundùm naturam, nequit simul esse & non esse motus strictè dictus. Habent quoque diversos terminos: quia terminus nutritionis est partialis substantia aliti; augmentationis verò, pars nova quantitatis, reddens illā maiorem, quàm antea. Constat verò partem substantiæ, & partem quantitatis, realiter inter se differre. Habent denique diversa subiecta: quia nutritio, qualitercunque consideretur, sive in esse actionis, sive mutationis, recipitur in materia primâ partiali, quæ viventi per nutritionem accrescit: ideoque *disp. alleg. num.* 21. excluſimus nutritionem à ratione stricti motus, quoniam subiectum illius non est ens in actu, sed in potentiâ. At verò subiectum augmentationis, qualitercunque acceptæ, est totum vivens, vt ibidē ostensum est. Quare restat, vt nutritio & augmen-

mentatio ex multiplici capite realiter distingu antur. Adde vnam ab aliâ separari realiter, quando animal nutritur, & iam non augetur, vt in senectâ: quod est evidens signum distinctionis realis inter vtrãque.

31 *OPPONES* Arist. vbi suprà *textu* 41. aientem: *Etenim sic differunt nutrimentum, & augmentatio ratione.* Vel, iuxta translationem Vatabli: *Nutritio idẽ quod accretio existit: ratio tamen est diversa.* Quo item modo vertunt Conimbricenses. nam in textu habetur: καὶ ἡ τροφὴ τῇ ἀυξήσει τὸ αὐτὸ μέν, τὸ δὲ εἶναι ἄλλο. Igitur ex mente Aristotelis non distinguuntur realiter nutritio & accretio, sive augmẽtatio.

32 *RESP.* Potiùs in eodem *textu* 41. haberi distinctionem realem vtriusque actionis: nam verbis immediatè præcedentibus duo tradit Aristoteles, ex quibus planè id inferatur. Primò enim ait, terminum nutritionis in animali esse carnem; augmentationis verò carnem quãtam: deinde & subdit, quandoque esse nutritionem absque augmentatione. quæ duo sine distinctione reali vrriusque actionis & mutationis esse non possunt. Præmisserat enim: ἡ μὲν οὖν δύναμις τὸ συναμφότερον, &c. *Quo igitur potentiâ simul vtrumque existit, videlicet caro quanta; hoc quidẽ auget: nam carnem quantam fieri oportet. Quo verò solùm caro; hoc alit. hac enim nutritio & accretio ratione differunt. Quocirca quandiu salvum manet animal, etsi accretionem subeat, alitur; sed non semper augetur.* Quare ne sibi contradicat Arist. verbis in obiectione allegatis, intelligendus est de identitate sola nutritionis & augmentationis ex parte termini eiusdem materialiter sumpti; nimirum, eiusdem carnis, ad quam alendam & augẽdam tendunt: nutritio quidem ad materiam alimenti, quæ erat caro in potentiâ; augmentatio verò ad eandem materiã, quæ erat caro quanta in potentia. Ita enim ex ipso colligitur. nam immediatè subdit: ἡ μὲν γὰρ ἐστὶ τὸ προσιὸν δύναμις ποσὴ σὰρξ, &c. *Quo enim id, quod adiungitur, atque additur, potentiâ caro quanta est; hoc carnem augere potest: quò verò caro potentia solùm; hoc nutrire.* Cùm verò aliunde caro, vt caro, & vt quanta, sit terminus formalis distinctus realiter; planè sequitur nutritionem, & augmentationem, ab vtroque specificatam, distingui etiam realiter.

33 *OPPONES II.* Eadem actio generativa sufficit, vt initio producat totam substantiam viventis primariò, & subinde ac secundariò totam eius quantitatem, vt proprietatem consecutam. Ergo & eadem actio nutritiva sufficiet vt producat partem substantiæ aliti primariò, & partem quantitatis secundariò, vt illius proprietatem. *RESP.* iuxta dicta *disp.* 32. *Physicæ à num.* 16. (vbi hanc obiectionem latè proposuimus, ac pleniùs dissolvimus) negando consequẽtiam: quia in primâ generatione vnius naturæ finis est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ coniuncto, quæ certè secundùm solam substantiam est. quare tunc tota quantitas solùm inspicitur secundariò. Cæterum quando vivens iam productum augetur, præcipuus naturæ finis est, vt illud fiat maius mediâ augmentatione, & vt conservetur media nutritione: ideoque per nutritionem directè quærit novam partem substantiæ; & per augmentationem, novam partem quantitatis, talemque, & tantam, vt vi ipsius vivens fiat maius. Vnde vterque terminus per se inspicitur à propriâ cuiusque actione. Plura alia vide loco indicato.

34 *DICES:* Si naturâ mediante nutritione quærit per se ac primariò novam partem substantiæ, quærit quoque mediante ipsâ novam partem quantitatis secundariò & consequenter: atque adeò non erit opus actione aliâ nutritioni realiter superadditâ, quæ sit augmentatio. Similiter, si naturâ mediante augmẽtatione quærit primariò novam partem quantitatis, etiam mediante illâ quæret secundariò novam partem substantiæ; ideoque opus non erit nutritione realiter distinctâ ab augmentatione. Ergo, quodcunque dicatur, superfluit alterutra prædictarum actionum, quas statuimus distinctas realiter; sufficietque vnica virtualiter multiplex cum duplici munere.

35 *RESP.* Quando vivens nutritur, & iam non augetur, sed permanet in eodem statu perfecto, natura quærens per se ac primariò mediâ nutritione novam partem substantiæ, quærit quoque consequenter & secundariò, mediante ipsâ, novam partem quantitatis. Quare tũc vnica actio intercedit, quæ est nutritio, absque vllâ augmentatione. Quando autem vivens est in statu augmenti, natura per se inspicit, & conservationem viventis,

tis & illius augmentum: ideoque opus est duplici actione, alterà nutritiva substantiæ, alterà augmentativa quantitatis; nec sufficit vna cum duplici munere: quia quilibet terminus per se inspectus a naturà exigit propriam actionem ad se primariò terminatam. Quando denique vivens est in statu decrementi, opus etiam est duplici actione; alterà terminatà per se ad conservationem substantiæ viventis, quæ est nutritio; alterà per se terminata ad quantitatem minorem viventis, quæ est diminutio, & recensetur inter motus strictè dictos. Ex quibus patet ad obiectionem.

SECTIO QVINTA.

Nutritionem, augmentationemque, proprias esse animatorum, prout differunt ab inanimatis. Obiectiones solutæ.

36 SIT IV. *Assertio.* Tam nutritio, quàm augmentatio, est propria viventium, ita vt neutra inanimatis conveniat.

VTRAQVE Pars supponitur ab Arist. in præsenti *lib.* 1. *c.* 5. vbi de nutritione & augmentatione differit, veluti de mutationibus viventium proprijs, vt legenti palam erit. Sed expressius adhuc *lib.* 2. *de Animâ cap.* 4. *textu* 46. id docet de nutritione. Ait enim: *Cùm autem nihil nutriatur, quin habeat vitam; animatum erit profectò id corpus, quod alitur, ea sanè ratione, quâ est animatum. Quare & nutrimentũ ad animum per se refertur, & non per accidens.* Quæ verba licet adeò luculenter Assertum contineant, sic exponuntur à D. Thoma ibidem: *Dicit ergo primò, quod nihil nutritur, quod non participet vitam omne autem participans vitam est animatum: sequitur ergo quòd corpus, quod alitur, est animatum.* Eodemque loco *lect.* 9. *& in* 4. *dist.* 12. 9. 1. *ar.* 2. *quæstiunc* 7. id ipsum docet de augmentatione. Vtrique subscribunt frequenter Philosophi, paucis exceptis infra allegandis.

37 *PRIOR* Pars, quæ est de nutritione, suadetur facilè: quia ad hoc natura sua tendit, vt reparet partes deperditas vi naturalis caloris depascentis humidum necessarium viventi. quod certè fieri nequit sine diversitate partium, habentium qualitates, sive dispositiones contrarias, quibus vna cum alià pugnet, ipsique prævaleat. Quodlibet enim vivẽs debet habere, non solùm tres vires principales, sive virtutes, quæ sunt, Nutritiva, Augmentativa, & Generativa: sed etiam quatuor alias ministrantes, sive deservientes nutritioni, & pugnæ præcictæ; quæ sunt Attractiva, Retentiva, cõcoctiva, & Expulsiva: quæ, sicuti obeunt per internos meatus munia diversa, sic eriã debent constare partibus heteroggeneis, seu diversæ rationis. Atqui proprium est viventium, quatenus differunt à non vivẽtibus, constare partibus heteroggeneis, seu diversæ rationis. Ergo & proprium ipsorum est se nutrire ab intrinseco. Quare nullum elementum, ne ignis quidem, nullumque mixtum inanimatum, nutrit se per virtutem intrinsecam, sed solùm nutriri dicitur ab extrinseco, & per iuxtapositionem.

38 *CONFIRMATVR.* Aliquis debet esse actus proprius viventis in communi, quatenus abstrahit à purè vegetativo, sensitivo, ac rationali, & differt à non vivente. Atqui eiusmodi actus maximè & primo loco debet esse nutritio. Ergo hæc est actus proprius viventis in eà abstractione, quatenus differt à non vivẽte. Maior est certa: quia vivens in ea abstractione, quatenus differt à non vivente, exprimit ordinem ad actum secundũ vitæ, seu ad operationem vitalem, quæ sane ipsius propria est. Minor autem probatur: quia actus vitalis in eà abstractione, & diversitate à non vivente, nullus alius esse potest æquali iure, ac nutritio per virtutem intrinsecam. Ex tribus enim actibus præcipuis, qui communiter vivẽti assignantur, & sunt, nutritio, augmentatio, ac generatio per principium coniunctum, nutritio maximè propria illius est: quia perficit vivens in seipso, & intra proprium genus substantiæ conservat illud: quod non habet augmentatio, cuius terminus est aliquod accidens; nec generatio, quæ non tam perficit ipsum vivens in se, quàm tendit ad perficiendum, sive producendum aliud. Omnis autem actus qui perficit vivens quatenus vivens in seipso, & intra proprium genus substantiæ, debet esse ipsius proprius, præ omni alio actu.

39 *CONFIRMATVR II.* Homo convenit cum plantis, & cæteris vegetabilibus, simul differt à lapidibus, & qui-

quibuslibet inanimatis, per exercitium vegetandi. Atqui eiusmodi exercitium est nutritio per virtutem intrinsecam. Ergo hæc est propria vegetabilium, prout distinguuntur ab inanimatis. Maior est expressa doctrina Patrum, conformisque sacris litteris. Augustinus enim tom. 10. serm. 29. de verbis Apostoli, inquit: *Non vivunt ligna arida, & lapides: nos autem vivimus. Sed adhuc nobis idipsum vivere cum arboribus & frutetis commune est. Dicuntur enim & vites vivere. nam si non viverent, non scriptum esset: Occidit in grandine vineas eorum. Vivit enim cùm viret: arescit cùm moritur: sed vita ista non habet sensum.* Et post pauca: *Habemus ergo ipsum esse cum lignis & lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestijs, intelligere cum Angelis.* Eademque fere habet *lib. 1. de Civit. c. 20.* Similiter & S. P. N. Gregorius Magnus *hom. 29. in Evang.* docet hominem habere rationem vitæ communem cum plantis; scilicet, vegetativæ. Legendus de hac re Lorinus *in Psal. 77. v. 47.* Cornelius à Lapide, & Iustinianus *1. Corinth. 15. v. 36.* vbi Apostolus docet, vivificari semen mortuum: & Maldonatus atque alij Interpretes in illa verba Christi Ioan. 12. v. 24. *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.* Iam minor præcipua constat: quia nullum exercitium cõmune animatis omnibus, & proprium ipsorum, quatenus differunt ab inanimatis, esse potest vegetatio, nisi sit nutritio per virtutem intrinsecam. Vegetare enim propriè loquendo, est nutriri per intussumptionem.

40 *POSTERIOR* Pars, quæ de augmentatione procedit, præter plura alia quæ diximus *disp. illâ 32.* suadetur: Quia augmentatio propriè dicta non fit, nisi per virtutem internam activam, à natura institutã ex fine augmenti. Huiusmodi autem virtus viventibus necessaria est, quoniam generantur ex semine, quod modicæ quantitatis est: ideoque, cùm egeant maiori magnitudine ad diversa organa, variasque operationes, oportuit vt beneficio naturæ acciperent vim activam, quâ decursu temporis adquirerent magnitudinem competentem; quam nisi assequantur, nequeunt habere esse perfectum, aut producere sibi simile. Contrà verò inanimatis, seu non viventibus; eiusmodi virtus superflua esset; quia in quacumque mensurâ generentur, obtinent à principio magnitudinem sibi debitam, per se loquendo: ideoque statim à productione sui prædita sunt activa vi ad producendum simile, vt patet in igne. Cùm igitur natura neque sit avara, nec prodiga, proculdubiò concessisse putanda est vivẽtibus, sicut & non viventibus negasse, prædictam vim augmentatricem internam & propriè dictam.

41 *CONFIRM.* ex dictis *sect. 1.* Ad augmentationem enim, sicut & ad nutritionem, non solùm necessaria est pars specialis, & à cæteris diversa, quâ alimentum attrahatur, vt os in animalibus, & radices in arboribus; sed etiam varia organa, ac meatus, in quibus fiant alterationes parantes viam ad conversionem substantiæ & quantitatis alimenti, in substantiam & quantitatem aliti, ibidẽ enumeratæ. Ideoque Arist. animam generatim definit *actum corporis organici*: & in præsenti *lib. 2. à textu 6. & 36.* enumerat varia instrumenta & opera vegetabilium. Atqui partium, organorum, meatuúque diversitas propria est animàtorum, quatenus differunt ab inanimatis. Hæc enim homogenea sunt, sive, quod perinde est, constantia partibus omnino similibus, vt patet in singulis elementis, lapidibus, & alijs eiusmodi; cùm tamen animata sint heterogenea, sive dissimilibus partibus prædita. Augmentatio igitur, sicuti & nutritio, est animatorum propria.

42 *OPPOSITAM* Sententiam tuentur aliqui Recentiores, quibus placet nutritionem & augmentationẽ propriè convenire pluribus rebus inanimatis. Ita Sancta-Crucius *in lib. 1. de Anima disp. 1. q. 3. à num. 330.* vbi plures alios allegat, qui tamen procul ab ipsius sensu sunt. Quidquid tamen de hoc sit, difficultas potissima, sive ratio in favorem huius opinionis, desumitur ex igne: de quo D. Thomas in lib. 2. de Anima lect. 8. inquit: *Ignis præexistens, ad sui conservationem & augmentum videtur in se humorem convertere: & ideo in elementis videtur solus ignis nutriri.* Quod de nutritione propriè dicta accipiẽdum est. nam largè accepta etiam convenit cæteris elementis. Et ratione idipsum suadetur: quia sicut vivens media virtute intrinseca convertit alimentum, quo eget, in suam substantiam; ita & ignis medio calore sibi intrinseco convertit in propriam substantiam pabulum, quo ad sui conservationem indiget. Deinde, sicut vi-

vivens post nutritionem idem numero persistit, ac antea, ita & ignis. Ac demum quemadmodum vivens, quoties nutritur & augetur, totũ, sive quò ad omnes partes nutritur & augetur; ita & ignis, cuius nulla pars crescit, nisi toto illo crescente.

43 *CONFIRM.* Plures enim res inanimatæ videntur propriè nutriri, vt lapides intra terram producti, & venæ argenti, quod radices & poros habet, quibus attrahit humorem terræ, eiusque substantiam in se convertit, ac verè crescit: vt testantur qui argenti fodinas explorarunt, præsertim in America. Quin & vinũ in excedenti quantitate vim habet convertendi in se modicum aquæ admistum: quo plane augetur non minus propriè, quam viventia.

44 *RESP.* Argumentum præcipuum ex igne desumptum, adeo antiquum esse, vt ab Aristotele proponatur & solvatur *lib. 2. de Anima cap. 4. textu* 40. vbi postquam tradiderat elementa non esse causam nutritionis & augmentationis, sed vtramque provenire ab animâ, subdit: *Sunt autem, quibus ipsius ignis natura, causa simpliciter nutritionis & accretionis esse videtur. Ipse namque solus omnium corporum, aut elementorũ, nutriri & augeri videtur. quapropter & in plantis & in animalibus putabit quispiam ignem idipsum esse, quod operatur.* Hanc tamen existimationem statim reijcit, dum ait: *Verùm non ita est: sed cum contetur causam, est ob idipsum quoddammodo non simpliciter causa: sed talis est potiùs anima.* Rationemque subdit: *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, & eousque fit, quousque sit cõbustibile. At eorum omnium, quæ naturâ constant, est finis & ratio, tam magnitudinis, quàm accretionis. Hæc autem animæ sunt, non ignis.* Vbi & alterum præbet fundamentum nostræ Assertionis: quia quæcũque propriè nutriuntur & augentur, habent certum magnitudinis incremẽtum: quod tamen non convenit igni. Nec S. Thomas refragatur huic doctrinæ: nam ipso loco in obiectione relato expressè statuit, ignem propriè non nutriri, nec augeri, sed solùm per quandam similitudinem, eamque maiorem in illo, quàm in alijs elementis, quoniam præditus est maiori activitate ad convertendum in se alia, & longè manifestiore.

45 Cùm verò assumitur, ignem egere pabulo ad sui conservationem; cõcedendum est de igne per accidens, non autem per se loquendo. Hoc enim modo, & existente igne in propriâ regione, nulla pabuli extrinseci necessitas est, sicuti & nulla qualitatum contrarietas, vt apparebit ex dicendis infrà *disp. 58. sect. 2.* Quòd si ignis apud nos indiget pabulo extrinsecùs adveniente, ideo est, quia existit impurus, & extra propriam sphæram, ac pluribus contrarijs circumseptus, à quibus facilè absumeretur, si non haberet vicinum pabulum, quod in se converteret, & cuius accessione seipsum conservaret. Contrà verò viventia indigent per se loquendo accessione & conversione alimenti: quia per se loquendo subeunt assiduam pugnã qualitatum invicem adversantiũ, & activitatem caloris interni: qui, nisi accederet alimentum ab extrinseco, depasceret humidum radicale, vitæ necessarium. Quare oportuit vt natura provida circa ea, quæ per se loquendo sunt necessaria, & non curans ea quæ per accidens eveniunt, solis viventibus daret virtutẽ propriè nutritivam & augmentativam; non tamen igni, qui vivens non est.

46 Neque vrget quòd ignis convertens pabulum in se, idem numero persistat ac antea. Id enim contingentet solùm & quandoque accidit: scilicet, quando combustibile intra ipsum ignem mittitur, vt gutta olei, aut parum stuppæ; nõ verò quando solùm approximatur, & seorsim accenditur. Solùm enim tendit per se ad producendum simile quamvis aliquoties exinde resultet conversio pabuli in propriam substantiam, vel quædã continuationis identitas numerica ignis adaucti, cum igne præexistente. Non tamen inde colligitur totum ignem præexistentem augeri, sive quò ad omnes partes. hæ quippe in se ipsis non crescunt, nec fiunt maiores ratione novarum partium accrescentium, sed solùm adquirunt continuationem cùm ijs. In viventibus autem ex opposito accidit: quia partes præexistentes non modò assequuntur cõtinuationem cum noviter advenientibus, sed etiam in se ipsis nutriuntur & augentur omnes.

47 *AD Confirm.* negatur assumptum. quamvis enim lapides, & mineralia intra tetram genita habeant poros, intra quos accipiant humorem, qui postea in ipsorum substantiam per continuationem convertatur; adhuc carent virtute in-

intrinsecà & per se ad id muneris destinata. quippè ea conversio provenit ab extrinseco ex virtute cœlorum, & aliorum vniversalium agentium, quibus curæ est, tum producere, tum & augere plura, quæ sufficienter non continentur in virtute causarum inferiorum. Similiter nec vinū habet virtutem per se ordinatam ad convertendam in se modicam aquam, sed per accidens tantùm. Si enim per se illam haberet, ex conversione aquæ redderetur in se perfectius, sive fortius; quemadmodum viventia redduntur vigoriora in se ipsis quoties augentur. Potētia enim conversiva per se conveniens subiecto, tendit naturaliter in maiorem eius perfectionem. Constat vero vinum per cōversionem aquæ magis ac magis debilitari & extenuari; adeò non perfici in se ipso. Ergo non habet virtutem per se conversivam, nisi ad summum impropriè & per accidens, quia recipit intra se modicam aquam, & illius partes pervadit atque intersecat, vt dicemus *infrà disp.* 57.

48 *ROGABIS*, Quænam sit ratio, vt quoties augetur vivens, quælibet ipsius pars augeatur? *RESP.* Rationem desumi ex doctrinà Arist. 5. *Physicorum initio*, quia quodcunque movetur per se & ratione sui, movetur etiam secundùm omnes partes: nàm quod movetur secundùm vnam, aut aliquas tantùm, non movetur simpliciter ratione sui, sive secundùm se totum; sed cum addito, & penes aliquid. At vivens mediâ augmentatione movetur per se & ratione sui. Quippe augmentatio est motus debitus viventi, quatenus viventi, vt debitam sibi quantitatem assequatur. Ergo vivens mediâ augmentatione movetur, ac proinde augetur secundùm omnes partes. Cùm enim omnes & singulæ exigant determinatam, atque inter se proportionatam mensuram quantitatis, in quolibet sui augmento; oportuit, vt quoties vivens augetur secundùm aliquam partem, etiam augeretur secundùm cæteras, ne vna esset alteri improportionata aliquo instanti. Quæ ratio æquè probat de partibus proportionalibus & aliquotis cuiuscunque viventis. Porrò idē est de nutritione: quia calor naturalis, medio quo illa peragitur, dispersus est per omnia viventis membra, & in ijs omnibus depascit humidum radicale; atque adeò oportuit vt in ijs omnibus simul repararet vivens, disponendo illud ad adquisitionem novarum partium. Verùm de hoc vide Complutenses *disp.* 6. *q.* 2. vbi latiùs rem examinant.

DISP. QVINQ. QVARTA.

DE ALTERATIONE.

Quotuplex sit Alteratio, & quomodo fiat?

Num. 1. *QVAMVIS Multa superiùs tradita fuerint circa alterationem* disp. 32. Physicæ, *& præsertim circa distinctionem realem ipsius à generatione substantiali, quæ* disp. 47 *stabilita fuit, adhuc restant plura expedienda breviter: quæ etiam spectant ad librum priorem de Generat. cap.* 5.

SECTIO PRIMA.

Multiplex alterationis acceptio, & divisio in varias species, ac distinctio à generatione & augmentatione ex varijs capitibus.

2 *ALTERATIO* Multipliciter accipi solet. Primò, & valde communiter, pro mutatione rei ad quamlibet formam, tam substantialem, quàm accidentalem, vt habetur apud Aristotelem 2. *Physic. cap.* 1. iuxta expositionem Averrois; aut saltem ad omnem formam accidentalem, vt idem vsurpat *in præsenti lib.* 1. *textu* 10. vbi omnem mutationem videtur dividere in generationem substantialem, & alterationē accidentalem. Quo item sensu Porphyrius *in Predicab.* docet, accidens facere *alterum*

terum; differentiam verò essentialem facere *aliud*. In præsenti verò non loquimur de alteratione adeò communiter sumpta.

3 *Secundò*, & minùs communiter, accipitur de omni mutatione ad solã qualitatem terminata, quæ iuxta communem modum loquendi Philosophorũ speciatim habet facere subiectum alterum, sive alteratum. quo sensu Arist. *libr. 2. de Anima textu 57. & 58.* docet, speculari & sapere esse quandam speciẽ alterationis. Verùm neque acceptio hæc ad præsens institutum attinet: quoniam mutatio intentionalis, quæ habetur per speculationẽ & scientiam, supergreditur metas librorum de Generatione; sicuti & consideratio quarumlibet rerum spiritualium. Imò neque hac spectat alteratio specialiùs sumpta pro mutatione physicà terminatà ad qualitatem, & quæ sit actus imperfecti sive instantaneus, sive successivus. Nam quamvis sub hac consideratione spectet ad Physicam *lib. 3.* non tamen ad præsentem tractatum, in quo de alteratione solùm agitur quatenus prę it ac deservit substantiali generationi: quod non convenit alterationi instantaneæ simplici, v.g. productioni lucis; neque successivæ, vt dealbationi, aut denigrationi.

4 *Tertiò* denique omnino strictè, & prout ad rem nostram attinet, accipitur pro mutatione successiva ab vna qualitate contraria & corporea in aliam, cum latitudine percurrenda. qua ratione habet omnes conditiones requisitas ad strictum motum, vt docuimus loco Physicæ iam allegato, & terminatur solùm ad qualitates tertiæ speciei. Hoc verò sensu propriè & speciatim dicitur alteratio, quia alterat subiectum, & immutat ab eo statu, in quo antea existebat, expellendo vnam qualitatem, & inducendo aliam oppositam, ac proinde disponendo materiam ad generationem novæ formæ substantialis, & corruptionem antiquæ. De alteratione igitur hoc modo sumpta agimus in præsenti. Nam sub alijs considerationibus differendum erit opportuniùs de illa, tum tractatu de Anima, tum & in Metaphysica, agendo de qualitate vniversim, & de varijs speciebus motus. Hac verò ratione communiter definitur alteratio iuxta Arist. *lib. 1.* huius tractatus, *textu 23. & 24.* ac D. Thomam *ibidem lect. 10.* vt sit *motus substantiæ completæ mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem qualitatem contrariam, cum latitudine percurrenda*. Cuius definitionis bonitas nõ indiget probatione, aut expositione, si semel memoremur, quod sæpe diximus, alterationem non recipi immediatè in materia prima, sed in toto cõposito; nec terminari nisi ad qualitates speciei tertiæ; & non quaslibet, sed habentes latitudinem percurrendã, quæque ex contrario positivo fiant.

5 *PRÆDICTVS* Alterationis strictæ motus dividitur adhuc in tres species, quarum prima proprium nomen non habet, ob penuriam vocum; sed solùm appellari solet *alteratio*, non quidem generatim, prout ea appellatione exprimitur motus alterationis strictè dictus, quod est divisum in hac divisione; sed speciatim quatenus significat motum per se terminatum ad ipsam entitatem qualitatis, prout adquirendam ex contrario positivo. Secunda species est *intensio*, quæ non respicit qualitatem quatenus adquirendam, sed potiùs illam iam adquisitam supponit, & per se solùm terminatur ad augmentum illius secundùm maiorem perfectionem. Tertia est *remissio*, quæ tendit per se ad imminutionem perfectionis, seu ad minorem perfectionem qualitatis præexistentis. Quæ communis doctrina sumitur ex Arist. *5. Physic. & in præsenti textu 31.* facileque suadetur, quoniam motus per se distinguuntur specificè penes ordinem ad terminos formaliter diversos. Hi autem inveniuntur in prædictis speciebus alterationis strictę: quoniam prima per se terminatur ad entitatem qualitatis vt primò adquirendam ex contrario positivo; secũda ad eandem perficiendam; tertia ad ipsam attenuandam, sive imminuendam. qui sanè termini, formaliter diversi sunt. Neque oportet his ampliùs immorari, quæ adeò trita sunt, & apud omnes recepta.

6 *PORRO* Alteratio ex multiplici capite distinguitur à substantiali generatione. Et, prætermissis pluribus, quæ iam circa hoc præmisimus *disp. 47.* Aristoteles *in præsenti libr. 1.* varijs locis multa diversitatis capita assignat contra quosdam Veterum, qui confundebant alterationem cum generatio-

ne. Primò enim differunt in ordine ad terminum formalem, qui in generatione est substantia; in alteratione verò, accidens. Secundò ex parte subiecti, quod respectu generationis est materia prima; alterationis autem, totum compositum. Tertiò ex parte termini *à quo*, qui in generatione est privatio, sive *non esse* formæ; in alteratione verò, aliquid positivum & contrarium termino *ad quem*. Quartò ex capite durationis, quoniam generatio fit in instanti; alteratio verò in tempore. Quintò ex parte ordinationis, quia alteratio ordinatur ad generationem, sicut medium ad finem; non autem è contrà. Ex pluribus autem prædictorum capitum constat vlteriùs alterationem a nutritione differre, præsertim ex primis duobus, vt expendenti palam erit.

7 *DENIQVE* Alterationem ab augmentatione differre, patet: tum ex parte terminorum *à quo*, & *ad quem*, qui in priori sunt quantitas minor & maior; in posteriori autem qualitas duplex contraria, aut eadem penes minorem & maiorem perfectionem: tum etiam ex capite separationis realis; cùm vivens toto tempore vitæ suæ alterationem subire possit ac soleat, etiam in ætate decrexa, quin tamen tunc augeatur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm omnis motus alterationis strictè dictus sit continuus?

8 RESP. Affirmativè cum Aristot. 5 *Physic.* vbi postquam alterationem recensuit inter tres species motus strictè dicti, subdit *cap.* 3. aliàs 4. *textu* 39. εἰ δὲ συνεχὴς πᾶσα κίνησις, &c. *Cùm autem omnis motus sit continuus, si omnis est divisibilis; eum, qui simpliciter unus est, & continuum esse necesse est: & si continuus est, vnus est.* Et paulò post docet expressiùs, non esse vnicum motum, sed plures, vbi deficit continuitas, sive vbi est aliqua morularum interruptio, qua mobile quiescat. Subdit namque *textu* 41. πολλαὶ δὲ καὶ ἃ μία ἡ κίνησις, ἐν αἷς ἡ ἠρεμία μεταξύ. *Multi igitur, & non vnus, ij motus sunt, inter quos media quies cadit.* Quibus planè reijcit opinionem infrà referendam de interruptione alterationis per morulas. Eandem Aristotelis doctrinam tuetur Div. Thom. *in præsenti libr.* 1. *textu* 48. *lect.* 24. & expressiùs *in* 2. *dist. nct.* 5. *quæst.* 2. *art.* 1. Vtrunque frequentiùs sequuntur Philosophi Recentiores, & inter eos Suarez, *disput.* 46. *Metaph. capit.* 6. Aversa, *quæst.* 39 *sect.* 2. Complutenses *disput.* 4. *quæst.* 3. Porrò præter plura alia, quæ dedimus disputatione illa Physicæ 32. & disput. 41. circa continuitatem motus localis, & disputat. immediatè præcedenti *sect.* 2. circa continuitatem augmentationis & nutritionis, quæque huc facilè advocari possent; suadenda est Assertio pluribus rationibus, quas cursim solùm insinuare oportet, ac veluti digito designare, vt ingeniosus lector illas secum maturiùs expendat.

9 *PRIMA* Ratio desumitur ex Aristotele. Omnis enim motus strictè dictus est continuus. Alteratio autem est motus strictè dictus ex communi omnium sensu. Ergo est motus continuus. Maior, in qua sola posset esse dissidium, probatur. Omnis enim motus strictè dictus est successivus, tam in specie, quàm in individuo; quia vtroque sensu exigit latitudinem inter duos terminos contrarios, quæ proinde percurri nequit in instanti, sed solùm tempore successivo. At quilibet motus successivus, non modò in specie, sed & in individuo debet esse continuus; quia si amittat continuationem, iam interrumpitur, atque adeò non est vnus in individuo, sed multiplex. Omnis ergo motus strictè dictus debet esse continuus. *CONFIRMATVR.* Plures motus interrupti per morulas non sufficiunt ad constituendum speciem aliquam, vel individuum quantitatis continuæ, qualis est omnis quantitas successiva; sed ad summum quantitatis discretæ, sive habentis rationem numeri. Ergo cum motus alterationis sit quantitas successiva, nullis interrumpitur morulis, seu non est multiplex motus per morulas interruptus.

10 *SECVNDA.* Repugnat enim experimento & sensui interruptio illa alterationis, excogitata ab Adversarijs. Sensu enim & experimento palmari percipimus, manum igni approximatam calefieri continuè, sive absque in-

interruptione vlla. Similiter & videmus ab igne diffundi continuè flammam atq; incendium in materiam facilè combustibilem, & sufficienter applicatam. Rursus si carbo succensus, sive pruna deorsum mittatur motu locali continuo, etiam cõtinuè calefaciet vicinum aèrem, quem scindit per medium. Denique si candela iugiter ardens proijciatur deorsum, sicuti continuè movebitur vsque ad terram, ita etiam continuè extendet lumen in vlteriores partes aèris, & intendet illud in proximioribus. Ergo in ijs omnibus casibus alteratio erit continua. Si autem respondeas, motum illum carbonis succensi, sicut & candelæ, etiam morulis interrumpi, quoniam nullus motus localis est absque morularum interstitio; non erit opus impugnatione nova, sed applicari poterunt plures ac variæ, quibus hanc evasionem & doctrinam præclusimus *disp.* 41. *Physicæ*, iam allegata, per totam.

11 *TERTIA.* Ignis in prædictis casibus, & pluribus alijs, potest esse applicatus passo habenti aliquid frigiditatis, aquæ v. g. per tempus continuum: hoc enim quotidie fieri solet. Ergo tunc alterabit continuè aquam, tum inducendo calorem, tum & expellendo ab ea frigus. Patet consequentia multipliciter. *Primò*: quia omne agens necessarium, & sufficienti virtute præditum (qualis est calor) debitè approximatum passo, statim incipit operari in illo, ac proinde continuè, si continuè, sive absque interruptione, applicatum sit. *Secundò*: quoniam resistentia frigoris, quod est in aquà, impedit introductionem caloris instantaneam, ideoque hęc, non in instanti, sed solùm in tempore continuo, quamvis immediato applicationi, fieri potest. *Tertiò*, & ad hominem contra Aduersarios. Ipsi enim aiunt calorem ignis in aliquo instanti debitè approximatum, in eodem instanti producere minimum calorem, & expellere minimum frigus. Ergo si debitè approximetur tempore continuo, etiam continuè introducet calorem, & expellet frigus.

12 *RESPONDENT* Aduersarij huic vltimæ probationi, ignem in parte temporis non producere calorẽ, nec imminuere frigiditatem in illa parte subiecti cui immediate applicatur; sed tantùm producere dispositionem ad eiusmodi effectum postea & in instanti inducendum. Si autem interrogentur, quænam sit illa dispositio, aiunt esse raritatem necessariã, vt in instanti sequenti producatur minimus calor.

13 *SED Contrà I.* Quia vel eiusmodi dispositionis introductio invenit aliquã resistentiã in subiecto, sive passo, & sic non introducetur in instanti, sed in tempore; atq; adeò eius productio, quæ est vera alteratio, erit continua: vel non invenit resistentiam aliquam, & hic fiet in instanti contra doctrinam solutionis. Vnde & sequitur planè calorem ignis cum sufficienti activitate applicatum passo, nihil operari, & otiosum omnino esse in quolibet parte tẽporis: quod miraculosum planè est, ideoque absurdum, loquẽdo naturaliter, vt res eiusmodi accidut. *Contrà II.* Si enim dispositio illa, quæ tempore continuo producitur, est raritas; cùm hæc sit vera qualitas, vt constabit ex dicendis *disp.* 56. planè sequitur alterationem productivam eiusmodi qualitatis non esse instantaneã, sed continuam & successivam. Mitto plura alia, quæ in sententiam aduersam excogitari facile possunt.

SECTIO TERTIA.

Argumenta opinionis contrariæ soluta.

ALTERATIONEM Non esse continuam, sed necessario morularum interstitio abruptã, censent Capreolus *in* 1. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. Soncinas 8. *Metaph. q.* 22. Ferrara 8. *Phys. q.* 7. Iavellus etiam *q.* 7. Suessanus 8. *Metaph. disp.* 7. vbi & pro eodem placito allegat Averroem, Simplicium, ac Themistium. Itaque prædicti Authores volunt, alterationem non fieri successione continuata per totum illud tempus, quo producitur qualitas contraria præexistenti in passo, aut intenditur vltra gradum præexistentem; sed solùm in instantibus per morulas interruptis. Quare in quolibet instanti aiunt, produci minimum qualitatis media alteratione, & hãc cessare omnino in particula temporis immediatè sequenti, quoadusque accedat aliud instans, in quo alteratio aliud minimum qualitatis operetur. Aliqui diversimodè explicant prædictam opinionem; omnes tamen conveniunt in negandâ alterationi continuitate, circa quod præcipuè versatur disputatio præsens.

15 *PROBANT I.* ex Arist. 8. *Physic. textu* 23. illis verbis: *Dicere rem cõtinuè alterari, valde manifestis adversari est.* Idemque tradit D. Thomas *in* 1. *dist.* 8. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 3. dum ait: *Sicut Commentator probat* 8. *Physic. nullus alius motus est simpliciter continuus, nisi motus localis.* Ergo ex mente vtriusque, alteratio non est motus continuus. *RESP.* Arist. & D. Thomam relatis testimonijs solùm docere, alterationis motum non esse continuum toto eo tempore, quo res in sui existentia durat, vt Heraclitus & Cratylus volebant, nullã rebus consistentiam tribuentes. Hoc enim propriũ est motus localis cœlorũ, qui absque vlla interruptione continuatur cum eorum existentia. Idemq; ipsum tradidit vterque communis Magister circa motũ augmentationis, ac dicere etiam potuit circa motus rerum subcœlestiũ, quæ quãdoque moventur, quandoque quiescunt. At nihil horum prohibet, vt quandiu fit alteratio per debitam applicationem agentis ad passum sibi proportionatum, sive longo tempore, sive brevi, fiat continuè, seu absque morularum interstitio.

16 *INSTABIS.* Ex mente Arist. & D. Tho. quælibet res permanens debet fieri in instanti, sive *per primum sui esse*; non autem in tempore, sive per *vltimum sui non esse*, vt constitutum à nobis est *disp.* 38. *Physicæ.* Præterea & ibidem ex vtroque docuimus, res indivisibiles fieri in instanti. At terminus alterationis est indivisibilis, sive sit qualitas simplex producta, sive aliquis eius gradus, sive denique modus quidam novus radicationis in subiecto. Ergo terminus alterationis fit in instanti, atque adeò & ipsa alteratio.

17 *RESP.* Præcipuam obiectionis instantiam nimiùm probare, ac proinde nihil. Probat enim, nec motum localem esse continuum, quia terminus illius, nimirum, vbicatio, permanens est; & similiter nec nutritionem, nec augmẽtationem, esse continuas, quia producunt aliquid permanens. Deinde dico, rem permanentem, quæ producitur devicta iam resistentia contrarij, & circa subiectũ carens latitudine percurrenda, vt formam substantialem, eiusque proprietates, fieri *per primum sui esse*, sive in instanti, prout loco allegato in obiectione diximus. Res autem permanens, quæ vel primò introducitur, vel postea intenditur in subiecto habente formam contrariam, quæ resistat, & simul latitudinem percurrendam, non producitur, aut intenditur *per primum sui esse*, sive in instanti; sed *per vltimum sui non esse*, seu tempore continuo, vt & ibidem tradidimus: quia, nimirum, resistentia illa contrarij, & latitudo percurrenda, impedimento sunt, vt qualitas contraria, vel novus illius gradus, aut modus radicationis, subitò, seu indivisibili momento temporis introducatur in passum.

18 *AD II.* Instantiam (quæ etiam nimiùm probare videtur, quoniam iuxta illam sola quantitas fieri posset cõtinuè, cùm sola illa sit formaliter divisibilis) dico, rem formaliter indivisibilem, si virtualiter divisibilis sit, communicetur que subiecto materiali habenti latitudinem extensionis percurrendam, & præexistenti sub qualitate contraria, debere fieri, & intendi, tempore continuo, qualitercunque intensio fiat iuxta varias opiniones. Iuxta omnes enim, qualitas est saltem virtualiter divisibilis, & communicatur subiecto extenso (loquimur enim de qualitate corporea, quæ sola fieri potest per motum alterationis stricte dictum) habenti latitudinem percurrendam, & præexistenti sub qualitate contraria, quæ nequit non retardare introductionem, seu intensiorem communicationem oppositæ. Sic etiam nec terminus nutritionis, qui est pars substantiæ, nec terminus lationis, qui est vbicatio, habent ex se & formaliter divisibilitatem, sed virtualiter tantùm, aut illativè; & tamen fiunt continuè, ac divisibili modo, vt omnes de vbicatione docent, & plerique de termino nutritionis asserunt, iuxta dicta *disp. præced. sect.* 2.

19 *VRGEBIS.* Etiam calor vt quatuor verbi gratia, est virtualiter saltem divisibilis, quia virtute vt minimùm continet totidem gradus caloris. Et tamen prout tantus est, & in eo determinato gradu, fit in instanti, quia sic non est formaliter divisibilis. Ergo cum hæc ratio æquè militet in omni qualitate, sive dum primò producitur, sive dum postea intenditur (semper enim producitur intenditurq; in gradu determinato) omnis qualitas fiet in instanti.

20 *RESPONDEO* Ex dictis in Physica *disputatione* 38. *allegata sect.* 1. *à num.*

& num. 8. qualitatem prout in gradu determinato, ac certa subiecti parte, atque *in facto esse*, exprimere formaliter indivisibilitatem, atque omnimodam determinationem; ideoque nihil mirum quòd incipiat more rerum indivisibilium. & in determinato instanti, seu in *mutato esse*, sive indivisibili motus. Cœterùm absolutè, & *in fieri*, ac secundùm quod inducitur modo indeterminato, atque in parte subiecti minore & minore, priusque secundùm esse remissum, quàm intensum, & in particula subiecti proximiore, quàm minùs proximà; necessario incipit tempore divisibili, & motu continuo: quia sic exprimit divisibilitatem sufficientem, & reliquas conditiones exactas ad terminandũ per se successivum motum.

21 *PROBANT II.* Si alteratio intensiva caloris v.g. durat tempore continuo, cùm hoc habeat infinitas partes, etiã calor intensùs habebit gradus intensionis infinitos; sive distinctos realiter, sive virtualiter. Atqui repugnat calor infinitè intensus, vti de omni qualitate ostẽsum est à nobis *in Physicâ disput.* 23. *per totam.* Ergo & repugnat alterationem intensivam caloris fieri in instanti.

22 *RESPOND.* Argumentum hoc ferè idem esse, quod ex Zenone Eleate refert Aristot. 6 *Physicorum cap.* 9. negante existentiam continui motus, quoniam deberet constare partibus infinitis, ac proinde nunquam posset finiri. Verùm quemadmodum à nobis constitutum est *disput.* 35. *per totam*, partes continui cuiuslibet infinitas solùm esse proportionales minores ac minores, ideoque continuum ipsum simpliciter finitum esse; ita & dicendum modo est, dato quòd qualitas per sui intensionem continuam acciperet gradus infinitos intensionis, illos fore minores ac minores in infinitum, ideoque insufficientes ad infinitam intensionem. Quod idem proportionaliter dicendum de remissione qualitatis, quæ pariter finita est, sicut & tempus quo peragitur. Et vtrumque quidem intelligi debet de qualitate corporea, quæ sola terminat per se motum, & semper capax est intensionis ac remissionis, sive recipiendi magis ac minus, vt docet Aristot. *cap. de Qualitate.* Nam, loquendo de qualitate spirituali, & præsertim supernaturali, certum est illam momento temporis indivisibili posse adquiri, aut physicè, aut saltem moraliter, ideoque in infimo, atque indivisibili gradu. Alia argumenta minoris notæ omittimus videnda apud Authores *num.* 8. allegatos.

SECTIO QVARTA.

Quædam alia dubia obiter decidũtur & plenius discutienda in Metaphysicam remittuntur.

23 ROGABIS I. Vtùm sit proprium qualitatis intendi & remitti; an potiùs commune rebus aliorum prædicamentorum, ita vt habeant capacitatem recipiendi, aut novum & distinctum gradum perfectionis, aut saltem novam radicationem formæ in subiecto, iuxta varias opiniones circa modum quo fit intensio? *RESPOND.* Id omnino proprium esse qualitatis solius. Ita Aristot. *capit. de Substantia, & capit. de Quantitate*, vbi de vtroque prædicamento id negat, sicuti & de actione, passione, ac motu, idem statuit 5. *Physic. text.* & ibidem D. Thomas, *ac* 1. *part. qu. ast.* 76. *art.* 6. *& quæst.* 93. *art.* 3. *ad* 3. *&* 1. 2 *quæst.* 52. *artic.* 1. Verùm de hoc ex instituto differemus in Metaphysica circa caput *de Qualitate*, vbi Philosophus docet, proprium ipsius esse recipere magis & minùs. Ibidem quoque aperiemus quænam ex qualitatibus sint intensibiles, ac remissibiles.

24 *ROGABIS II.* Quanam ratione fiat intensio qualitatis: an per additionem gradus ad gradum, an modi ad modum, an denique per solam maiorem radicationem in subiecto? *RESPOND.* Disputationem etiam a nobis de hoc ipso instituendam loco indicato: vbi constabit, inintelligibilem esse veram qualitatis intensionem, eiusque vehementiores effectus, nisi aliquid ipsi addatur, saltem modale: qualiter & in Physica *disputat.* 14. à nobis constitutum est, intelligibilem non esse veram hominis generationem, nisi inter animam rationalem & corpus producat modum vnionis superadditum. Similiter & indicato loco apparebit, quomodo fiat extensio scientiæ ad diversas conclusiones, sive obiecta partialia; an per additionem novi habitus partialis, an potiùs sine illa. Ac præterea ibidem

discutiemus quomodo producatur & intendatur qualitas per reflexionem intra sphæram agentis. De quo interim vide Aversam *q.39.sect.6.& 7.*

25 *ROGABIS III.* An possint simul exerceri duæ alterationes contrariæ circa idem subiectum, ita vt v.g. eodē tempore calefiat & infrigidetur? *RESP.* Posse in gradibus remissis, non autem in intensis. Ratio prioris est: quia tota aut saltem potissima incompossibilitas actionum oritur ex repugnantia terminorum inter se. Atqui termini duarum alterationum contrariarum nullam habent inter se repugnantiam in gradibus remissis; cùm duę qualitates contrariæ in gradu remisso possint naturaliter esse simul, vt communiter docent Philosophi cum Arist. 5. *Physic. t.19.& 4. Metaph. t.27.* & Augustino lib. de Natura & Gratiâ docente, *contraria inter se contemperata non ad invicem adversari*; ac D. Tohmâ *q. 8. de Veritate ar. 14.* Constatque planè in aquâ frigida, quādo incipit alterari ab igne. Paulatim nanque incipit calefieri, seu recipere gradum remissum caloris, retinendo interim frigiditatem, quam vis in gradu minùs intēso, quàm antea. Ergo & alterationes ipsæ nullam incompossibilitatem habent in remisso gradu. Ratio posterioris partis est ab oppositō: quia impossibilis est coniunctio duarum qualitatum contrariarum in gradibus intensis, vt obiter statuimus *disp. 9. Physicæ num. 3.* Verùm de vtroque redibit vberior sermo in Metaphysica, vbi vniversè differemus, an duæ qualitates contrariæ possint componi in eodem subiecto.

26 *ROGABIS IV.* An qualitas vltimò disponens subiectum ad receptionē formæ substantialis procedat ab illa efficienter, an potius ab alteratione præcedente generationem? *RESP.* Formam substantialem præsupponi debere receptam in subiecto ante omnem operationē suam, etiam impropriam, seu emanativa; ac proinde præsupponere necessario subiectum vltimo dispositum ad eam recipiendam. Quare nullus locus est, vt dispositio vltima præparans materiam ad receptionem formæ substantialis procedat efficienter ab ipsa, sed tantùm ab agente extrinseco, iuxta modum explicatum supra *disp. 49. sect. 3.* Itaque à forma substantiali nulla dispositio dimanat ex ijs, quæ prævię appellantur, & ad eius receptionem exiguntur; sed tantùm dispositiones concomitantes, & ad illius conservationem requisitæ. De quo etiam in Metaphysica latiùs differemus: sicuti & in Cursu Theologico circa tractatum de Iustificatione, ex professo disquirimus, an permisso quòd dispositiones vltimę in ordine naturæ procedant efficienter a forma substantiali, ad quam disponunt, idem sit affirmandum de vltima dispositione supernaturali relate ad gratiam habitualem? Et negativam partem vt verisimam tuemur, quod nunc solùm indicasse sufficiat.

DISP. QVINQ. QVINTA.

DE RAREFACTIONE ET CONDENSATIONE.

An sint, & in quo consistant?

Num. 1. *MAGNA Affinitas est inter augmentationem & diminutionem ex vna parte, & rarefactionem ac condensationem ex alia, vt constabit ex dicendis: ideoque Aristotelis Interpretes de ijs omnibus agunt* in præsenti lib. 1. ad cap. 5. *quorum exemplo et iam nos, postquam in superioribus egimus de augmentatione & diminutione, nunc de rarefactione ac condensatione controversiam movemus. Excitari tamen posset congruentiùs* lib. 4. Physic. c. 4. & lib. 7. c. 7. & lib. 8. c. 7. *vt ex dicendis apparebit.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Demonstratur variis experimentis existentia rarefactionis & condensationis, variæque opiniones circa modum, quo vtraque fit, referuntur & impugnantur.

2 ARISTOTELES Vbicumque ferè agit de rarefactione & condẽsatione, potiùs supponit, quàm probet existentiam illarũ, & præsertim vtroque Physicorum libro, capitibus nuper indicatis, vbi vtriusque naturam exponit, & in primo illorum docet, rarum esse id, *quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus*; densum verò, *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Quare oportet vtriusque motus existentiam demonstrare multipliciter, vt postea vnius & alterius naturam per ordinem ad terminos ipsorum examinemus. Præsertim cùm aliqui Veterũ Philosophorum videantur vtriusque existentiam negasse, quoniam non aliter eã admiserunt, quàm posito vacuo, naturaliter impossibili, vt patet ex ipso Aristot. loco allegato ex 4. *Physic. à textu* 79.

3 ITAQVE Existere in rerum naturà rarefactionem & condensationem multipliciter demonstrari potest, & varijs experimentis, quibus eadem materia & quantitas præexistens solet in ampliorem locum ampliari & extendi, vel in minorem contrahi & constringi. *Primò* enim experimur, pulverem sulphureum inflãmatum, subitò in ampliorem locum, quã antè occupabat, dilatari: idemque est de stuppa & ligno, vbi accendũtur. *Secundò*, si phiala vitrea iam calefacta superponatur per orificium aquæ frigidæ, hæc ascẽdit aliquantulum intra phialam, & ad illius cavitatem extẽditur: quia, nimirum, aer in ea clausus contrahitur, seu constipatur vi frigoris advenientis ex vicinitate aquæ: ideoque simul aer in minorem redigitur locum, aqua verò in maiorem dilatatur. *Tertiò*. Assume duo vasa vitrea, & alterum illorum imple aquà; alterum verò collo angusto & oblongo constans, vacuumque, immerge per orificium in aquam prioris. Deinde calefac vas vacuũ admota manu. Deprehendes planè aerem iam calefactum exire ab illo, prærumpẽdo aquam, atque adeò distendi in ampliorem locum. *Quartò* idipsum constat in vitreis cucurbitis, quibus vtuntur Chirurgi, vt ægrotis medeantur. Ascendit enim caro & sanguis ad locum relictum ab aere frigescente & compresso: qui proinde convincitur antea ratione raritatis impleviſſe cucurbitulam totam, postea verò ratione densitatis se recepisse in locum strictiorem. *Quintò* denique in fistulis vitreis aqua frigida modico spatio loci cõtenta est. Si autem manum admoveas, & calefacias, aqua in maiorem locũ se porrigit. Verè ergo existit rarefactio, cuius nomine intelligimus ampliationem illã in maiorem locum; sicut & condensatiò, cuius appellatione accipimus restrictionẽ in locum minorem.

4 PORRO Inter corpora naturalia, quædam sunt rariora, vt ignis & aer; quædam verò densiora, vt terra & aqua. Ideoque quoties aliquod ex prædictis elementis convertitur in aliud disymbolum (quod possibile esse ostendemus *infrà disp.* 60.) portio conversa sequitur affectionem termini, in quem convertitur. Quare pars aquæ conversa in ignem, multò ampliorem locum implebit; è contra verò pars ignis, si convertatur in aquam. Similiter & dicendum de partibus aeris ac terræ collatis inter se. Idemque quoddammodo erit, si pars elementi rari, vt aeris, cõvertatur in partem elementi rarioris, vt ignis; vel pars elementi densi, in partẽ elementi densioris. Hoc supposito,

5 PRIMA Sententia est prædictorum Philosophorum Veterum, qui apud Aristotelem loco relato *ex* 4. *Physic. textu* 38. dixerunt, non dari rarefactionẽ & condensationem ita, vt corpora secundùm eandem substantiam præcedentem ac continuam occupent modò minorem, modò maiorem locum, implendo omnes partes loci maioris: sed solùm ita, vt rarescant per separationem & divulsionem suarum partium, admissis inter eas vacuitatibus, seu inanitatibus, nullo corpore occupatis; addensentur autem per appropinquationem partium earundem, seu constrictionem, quà præcedentes vacuitates impleantur, aut saltem minores reddantur. ideoque corpora, eò rariora esse, quò plures, aut maiores vacuitates admittunt; eò autem densiora, quò pauciores, aut minores. Videturque habere fundamentum existimatio hæc in D. Augustino cap. 11. Categor. laiente: *Dẽsum coarctationem nimiam coniunctarum partiũ vide-*

videtur ostendere. Rarum contrà, in quo intervallis frequentibus latior partium videtur esse coniunctio.

6 *VERVM* Opinionem præiactam refellit Arist. eodem loco, illaque facilè reijcitur, vel ex solo capite vacui, quod admittit naturaliter & de facto, contra omnem rationem & inclinationem naturæ illud abhorrentis, vt latè ostendimus *in Physic. disp.* 27. Insuper & vacuitates illæ essent satis magnæ, si res rarefacta esset duplò maior, quàm densa. Præterea & influxus cœli versus omne latus, salvari non posset, vt *ibidem* monuimus, maximè si gutta ceræ v.g. ponatur in medio maris rarefacti. Nec influxus animæ in totum sanguinem rarefactũ: quia nequit illa informare partes discontinuatas. Deinde iuxta hunc dicendi modum tolleretur motus strictè dictus rarefactionis, & condensationis, quia neutra versaretur inter duos terminos positivos, sed negativos aut privativos, quales essent maior & minor vacuitas. Immò & vtraque per se tenderet ad malum, nempe ad carentiam maiorem vel minorem repletionis loci. Non enim in hac opinione assignatur terminus alius positivus, qui per se quæratur ab vtroque motu, ita vt maior vel minor vacuitas sit solum terminus secundarius & per accidens. Neque præiactæ existimationi suffragatur S. Augustinus. Non enim ait *esse*, sed solùm *videri esse* latiorem partium coniunctionem in raro, quàm in denso, per intervalla frequentia: quia, nimirum, ita apparere videtur, quamvis re ipsa non ita contingat. Aut certè de rebus nimium porosis intelligi debet. v.g. de esca, aut spongia, quæ, quò magis rarefiunt, eò maiora intervalla partium subeũt, alio corpore subintrãte occupata; non autem vacua.

7 *SECVNDA* Opinio docet rarefactionem fieri per adquisitionẽ novæ quantitatis priori destructa; densitatẽ verò è contrà per adquisitionem quantitatis minoris, destructa maiori: indeque provenire quòd quantitas rarefacta occupet ampliorem locum, quàm condensata. Ita Marsilius *in* 4. *dist.* 12. *q.* 9. *ar.* 2. Gothofredus *Quodlibeto* 11. *q.* 3. Pomponatius 2. *de augmentatione c.* 10. alijque relati à Scoto *in* 4. *dist.* 12. *q.* 4. Moventur ij Authores multiplici argumento. *Primò*, quia quod rarefit, adquirit novam extensionem, vt sensibus patet. Ergo & novam quantitatem: quia hæc nihil aliud est, quàm extensio. *Secundò*, quia quoties cera rarefit, sive liquescit iuxta vas, oriuntur in eà nova puncta. Ergo & nova quantitas. Consequentia videtur evidens. Antecedens verò suadetur. Posito enim vase, cuius medietas plena sit condensatà cerà, omnia & singula puncta extremitatis ceræ correspondent omnibus & singulis punctis extremitatis vasis: quia aliter non servaretur debita proportio inter locum & locatum, seu partis ad partem, & puncti ad pũctum. Aliunde autem si cera liquefiat, & repleat totum vas, iam illa incipit correspondere totidem punctis vasis de novo, simul & præcedẽtibus. Ergo quia producuntur de novo in liquefactione seu rarefactione ceræ totidem pũcta, ac præcesserant. Alioqui enim non esset proportio locati ad locum, seu punctorũ & partium ceræ ad puncta & partes vasis, sicut erat antea. *Tertiò*. Si nanque eadem numero quantitas maneret in rarefactione & condensatione, solùmque variaretur penes maiorem aut minorem extensionem, iam posset quantitas propriè intendi ac remitti. quod est absurdum.

8 *SED Contrà I.* Falsò enim asserit hæc opinio in rarefactione desinere totam quantitatem præcedẽtem, & succedere aliam. Nihil enim desinere potest, seu corrũpi, nisi vel per corruptionẽ subiecti, vel per adventum contrarij, vel per defectum causæ conservantis, concursusve ipsius, vel tandem per ablationem alicuius termini per se connexi cum ipsà re. Atqui nullo ex prædictis modis corrũpitur in rarefactione præcedens quantitas. Non ad coruptionem subiecti: quia cũ hoc sit substantia, quæ ex vi motus alterationis accidentalis nõ desinit; neque etiã ab illo corrumpitur. Non etiam defectu causæ conservantis, aut concursus illius: quia si hic sufficit ad substantiam conservandam, sufficiet etiam ad conservandã quantitatem in eà receptam. Non per adventum contrarij: quia licèt quãtitas maior contrarietur minori quò ad terminationem, seu tantitatem, vt ita loquar; nõ tamen quò ad entitatem, secundùm quã nihil est quantitati contrarium: ideoque estò quãtitas in rarefactione amittat terminationem præcedentem; non tamen entitatem. Non denique defectu termini per se connexi: quia quantitas est accidẽs omnino absolutum, quod proinde non exi-

exigit alicuius termini ſpecificativi exiſtentiam. Nullo ergo modo deſtruitur per rarefactionem præcedens quantitas.

9 *CONTRA II.* Si per rarefactionem periret tota præcedens quantitas, periret quoque tota ſubſtantia materialis, cum eà neceſſariò connexa, vt ſtricta proprietas: convenit enim primò omni ſubſtantiæ materiali, ſoli, & ſemper. Atqui per rarefactionem deſtruitur tota ſubſtantia materialis præcedens. Aliàs enim cera & aqua rarefactæ deſinerent eſſe ſubſtantialiter eædē, ac antea. quod eſt contra omnem rationem ac ſenſum. Inſuper & rarefactis aut condenſatis accidentibus vini conſecrati, deſineret tota eorum quantitas, ac ſubinde Chriſtus deſineret eſſe in Sacramento: vtpotè ſolum in eo exiſtens quandiu permaneret ſubſtātia vini, ſi adeſſet, ſub eiſdem accidentibus. quod tamen abſonat à communi Fidelium ſenſu. Denique, cùm quantitas ſit ſubiectum immediatum cœterorum accidentium, pereunte illa ex deſitione ſubiecti, ſimul cœtera omnia perirent. Quare levi qualibet rarefactione aut cōdenſatione diſparerent ſubitò in cera, & aquà, alijſque pluribus omnia illa accidētia, quæ immediatè antea erant, quidquid ſenſus noſtri in oppoſitum teſtificentur, qui corrigi non debent, niſi adſit vrgens ratio. quæ in præſenti non eſt.

10 *CONTRA III.* Aut enim quantitas tota corrumperetur in primo non eſſe motus rarefactionis, aut ſucceſſivè, dum ſubiectum actu rarefit. At neutro modo. Non priori: quia cum ante primum illud non eſſe motus rarefactionis tranſacta fuerint infinita inſtantia, quibus materia iam facta fuerat rarior ac rārior, iam in ijs periſſet quantitas. Non etiam poſteriori modo: quia quidquid perit ſucceſſivè, non totum ſubitò perit, ſed gradatim, & per partes. Ergo ſi quantitas perit ſucceſſivè, in aliqua temporis particula peribunt aliquæ ſolùm partes, alijs permanentibus adhuc: proindeque ſi tunc ceſſet motus rarefactionis, non erit corrupta tota præcedens quantitas, quamvis rarefacta, ſed aliquid illius permanebit: quod opinio adverſa negat.

11 *NEQVE* Argumenta in oppoſitum adducta *num.7.* vrgent. *AD I.* dicimus, id quod rarefit, adquirere novam & maiorem extenſionem in ordine ad locum, quàm haberet antea: illam tamen maioritatem extenſionis non provenire ab aliâ numero quantitate, imò neque ab acceſſu novæ partis illius, vt infrà coſtabit; ſed ab eàdem quantitate præexiſtēte, prout affecta novo accidenti raritatis. Idemque proportionaliter dicendum de addenſatione. *AD II.* Reſpondebimus *ſect.3.* *AD III.* negatur ſequela: quæ pariter negari debet ab omnibus: cùm nemo non affirmet quantitatem augeri & minui, ac proinde ſuſcipere magis & minus; & tamen omnes negent illam intendi ac remitti. Itaque hoc ſtrictè & propriè ſumptum, vt accipitur ab Ariſt. *cap. de Qualitate*, eſt proprium qualitatis, & alienum à quolibet alio prædicamento; licèt aliqua illorum, & præcipuè quantitas, recipiant magis & minus. Verum de hoc pleniùs in Metaph. loco indicato.

12 *TERTIA* Aſſerit, rarefactionem fieri per additionem novæ quātitatis partialis, vltra præcedentem, & ſimul cum illâ manentem. Ita Scotus *in 4. diſt.12.q.4.* Philippus Faber *in 4. diſp. 40.* Pontius *diſp.26.q.4. concl.3.n.39.* Caietanus *3.p.q.77.ar.5.* Toletus *4. Phyſic.q.12.* & quidam alij. *Primò*: quia Ariſt. in definitione rari exſcripta *num. 2.* nomine *dimenſionis* communiter intelligitur loqui de quantitate; ita vt ſenſus ſit rarum eſſe quod habet parum materiæ ſub magnis dimenſionibus, id eſt, ſub magna quantitate; è contrà verò denſum. Ergo quia per rarefactionem adquiritur aliquid quātitatis vltra præexiſtentem, per condendēſationem verò deperditur. *Secundò*: quia in rarefactione ad ſenſum patet quantitas maiòr, ſicuti & maior extenſio, quàm antea. Ergo concedendum eſt novā quātitatem adquiri: quoniam nequit dari novus effectus formalis abſque nova formà. Extenſio autem illa maior & nova rei rarefactæ eſt novus effectus formalis quantitatis. Ergo nequit dari abſque quantitate novà. *Confirmatur*: Quoniam maioritatem materiæ colligimus à poſteriori ex maioritate quantitatis; & aliter non ſciremus quanta ſit cuiuſque rei materia, ſed liberum cuique eſſet dicere, modiciſſimam materiam eſſe ſub maxima quantitate, & è contrà. Ergo & maioritatem quantitatis colligere debemus à poſteriori ex maioritate extenſionis in ordine ad locum, quæ eſt in re rarefactà. Aliàs enim liberè quis dicere poſſet, minimam quātitatem in maximum locum diſtendi.

Ter-

Tertio denique à pari qualitatis, quæ intenditur per additionem gradus ad gradũ. Ergo & quantitas augetur per additionẽ partis ad partem.

13 *SED Contrà I.* Huic enim opinioni contradicit Ariſt. 4. *Phyſic. textu* 85. dum loquens de raritate & denſitate, ait: *Quare & ipſa moles ſenſibilis non ideo extenditur, aut conſtringitur, quia materies aliquid inſuper accipit, aut abijcit: ſed quia ipſa materies vtrumque ſubire poteſt.* Vbi & D. Thomas expreſsius adhuc reijcit eiuſmodi additionem, ſicut & S. Auguſtinus *vbi ſuprà*, & Damaſcenus *cap.* 12 *ſuæ Phyſicæ*, alijque communiter. Videturque eſſe contra omnium exiſtimationem: quia omnes, ſive docti, ſive indocti, tanti æſtimant liquores precioſos, & metalla rarefacta, ac denſa, eodemq; pretio illa emũt ac vendunt. Quo planè ſupponunt, nihil ampliùs quantitatis eſſe in ijs rarefactis, quàm denſis. Deinde & in maſſa metalli rarefacta difficillimè aſsignabitur, quænã particula quãtitatis addatur, ſicut & in condenſatà quænam detrahatur. Verùm præter has rationes, quæ fortaſſe minoris ponderis apparebunt,

14 *CONTRA II.* Aut enim Adverſarij ita ſuam opinionem exponunt, vt cenſeant ſimul cum parte nova quantitatis rarefactæ produci novum ipſius ſubiectum, ſcilicet, novam partẽ materiæ, aut non? Primum eſt apertè falſum: quia pars nova materiæ ſolùm produci poteſt à Deo per creationem, non autem a cauſa ſecundà rarefaciente: nec Deus aliquid materiæ creaſſe exiſtimatur poſt primã Vniverſi conditionem. Nec præterea dici poteſt aliam materiæ partem iam præſuppoſitam, advenire ab extrinſeco rei rarefactæ. Hoc enim infra reijciemus *ſect.* 3. Ergo ſecundum eſt dicendum, ſcilicet, non produci novum ſubiectum, ſeu partem materiæ; ſed potiùs eidem materiæ præexiſtenti ſuperaddi novam quantitatis partem. Hoc autem eſt abſurdum: quia inde ſequitur apertè, aut partẽ quantitatis noviter advenientem penetrari cũ præcedentibus in eàdem ſubiecti parte; aut eandem partem quantitatis migrare de ſubiecto in ſubiectum. quorum vtrũque naturaliter repugnat.

15 *ASSVMPTVM* Hoc, ſive ſequelam probo multipliciter. *Primò*, & ex parte quantitatis. Aut enim tota quantitas præcedens remanet in tota materià, & ſingulæ partes in vnaquaque parte, ſicut antea; & ſic pars nova quantitatis ſubintrans erit ſimul cum aliqua partium præcedentium in eàdem parte materiæ; ac proinde penetrabitur cum eà. Aut aliqua pars quantitatis præcedentis ſecedit in aliam materiæ partem, vt det locum parti novæ quantitatis advenienti; & ſic prior illa migrabit planè de ſubiecto in ſubiectum: immò & penetrabitur cum aliqua præcedentium partium; quia oportebit ſimul aliquas illarum eſſe in eàdem parte ſubiecti. *Secundò*, & ex parte materiæ. Supponimus enim totam materiam permanſiſſe extenſam ſub totà quantitate, & quamlibet eius partem ſub aliquà parte quantitatis ſibi correſpondente & proportionata. Ergo materia ipſa, nec in ſe tota, nec in aliquà ſui parte, recipere poteſt partem novam quantitatis advenientis, niſi per coniunctionem ipſius in eodem ſubiecto cum partibus præcedentibus; in quo conſiſtit penetratio; vel per receſſum alicuius partis materiæ ab omnibus partibus præcedentis quantitatis, vt in ſe recipiat novæ quantitatis partem. Quo fiet, vt pars quantitatis præexiſtens in illà, tranſeat in aliam materiæ, ive ſubiecti partem, ſimulque penetretur cum parte quantitatis in eo exiſtente. Porrò idẽ argumẽtum proportionaliter fieri poteſt de condẽſatione: quia ſi vi illius deperditur pars quantitatis, manente interim tota materia, vt antea, pars aliquà materiæ manebit ſine parte aliqua quantitatis, aut ſimul cum alia materiæ parte ſubijcietur eidem quantitatis particulæ præexiſtenti, quæ proinde migrabit de ſubiecto in ſubiectum. quorum vtrumque abſurdum eſt. Vt omittam, inde ſequi, quòd agens naturale condenſans quantitatem operetur per ſe deſtructionem partis ipſius, ſi præter diminutionem illius partis non aſſignetur aliquis poſitivus terminus.

16 *CONTRA III.* Si enim rarefactio ex parte termini formalis addit novam partem quantitatis, vix, aut ne vix quidem diſtinguetur ab augmentatione, quæ etiam ad novam quantitatis partem formaliter terminatur, ſive ad quantitatem maiorem præexiſtenti; vti & rarefactio in ſententia adverſa. Conſequens autem falſum eſſe, vel ex eo patet, quod nulla augmentatio habens rationem ſtricti motus ſine nutritione propria eſſe poſſit, nec convenire, niſi ſubiecto viventi,

vt

vt *diſp.* 53. oſtenſum eſt; cum tamen rarefactio paſsim accidat ſine nutritione propria in metallis & liquoribus inanimatis.

17 *CONTRA IV.* Sequitur enim ex oppoſito, Chriſtum D. fore ſacramentaliter præſentem in parte aliqua quantitatis non conſecratæ; ſi, nimirum, quantitas panis, aut vini iam cõſecrata rarenat, vt contingere ſolet, aut poteſt. Nemo enim, quantum aſſequor, audebit dicere, in tota illà non manere præſentem Chriſtum, ſicut à principio conſecrationis. Conſequens autem abſurdum eſt, quidquid neget Quiros *diſp.* 72. *ſect.* 2. *n.* 7. Cũ enim nova illa pars quantitatis nequeat accreſcere ſine nova parte materiæ, cuius eſt paſsio, neceſſum foret vt Chriſtus exiſteret totus ſacramentaliter in particula nova quantitatis inhærente proprio ſubiecto. Quare non tota quantitas Euchariſtica eſſet ſeparata à ſubiecto, vt Fides docet, ſed ex parte eſſet proprio ſubiecto coniuncta, daretur que verè *impanatio*, ſive coniunctio ſubſtantiæ panis & ſubſtantiæ Chriſti, olim ab aliquibus excogitata, & ab Eccleſia proſcripta. Quæ ratio potiſsimùm vrgere poteſt Pontium, alioſque ex Adverſarijs, aſſerentes in rarefactione non adquiri novam quatitatis partem abſque nova parte materiæ, ſive ſubiecti. Neque alicuius eſt momenti quod idem Quiros opponit in calore novo quãtitatis conſecratæ, ſub quo Chriſtus poſtea præſens eſt ſacramentaliter, cùm tamen præſens ipſi à principio non fuerit. Contrà enim eſt, quod calor ille non indiget alio ſubiecto, quàm ipſa quantitate conſecratà & præexiſtente, quæ eſt ſubiectum cæterorum omnium accidentium alterius rationis, ſive præcedentium, ſive conſequentium; non verò alterius quantitatis, nec totalis, nec partialis. Quare licèt in ſe poſsit recipere novum calorem, aut frigus, aut calorem, aut figuram, non tamen quãtitatem novam, aut illius partem.

18 *IAM* Vero argumentis prædictæ opinionis facilè occurritur. *AD I.* ex Ariſt. infrà *ſect.* 3. conſtabit, materiam eſſe ſub magnis dimenſionibus non eſſe idem, ac eſſe ſub quantitate pluribus partibus conſtante, quàm antea; ſed ſolùm affectà novo aliquo accidenti, quo poſito occupet maiorem locum, quàm priùs, abſque vlla partium ſuperadditione. *AD II.* occurremus eodem loco, & pariter ad illius confirmationem. *AD III.* Quidquid ſit de veritate antecedentis, & eo pro nunc admiſſo, negatur conſequentia propter vtriuſque diſparitatem: quæ conſiſtit in hoc, quod in eà ſentẽtià licet qualitas habeat partes, ex quibus perfectio ipſius intenſiva conſurgit, adhuc illæ nequeant ſecundùm entitatem ſuam ineſſe ante intenſionem: alioqui enim lignum v.g. dum dicitur exiſtere ſub ſex gradibus frigoris, & duobus caloris, iam eo ipſo haberet octo caloris gradus quò ad totam realitatem; ac proinde ſimul eſſet cum forma ignis, quæ naturaliter annexa eſt calori vt octo: cuius oppoſitum conſtans apud omnes eſt. At verò quantitas præexiſtens quò ad omnes ſuas partes condẽſata, poteſt evolvi & explicari magis, ac diſtendi in ampliorem locum; quia partes ipſæ talis naturæ ſunt, vt abſque vllà repugnantia, vel abſurdo, poſsint ſub condenſatione latere, & poſtea in rarefactione ſe prodere. Quod qualiter fiat, infrà *ſect.* 3. conſtabit.

SECTIO SECVNDA.

Aliæ Recentiorum ſententiæ circa eandem difficultatem referuntur & improbantur. Vbi de punctis inflatis, & corpuſculis interiectis.

19 *QVARTO* Alij volunt indiviſibilia quantitatis continuæ eſſe mathematicè diviſibilia, & inflata in ordine ad locum diviſibilem, vt vidimus in Phyſica *diſp.* 36. ideoque aiunt, in rarefactione inflari puncta, & proinde occupare ampliorem locum, quàm in condenſatione, quin aliquod illorum accreſcat, vel aliqua nova pars ſuperaddatur quantitati præexiſtenti.

20 *VERVM* Opinio hæc impugnari facile poteſt iiſdem argumentis, quæ allegato loco *ſect.* 2. & 3. propoſuimus adverſus illam, & in præſenti repetere non oportet. Et præterea refellitur, vt ad præſens attinet, *Primò*: quia ſi Authores eius opinionis inveniunt difficultatem inſuperabilem in eo quòd eadem quantitas, phyſicè diviſibilis & extenſa, abſque partium additione (iuxta ſententiã Ariſt. de compoſitione continui) occupet in ra-

re-

refactione maiorem locum, quàm antea; cur non inveniunt æqualem, imò & maiorem contradictionem in eo, quod punctum physicè indivisibile & inextensum, occupet in rarefactione locum maiorem, sive extensum & divisibilem? Si id quod physicè inextensum est, inflari potest; cur non etiam id, quod est physicè extensum? *Secundò*: Quia ex adversa opinione infertur quantitatem eo difficilius secandam fore, quo rarior fuerit. cuius oppositum demonstrat assidua & cuique facilis experientia. Sequelam probo: Quoniam si in raro indivisibilia distenduntur & occupant ampliorem locum, facilius erit, vt ictus gladij attingant eadem indivisibilia, seu dirigantur qua parte illa extenduntur, quam si restricta essent sub condensatione. Ergo cùm eadem indivisibilia, qualitercunque fingantur, nequeant reipsa secari per medium, quantitas rarefacta difficilius secari posset, quam condensata. Vnde & fortior esset, atque aptior defensioni clypeus, galeave ex cera liquefactâ & rara, quàm ex chalybe duro ac denso. *Tertiò*: Quia cùm extensio maior quantitatis rarefactæ sit tam evidens & sensui patens, mirum esset quòd indivisibilia pariter non paterêt, si ab ijs inflatis, vt à ratione formali, proveniret maior extensio. Credo autem, Adversarios nunquam sensibus percepisse indivisibilia turgida quantitatis rarefactæ, nec si lynceis oculis prædi ti sint. *Quartò*: Quia quemadmodum idem quantum, palmare v.g. rarefactum, & positum ex vna parte tantũ iuxta ignem, ardet, & ex altera nõ ardet; sic etiam vn cum indivisibile inflatum, ipsius, positum ex vno latere iuxta ignem arderet, converteretuŕque proinde in ignem; & ex altero latere non arderet, nec converteretur in ignem. quod sanè esset speciosum miraculum.

21 *QVINTA* Opinio recurrit ad novas partes quantitatis rarefactæ, nõ quidem noviter productas, sed denuo subintrantes per poros rei rarescentis, quas appellat solemnia corpuscula. Quare & condensationem fieri asserit per evacuationem, vel discessum eiusmodi corpusculorum. Ita Ochamus *Opusc. de Eucha.* Vallesius 4. *Physic. & controv.* 77. Oviedo *controv.* 7. *puncto* 5. Tellez *disp.* 73. *sect.* 2. Suarez Iunior *in præsenti disp.* 3. *n.* 311. Præcipuum argumentum huius opinionis desumitur ab experimento, quod manifestum iudicat Tellez. Cùm enim aqua per ignem rarefit, intumescit, & dilatatur occasione bullarum, quæ in eâ apparent, plenarum aere; qui eò amplius subintrat, quò magis aqua calore dissolvitur. Ergo rarefactio fit in aquâ per aerem subintrantem. *Secundò* suaceatur: quia quò res alia densior est, eo pauciores poros habet; quoniam est magis vnita, ac minùs discontinuata: è contra autem quò rarior est, plures poros admittit ob rationem oppositam. Ergo raritas fit per admissionẽ corpusculorum intra poros. Quare & experimentis constat, aquam gelidam præ fluida excludere poros ratione densitatis maioris, & similiter spongiam compressam præ soluta; ac vitrum omnibus poris carere, quia perfectè densum est.

22 *SED Contra I.* Quoties sanguis intra animal rarefit, non admittit corpuscula subintrantia: quia sic discontinuaretur pars vna sanguinis ab alia, ac proinde non informaretur ab anima, quæ solùm informat vnicum corpus continuum. Idemque argumentum fieri potest de omnibus ijs, quæ ab animâ informantur, quæcunque ea sint, dum rarefiunt. Ergo vera rarefactio dari potest absque subintrantium corpusculorum admissione. Si autem respondeas, ad informationem animæ sufficere continuationem secundum aliquod latus, quæ adhuc manet in sanguine rarefacto dum discontinuatur ex alio latere; in oppositum est, quod si solũ versus vnum latus discontinuatur sanguis, & non ex omni parte, nullatenus occupabit ampliorem locum, prout ad rarefactionem exigitur; sed tantundem spatij implebit, ac antea, quam vis obliquà, aut non æquè directa vel planâ extensione. *CONTRA II.* Si magna quælibet rarefactio lactis v.g. peragatur intromissione corpusculorum, ita vt lac occupet duplũ spatij, quam antea; profectò corpuscula in lacte apparebunt, non minus, quam ipsum lac; vtpotè æqualem extensionem spatij & visibilis figuræ habentia. Atqui oppositum experimento patet: cùm nemo in lacte rarefacto eiusmodi corpuscula deprehenderit, nec si lac ampliorem triplò occupet locum per rarefactionẽ. *CONTRA III.* Intromissio enim corpusculorum omnino peraccidens se habet ad rarefactionem: nam quoties vino miscetur aqua vinum admittit plura aquæ corpuscula subintrantia in ipsum: & tamen nemo dicet,

eam

eam mixtionem eſſe rarefactionem veram.

23 *CONFIRMANTVR* Multipliciter impugnationes præiactæ ab experimentis. Ova enim & caſtaneæ, ſi applicentur ad ignem, addenſantur, ideoq; & poſtea franguntur. Atqui addenſatio eiuſmodi nequit fieri per extramiſſionem corpuſculorum, quam cortices ſolidi omnino, & poris cadentes impediebant. Ergo addenſatio non fit per extramiſſionem corpuſculorum. Eadem verò ratio eſt, vt ſi ova & caſtaneæ rarefiant, nullatenus admittant intra ſe corpuſcula provenientia ab extrinſeco, quia id prohibēt cortices. Igitur nec rarefactio conſiſtit in admiſsione corpuſculorum. *Deinde*, dum exploditur bombarda, pulvis ſulphureus rarefactionem ſubit. Dilatatur enim in ingentem flammam, quæ impatiens anguſti loci, vehementiſsimo impetu quærit amplius ſpatium, ideoque pilam plumbeam in ictu ferè oculi eructat in diſsita loca. Atqui in ea rarefactione intra ipſum bombardæ tubum, vix, aut ne vix quidē aſsignari poſſunt corpuſcula, quæ ſubintrent. *Præterea*, in vaſe vitreo aquâ pleno idipſum conſtat. Si enim aqua in eo congelata addenſetur, proindeque minorem occupet locum, vas frangitur ob periculum vacui, quod imminebat in loco relicto ab aqua. Si autem eſſent corpuſcula, quæ extramitteret aqua in ſui condenſatione, nullum foret vacui periculum: nam corpuſcula eadem rarefacta implerent quidquid ſpatij ab aquâ relictum eſt. Idemque apparet in cucurbitulis accenſis infirmo applicatis, quoties aer intra eas rarefactus paulatim addenſatur tepeſcente calore, & proinde contrahitur ad minus loci ſpatium, intumeſcente carne ad replendum locum ab aere relictum. Quod certè nō fieret, ſi intra aèra præexiſtiſſent corpuſcula, quæ extramiſſa ſufficerent ad replendum illud ſpatium.

24 *DENIQVE* Reijcitur à priori ex definitione caloris, *qui congregat homogenea, & ſegregat heterogenea*; ac frigoris, quod è converſo *cōgregat heterogenea, & diſgregat homogenea*: vt ex communi Philoſophorum conſenſu cum Ariſtot. videbimus infrà *diſp.* 59. *ſect.* 1. Ergo calor dum rarefacit plumbum v.g. media liquefactione, magis ac magis congregat partes illius homogeneas, ac proinde excludit intromiſsionem corpuſculorum ab extrinſeco provenientium, & eidem congregationi oppoſitam: ſimiliterque frigus addenſans poſtea idem plumbum, magis ac magis diſgregat eaſdem partes, ac proinde non extramittit corpuſcula, quæ potiùs retenta deſervirēt maiori ipſarum diſgregationi.

25 *IAM* Verò argumentis *num.* 21. propoſitis occurrimus. *AD I.* Nego bullas aquæ ferveſcentis provenire a rarefactione; quoniam & in aqua valde frigida, ac proinde addenſata inveniri poſſunt, ſi veſicæ aere plenæ in eam intromittantur. Quare bullæ non ſunt aqua rarefacta, ſed tumores quidam conflati ex aere & aqua, ſive frigida, ſive calida; qui non ſufficiunt ad veram rarefactionem. Sic neque rarefieri dicitur vter quādo impletur aere; nec os hominis quoties attracto nimio aere intumeſcit; nec vinum quoties ipſi admiſcetur aqua. *AD II.* Fateor in corpore denſo eſſe pauciores ac minores poros, quàm in raro, communiter loquendo, quidquid alij negent: non tamen per ſe loquendo, & ex vi ſolius raritatis, aut denſitatis. Nam ignis elementaris ſupra totam regionem aèris exiſtens, rariſsimus eſt, vt *diſput.* 58. apparebit: & tamen nullos poros habet, ſicut nec corpuſcula circunſtantia, à quibus ij implerentur, ſi ibi eſſent; quoniam in regione ignis, præſertim ſuprema, & iuxta ipſum Lunæ orbē, nulla corpuſcula peregrina, aut diſtincta ab igne, inveniūtur, ſaltem communiter loquēdo. Quare vniverſim aſsignari debet alia formalis ratio vnde proveniat rarefactio & condēſatio, quàm admiſsio corpuſculorū intra poros, & reiectio eorūdem. Plura alia pro eadem opinione ab exquiſitis experimētis ſibi objicit & ſolvit Sancta-Crucius *in præſenti lib.* 1. *diſp.* 1. *à n.* 190. quæ brevitatis cauſa prætereo.

26 *SEXTO* Alij docent, raritatem eſſe vbicationem magis extenſam; denſitatem verò eſſe ipſam vbicationem minùs amplam, ſeu magis coarctatam. Pro qua opinione idem Sancta-Crucius refert Petrum Garcia, & Caprianum, allegantes pro ſe plures alios ex Antiquis, quibus adhæret Fuente Hurtado *d.* 26. *SED Contrà* eſt argumentū commune, & efficax: quia duæ res poſſunt habere æqualem vbicationē, & tamen non habere æqualem raritatem, aut denſitatem, ſed altera eſſe nimiùm rara, & altera valde denſa.

Ergo raritas & densitas non consistunt in vbicatione ampla aut restricta, nec raritas præ densitate sita est in vbicatione ampliori. Consequentia patet, & antecedēs constat in duobus vasis omnino æqualib⁹, quorum alterū plenum sit aqua frigida, ac proinde densa; alterum verò calida, atq; adeò rarefacta. quo casu vbicatio vtriusque aquæ est æqualis; cùm tamen altera aqua præ alia raritatem habeat, altera dēsitatem. Deinde Christus D. in Eucharistia habet quasdā partes alijs rariores, vt sanguinem præ ossibus: & tamen ibi nullam vbicationem, seu extensionem in ordine ad locum habet, vt communis Theologorum censio est.

SECTIO TERTIA.

Rarefactionem & condensationem, tam ex mente Arist. & D. Thomæ, quàm reipsa, esse species alterationis, tendentes ad raritatem & densitatem, tanquam ad species passibilis qualitatis. Obiectiones difficiles in oppositum expediuntur.

37 QVANDOQVIDEM Tot aliorum opiniones reiectæ sunt, restat vt veriorem assignemus. Quod potissimùm pendet ex natura raritatis & dēsitatis. Si enim vtraque sit aliquid spectans ad prædicamentum quantitatis; tā rarefactio, quàm condensatio, erit motus ad quantitatem, qui non videtur posse ab augmentatione & diminutione distingui. Si autem vtraque sit vera qualitas, tā rarefactio, quàm condensatio, erit motus per se ad qualitatem; atque adeò recensebitur inter species alterationis, quę sola ad qualitatem terminatur per se. Porro incertum apparet, an iuxta mentem Aristotelis raritas & densitas spectent ad prædicamentum qualitatis, an potiùs quantitatis; quoniam modò alterum horum, modò alterum, diversis locis docere videtur, sibiq́ue contradicere. At probabilius censeo, ex mēte ipsius, vtrāque secundùm rationem primariam & essentialē, esse duplicem speciem qualitatis sensibilis, & terminare per se alterationē: quia *lib. 7. Physic. cap. 2. textu* 11. arguens ab inductione sensibilium qualitatum alterationem terminantium, inter eas collocat raritatem & dēsitatem. Idēq́ue docet *lib. 2. de Part. Animæ c. 1.* & insinuat 1. *Phys. text.* 49. Quare restat, vt in alijs locis, vbi id negare videtur, locutus sit de vtraque, non secundū rationē primariam & essentialē, sed secundariā, & notiorem, dilatationis & constrictionis partiū: quo sensu magis ad quantitatē, quàm ad qualitatem, spectant. Ideoque non erit opus exscribere varia ipsius testimonia, quæ pro vtràque parte assignari, & paginas onerare solent.

28 *PORRO* S. Thomas, hoc sensu Aristot. accepit ac secutus est varijs locis, quæ affert Alamanius *in præsenti q. 37. ar. 1.* Præsertim verò dignū notatu est testimonium ipsius *hoc lib. 1. lect. 14.* vbi ita loquitur: *Si aer rarefiat, vel condensetur, talis transmutatio non potest proprie dici augmentum, sed alteratio. Fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet, rari & densi.* Ac præterea 3. *part. q. 77. art. 2. ad 5.* hæc habet: *Rarum & densum sunt quædam qualitates consequentes corpora ex hoc quòd habent multum vel parum de materia sub dimensionibus.* Quibus planè constat, ipsum sensisse raritatem & densitatem non terminare per se motum augmentationis, sed alterationis; effecq́ue passibiles qualitates. Ideoq́; alijs locis, vbi insinuat vtramque spectare ad quantitatē, intelligendus est de ijs penes rationē præsuppositam, aut secundariam. Vnde & eidem sententiæ subscribunt plurimi, quos allegant & sequuntur Conimbricenses *in præsenti c. 5. q. 17. art. 1.* & ex Thomistis Capreolus *in 2. dist. 19. q. 1. ar. 3.* Soncinas *7. Metaph. q. 27.* Complutens. *disp. 7. q. vnica*, alijque communiter. Ex PP. Societatis, post Toletum, Fonsecam, Rubium, & Conimbr. allegatos, Hurtado *d sp. 4. sect. 4. & 5.* ac Sancta-Crucius *vbi suprà à n. 187. & 189.* vbi plures alios refert. Ex alijs Lallemandet *disp. 10. p. 8. à n. 29.* & Averla *q. 38 sect. 5.* Porrò apud Complutenses loco relato videri possunt testimonia Arist. ac D. Th. in oppositum afferri solita, quæ ipsi opportunè explicant.

29 *IDIPSVM* Probatur ratione desumpta ex Arist. locis præindicatis, alijsque pluribus, quæ toto hoc Opere allegavimus, præsertim *disp. 32. Physicæ.* Omnis enim motus strictè dictus terminatur per se ad solā quantitatē, qualitatē, & *vbi*. Atqui rarefactio ex cōmuni sentētia est motus strictè dict⁹: siquidem in eo cōcurrent omnes cōditiones requisitę, & ibidē enumeratæ ad strictū motū, vt constabit expendēti singulas. Ergo cū non terminetur per

per ſe ad quãtitatem, neque ad vbi, vt ſectionibus præcedentibus eſt oſtenſum, ſupereſt vt per ſe terminetur ad qualitatẽ. Aliunde evidens eſt terminari per ſe ad raritatem. Ergo raritas vera qualitas eſt. At nõ quælibet qualitas, ſed ſenſibilis, & perceptibilis medio tactu, qui percipit in cera v.g. raritatem, ſicut & denſitatem. Ergo raritas, ſicut & denſitas, eſt quædã ſpecies qualitatis ſenſibilis. Quæ proinde accẽſeri debet tertiæ qualitatis ſpeciei, ſcilicet, paſsioni aut paſsibili qualitati, vt accenſetur ab Ariſt. loco indicato ex 7. *Phyſ.*

30 *DICES*: In corporibus cœleſtib⁹ eſt raritas, quà parte diaphana ſunt; & dẽſitas, qua parte ſtellas ac Planetas exhibẽt, vt conſtabit ex dicendis *tract. de Cœlo*. Atqui in ijs nulla qualitas eſt, nec quatuor primarum, vt *ibidem* ſtatuemus; nec ex primis orta, vt patet. Ergo raritas & denſitas per ſe loquendo, & ſecundùm eſſentialem rationem, non ſunt qualitates. *RESP.* admiſſa maiore, negando minorẽ: quia quemadmodum lux cœleſtis eſt vera qualitas, licèt non ſit aliqua ex quatuor primis corporum inferiorum, neque ex ijs orta; ita etiam cœlorum raritas, & denſitas, veræ qualitates ſunt, quamvis nec recenſeantur inter quatuor primas inferiores, nec ex ijs oriantur, ſed habeant nobiliorem originem ex propriâ natura cœleſtium corporum. Addo vlteriùs, eſto raritas denſitaſque cœleſtis ſint eiuſdem ſpeciei cum ſublunaribus, adhuc locum eſſe, vt ſublunaris raritas præ cœleſti ſit cauſa levitatis & mollitudinis, denſitas verò gravitatis & duritiei, iuxta doctrinã Ariſt. 4. *Phyſic. c. 9. text.* 85. Poteſt enim eadem ſpecie raritas ac dẽſitas in corporibus ſublunaribus inferre effectũ aliquem ſpecialem, quẽ non præſtat in cœleſtibus & ſuperioribus; idque pro ratione ac diverſitate ſubiectæ materiæ. Sic lux cœleſtis apud nos cauſat formalem calorem, quẽ tamen non efficit in corporibus cœleſtib⁹ vtpotè naturâ ſua incorruptibilibus.

31 *EX* Doctrina præiacta inferuntur nonnulla, quæ plenæ definitioni huius controverſiæ deſerviunt. *Primum* eſt, effectum formalem primarium raritatis ac denſitatis non eſſe maiorem minorẽve præſentiam localem: quia hæc ſpectat ad Prædicamentũ *Vbi*, adæquatè diſtinctum à Prædicamento Qualitatis, ſub cuius tertia ſpecie continentur raritas & denſitas. Quippe effectus formalis primarius poſitivuſque formæ non diſtinguitur adæquatè ab ipſa forma; ac proinde nequit ſpectare ad Prædicamentum adæquatè diverſum. *Secundum* eſt, rarum & denſum quatenus talia, & in recto, nõ importare aliquid pertinens directè ad idem Prædicamentũ *Vbi*, vel ad aliud Quantitatis; quoniam rectum ipſorum eſt vera qualitas, adæquatè diſtincta ab vtroque Prædicamento. *Tertium*, idque maximè notandũ, maiorem illam vbicationem, quæ naturaliter comitatur raritatem, non eſſe effectum ipſius, adhuc ſecundarium, in genere cauſæ formalis; ſed diſpoſitivæ tantùm. Solius enim quantitatis eſt præſtare ſecundariò in genere cauſæ formalis extenſionem in ordine ad locum, ſicut & primariò in ordine ad ſe. Quare raritas ſolùm diſponit, vt quantitas abſque ſui additione ampliorem occupet locum; ſicut & denſitas, vt minorem, abſque diminutione entitatis. Tritum enim apud Philoſophos eſt, vt eadem forma varijs diſpoſitionibus affecta præſtet diverſos effectus; tum activè, vt eadem lux Solis in luto & cera; tũ formaliter, vt eadẽ anima prout affecta diverſis organis in ordine ad præſtandum diverſos gradus, & idem calor, qui ſuperadditione ſolùs modi diverſi, ac ſolùm diſpoſitivè concurrentis, conſtituit ſubiectum magis calidum, aut minùs calidum: vt ex Metaphyſica ſuppono.

32 *OBIICIES*: Inter quãlibet rẽ & ipſius paſsionẽ debet eſſe æqualitas, ſeu proportio. At extenſio in ordine ad locũ eſt paſsio extenſionis in ordine ad ſe, conſtituentis eſſentiã quãtitatis. Ergo debet eſſe inter vtrãque æqualitas, ſeu proportio. Ergo ſi in rarefactione extẽſio in ordine ad locũ fit maior, quã antea; etiã extenſio in ordine ad ſe fiet maior; ac proinde quãtitas fiet entitativè maior in rarefactione, quæ eſt doctrina tertiæ opinionis ſuprà impugnatæ. *RESP.* conceſſo ſyllogiſmo toto, negãdo ſecundã conſequentiã: quia extẽſio in ordine ad ſe, quatenus affecta raritate ſuperveniente, vt diſpoſitione, iã habet ſufficientẽ proportionem cũ illa maiori extenſione in ordine ad locũ, quin vlteriùs ſit neceſſum eidẽ acreſcere quidquã entitatis. Sic etiã qualitas ſecundũ ſe nõ habẽs poſitivè præſtare effectũ formalem in gradu intenſo, ſed ab illo præſcindens, redditur proportionata ſufficienter ad præſtandũ illum, acceſsione ſola alicuius modi diſponentis ad effectum intẽſiorem.

33 *INSTABIS*: Ergo similiter modica substantia materialis posset existere sub magna quantitate, per solam additionem alicuius modi supervenientis: quia sicut extensio in ordine ad locum est passio quantitatis, seu extensionis in ordine ad se; ita & quantitas est passio substantiæ materialis; ac proinde inter se collatæ æqualem exigunt proportionem. Consequens autem absurdum videtur: quia sic posset modicissima materia esse sub magna quantitate, incertique essemus, an materia formicæ, aut culicis, esset tanta, ac materia elephantis. *RESPOND.* Negando consequentiam: quia inter materiam & quantitatem nullum accidens mediat, sed quantitas est primum accidens absolutum materiæ, cum quo illa debet omnino proportionari, absque necessitate alicuius dispositionis distinctæ. At verò inter quantitatem & extensionem in ordine ad locum mediant alia accidentia, vt durities & mollities, raritas & densitas, pluresque aliæ qualitates enumeratæ ab Arist. 7. *Physic. textu* 11. Vnde ratione raritatis aut densitatis interiectæ potest eadem quantitas habere maiorem aut minorem extensionem localem, dispositivè ab ijs provenientem, formaliter verò ab ipsa quantitate: qua non aliter infert effectum secundarium localis extensionis, in mensura determinata, quàm prout affecta his vel illis dispositionibus.

34 *VRGEBIS* Multipliciter. *Primò*, quia nequit produci nova & maior proprietas, absque nova & maiori essentia; neque novus & maior effectus secundarius absque novo & maiori primario. Atqui extensio localis est proprietas & effectus secundarius quantitatis. Ergo nequit produci in rarefactione nova & maior extensio localis, quin producatur nova & maior quantitas. *Secundò*, quia si potest eadem quantitas palmaris ceræ v. g. habere extensionem bipalmarem absque sui additione entitativa, poterit etiam sine illa habere aliam quantumlibet maiorem, vt suprà *n.* 12. arguebant Authores tertiæ opinionis. Vnde nec certi esse possemus, an corpus valde magnum haberet plus quantitatis, quàm valde exiguũ: quia id solùm à posteriori dignoscere possumus, ratione maioris, vel minoris extensionis localis. *Tertiò*, quia in casu illo adducto pro secundâ opinione *n.* .vbi cera præexistens dẽsa in medietate vasis, rarefit & occupat totum vas, adquirit planè nova puncta, ac proinde novas partes quantitatis: quia aliter punctum vnicum ceræ responderet simul pluribus punctis loci, seu vasis continentis, esset que simul ijs præsens immediatè: quod est impossibile. Similiterque cera eadem rarefacta, quæ priùs erat in medietate vasis, tanquã in loco adæquato, erit simul postea in alia vasis medietate, ac proinde eodem tempore in duobus sibi adæquatis locis. *Quartò*, & cohærenter, vbi eadem cera rarefacta condẽsatur, & restringitur ad medietatem vasis, vna pars penetrabitur cum alia: quia simul cũ illa occupabit medietatem loci præcedentis ac duplò amplioris. Penetratio autẽ est naturaliter impossibilis, vt in *Physica disp. 25 sect. 6.* statutum est.

35 *HÆC* Tamen, quamvis difficilia, non vsq; adeò vrgent, ac quidã ex Adversarijs volũt. *AD I.* Nequit produci maior aut nova proprietas sine nova ac maiori essentia, nec novus & maior effectus secundarius absque novo & maiori effectu primario; distinguo maiorem: & si intelligatur de novitate & maioritate, aut entitativa, aut explicativa; cõcedo. Si autem de entitativa solùm; nego. Quippe vtrovis modo potest fieri nova ac maior essentia, quam antea: aut adquirendo novam partem entitatis, vt fit in nutritione & augmentatione; aut novam explicationem eiusdem essentiæ præexistentis in ampliorem effectum secundarium, vt in rarefactione accidit; idque ob rationem *n.* 33. indicatam: quia, scilicet, eadem quãtitas constans partibus antea convolutis, & veluti constrictis, potest subire novã dispositionem raritatis, & prout affecta ab illa explicari ac distendi in locũ ampliorem. Alioqui oporteret superaddere non modò particulã quantitatis quando hæc rarefit, vt Adversarij volunt; sed etiã quãtitatem centuplò maiorem, sicuti & materiã, quoties parum pulveris sulphurei accenditur, & centuplò magis dilatatur, quàm antea.

36 *AD II.* Nego sequelam: quia quælibet substantia materialis in rerum natura existens, sicut habet determinatam ac certã quantitatẽ; ita & raritatem, vel dẽsitatẽ. Vnde non potest extendi localiter absq; termino, sed solùm in determinata mensura, & secundũ quòd maiori aut minori raritate afficitur: quę in cera liquefacta vix disponere videtur ad duplicatã loci extẽsionẽ; in pulvere autẽ sulphureo, vbi accen-

accenditur, diſponit ad extenſionem localem incomparabiliter maiorem; certã tamen, & proprio termino definitã. Cum hoc tamẽ cohœret, vt certi eſſe poſsimus frequenter de maiori quãtitate vnius rei, quã alterius: quia communiter loquendo quantitas maiorem locum occupans, maior etiã in entitate eſt; niſi ob ſpecialem ipſius conditionẽ, aut propter evidens experimentũ, deprehendatur eſſe minor. Et ſanè obiectio retorqueri poteſt in Adverſarios, ſive ponentes novã quantitatem, ſive ampliorẽ præſentiã localẽ, vt terminũ rarefactionis. Tenẽtur enim dicere cur nõ poſsit res valde exigua vltra aliã valde magnã ſubire incrementũ, aut extẽdi localiter abſq; termino, mediã rarefactione.

37 *AD III.* etiam reſpondere debent quotquot ex Adverſarijs autumant in rarefactione non addi novã partẽ materiæ, ſed quantitatis ſolius. Etenim de indiviſibilibus materiæ poſitis ſub quantitate fieri poteſt eadẽ obiectio, vrgeriq́ue: quoniam apparet impoſsibile quòd idem materiæ indiviſibile reſpõdeat modò vnico indiviſibili quantitatis ac loci, modò duobus ſimul. Nos verò dicimus non eſſe neceſſariã omnimodã loci & locati correſpondentiam, & commenſurationem quo ad partes & puncta, niſi vbi æquali raritate aut denſitate afficiuntur. Nã ſi inæqualiter illam ſortiantur, vt in caſu obiectionis, poteſt dari cõmenſuratio ſola & correſpondentia quò ad partes & puncta determinata, ac deſignabilia; ſecus verò quò ad partes & pũcta indeterminata, atque exiſtentia quaſi ſub involucro quãtitatis ipſius. Cũ enim corpus denſũ habeat plus materiæ & quãtitatis, quã rarũ; oportet vt in eo ſint convolutæ plures partes, ſubinde plura indiviſibilia, quàm in raro: ac proinde neceſſum eſt, vt quoties corpus denſum rarefit, partes illius confuſæ, & puncta priùs convoluta, explicentur ac dilatentur in amplius ſpatiũ, quàm præcedens. Quare in caſu obiectionis nunquam evenit, vt eadẽ numero indiviſibilia cerę rarefactæ occupent ſpatiũ vaſis duplò maiùs, quã antea; vel quod ſimul in pluribus loci indiviſibilibus ſint: ſed ſolum accidit, vt partes & indiviſibilia, quæ priùs cõvoluta & quaſi in confuſo erant, evolvãtur, & ſubinde dilatentur ad vnicũ ſpatium illud loci, quod antea non occupabant. Cui doctrinæ illuſtrandæ plura dedimus in Phyſica *diſput.* 41. *à num.* 33. in motu tardo & veloci, factis eodem tempore: quĩ inter ſe, & relatè ad motum regulariſsimum primi mobilis, habent correſpondentiam & commenſurationem in partibus & indiviſibilibus determinatis; non autem in indeterminatis quorum plura convolvit motus velox, quàm tardus, vt in eàdem temporis extrinſeci menſura poſsit tranſmittere ſpatium maius, abſque eò quòd idem indiviſibile motus ſit ſimul in pluribus ſpatij indiviſibilibus. Quare nec cera in caſu propoſito eſt ſimul in duobus locis ſibi adæquatis, ſed in vnico & continuato, quamvis duplò maiore.

38 *AD IV.* Nego ſequelam: quia quemadmodum rarefactio abſque quantitatis additione dilatat illam in ampliorem locum, quatenus explicat partes antea compreſſas & convolutas, ac ſi eſſet vera augmentatio; ita & condenſatio abſque quantitatis detractione reſtringit eandem in minorem locum, quatenus comprimit & conſtipat partes ipſius antea explicatas & diſtentas, ac ſi eſſet vera diminutio. Quare non ſequitur partem vnam quantitatis condenſatæ penetrari cum alia, ſed ſolùm conſtringi, ac ſubinde rediġi in locum minorem: ſicut non colligitur partes quantitatis rarefactæ occupare ſimul duo loca adæquata, ſed ſolùm diſtendi in locum ampliorem. Alioqui dicant Adverſarij, quomodo partes eædem materiæ in corpore denſo non penetrentur, ſiquidem rediguntur in ſpatium loci duplò minus, quàm antea, abſque vllã ſuæ entitatis additione? Hærent igitur in eàdem ſalebrà.

39 *VERVM* Adhuc contra doctrinam hucuſque traditam oppones nõnulla. *Primum* eſt, Deum poſſe penetrare vnum palmum quantitatis ceræ bipalmaris ſimul cum alio. At in eà hypoteſi nihil aliud haberent quàm in caſu condenſationis iuxta noſtrã ſententiam, in qua quantitas rarefacta & bipalmaris condenſatur ac reſtringitur in palmũ vnicũ loci. Ergo in noſtra ſentẽtia duplex quãtitas palmaris rarefacta, penetrabitur ratione condẽſationis. *Secundum*, Partes ceræ rarefactæ ampliùs diſtare inter ſe, quàm antea, ſiquidem iam reſpondent partibus loci magis diſtantibus. Hoc autem fieri nequit abſque productione novæ partis: nam ſi hæc non producitur, partes præcedẽtes ſolùm diſtabunt penes indiviſibile

interfectum, quod nostra opinione non insla tur, nec sufficit ad inducendam maioritatem distantiæ. Ergo partibus ceræ rarefactæ additur nova pars.

40 *AD I. Resp.* negando minorem: quia in ea hypothesi duo indivisibilia, ac duæ partes certæ vtriusque quantitatis palmaris, independenter à qualibet rarefactione aut condensatione, responderent simul eidem indivisibili & eisdem numero partibus loci: in quo consistit penetratio. In casu autem nostro nullum indivisibile ac nulla pars est simul cum altera in eodem spatio loci, sed solùm extenditur ad ampliorem, vel contrahitur ad restrictiorem locũ, vt dictum est. *AD II.* Solùm colligitur partes illas indeterminatas, quæ medio puncto solo vniuntur inter se, nunquam magis aut minùs distare. At verò illæ, quæ immediatæ invicem non sunt, seu habent alias partes intermedias, redduntur distantiores in rarefactione, ratione soliùs explicationis ac dilatationis, quà extenduntur in locum ampliorem.

DISP. QVINQVAGESEXTA.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

An possit aliquid agere in passum omnino simile sibi?

Num. 1. *TRIPLICITER Potest aliquid esse simile aut dissimile alteri.* Primò *in specie eàdem qualitatis, præscindendo ab alijs circunstantijs, vt in calore.* Secundo *in gradibus intensionis eiusdem qualitatis specificæ: vt si totidem ij sint in vno subiecto, ac in alio, vel potiùs plures in vno, quàm in altero.* Tertiò *quò ad conditiones agendi, vel patiendi: vt si sint æqualis raritatis aut densitatis, vel potiùs inæqualis: idemque est de figurâ & situ, cæterisque conditionibus vt cumque requisitis, aut conducentibus ad agendum & patiendum, quarum plures designat Philosophus* lib. 1. de Generat. cap. 9. *Disquirimus ergo solùm, an possit agens operari in passum simile sibi penes tria illa, aut ipsorum aliqua; idque in principio actionis: nam alioqui in fine, seu consummatione illius, nemo dubitat agens & passum debere esse similia, cùm in id tendat agens, vt assimilet sibi passum. Nec difficultas est de actione æquivoca, quæ citra dubium potest agenti convenire in aliud omnino simile: vt quando homo in alio homine sibi omnino simili causat impulsum aliquem. Quare solùm de actione univoca procedit disquisitio: an v. g. vnum calidum vt quatuor possit agere in aliud item calidum vt quatuor. Quæ controversia directè locum habet apud Philosophum dicto* lib. 1. de Generat, c. 7. 8. & 9.

SECTIO PRIMA.

Nihil posse agere in aliud omnino simile statuitur ac probatur multiplici argumento Aristotelis, ac D. Thomæ, præclusis evasionibus quorundam, eiusmodi rationibus adversantium.

2 *ARISTOTELES* A principio capitis septimi hoc libro primo, affirmat maximam Philosophorum partem absque dissidio aliquo convenire in eo, quòd nihil possit agere in alterum sibi omnino simile, aut ab eo pati. Ait enim: *οἱ μὴ γὰρ πλεῖστοι τοῦτό γε ὁμονοητικῶς λέγουσιν, ὡς τὸ μὴ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου πᾶν ἀπαθὲς ἐστί. Plurimi enim vno ore hoc affirmant, à simili, inquam, simile nullum pati.* Quod toto ferè capite idem calculo suo confirmat, & probat, vt postea videbimus. Quare loquendo de agente & passo omnino similibus, id est, tam secundùm qualitatẽ, quam penes gradus æqualis intensionis, & reliquas conditiones agẽtis & passi, vt densitatem & raritatem, omnes Philosophi ferè Aristoteli consentiunt, & præcipuè D. Th. *ibid. lect.* 19. atq; eius Discipuli cõmuniter, vt Bañez, Asiudillo, Victoria, Ioannes à S. Tho. in præsenti *q.* 5. *art.* 2. Complutenses *disp.* 8. *q.* 1. Ex PP. Societatis Conimbricẽses *c.* 9. *q.* 2. Suarez *in Metaph. disp.* 18. *sect.* 9. *à num.* 7. Arriaga *disp.* 3. *sect* 7. Tellez *disp.* 74. *sect.* 3. Rubius *in præsenti*, Oviedo *Controv.* 4.

pun-

puncto 1. Petrus Hurtado *in Phyſica diſp.* 9. *ſect.* 9. Didacus de la Fuente Hurtado *diſſert.* 28. *Phyſicæ cap.* 1. Ex alijs Spinula *diſp.* 4. Averſa *quæſt.* 39. *ſect.* 4. Lalemandetus, Murcia, pluresque alij in hoc ipſo tractatu.

3 *PROBATVR I.* Ratione Ariſtotelis in præſenti, *textu* 51. & D. Thomæ *ibidem*, in hanc formam redacta. Omne agens naturaliter tendit ad aſsimilandum ſibi paſſum. Ergo ſi iam antea paſſum ſit ipſi omnino ſimile, fruſtranea erit actio, ſeu tendentia agentis in illud; ac proinde nulla, cùm Deus & natura nihil fruſtrà agant. Conſequentia patet: quia poſito fine ceſſant naturaliter media, & irrita redditur quælibet actio ad illum cõſequendum. Antecedens autem eſt commune Philoſophorum axioma, & innumeris experimentis compertum. Neque enim alio fine calidum agit in frigidum, quàm vt reddat illud calidum, & è cõtrà. Deinde probari poteſt idem antecedens ratione à priori: quia omne agens vnivocum (de hoc enim ſolùm in præſenti diſputamus) naturaliter tẽdit vt ſe communicet paſſo quantùm poteſt: id enim eſt de ratione agentis neceſſarij & vnivoci. Ergo cùm non poſsit tẽdere ad communicandum ſe ipſum paſſo per idẽtitatem, tendit ad communicandum ſe penes omnimodam ſimilitudinem, neque antea quieſcet naturalis eius activitas, quàm eũ finem ſortiatur. Si ergo ſimilitudo omnimoda præſupponitur inter vtrumque, fruſtranea & nugatoria erit omnis actio.

4 *OCCVRRES I.* ex doctrinà quorundam Recentiorum, quibus diſplicet hæc ratio, negando agens tendere ad aſsimilandum ſibi paſſum in intenſione. Etenim eadem ratio eſt, inquiunt, de extenſione, ac de intenſione paſsi, quantum ad hoc, quod eſt tendere, aut non tendere ad aſsimilandum illud. Atqui agens non tendit ad aſsimilandum ſibi paſſum in extenſione, ideoque poteſt agere in ſimile ſibi ſecundum extenſionem. Ergo neque tendit ad aſsimilandum ſibi paſſum in intenſione; ac proinde poterit agere in id, quod ſecundùm intenſionem eſt ſimile ſibi.

5 *SED Contrà I.* Agens enim naturale & vnivocum tendit ad aſsimilãdum ſibi paſſum, quantùm poteſt, ſive, quod perinde eſt, vſque ad vltimum potẽtiæ, in ratione agendi. Sed ratio agendi eſt qualitas ſecundùm determinatam intenſionem, eſtò non ſit talis penes extenſionem. Ergo agens naturale & vnivocum tendit ad aſsimilandum ſibi paſſum ſecũdum intenſionem, eſtò nõ ſecundùm extenſionem. Conſequẽtia rectè deducitur. Maior ſuadetur. Agens enim naturale, vt tale, & diſtinctum ab agente libero, tendit ad paſſum toto conatu, ac proinde vſque ad vltimum potentiæ: vt vnivocum verò, tendit ad ſe communicandum in eo quod ſibi eſt ratio agendi; nõ verò in alijs peraccidens ſe habentibus ad illam. Ergo agẽs naturale & vnivocum in complexo, tendit ad ſe communicandum paſſo quãtùm poteſt in ratione formali agendi. At non tendit ad ſe communicandum per identitatem, cùm hoc ſit impoſsibile. Ergo tendit ad communicandum ſe quantũ poteſt per aſsimilationem, quod poſsibile eſt. Iam minor illa principalis probatur. Calor enim v.g. (& idem eſt de cæteris qualitatibus activis) præſcindendo ab intenſione graduali in agente ſolum eſt ratio formalis producendi calorem vtcumque. Cæterum vt ſit ratio formalis producendi calorem determinatæ intenſionis in paſſo, debet eſſe in agente ſecundum determinatam, & æqualem vt minimùm intenſionem: quia nequit in effectu formaliter conſiderato reſplendere id quod in formali ratione agentis non relucet. Ergo ratio agendi in paſſum ſecundũ intenſionem determinatam eſt qualitas in agente exiſtens ſecundùm determinatam intenſionem.

6 *CONTRA II.* Agens enim tendit ad aſsimilandum ſibi omne paſsũ ſufficienter applicatum, & omnes partes illius, in qualitate quæ eſt ſibi ratio agendi, tam ſecundùm eſſentiam, quàm penes gradum: & ex hac aſsimilatione plurium partium eiuſdem paſsi reſultat diſsimilitudo impropriè dicta, id eſt, ſolùm propria inæqualitas paſsi ab agente penes plures partes, ſeu penes extenſionem. At vel hinc maximè arguitur, paſſum reddi magis ſimile agenti; quia penes plures partes ſui aſsimilatur agenti. Non ergo impeditur, ſed potiùs adſtruitur præcipuus agentis ſcopus circa aſsimilãdum ſibi paſſum, ex eo quod in paſſo ſit maior extenſio, quàm in agente. Quò enim magis aſsimilatur paſſum agenti, eò melius obtinetur finis inſpectus ab agente. Sed magis, ſaltem extenſivè, aſsimilatur paſſum agenti,

PROPIEDAD INTELECTUAL

ti, quò in pluribus partibus eidem assimilatur, cœteris paribus. Ergo quò in pluribus partibus assimilatur agenti passum, eò melius, cœteris paribus, obtinetur finis intentus ab agente.

7 *OCCVRRES II.* cum Hurtado *disp. 15 sect. 2 subsect. 2. n. 126.* inferendo, iuxta probationem nostram, si quidquam evincit, suaderi, passum quò plures gradus qualitatis habeat supra agens, eò similius fore agenti: v.g. passum calidum vt octo fore similius calido vt quatuor agenti, quàm aliud passum calidum vt quatuor, quia prius illud passum in pluribus gradibus assimilatur agenti, quàm hoc posterius. At consequens absurdum est. Igitur & absurdum censeri debet, agens tendere ad assimilandum sibi passum penes gradus qualitatis, quæ est ipsi ratio agendi.

8 *SED Contrà.* Eodem nanque discursu posset Hurtadus probare, quātùm tripalmare v.g. esse magis æquale quanto palmari, quàm aliud palmare quantum: quia quantum tripalmare plures palmos habet, in quibus æquale sit quanto palmari. Vnde & secundùm eius illationem, quantitas cœli magis æqualis dicenda foret quantitati vnius formicæ, quàm alterius formicæ quantitas, quia cœlum pluribus coalescit partibus formicæ æqualibus, quàm alia formica. At consequens absurdum, imò & risu dignum est. Ergo similiter absurda est prædicti Authoris illatio, quà colligit, si agens tendit ad assimilandum sibi passum in qualitate secundū gradus, fore perfectiùs simile passum agenti, quò plures gradus eiusdem qualitatis habuerit supra ipsum agēs, quia in pluribus illi assimilabitur. Deinde reijcitur à priori: quia perfecta similitudo agētis & passi penes qualitatem aliquam in eo consistit, quòd in vtroque sit qualitas penes eandem mensuram gradualem, seu gradum intensionis. Vnde si excessus fuerit, sive ex parte agentis, sive ex parte passi, eò minor similitudo vtriusque erit quātùm ad id, in quo vnus excedit, aut excediturab alio. Verè ergo, & citra absurdū aliquod, assumitur in probatione nostri asserti iuxta Philosophum ac D. Thomā, omne agens tendere ad assimilandum sibi passum in qualitate quæ est formalis ratio agendi, non modo quantùm ad illius speciem, sed etiam quò ad gradum.

9 *OCCVRRES III.* cum Oviedo vbi suprà *num.* 19. asserendo, quamvis agens tendat ad assimilandum sibi passum adhuc posse agere in passum sibi simile omnino, & locum esse, quò calidum vt quatuor possit in alio calido vt quatuor producere calorem vt quinque. Ratio est, nam agens dum producit calorem, intendit disponere subiectum ad formam substantialem, cùm calor ex se sit dispositio ad illam. Quodlibet enim agēs necessariū in productione effectus intendit necessario finem, ad quem effectus naturà sua ordinatur. Ergo etiam si calidum vt quatuor in alio calido vt quatuor produceret quintum gradum caloris, consequeretur finē intentum: quia adhuc disponeret effectum ad formam substantialem. Sive enim calor productus in passo sit vt quatuor, sive vt quinque; sive etiam producatur à simili, sive à dissimili; subiectum ratione illius dispositum erit ad substantialem formam. Ergo ex eò quòd omne agens tendat ad assimilandum sibi passum, perperam colligitur nō posse agere in id quod sibi omnino simile est.

10 *SED Contrà I.* Ad qualitatem in gradu quolibet intensionis datur motus alterationis per se, & ratione sui, vt idem Author cum omnibus alijs in Physicà docet. Ergo calidum vt quatuor v.g. dum agit in aliud calidum medio alterationis motu, per se tendit ad assimilandū illud, & independenter ab ordine ad formam substantialem producendā. Si enim solùm tendit ad assimilandum sibi aliud càlidum ex fine pròducendi substantiam, iam calor in passo existens non terminabit motum per se ac ratione sui, sed solùm ratione substantiæ, seu in ordine ad illam: quod non sufficit ad terminandum per se motum. Atqui præsupposito æquali gradu caloris in passo ac in agente, iam agens per se non potest tendere ad assimilandū sibi passum; cùm illud omnino simile præsupponatur, & frustra sit actio tendens ad ponendum finem iam obtentum. Ergo præsupposito æquali gradu caloris in passo ac in agente, iam agens calidum nō habet quid operetur in passo.

11 *CONTRA II.* Esto àgens calidum vt quatuor tendat ad producēdam substantiam mediatè, adhuc immediatè tendit ad assimilandum sibi passum in ratione agendi, quæ est calor. Ergo non solum debet assignari productio substantiæ tanquam finis remotus actionis eius, sed

etiam

etiam aſsimilatio eiuſdem paſsi in ratione formali agendi, quæ eſt finis proximus. At vbi agens & paſſum ſunt iam omnino ſimilia in ratione formali agendi ceſſat hic finis proximus. Ergo ceſſat actio agentis in paſſum.

12 *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc. Vt exiſtat in rerum naturà aliqua actio, non ſufficit aſsignare ipſi finem remotum, ſed opus eſt aſsignandi proximum, à quo immediatè ſpecificatur. Ergo dato quòd aſsignabilis ſit finis remotus actionis procedentis ab agente omnino ſimili paſſo, ſi non aſsignatur finis proximus, nulla erit actio agẽtis. Cõſequentia patet. Antecedens verò probatur tum à priori, tũ ab inductione. A priori quidem. Nam finis proximus & remotus habent coordinationem naturalem inter ſe, ita vt remotus non obtineatur, niſi præcedente, ſive priùs obtento fine proximo. Ab inductione autem conſtat, tum in phyſicis, tum in moralibus. In phyſicis quidem: Nam ad exiſtentiam actionis alterativæ (de quà in præſenti loquimur) non ſufficit aſsignare finem remotum, qui eſt productio ſubſtãtiæ, ſed opus eſt adſcribere finem proximum, qui eſt inductio opportunarum diſpoſitionum ad ſubſtantialem formam. Similiter vt augmentatio exiſtat, non ſatis eſt adſcribere finem remotum, qui eſt accrementũ ſubſtantiæ, niſi aſsignetur priùs finis proximus, qui eſt maioritas quãtitatis. Similiter vt motus progreſsivus animalis in rerum naturà ponatur, oportet aſsignare poſsibilem ipſi adquiſitionem vbicationis, quæ eſt finis proximus; neque ſatis eſt adſcribere remotum finem, ſive ille ſit bona valetudo animalis, ſive quidquam aliud. Idemque omnino eſt in omni operatione, tam ſenſitivà, quàm rationali: cui ſi finis proximus deſit, exiſtentia nulla erit, quanquam aſsignetur finis remotus; quia nimirum in eſſe & fieri pendet immediatè à proximo fine. In moralibus autem id ipſum patet. Si enim deſit finis proximus actionis cuiuslibet honeſtæ, licèt ipſi remotum velis præſcribere, illa in rerum naturà non exiſtet. Vt enim actio aliqua ſit miſericordiæ, vel iuſtitiæ, non ſufficit quòd illam ordines in finem mediatum gloriæ Dei, niſi illi aſsignes immediatum finem, qui eſt ſublevatio miſeriæ alienæ, & redditio ſui vnicuique. Ergo vniverſim loquendo verum eſt, vt exiſtat in rerum naturà aliqua actio, non ſufficere quòd aſsignetur ipſi finis remotus, niſi etiam, imò & priùs, adſcribatur proximus.

13 *CONFIRMATVR II.* eadem impugnatio. Sequitur nanque ex illà poſſe calidum vt quatuor introducere in paſſo formam ignis, quin inducat in eo aliquem calorẽ; ſimiliterque omne agens naturale poſſe inducere in paſſo ſubſtantialem formam abſque vllà prævia diſpoſitione: quod quam abſurdum ſit, probatione non eget. Sequelam probo. Nam iuxta ſolutionem datam, vt exiſtat operatio agentis in paſſum, & obtineatur finis vltimus ac remotus, non eſt opus ponere finem proximum. Sed finis proximus calidi vt quatuor eſt inducere calorem in paſſo, remotus autem inducere ſubſtantialem formam; in omni quoque agentis naturalis operatione alterativà finis proximus eſt inducere diſpoſitiones ad formam; remotus verò introductio eiuſdem ſubſtantialis formæ. Poterit ergo calidum vt quatuor introducere in paſſo formam ignis, nullo inducto calore; ac ſimiliter omne agens naturale inducere poterit ſubſtãtialem formam abſque vllà prævia diſpoſitione. Cùm ergo hæc omnia abſurda ſint, dicẽdũ eſt vt exiſtat operatio agẽtis in paſſum, debere eſſe aſſequibilem mediâ illà finẽ proximum aſsimilationis vtriuſque in ratione agendi, nec ſufficere remotum. At vbi iam agẽs & paſſum omnino ſimilia ſunt, non eſt aſſequibilis per talem operationem vtriuſque perfecta aſsimilatio. Ergo vbi agẽs & paſſum omnino ſimilia ſunt, nequit exiſtere operatio agentis in paſſum. Vera igitur & inconcuſſa perſiſtit probatio Aſſerti ex Ariſtotele ac D. Thomà.

14 *PROBATVR II.* Ratione aliâ Philoſophi in præſenti immediatè poſt verba ſuperiùs exſcripta. Vt enim ſimile nequeat agere in aliud omnino ſimile, ſubdit ſtatim cauſam: *διὰ τὸ μηδὲν μᾶλλον ποιητικὸν ἢ παθητικὸν εἶναι θάτερον θατέρου πάντα γὰρ ὁμοίως ὑπάρχει τὰ αὐτὰ τοῖς ὁμοίοις: quòd neutrum altero potiùs activum ſit, quàm paſsivum: quippe cùm eadem omnia ſimilia ſimilibus inſint.* Quæ ſic expẽdo. Omnis actio determinata agentis in paſſum exigit vt in agente ſit determinata agendi ratio, quà operetur in paſſum. Nam ſicut nulla actio exiſtit abſque ratione agendi, ſic nulla determinata actio

abſ-

abſque ratione agendi determinata. Sed vbi agens & paſſum ſunt omnino ſimilia, nequit eſſe in agente determinata ratio agendi, quà operetur in paſſum. Ergo vbi agens & paſſum omnino ſimilia ſunt, nequit agens in paſſum habere aliquam actionem determinatam. Probatur minor. Vbi enim agens & paſſum omnino ſimilia ſunt, non eſt ratio cur vnum potiùs quàm aliud agat patiaturve, cùm ratio agendi & patiendi ſit communis & æqualis vtrique. Ergo nequit eſſe in agente determinata agendi ratio, vt operetur in paſſum.

15 P. Oviedo vbi ſuprà *num.* 12. reijcit hanc rationem ſimiliter, velut inefficacem. Qui enim inquit, defenderet ſimile agere in ſimile, conſequēter diceret vtrumque mutuò agere in alterum. Si enim calidum vt quatuor ageret in aliud calidum vt quatuor, illudque redderet calidum vt ſex, poſſet calidum vt ſex iam diſsimile reagere in calidum vt quatuor. Neque inde ſequeretur idem agere in ſe ipſum ſecundùm eandem indiviſibilem entitatem: quia calidum vt quatuor ſolū ageret in aliud penes quatuor gradus caloris, & non pateretur ab illo ſecundùm eoſdem gradus ſe habentes ex parte principij activi intendentis paſſum calidum vt quatuor; ſed ſolum pateretur penes alios gradus vlteriores, quos denuò acciperet.

16 *SED Contrà I.* Vis enim & efficacia rationis Ariſtotelicę nec leviter eluditur hoc effugio, cùm cōſiſtat in exigendà ratione, cur duorū omnino ſimilium alterū præ alio inchoet actionem in alterum, cùm ſit eadem ratio vtriuſque. Non etenim dubitamus, ſemel poſito quòd vnum intendat aliud, poſſe viciſsim poſtea ab eo intendi, cùm eadem operandi ratio & exceſſus id evincant. Sed tota difficultas eſt in eo quòd à principio alterum illorum incipiat operari in alterum. Et ratio à priori eius repugnantiæ eſt: quia omne agens vt operetur in paſſum debet ipſi præeminere in ea ratione quà agit, atque illud ſubiugare, vel ſubijcere ſibi. At vbi agens & paſſum omnino ſimilia ſunt in ratione agendi, nequit vnum præeminere alteri, vel illud ſubiugare, aut ſibi ſubijcere, vt ex ſe patet. Ergo vbi agens & paſſum omnino ſimilia ſunt in ratione agendi nequit agens operari in paſſum.

17 *CONTRA II.* Sequitur enim ex datà ſolutione, duo calida in æquali gradu poſſe invicem ſe intendere in quolibet graduali augmento: ac proinde manum v.g. calidam vt duo miſſam in aquā æquè vt duo calidam, poſſe ipſius aquæ calorem gradatim intendere donec illa ferveat, ac ſi eſſet in ollà, aut lebete iuxta ardentiſsimum ignem. Conſequens autē abſurdum eſt, & frequenti experimento reijcitur, quo videmus manum mediocriter calidam ſi mittatur in aquam æqualiter calentem, nō ideo magis incaleſcere, neque aquam propterea magis calefieri. Ergo & abſurda eſt ſolutio ex quà infertur. Sequela autem probatur. Nam iuxta ſolutionem præiactam poteſt calidum vt quatuor agere in aliud æquè calidum, & intendere illud vſque ad ſex calòris gradus, ac viciſsim poſtea ab eo intendi: quo poſito, iam poterunt ſe invicem ac gradatim intendere vſque ad quemlibet intenſionis gradum, cùm eadem ratio ſit, quæ fuit à principio. Ergo duo calida in æquali gradu poterunt mutuò & gradatim ſe intendere penes quemlibet gradū, & manus calida vt duo miſſa in aquam vt duo calidam, poterit gradatim calorē aquæ intendere donec ferveat, ac ſi eſſet in lebete aut ollà iuxta ignem ardentem.

18 *DICES*, Calidum vt quatuor, vt operetur in aliud æque calidū, debere eſſe præditum concurſu cauſarum vniverſalium præ alio calido; ac proinde iam in illo eſſe ſpecialem agendi rationē ex ordine ad vniverſales cauſas. *SED Cōtrà I.* Concurſus enim cauſarum vniverſalium non præſtatur agentibus neceſſarijs, niſi ad illorum exigentiam. Sed vbi duo agentia neceſſaria ſunt omnino ſimilia in ratione agendi, neutrum præ altero exigit concurſum cauſarum vniverſalium, cū non ſit maior ratio vnius, quàm alterius. Ergo vbi duo agentia neceſſaria ſunt omnino ſimilia in ratione agendi, neutrum præ alio obtinet concurſum cauſarū vniverſalium. *CONTRA II.* Propterea nāque communiter docent Philoſophi brutum æquè approximatum duobus modijs hordei, aut manipulis herbæ omnino ſimilibus, ad neutrum acceſſurū, quia agens neceſſarium eſt, & nulla ſpecialis appareret ratio cur potiùs ad vnū accedat, quā ad alterum. Et tamen hoc falſum eſſet, ſi valeret effugium ad concurſum cauſarum vniverſalium, determinantium potiùs ad vnum, quàm ad alterū. Ergo cum in hoc

casu non valeat effugium, neque etiam prodest in casu duorum agentium omnino similium, & æqualium.

19 *CONFIRMATVR* Argumentum præcipuum. Vt enim subdit Aristoteles hoc ipso capite, actio fundatur in victoriâ, sive excessu agētis supra passum. Nam agere in aliud velut in subiectum, est quoddam victoriæ genus. At vbi duo omnino similia & æqualia sunt, neutrum vincit, vel excedit aliud, vt ex terminis patet. Ergo vbi duo omnino similia & æqualia sunt, neutrum agit in aliud. *CONFIRMATVR II.* ab absurdo, quod infert idem Philosophus in præsēti. Si enim duorum agentium omnino similium & æqualium in ratione agendi poset vnum præ altero agere in aliud, vel ab eo pati, nullus esset finis actionum, daretuŕq; processus in infinitum. Sequela probatur: quia si duo omnino similia & æqualia possent se invicem intendere, posset actio vnius in aliud vicissim repeti, ac proinde in infinitum procederet actio.

20 *RESPONDET* Idem Oviedo vbi supra *num.* 13. negando sequelam huius probationis: si enim calida vt quatuor producerent calorem vt tria mutuò vnum in aliud, postea per additionē triū graduū caloris tantùm possent duos alios mutuò in se producere, & horum additione vnum tantùm mutuo agerent: quà additione factà nihil posset postea superaddi. Semper enim actio decresceret, & postquam ad productionem vnius gradus, vel intensionis infra minimam ad operādum requisitam proveniret, non posset vltra procedere. Hæc sunt verba prædicti Authoris.

21 *SED* Contrà *I.* Si enim semel conceditur calidum vt quatuor posse agere in aliud æquè calidum intendendo illud vsque ad sex gradus, nulla est ratio cur hoc calidum secundum, iam intensum vt sex, non possit vicissim intendere illud primum vsque ad sex gradus. Vtroque autem æquè intenso eadem ratio vrget, vt vnum possit intendere aliud vsque ad octavum gradum, & rursus ab eo intendi vsque ad gradum octavum. Subinde etiam ipsissima ratione evincitur posse vnum iam calidum vt octo intendere aliud æquè calidum vsque ad decem, & vicissim ab eo postea intendi. Tandemque nullum terminum intensionis statuere licebit, vltra quem non possit agere alterum illorum in alterum omnino simile, si à principio potuit vnū agere in aliud. Ergo rectissima & verissima est illa Aristotelis sequela, quà colligit actionem in infinitum processuram, si semel ages potest operari in aliud omnino simile. *CONTRA II.* Mirabile enim apparet quod in solutione traditur, nempe in casu quæstionis, vbi vtrumque caliduū vicissim augeretur penes gradus aliquos æquales, non valiturum postea aliquid operari. Quæ enim causa assignari potest, vt adaucta in vtroque calido ratione agendi, minuatur vtriusque activitas, & impediatur actio? Ratione enim & diutino experimento potiùs didicimus, crescente virtute, seu ratione agendi, non modò non decrescere actionem, sed potius fortiorem reddi. Licèt enim omne agens agendo repatiatur, semper verum est, quo maior vis activa ipsi ineat, eò vigorosiorem ab eo procedere actionem. Sed calidum vt quatuor vbi ab alio æquè calido intenditur successivè vsque ad octavum gradum, adquirit maiorem vim activam, vt patet. Ergo eò vigorosiorem operationem præstare poterit. Cumque ex doctrinà oppositā colligatur hoc augmentum virtutis activæ in vtroque calido fore perpetuum & absque termino, indidem etiam colligitur in infinituni processuram actionem.

22 *PROBATVR III.* Argumento alio eiusdem Philosophi *infra* t. 9. ac D. Thomæ *ibidem*, & 1. *p. q.* 2. *ar.* 3. & *q.* 15. *ar.* 1. *corpore*, & *ad* 1. ac tandem *de Potentiâ q.* 2. *ar.* 2. sub hanc formam proposito. Omne agens agit in quantùm est in actu, & omne passum patitur secundùm quod est in potentiâ. Atqui duorum omnino similium neutrum relatè ad alterum est in actu, & neutrum in potentiâ. Ergo duorū omnino similium neutrum in alterū potest agere, aut pati ab alio. Maior ex terminis liquet: quia agere est proprium habentis virtutem activam, pati verò habētis passivam potentiam. Minor autē probatur multipliciter. *Primò*: Quod est in actu, prout in actu, debet esse dissimile illi, quod est in potentia, prout in potentia est. Activum enim & passivum, in quantū talia, differunt, seu dissimilia sunt, licèt aliunde similitudinem exigāt. Quare Philosophus in præsenti capite inquit: *Agens & patiens partim eadem sunt, partim diversa, atque inter se dissimilia necesse est.* At vbi duo omnino similia sunt tam in virtute acti-

activa, quàm in potentiâ passivâ, neutrũ relatè ad alterum est dissimile, vt ex se patet. Ergo duorum omnino similium neutrum in ordine ad alterum est in actu, & neutrum in potentiâ. *Secundò* probatur eadem minor. Quod est in actu relatè ad illud, quod in potentiâ est, comparatur vt perficiens ad perfectibile. Sed vbi duo sunt iam omnino similia, neutrum comparatur ad alterum vt perfectivum ad perfectibile: quidquid enim perfectionis mutuare posset ab alio, iam vnumquodque illorum præhabet in se. Ergo duorũ omnino similium, neutrum relatè ad alterũ est in potentiâ vel in actu. *Tertiò*. Quod est in actu relatè ad aliud, debet continere formaliter, aut eminenter perfectionem illam, quam potest alteri communicare; cùm hoc sit de ratione causæ efficientis principalis, de quâ in præsẽti disputamus. Sed duorum omnino similiũ nequit vnũ relatè ad aliud continere formaliter aut eminenter perfectionem aliquam, quam ipsi communicet. Ergo nequit vnum esse in actu relatè ad aliud. Probatur minor: Quia vbi duo omnino similia sunt, nulla est perfectio in vno, quæ pariter & in eodem gradu non sit in alio. Ergo neutrum illorum continet formaliter aut eminenter perfectionem, quam communicet alteri: quia eandem, quam in se præhabet, communicare ipsi non potest, vtpote iam antea prædito omnino simili perfectione. Alioqui si in altero illorum præ alio esset perfectio, quàm posset socio communicare, iam non essent omnino similia, & præcluderetur locus quæstioni.

23 *CONFIRMATVR* vltima prædictæ minoris probatio: Quia gradus intensionis quilibet supra calidum vt quatuor excedit perfectione vtrumque calidum penes rationem agendi. Ergo neutrum calidorum in altero causare potest principaliter, seu propriâ virtute, gradum illum caloris intensioris, seu superexcedentem: nulla enim causa principaliter, seu propriâ virtute potest causare effectũ perfectiorem se, vt omnibus notum est.

DICES, Hanc vltimam probationem efficacem esse suppositâ opinione docente gradus esse subordinatos inter se, quoniam iuxta illam vnus præsupponit alium, additque perfectionem supra ipsũ: ac proinde locus non est vt agens imperfectius virtute propria producat gradum intensiorem ac perfectiorem. Verumtamen positâ contrariâ opinione, & negatâ gradibus qualitatum subordinatione, vti a multis negatur, locum esse, vt agẽs omnino simile passo producat in eo vlteriorem gradum; quia hic non est perfectior, sed potiùs imperfectior virtute activâ, & in eâ continetur formaliter, aut eminenter.

24 *FATEOR* Vltimam probationem solùm convincere suppositâ priori opinione, quæ frequens apud Philosophos est. Cæteræ autem probationes in qualibet sententiâ procedunt. Et adhuc suppositâ doctrinâ negante subordinatione graduum, illosque homogeneos ponẽte, probari insuper potest eadem minor. Si enim duorum omnino similium potest vnum intendere aliud quò ad gradum nõ subordinatum cæteris, poterit etiam similiter intendere seipsum quò ad æqualẽ gradum, & cæteris non subordinatum. At consequens absurdum est. Ergo & quòd duorum omnino similium possit vnum intendere alium quò ad gradum cæteris non subordinatum. Absurditas cõsequentis facilè evincitur: Si enim posset calidũ vt quatuor intendere seipsum quo ad aliquem gradum non subordinatum cæteris, posset etiam se intendere penes alios totidem quatuor gradus: tùm quia omniũ eadem ratio est ex carentiâ subordinationis: tum etiam, quia calidum vt quatuor in pallo secum penetrato produceret quatuor caloris gradus, atque adeo potiori iure totidem produceret in se ipso, si vel vnum posset. Quo demum fieret, vt calidum absque vlla ope alterius calidioris se, vel æquè calidi, posset se intẽdere absque termino, duplicando in quolibet ferè instanti calorem. Iam sequela illa præcipua probatur. Si enim semel asseritur duorum omnino similium posse alterum in altero producere gradum aliquem cæteris nõ subordinatum, nulla superest ratio, vt id in se ipso præstare non possit. Non enim obstabit similitudo omnimoda singulorũ graduum præexistentium cum alio superveniente in idem subiectum, si non obstet perfecta similitudo cũ subiecto alio. Deinde neque obstabit, quòd nihil possit esse simul in actu & potentiâ respectu eiusdem. Nam si relatè ad calidum omnino simile potest aliud calidum esse in potentiâ circa novum gradum homogeneum, cur non etiam respectu sui ipsius? Denique in ea opinione, cum gradus inter se reali-

ter

ter diſtinguantur, non erit idē cauſa ſui ipſius, neq; cauſabit ſeipſum ſtrictè loquēdo, ſed aliquid ſuperadditum & diſtinctū; ſicut compoſitum vivens per aggenerationem cauſat activè aliquid convertendo cibum in partem propriæ ſubſtantiæ. Si ergo duorum omnino ſimilium poteſt vnum intendere aliud quò ad gradum nō ſubordinatum, vel homogeneum, poterit ſimiliter ſe intendere in ſimili gradu.

SECTIO SECVNDA.

Obijciuntur & enervantur præcipua argumenta. Vbi de Antiperiſtaſi.

25 LICET Doctrina ſuperiori ſectione tradita ſit vera, & ferè communis, non deſunt cōmunia argumenta, & exquiſitæ obſervationes phyſicæ ac mathematicæ, quæ oppoſitū ſuadere videantur. Præmittamus faciliora, & vbique obvia breviter, vt exquiſitioribus locus ſit.

OBIICIES I. Quo minùs reſiſtentiæ fuerit in paſſo, eò facilius agens in illo operari poteſt: ſicuti è converſo, quo magis reſiſtentiæ in paſſo eſt, eo difficiliùs agens circa paſſum operari valet. At vbi paſſum nullā diſſimilitudinem habet cum agente, nihil reſiſtentiæ in illo eſt vt agēs agat. Ergo vbi paſſum nullam diſſimilitudinem habet cum agente, agens omnino facilè in illo operari poterit. Probatur minor. Omnis enim reſiſtentia fundatur in aliqua contrarietate, & omnis contrarietas importat aliquam diſſimilitudinē extremorum. Ergo vbi paſſum nullam diſſimilitudinem habet cum agente, nulla eſt vtriuſque contrarietas, ac proinde nihil reſiſtentiæ vt agens in paſſo agat.

26 *CONFIRM.* Quò enim duo aliqua ſunt magis ſimilia, eo magis ac faciliùs ſe cōſervant ad invicem. Ergo eò magis mutuò agit vnum in aliud: Conſequētia patet: quia conſervatio eſt aliquod genus actionis. Antecedēs verò probatur experimento manuum, quæ ſi æquè calidæ ſint per mutuā coniunctionē viciſsim ſe conſervant in eodem calore. Idemq; vlteriùs ſuaderi poteſt ab experientia manuum modice calidarū ſi ſupra ſtomachū æquè calidum apponantur. Deprehenditur enim ſenſibiliter calorē ſtomachi intēdi. Ideo ergo eſt, quia ſimile agit in omnino ſimile, aut intendendo, aut conſervando illud.

27 *RESP.* Reſiſtentiam eſſe duplicem, alteram poſitivam quę fundatur in aliqua contrarietate extremorū, alteram negativam, quæ conſiſtit in mera repugnantia vt vnū operetur in aliud. Quamvis autem vnū extremum omnino ſimile alteri careat reſiſtentia poſitiva, & fundatà in cōtrarietate, adhuc importat negativā reſiſtentiam, ſeu repugnantiæ; quatenus eſt incapax recipiendi novū terminū ab agente omnino ſimili, quia nihil eſt in vno extremo, quòd æquè non exiſtat in alio. Omnis autē operatio agentis in paſſum exigit vtrūque à principio eſſe diſſimile, & in fine actionis reddi ſimile: cuius oppoſitum accidit vbi duo aliqua a principio perfectè ſimilia ſunt.

28 *AD Confirm.* Duplex etiam eſt cōſervatio, altera poſitiva conſiſtens in continuatà productione, altera negativa cōſiſtens in exclusione impedimenti cōtrarij. Quādo ergo duo ſunt omnino ſimilia, ſe conſervare poſſunt facilius ad invicem conſervatione negativa, & per remotionē oppoſiti: quà ratione contingit in vtroque experimento manuū æquè calidarū, ſi coniungantur ad invicem, aut ponantur ſupra ſtomachum æquè calidum. Per approximationem namque vnius ad alterā impeditur frigiditas aèris ambientis, ne calorem vnius membri ſeorſim exiſtentē abſumat, extenuetvè. Si autem contingat calorem ſtomachi intendi quādoque per applicationē manuum, dicendū erit præceſsiſſe in manibus intenſiorem calorem, quàm in ſtomacho: nam alioqui non poſſent illum ſtomacho communicare. Nihil præterea abſurdi eſt in eo, quòd duo omnino ſimilia ſe invicē conſervent negativè, ſeu per remotionē impedimēti adverſantis: nam ſic ſœpe eadem res conſervat ſeipſam, quod longè difficilius videbatur: vti cernere eſt in homine declinante ictū adverſarij, aut fugiente ab eo ne occidatur. Tunc enim negativè & indirectè cōſervat ſeipſum, per remotionem impedimenti oppoſiti & exitialis.

29 *OBIICIES II.* Calor vel frigus alicuius corporis, vbi opprimuntur à contrarijs circundantibus, poſſunt ſeipſa intendere. Ergo multò meliùs intendere poterunt æqualem calorē aut frigus. Cōſequentia ſuadetur: quia in agentibus vnivocis, qualia ſunt hæc, multo difficilior eſt actio circa ſeipſa, quam circa quodcūque aliud: ac præterea ſi identitas inter agens

& passum non obest vt agens agat, multò minùs obstabit perfecta vtriusque similitudo, quæ distinctionē includit. Antecedens autē probatur duplici experimēto; altero in calore ventriculi, qui tēpore hyemis intensior est, vt docet Hippocrates *Aphor.* 15. altero in aquâ puteali, quę æstivo tēpore frigidior est. At intensior vētriculi calor, & aquæ frigiditas, nequit provenire ab aère circunstāte, qui vtroq; tēpore, brumali & æstivo cōtrarius est prædictæ intensioni. Ergo solū provenit ab ipso ventriculo & aqua, suū calorem & frigus intendentibus ad præsentiā contrarij.

30 *DICES*, Maiorem illam frigiditatem aquæ tempore æstivo intra puteū oriri per naturalem resultantiam, sive emanationem à forma aquæ in quâ virtualiter continetur; non verò per actionē strictam aquæ intendentis seipsam. *SED Contrà.* Nulla enim assignari potest ratio cur illa frigiditas maior resultet in aquâ potiùs tempore æstatis, quam brumæ, si solùm oritur per emanationem ab aqua: imo potiùs hiberno, quàm æstivo tempore videbatur emanatura, cùm tempus hyemis aptius sit, quàm æstatis ad intensioris frigoris resultantiam. Præterea putealis aqua non modò est calidior hyemis tempore, sed etiam frigidior tempore æstatis. At calor ille aquæ hyemis tempore nequit procedere per emanationem naturalem ab aquâ. Solùm ergo oritur ab actione intensiva caloris in aquâ præexistentis & intendentis seipsum. Probatur minor. Ab aquâ solùm procedunt per naturalem emanationem accidentia ipsi debita & connaturalia. Manifestum est autem calorem illum hyberno tempore non esse aquæ debitum & connaturalem, sed extraneum, & præter naturam. Non ergo calor ille procedit per emanationem naturalem ab aquâ.

31 *RESP.* Negando antecedens: multò enim magis repugnat agēs vnivocum agere in seipsum, quàm in aliud omnino simile. Ad probationem ex duplici illo experimento, nego intensionē illam caloris ventriculi in hyeme, & frigiditatis aquæ in æstate provenire à præexistenti calore ac frigore se intendentibus. Sed vtrunque oritur ex antiperistasi, seu circumobsistētia contrarij, vt docet Philosophus *lib.* 1. Meteor. & D. Tho. *ibidem lect.* 15. præcipuè illis verbis: *In æstate interiora terræ sunt frigida propter hoc, quòd caliditas aëris frigiditatem terræ circūstat: vnde congregatur interius. E cōtrario autē tempore frigoris interiora terræ sunt calida propter hoc, quòd frigus cōcludit interiùs calorem, qui erat in terrâ: & inde est quòd aqua fontiū in æstate est frigida, & in hyeme calida.* Quod idem de ventriculo dicendū est ob eandē rationē.

32 *VNDE* Rejiciendus obiter venit Galenus relatus à Conimbricensibus in præsenti *c.* 9. *q.* 1. *art.* 8. qui negavit antiperistasim, & dixit aquas puteales v.g. omni tempore æquè frigidas & calidas esse, solamque diversitatem reperiri in sensorio, sive tactu, cui frigidiores in æstate, quàm in hyeme apparent, quia manus in hyeme sunt frigidæ, ideoque sentiunt aquam putei quasi calidam; in æstate verò sunt calidæ, & propterea ratione pugnæ percipiunt aquam quasi frigidam. Rejiciendus, inquam, est: nam adeo ingēs differentia à sensorio percepta in aquâ puteali penes hyemem & æstatem non potest reduci in solum sensorium: siquidem & manus, & fauces, & lingua eodem ferè modo percipiunt omni tempore aquam ferventem esse calidā, nivem verò frigidam. Cuius tamen oppositū esset, si discrimen reducendum esset ad diversitatem, seu temperamentum sensorij penes hyemem & æstatem.

SECTIO TERTIA.

Difficultas potissima ab experimentis physicis ac mathematicis, proponitur, eiusque solutio in sequentem disputationem remittitur.

33 *OBIICIES III.* Varia & exquisita experimenta, in quibus agē tia quædam videntur operari in aliud omnino simile, &, quod mirabilius est, in aliud longè intensius. *Primum* sit in octo candelis accensis in gyrum compositis in circulo diametri vlnæ vnius, quarum quælibet possit producere lucem vt quatuor. Ponatur lucerna prima in linea, & illuminabit medium vt quatuor: ponatur secunda, ac cæteræ omnes in gyro: & apparebit medium, etiam Sole illustratū, magis ac magis clarescere, nullamque candelarum ratione alicuius impedimenti naturalis potuisse continere se à tota sua luce effundenda. Ergo iam candela secunda per lucem vt quatuor agit in mediū omnino similiter lu-

lucidum vt quatuor ratione primæ candelæ ; & tertia in medium lucidum vt octo ratione duarum priorum ; & quarta in medium illuminatum vt sexdecim ratione trium præcedentium; & sic de cæteris omnibus vsque octavam candelam, quæ cùm solùm sit lucida vt quatuor aget in medium illuminatum vt viginti octo ratione septem candelarum priorũ. Potest igitur aliquid agere in aliud omnino simile, imò etiam in passum longè intensius, quam sit virtus agentis.

34 *Secundum* experimentum est in solemni foculo, vbi coeunt solares radij, & refringuntur. Oppone Soli globum chrystallinum, aut lentem vitream; & statim, aut non multò post, apparebit ignis, & non modò lux intensissima. Ergo quilibet radius lucis solaris, vel caloris, produxit alium sibi similem in passo sibi omnino assimilato ab alijs; imò & in passo longè intensiori se. Quod adhuc manifestiùs apparebit, si componas duo agentia separatiora: nempe, prædictum globũ pro rarefactione, & speculum causticum pro reflexione; ita tamen, vt idem sit foculus vtriusque. Tunc enim intensissima lux apparebit, & intensissimus calor profectus à causis similaribus, neutiquam se impedientibus, aut contemperantibus; quin imò agentibus vsque ad vltimum potentiæ, etiam vbi præexistebant gradus similes, aut multò intensiores. Eodem spectat, si quæras diligẽter vitra duo obijcienda Soli, quorum neutrũ seorsim sufficiat ad comburendũ, sed solùm ad quatuor caloris gradus. Appone vtrumque vnum post aliud ita vt communis sit foculus; & videbis lignum infrà positum ardere ac fumare ; ideoque deprehendes vnunquodque vitrum ac radium fecisse in consortio alterius quantùm poterat seorsim & per se ; ac proinde in ligno omnino simili, id est, habente iam quatuor caloris gradus ex priori vitro, produxisse totidem alios, ex quibus consurgeret vltima dispositio ad ignem.

35 *Tertium.* Rustici & nautæ passim experiuntur, ad trahendam funem navem, aut currum plenum gravi sarcina, quandoque vnum aut plures homines non sufficere, sed opus esse totidem impellentibus, aut aliquo alio saltem præter priores. Modò sic. Ponamus necessarios esse duos homines, vnunquemque virium vt quatuor ad trahendam navim, vel currũ exigentem octo gradus impulsus ad sui dela-tionẽ. Accedat primus & imprimat funi impetũ vt quatuor. Nõ movebit navim. Eo autẽ perseverãte in sua attractione succedat alius, & adijciat impetum vt quatuor. Iam movebitur navis per additamentũ impetus supervenientis. Ergo tũc vis motiva posterioris hominis habẽs virtutẽ vt quatuor, iam agit in passum omnino simile: quia in fune habente impetum vt quatuor ex motu prioris hominis, cau sat totidẽ alios gradus impulsũ, quos seorsim præstare poterat. Iã ergo agit in passũ omnino simile. Indidẽ quoque evinci videtur, posse agens remissum operari in passum intensius. Pone etenim priorẽ hominẽ impressisse funi septẽ gradus impetũ tantũ. Non movebitur navis. Pone vlteriũ eo perseverante supervenire puerũ habẽtem vim vt vnũ. Ex cõsortio pueri & hominis movebitur navis, vt sæpe nautæ experiuntur. Iã ergo puer per impetũ vt vnũ poterit agere in passũ intensius, sive in funẽ prędituũ impetu vt septẽ, lõgè intẽsiori.

36 *Quartum*, & affine præcedenti, cernitur in gravibus, & põderibus. Quodlibet namque illorum, sive æquale sit, sive minus, additum æquali, & omnino simili, imò etiam maiori, auget sensibiliter ipsius cœptos motus & impetus, vt videre est in lance iam inclinata aliquantulũ, aut etiã descendẽte. Etenim si ad æquãdã bilancem opus sit duplici libra, per appositionẽ vnius non descendet. Si alia superaddatur, descendet, & bilanx æquabitur. Ergo libra vna in põdus alterius libræ omnino æquale impressit novũ impetũ. Imò si vel vncia vnica deficeret ad æquãdam bilancẽ pluribus libris onustam, sufficeret pondus ab vncia impressum, & vel vnica libra satis esset ad navim in profundum Oceani demergendam, si tali & tãto sarcinarũ pondere onusta esset, vt iam neque vnam libram amplius ferre posset. Manifestissimè ergo videtur deprehendi in relatis experimentis, posse sæpe agens operari in aliud omnino simile, imò & in passum longè intensius virtute agentis.

37 *Quintum.* Oppone noctu manum lucernæ, ita vt contra lucernam recta lux reflectatur ; & deprehendes ab ea produci lucem vsque ad manum per lineã quam vocant *rectam*, & *incidentiæ*; similiterque invenies lucẽ aliam produci quasi resultantem a manu impediente, & reflectente versus lucernam per lineam quam

dicunt reflexionis. Dein nota medium intensiori luce clarescere, vtpotè collustratum à duplici luce, altera directa, reflexa altera: quod notavit S. Thomas *in* 1. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. Ergo iam simile agit in simile: nam lux reflexa agit in medium iam illuminatum à directa luce in æquali, aut etiam superiori gradu.

38 *DICES* Fortè, plura ex prædictis experimentis contingere in agentibus æquivocis, de quibus nemo dubitat posse agere in simile. *SED* Evasio hæc difficilis est: tum quia instantię desumptæ ex lucernis multiplicatis & reddentibus lucē medij intensiorem, aliæque nonnullæ in agentibus vnivocis procedunt: tum præterea quia omnes, aut præcipuæ rationes, quibus *sect. præcedenti* probavimus cum Philosopho ac D. Thoma, simile non posse agere in simile per actionem vnivocā, probant nec per æquivocam id præstare posse. Ideo enim lucidum vt quatuor nequit agere aliquid in aliud lucidū vt quatuor, quia nec potest præstare ipsi intensiorem gradum, quem agens in se non habet formaliter, aut eminenter; nec potest ipsi communicare æqualem gradum, cū hic iam præsupponatur in passo. Hæc autem ratio æquè probare videtur de agente æquivoco, v. g. de eodem lucido vt quatuor, quatenꝰ est causa æquivoca caloris. Si enim solùm habeat virtutem æquivocam ex se ad producendum quatuor caloris gradus, non poterit quidquam agere in passum iam calidum vt quatuor; quia nec poterit illi præstare intensiorem gradum, vtpotè non contentum formaliter aut eminenter in virtute æquivoca agentis; nec præterea communicare poterit passo æqualem gradum, qui iam in eo præsupponitur. Non ergo eluditur vis & efficacia experimentorum præcedentium distinguendo inter agēs vnivocum & æquivocum, saltem vbi æquivocum agens in virtute activa non supereminet passo.

39 *PRÆIACTIS* Experimētis difficulter occurrere possunt Authores qui docent, qualitatum gradus omnino similares esse; & aliunde statuunt, agentia partialia non agere per actionem communem, sed quodlibet eorum per suam propriam, licèt effectus illorum crescant, & intendantur, aut extendantur. Quod postremum persuadere conantur multiplici exemplo in luminosis, sonativis, & coloratis. Difficulter, inquā, possunt prædicti Authores occurrere præiactis difficultatibus posita vtraque ea opinione: nā & lucernæ multiplicatæ in gyrum, & solares radij agglomerati in globo chrystallino, & vitra coniuncta, & virtus impulsiva vnius nautę alteri superaddita ad movendam navim, & vnum pondus alteri adiectum ad bilancem æquandam, poterunt seorsim concurrere per propriam cuiusque actionem, & producere in passo omnino simili tantundem lucis, caloris, impulsus, ponderis, ac in se habent; consequenterque ea omnia augere, sive intendere, penes gradus similares, quos ex se præstare possunt. Videant ergo prædicti Authores, quomodo iuxta ipsorū principia, occurrendum sit experimentis præiactis. Vix enim effugium aliquod restare videtur, vt cum ea vtraque opinione componant doctrinam communē ac verisimam, quæ negat aliquid posse agere in aliud sibi omnino simile.

QVARE, vt difficultatibus præiactis respondeam, & doctrina hucusque tradita firmiùs subsistat, exponendum est disput. sequenti, an in relatis experimētis, alijsve similibus, aliquid agat in aliud omnino simile, saltem ratione alicuius circunstantiæ, aut dispositionis virtutem activam comitantis.

DIS-

DISP. QVINQ. SEPTIMA.

QVÆNAM DISSIMILITVDO SVFFICIAT inter agens & passum?

Num. 1. *HÆC Disputatio solùm est quasi appendix præcedentis, & tendit ad expedien-das difficultates in ea propositas* à num. 33.

SECTIO PRIMA.

Posse agens operari in passum omnino simile secundum virtutem activam, dummodò penes densitatem & raritatem, aliasve circunstantias, dissimilia sint. Vbi diversæ Authorum opiniones in concordiam redigun-tur, & pleraque selecta observantur.

2 *DICENDVM EST*, Quamvis agens & passum sint omnino similia quò ad gradum intensionis, si tamen penes raritatem & densitatem, multitudinem agentium, aliasque conditiones ad agendum requisitas differant, posse vnum agere in aliud; non quidem directè & formaliter ratione talis diversitatis; sed solùm indirectè & per modum dispositionis, vt virtus agentis se explicet in intensiorem, seu perfectiorē effectū. Itaque sæpe conditiones prædictæ conferunt plurimùm, vt resultet maior & intensior activitas, non ab ipsis, sed ab agente, prout ijs circunstātijs affecto: atq; adeò prosunt, vt simile possit agere in aliud simile, si penes circunstatias dissimile sit.

3 Assertione sic proposita conciliabis duplicē opinionē: quarū altera negat posse agens operari in passum omnino simile in virtute agendi, quāvis in densitate & raritate, alijsve circunstantijs dissimilia sint: altera verò ex opposito id negat. Priorem tradunt M. Bañez *lib. 1. c. 9. de Generat. q. 2.* Conimbricenses, Suarez, Rubius, & Complutenses locis suprà allegatis. Posteriorē amplectuntur plures Antiquorum a Suario & Aversa relati, insuperque Sotus *2. Phys. q. 4. ad 5.* Toletus in præsenti, *c. 9 q. 3.* Ioānes à S. Th. *q. 5. ar. 2.* ac novissimè Sancta-Crucius *disp. 1. q. 6. sect. 3.* Conciliabis, inquam, vtrāque opinionem, concedendo priori illarum, densitatem, raritatem, multitudinem agentium, aliasque eiusmodi circunstantias, seipsis non constituere, aut intendere vim activā, vt agens operetur in passum aliqui simile, vel præstet effectum non contentum in ratione agendi: posteriori autē opinioni subscribendo in eo, quòd diversitas eiusmodi circunstantiarum, vel conditionum, prosit vt agens sit præditum intensiori quoddammodò virtute, quà agat in passum, alioqui simile vel æquale.

4 *CONCLVSIONEM* Traditā existimo quò ad omnes partes valde cōformem Arist. nam licet in præsenti *cap. 7. ac 9.* nec verbū habeat, quo illi contradicat, vel faveat; nihilominus ab Authoribus posterioris modi dicendi allegatur *8. Physicor. t. 8.* quasi ibidē doceat, *in maiori maiorem virtutem esse.* Quod licèt neque in eo loco, neque alibi in Philosopho invenire potuerim, credo adhuc in eius libris extare; maximè cùm ex ipso didicerimus, virtutem vnitam fortiorem esse seipsa dispersa, idque in proverbium abierit. Manifestū est autem ex densitate maiori agentis, & spissitudine, ac multitudine partium, maiorem virtutem activam colligi, vtpotè vnitiorem in agente. Insuper *3. Physic. t. 42.* docet, si vnum elementum esset infinitæ molis, conversurū cætera alia in se. At non propter maiorē intensionem qualitatum activarum, quę nō infertur ex illa hypothesi. Ergo propter maiorem molem, seu addensationem virtutis activæ. Sed oportet claritatis causa singulas resolutionis partes probare: primam, qua asserimus posse agens ratione maioris densitatis, aut aliarum eiusmodi conditionum, operari intensiùs: secundā, quæ id negat provenire ab ipsa densitate vt ratione formali: tertiā, quà ea vis adscribitur virtuti agentis, vt affectæ eiusmodi conditionibus.

5 *PRIMA* Asserti pars probatur testimonio D. Th. *3. Meteor. lect. 6.* in digressione de coloribꝰ Iridis, vbi ita loquitur: *Quod autē lumen in medio habeat debilius esse, quā in corpore lucido, satis manifestū est: quia mediū quod est perspicuū, est rarū, & leuē propter raritatē medij facilè pertrāsit, & non est multæ permanētiæ in eo. Sed in corpore illuminato est dēsitas, quà corpus lucidū, & etiā lumē aliqualiter terminat: & propter dēsitatē talis corporis lumē in eo est maioris permanē-*

tiæ. Et in huius signum, lumen existens in medio debiliùs operatur, quàm existens in corpore lucido, vel illuminato. Debilior autē operatio consequitur debilius esse, quia modus operandi consequitur modum essendi. Hæc Angelicus Doctor: qui postremis testimonij verbis disertè docet, lumen reddi intēsius in corpore densiori, quam in medio rariori, per quot trànsit: proindeque adhuc posse fortiùs seu intensiùs quādoque operari in remoto, quàm in proximo, propter meliorem dispositionem remoti, quā proximi, ad recipiendum eius influxum. Quod verò relatis verbis de densitate agētis docet, similiter de confluxu plurium agentium tradit *in 2. dist. 13. q. 1. ar. 3 ad 2. & in cap. 2. Dionysij de Divinis nomin. lect. 2.* vbi affirmat coniunctionem diversorum luminum facere intensius lumen, & multiplicare ipsum quādo radij coeūt in idem punctum. Ergo in sententia S. Doctoris negari non debet, posse agentis virtutem activam & operationem intendi propter maiorem densitatem & spissitudinem, vel coniunctionem multitudinemque radiorum. Poterit ergo agens densum operari in aliud simile sibi, si hoc rarum sit; & proinde intendere qualitatem in ipso existentem.

6 *SECVNDO* Probatur experimentis adductis *sect. præcedenti à num. 33.* quæ apertissimè id ipsum demonstrare videntur. Quis enim neget coniunctionem plurium candelarum conferre aliquid ad causandum lumen intensius in medio? coitionem solarium radiorum in globo chrystalino præstare intēsius lumen & ardentiorem calorem, quàm à singulis radijs produci posset? vnionem duplicis vitri sub ijsdem Solis radijs prodesse ad combustionem stipulæ? colligationem diversorum moventium conferre ad trahendam navim? diversorum pōderum ad bilancem æquandam? reflexionem lucis ad medium magis illuminandum? Si autem colligatio plurium agentium seorsim æqualium, & omnino similium passo, sufficit vt in illud agant; idem dicendum est de densitate agentis, ratione cuius vis activa magis vnita est, ac proinde fortior redditur. Quod & vlterioribus experimentis evincitur propiùs ad densitatem spectantibus. *Primum*, & satis commune, apparet in ferro candenti omnino solido ac denso, quod proinde non attingit in se ipso calorem vt octo, sed ad summum vt sex, vel septem: & tamen postquam reddit stipulam, aut lignum calidum in simili & æquali gradu, illud intendit vsque ad calorem vt octo, & generat ignem. *Secundum*, in pluribus partibus aèris, clausis in fornace, quæ vbi addensantur, ardent, & comburunt corpora circumstantia; quod tamen seorsim præstare non poterant. *Tertium*, & cuique obvium, est in cuspide ignis, sive in summo pyramidis cuiusque flammæ, quæ magis vrit, quia plures partes ignis illuc ascendentes cuspidem addensant. Patet igitur, posse agentia naturalia ratione densitatis, & maioris multitudinis, seu colligationis partium, vel alterius circumstantiæ, producere in passo rariori, aut minori, quanquam alioqui simili, qualitatem intensiorem, ac proinde operari aliquid.

7 *TERTIA* Pars eadem probatur ratione à priori desumptà ex illo axiomate adducto à D. Tho. verbis nuper exscriptis, quo asseritur, modum operandi sequi modum essendi; & ex illo alio communi Philosophorum, vno ore docentiū, virtutem vnitam fortiorem esse dispersà. Etenim quo agens perfectius est, eò perfectiùs operari potest: quia operari sequitur ad esse, & per cōsequens ad perfectius esse operatio perfectior. Sed agens quo densius est, eò perfectiorem habet virtutē operativam, cæteris paribus. Ergo quò densius fuerit, eò perfectiùs operatur, cæteris paribus. Probatur minor. Virtus operatrix vnita, fortior, ac proinde perfectior est virtute dispersà, si cætera sint paria. Sed agens quò densius est, eò magis vnitam habet virtutem operativam, vt ex se est manifestum. Ergo agens quò densius est, eò fortiorem, ac proinde perfectiorem virtutem operativam habet, si cætera sint paria. Ergo si passum non æquè densum sit, sed minùs densum, aut etiam rarum, poterit agens densum operari in passum, quanquam alioqui simile.

8 *CONFIRMATVR.* Stat optimè virtutem alicuius agentis habere in remoto aliquem effectum, quem in proximo subiecto præstare nequit, propter specialem dispositionem illius, & huius indispositionem. Ergo & stare potest virtutem agentis densi posse agere aliquid in passum sibi simile, si rarum sit, quanquam nequeat operari in aliud simile, si sit æquè densum. Cōsequentia suadetur: quia passum simile & æquè densum, indispositum

tum est ad recipiendum aliquid ab agente, cùm vnum sit omnino æquale alteri, tam in ratione agendi, quàm in densitate, & cæteris circunstantijs; ac proinde neutrum ab altero quidquam possit recipere, quod iam in se non habeat: passum verò si non sit æquè densum, est in potentia passiva ac dispositа, vt eius virtus reddatur vnitior, aut aliter perfectior ab agente. Si ergo agens potest in vno passo præ alio operari aliquid ratione specialis dispositionis, poterit agens densum agere in passo simili, si rarum sit, quanquam id præstare in eo nequeat, si sit æquè densum. Iam verò antecedens probatur duplici exemplo S. Thomæ: altero supra exscripto de lumine causato à corpore lucido intensiùs in remoto, quam in proximo, quia medium proximum ratione raritatis indispositum est ad lumen solidum, seu perfectum; subiectum verò remotum ratione densitatis aptum est ad recipiendum intensius lumen: altero desumpto ex 2. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 6. vbi inquit: *Cuiuslibet agentis habentis situm, actio prius recipitur in medio, quàm in termino: non tamen oportet quòd recipiatur eodem modo in vtroque; sed secundùm quòd exigit dispositio vtriusque: sicut piscis, qui detentus in rete stupefacit manum, præter hoc quòd stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est.* Stat ergo optimè virtutem alicuius agentis habere in remoto subiecto aliquem effectum, quem in proximo præstare non potest, propter specialem remoti dispositionem, & indispositionem proximi. De quo & plura dedimus *in Physica disp.* 39. quæ huc facilè advocari possunt.

9 *DICES*, & quidem subtiliter: quando asserimus agens & passum esse dissimilia in raritate ac densitate, vel ponimus vnum esse dissimile alteri penes gradum intensionis in qualitate activa; vel potiùs simile omnino & æquale? Si primum dicatur, quæstio de medio tollitur: iam enim agens densum non solùm erit dissimile passo in circunstantia densitatis, sed etiam in ratione agendi, quæ est qualitas secundùm gradum intensionis determinatum: ac proinde nihil mirum, quòd agens possit agere in passum, vtpotè dissimile & inferius intensione. Si autē dicatur primum, & vtrunque supponatur omnino simile penes intensionem, neutrum poterit intendere alterum, quia nihil præstare poterit, quod iam non habeat in se, vt sectione prima arguebamus. Quin imò & omnia ferè argumēta, quibus ibidem probatum est, non posse agens agere in passum omnino simile, videntur evincere idem esse dicendū, sive passum sit dissimile agenti in extrinsecis circunstantijs, sive non; dummodò in eadē qualitate, & intensionis gradu, sit omnino simile agenti. Aut ergo asserendum est, posse aliquid agere in aliud omnino simile; aut negari debet, dissimilitudinem circunstantiarum conferre quidquam, vt possit aliquid operari in passum, alioqui simile penes qualitatem.

10 *ET* Vrgetur adhuc difficultas. Vel agens posita maiori densitate habet virtutem activam intensiorem, quàm sit in passo; vel omnino similem, & æqualem. Si primum dicatur, iam agens erit in actu virtutis perfectioris, cuius oppositum in hac quæstione supponimus. Si secundum asseras, vtrumque erit in potentia ad vlteriorem gradum virtutis, ac proinde neutrū illum producere poterit, quia omnis causa productiva debet esse in actu virtutis ad producendum effectum.

11 *RESPONDEO*, Quando asserimus agens & patiens esse dissimilia in densitate & raritate, alijsque circunstantijs, simul supponi vtrunque esse omnino simile quo ad rationem formalem agendi, consideratam secundùm entitatē & intensionem gradualem; quod solùm præmittitur in hac quæstione. Adhuc tamen locus est vt quantùm ad modum essendi, ac proinde & operandi, inæqualia sint agens & passum in ipsa ratione formali, non secundùm se considerata, sed prout affecta his, vel illis circunstantijs. Passum enim si rarum sit, habet virtutem dispersam, ac proinde est in passiva potētia respectu agentis præditi virtute vnita, quamquam æquali quo ad substantiam & gradum. Vnde & potest aliquid maioris perfectionis ab eo recipere: quod tamen non esset, si circunstātiæ vtrunque essent æquales. quo solùm sensu procedunt argumenta a nobis producta in prima sectione.

12 *AD* Instantiam dico, agens posita maiori densitate habere virtutem activam intensiorem, non formaliter, & secundùm gradum (quem omnino similem quo ad substantiam supponimus in agente & passo) sed virtualiter & quò ad

mo-

modum essendi: ac proinde esse in actu virtuali vt causet in passo aliquem gradū qualitatis intensiorem, licèt illum nō contineat in actu formali. Si autem vtrumque esset omnino simile, non solùm quò ad rationem formalem agendi, sed etiā quò ad circumstātias, vt in primā sectione supponebamus; nullum esset caput diversitatis virtualis inter agens & patiens, ac proinde neutrum in alterum operari posset.

13 *SED* Contra hanc solutionem & doctrinam instabis: Quia, vt suprà arguebamus *num.* 22. nulla causa efficiens producit virtute propriā effectum, quem in se non continet formaliter vel eminēter. Sed agens calidum vt sex v. g. licèt densum sit, non continet formaliter, aut eminenter gradum septimum caloris. Ergo licèt densum sit non potest producere virtute propriā septimū caloris gradum. Maior cum consequentia patet. Minor quò ad primam partem à nobis vltrò conceditur, ne tollatur locus quæstioni. Quo ad secundam verò partem suadetur: Quia quod per se & ratione sui est in potentiā formali vt habeat aliquam perfectionem, non continet illam eminenter: ideoque Sol non est in potentiā formali ad recipiendum calorem, quia illum eminenter cōtinet. Sed agens calidum vt sex, licèt densum sit, est in potentiā formali vt recipiat gradum caloris septimum: quod probatione nō eget. Ergo calidum vt sex, licèt densum sit, non continet eminenter septimum caloris gradum. Non ergo potest illum virtute propriā producere in passo similiter calido vt sex, licèt illud supponatur rarum.

14 *RESPONDEO*, Continentiam septimi gradus caloris in agente denso & calido vt sex, neque esse formalem, neque etiam eminentialem, vt rectè in obiectione probatur; sed solùm virtualem, & instrumentalem, vtpotè circa effectum formaliter superiorem. Inde autem solùm evincitur calidū vt sex, quāvis densum sit, non posse virtute propriā, & in ratione causæ principalis, producere septimum gradum caloris in subiecto raro, sed solùm instrumentaliter, & in virtute ignis, vel alterius causæ superioris, continentis formaliter, aut eminenter talem gradum. Quod tamē neque instrumētaliter præstare posset, si passum æquè densum, & ijsdem circumstantijs affectū existeret: quia tunc ratio agendi, seu virtus activa, nec secundùm se, neque prout affecta conditionibus individuantibus, haberet dissimilitudinem aliquam, adhuc virtualem; omnis autem operatio agentis in passum exigit in principio aliquam vtriusque dissimilitudinem.

15 *REPLICABIS*: Ergo agens calidum vt duo, & densum, poterit intēdere passum; etiam calidum vt duo, si rarum sit, non modò vsque ad tertium, sed etiam vsque ad quartum, quintū, & cæteros gradus vsque ad octavum, proindeque generare ignem: quod est manifestū absurdum. Sequela probatur. Ideo iuxta solutionem traditam potest producere in subiecto calido vt duo tertium gradum caloris, licèt illum non habeat in se formaliter aut eminenter, quia respectu gradus illius excedentis comparatur vt instrumentum ignis, aut alterius causæ superioris, continentis illum gradum formaliter, aut eminenter. Sed in igne, & in causà superiori, etiam continentur formaliter aut eminenter quartus, & quintus, & cæteri gradus caloris vsque ad octavum. Ergo pariter calidum vt duo densum poterit producere in subiecto raro, non modò tertium, sed quartum, quintum, & cæteros caloris gradus vsque ad octavum. Quod ferè argumentum ab absurdo instituebamus suprà *num.* 17. contra asserētes posse agens in passum omnino simile operari.

16 *RESPONDEO* Negando sequelam. Ad probationem dico, ideo agens dēsum & calidum vt duo posse producere tertium caloris gradum in subiecto raro æqualiter calido, quia respectu illius gradus excedentis habet quidquid requiritur vt sit instrumentum connaturale ignis, à quo processit mediatè vel immediatè virtus illa, vel alterius causæ superioris. Etenim ad modicum illum excessum penes vnicum gradum sufficit excessus virtutis activæ penes maiorem vnionem & addensationem in proprio subiecto: non tamen sufficit ad notabilem excessum in operando, qui omnino requireret excessum formalem in ratione agendi. Neque omne agens principale medio quolibet instrumento potest inducere quemlibet effectum, sed solùm medio illo, quod proportionatum sit, vt omnibus palam est. Si autem agens & passum supponantur omnino similia, non modò quò

ad

ad vim agendi, ſed etiam penes circumſtantias, eadem ratio erit vt agens operetur circa paſſum in vnico gradu excedente, aut in pluribus; neque vllum aſsignari poterit diſcrimen, cur nequeat agens intendere paſſum penes gradum quemlibet, ſi ſemel poteſt penes vnicum gradum. Poſito enim agens propria virtute poſſe cauſare aliquid in paſſo, quod in ſe non contineat formaliter aut eminenter, etiam poterit quemcunque gradum excedentem producere; idque, ſive gradus ſubordinati ſint, ſive non: ad eum modum quo in Phyſicâ *diſp.* 26. diximus, ſtatuto ſemel vno corpore circumſcriptivè extra vnum locum, eandem rationem fore vt in pluribus alijs ſimul & abſque numero ponatur.

17 *DICES*: Poteſt agens denſum eſſe inſtrumentum ignis, vel alterius cauſæ ſuperioris, vt producat vnum aliũvè gradum excedentem, & non plures, in ſubiecto raro æqualiter calido. Ergo ſimiliter poſſet eſſe inſtrumentum ad producendum vnum aliumvè gradum excedẽtem, & non plures, in ſubiecto etiam denſo, & æqualiter calido: ac proinde vel vtrumque admittere debemus, vel neutrum. *RESP.* Negando conſequentiam: Quia vbi agens eſt denſum, & paſſum rarum, invenitur in agente ſpecialis circũſtantia virtutis vnitiuæ, quâ poſita agẽs principale poſsit ſpecialiter influere ſecũdùm moderatum exceſſum circa paſſum. Cæterum ſi ambo non modo ſint æqualiter calida, ſed ſimiliter denſa, in neutro illorum erit ſpecialis circumſtantia conferens vt principalis cauſa potiùs medio vno, quàm alio, poſsit influere ſecundum exceſſum moderatum.

18 *QVARTO* Probatur eadem pars, retorquendo argumentum præcipuum, quo aliqui Autores nolunt agens dẽſum poſſe quidquam operari in ſubiectum rarum, alias ſimile in gradu qualitatis. Licèt enim denſitas & raritas non ſint formæ activæ, vt ipſi aſſumunt ex Ariſtotele ac D. Thomâ, neque virtus agendi augeatur intenſivè formaliter ratione denſitatis, aut multitudinis partium, ſive incrementi materiæ, vt & nos fatemur; adhuc augetur virtualiter intenſivè, ſeu ſufficiẽti modo ad cauſandum in paſſo intenſiorem effectum. Ergo agens denſum poteſt operari intenſionem aliquam in ſubiecto raro, quanquam omnino ſimili in gradu qualitatis. Conſequentia patet, & antecedens probatur à priori; quia vbi eſt maior denſitas, aut moles materiæ, eſt etiã magis de formâ ac virtute activâ; ac proinde magis non ſolùm extenſivè. Ergo cùm non ſit magis intenſivè formaliter, ſeu penes gradum, vt ſupponimus; debet eſſe magis intenſivè virtualiter, ſeu penes virtutem ad cauſandum in paſſo intenſiorẽ effectum.

19 *Secundò* probatur idem antecedens expendendo cauſam frequentis cuiuſdam experimenti, in prunis æquè ardentibus, quæ condenſatæ, aut coniunctæ cauſant intenſiorem calorem, quàm diviſæ, etiam in æquali diſtantiâ. Quod manifeſtiſsimè cernitur in magno igne, conſtante carbonibus æquè ardentibus: quorum ſi vnum ab alio dividas, vix calefaciet modiciſsimum ſpatium ſibi proximum, idque tenuiter & remiſsè: ſi autẽ omnes in vnum congreges, totum cubiculi ſpatium incaleſcet ardore longè intenſiori, & intolerabili circumſtantibus. Irridenduſque erit quicunque aſſeruerit calorem illum ſolùm eſſe extenſivè maiorem, non autem intenſivè. Quomodo enim non eſt calor intenſivè maior alio, qui præ illo torquet, excruciat, & quodammodo vrit manum æquè vicinam? Prodeſt igitur addenſatio maior, & multitudo materiæ, vt vis activa operantis ſit maior & intenſior, virtualiter ſaltem, ac ſufficienti modo ad cauſandum in paſſo maiorem intenſionem formalẽ. Quis etiam neget (quòd ſupra indicavimus) plures cereos æqualiter in eàdem aulà nocu ardentes, cauſare maiorem lucem intenſivè, quàm ſingulos? Clariùs enim, & melius movent viſum ad intuendũ: quod ſine clariori luce, atque intenſiori, diffusà per aulam, impoſsibile eſt. Idque immeritò aliqui negant, & contra D. Thomam loco ſupra indicato ex 2. *diſt.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *ſolut. ad* 2. vbi expreſsè ait: *Coniunctio & ſeparatio luminum non intelligitur, niſi ſecundum intenſionem & remiſsionem luminis, multiplicatis, vt ſubſtractis, luminaribus: quorum radij confuſi eſſe dicantur propter luminarium diſtinctionem.* Quomodo ergo quidam ex Diſcipulis S. Doctoris, aiunt ex coniunctione plurium cereorum aut candelarum non reſultare maiorem lucem in aulà intenſivè, ſed extenſivè ſolùm?

20 *CONFIRMATVR* Ad hominem. Nam licet denſitas & multitudo par-

tium materiæ non ſit forma activa, Adverſarij docent virtutem exiſtentem in corpore denſo, aut cõſtante pluribus materiæ partibus, poſſe fortiùs citiuſque operari: quod etiam ad ſenſum patet. Ergo pariter, licet dẽſitas, & multitudo partium materiæ non ſit forma activa, poterit virtus exiſtens in corpore denſo, aut conſtante pluribus materiæ partibus, intenſiùs operari. Vix enim intelligi poteſt maior fortitudo ac celeritas operationis, aut ne vix quidem, abſque maiori intenſione agentis in operando. Mitto argumentum deſumptum ex reflexione luminis, quia ab alijs ſatis ſuperque expenſum eſt, præcipuè à Ioanne de S. Thomà *in præſenti q. 5. ar. 2.* vbi hunc ipſum dicendi modum, quem hucuſque tradidimus, amplexatur, licèt obſcurè, vt aſſolet.

VNDE Experimenta allata *diſp. præcedenti à num. 33.* nobis minimè contradicunt. Quandocunque etenim in ijs agentia aliqua intenſiorem effectũ operantur, provenit aut ex maiori denſitate materiæ, aut ex multitudine & coniunctione agentium: quo caſu non negamus poſſe aliquod agens operari in aliud omnino ſimile, imò & intenſius quò ad rationem formalem agendi.

SECTIO SECVNDA.

Vlteriòres Aſſerti præcedentis partes ſuadentur.

21 *SECVNDA* Præcedentis Aſſerti pars, nimirum, maiorem denſitatem agentis, quàm paſſi, non eſſe rationem formalem operandi in paſſo, adhuc quantùm ad gradum excedentem caloris; probatur facilè: Ratio enim formalis agendi ſumitur ex formà ſubſtantiali vt radice, & ex virtute activa, vt principio proximo operandi: quia vnunquodque agit prout eſt in actu radicali ac proximo. At denſitas non eſt forma ſubſtantialis, vt patet, neque virtus activa, vt omnes conſentiunt: ſed ſolùm ſpectat ad aliud genus qualitatis ortum ex conſtipatione partium materiæ, ſicut è contrà raritas eſt qualitas procedens ex ampliatione partium. Ergo denſitas nullatenus eſt ratio formalis agendi; ac proinde neque quò ad gradum excedentem caloris in paſſo, ſive ſubiecto raro.

22 *CONFIRMATVR*: Quia denſitas partium per ſe loquendo ſolùm infert extenſionem formalem partium activæ qualitatis; non verò intenſionem formalem. Ergo per ſe ac formaliter loquendo non addit vim activam & intenſivam, ſed ſolùm extenſionem virtutis præſuppoſitæ. Conſequentia patet. Antecedens verò probatur dupliciter. *Primò*, & à priori: quia id ſolùm infert per ſe intenſionem formalẽ activæ qualitatis, quod per ſe ſpectat ad lineam qualitatis activæ: ſiquidem qualitas activa & eius intenſio ad eandem lineam formalem ſpectant. At denſitas per ſe non ſpectat ad lineam qualitatis activæ, vt omnibus in confeſſo eſt. Ergo denſitas per ſe loquendo, ſive ex propriâ ratione, non infert activæ qualitatis intenſionem formalem. *Secundò* probatur idem antecedens ab inſtantia duorum calidorum vt ſex, quorum alterum poteſt eſſe denſum vt ferrum, alterum verò rarum vt ſtuppa. Cùm enim ſtuppa poſſit abſolutè recipere vlteriorem caloris gradum, quàm ſextum, & reſolvi in ignem, dubium non eſt quin poſſit etiam quieſcere intra ſextum caloris gradum. Modò ſic. In ferro & ſtuppâ æquè calidis ratio formalis calefaciendi eſt omnino eadem. Sed in ſtuppa ratio formalis calefaciendi non eſt denſitas, quoniam hæc in ſtuppâ non exiſtit. Ergo neque in ferro denſitas eſt ratio formalis calefaciendi. Ergo neque ferrum conſtituitur per denſitatem vt rationem formalem ad calefaciendum ſive iuxta, ſive vltra ſuam formalem intenſionem. Idemque dicendum eſt de multitudine agentium in experimentis ſupra adductis, quoniam illa ex parte virtutum operativarum ſolùm auget extenſionem, non verò intenſionem formalem.

23 *TERTIA* Pars, ſcilicet, rationem formalem operandi quò ad exceſſum circa ſubiectum rarum, provenire agenti denſo à propriâ qualitate activa, vt affectâ ſpeciali illa circumſtantiâ denſitatis, probatur à ſuffi cienti partium excluſione. Quòd enim agens denſum & calidum vt ſex poſſit cauſare ſeptimum caloris gradum in ſubiecto raro etiam vt ſex calido, debet provenire àb aliquâ ratione formali. At non à denſitate, vt modò probatum eſt: non etiam ab ipſo calore vt ſex agentis denſi ſecundùm ſe conſiderato, & præciſo à circumſtantijs individuantibus: quia ſub ea ratione non poteſt eſſe ratio ope-

operandi in aliud omnino simile, vt probatum est *disp. præced.* Ergo de primo ad vltimum ratio formalis quà agens densum, calidum vt sex, constituitur potens ad producendum septem caloris gradus in subiecto raro etiam vt sex calido, consistit in ipso calore agentis, vt affecto circumstantià illà densitatis. Sic enim virtutem suam collectam sive vnitam habet, ac proinde aptam vt in virtute ignis, vel alterius causæ superioris, possit producere qualitatis excessum in moderato gradu. Sic licèt animus rationàlis sit prima ratio sentiendi & intelligendi in homine, vt discurrat & sentiat pendet à speciali dispositione, seu organizatione materiæ, in capite ad discurrendum, & in carnibus ad sentiendum: quia in ossibus nec discurrit, nec sentit, quamvis in ijs totus sit. Sic etiã phantasia, seu imaginativa, ex se præcisè non habet concurrere activè ad productionem speciei spiritualis, adhuc instrumentaliter. Et tamen iuxta plurium Philosophorum sententiam, prout in homine, seu prout affecta dispositione organicà capitis humani, habet esse connaturale instrumentum intellectus agentis ad producendum eam speciem excedentem in perfectione. Mitto quamplures alias eiusdem doctrinæ instantias, & quam suprà dedimus *num.* 5. ex doctrinà D. Thomæ in ipsà densitate & raritate. Nihil itaque mirum si ratio formalis operandi quò ad excessum in corpore raro sit virtus activa agentis, non secundùm se considerata, sed prout affecta speciali circumstantià densitatis, & sub eà dicens ordinem ad causam principalem aut superiorem, tanquã instrumentum ipsius connaturale.

SECTIO TERTIA.

Omne agens agendo repati, & quomodo. Vbi de Reactione.

24 STABILE Axioma est inter Philosophos, & ex Aristotele desumptum in præsenti *lib.* 1. *textu* 53. omne agens agẽdo repati. Verba quibus id docet sic habent: *Cibus autem faciens & ipse patitur: aut enim calefit, aut infrigidatur, aut aliud quod patitur, simul faciens.* Et lib. 4. de Generat. Animal. cap. 3. vniversaliùs loquitur, inquiens: *Omne agens patitur etiam à patiẽte: vt quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur; quod calefit, refrigeratur à calefaciente.* Idque pluribus locis tradit D. Thomas, quorum plura habes in Alamannio *hic q.* 41. dum ait: *Respondeo dicendum, quòd necesse est dicere quòd omne agens communicans in materiam cum passo, dum agit patitur secundùm eandem contrarietatem, & partem.* Suffragantur omnes Peripatetici atque Interpretes, tã Veteres, quàm Recentiores: vt Themistius, Simplicius, Galenus, Avicenna, cum Schola Medicorum, & plurimi ex Neotericis, quos allegant, & sequuntur Conimbricenses *lib.* 1. *cap.* 9. *q.* 2. Ioannes à S. Thoma *q.* 5. *ar.* 4. Complutenses *disp.* 8. *q.* 3. Arriaga *disp.* 3. *sect.* 12. Tellez *disp.* 74. *sect.* 2. Hurtado *disp.* 9. *Phys. sect.* 11. Suarez *lib.* 2. *de Anima cap.* 6. Lalemãdez *disp.* 10. *partit.* 10. & Sancta-Crucius *q.* 7. *sect.* 4. Idque convincitur, tum ratione S. Thomæ, quia omne agens physicum est in potentia & in actu secundùm diversa; in potentià ad patiendum, & in actu virtutis ad agendum: ac proinde ignis v. g. dum agit in aliud, quasi frangitur ab eo, & patitur. Similiter, si aqua fervens admisceatur frigidæ, vtraque mutuò se frangit, & in alterà remittitur calor, in alterà frigus. Ferrum quoque candens, vbi in aquam mittitur, ita eam calefacit, vt infrigidetur, aut saltem patiatur remissionem caloris.

25 *MARSILIVS*, alijque, quos allegat Toletus *in præsenti q.* 19. *art.* 3. docuit agens non repati à contrario patiente; sed ab influentijs cœlorum; existimans ad ipsos spectare depressionem virium potentioris agentis ad obtinendam requisitam temperiem pro generatione mixtorum: alioqui enim infirmius agens absorberetur à potentiori, ac proinde impediretur generatio mixti. *SED Contrà.* Recursus enim ad cœlum exosus est Philosophis, vbi causa inferior prona & in aperto est, cui effectus aliquis tribuatur. Manifesta autem est causa inferior, cui tribuamus depressionem illam agentis potentioris. Quis enim non tribuat aquæ refractionem caloris existentis in fe-o, quoties in eam mittitur? Quis etiam depressionem illam caloris & frigoris, quæ resultat ex permistione aquæ ferventis cum frigidà, non adscribat eidem aquæ?

26 *SECVNDO* Guilielmus Hentyberi *Sophismate vltimo* censet, agens non repati à contrario secundùm se totum sed secundùm partem aliquam. *VERVM*

Ad-

Adversantur manifestæ experientiæ in oppositum: siquidem in permistione illà aquarum calidæ & frigidæ, vnaquæque intersecat aut pervadit totam alteram, nullaque relinquitur nisi tepida. Quo manifestè & ad sensum ostenditur, agens repati à patiente secundùm se totum. nam alioqui perciperemus guttas aliquas, aut ferventes, aut frigidas, sicut antea; non autem omnes tepidas, vt de facto experimur. In aliquo tamen casu potest esse vera hæc opinio, quando aliquod agens non totum continetur intra sphæram alterius, sed secundùm partem tantùm. Cæterum in eo eventu pars illa computaretur quasi integrum agens; semperque verum esset agens repati à passo secundùm se totum; scilicet, secundùm totum id, penes quod continetur intra ipsius sphæram.

27 *TERTIA* Opinio est Henrici Suiseth, aliorumque asserentium, agens repati à patiente, non secundùm eandem qualitatem, per quam agit, sed secundùm aliam, nisi indirectè tantùm & peraccidens: ita, vt quando ignis calefacit aquam, hæc non introducat in ipso igne frigiditatem calori oppositam, sed humiditatẽ contrariam siccitati ignis: qui proinde solius siccitatis patitur dispendium immediatè & directè; non verò caloris, nisi indirectè tantùm. *SED Contrà I.* Nulla enim ratio est vt frigus aquæ patiens à calore ignis, non agat in eundem calorem: siquidem est agens naturale præditum omnibus requisitis ad agendum. *CONTRA II.* Aliquod enim agens immediatum debet assignari illius frigiditatis, quæ consequitur humiditatem in igne productam ab aqua. Illud autem nequit esse aliud, quàm frigus eiusdem aquę. Maximè si supponamus ferrum candens, aut carbonem igneum esse profundissimis aquis vndequaque concluſum. Tunc enim non apparet aliud naturale agens, præter aquam, quod producat frigiditatem in ferro, vel carbone. Nec vtiliter recurretur ad frigidas cœli influentias seorsim, vbi adest vicinum agens particulare aptissimum tali effectui præstando.

28 *DICENDVM* Itaque est omne agens repati a patiente secundùm eandem qualitatem: ac proinde calidum v.g. medio suo calore agere in frigidum, subeundo dispendium sui caloris quatenus recipit, licèt violenter, frigiditatem in se traiectam, pellentemque ab ipso partem caloris: similiter quoque frigidum pati à calido secundùm eandem qualitatem, penes quam agit; quatenus recipit à calido gradum aliquem caloris pellentem à frigido gradum aliquem frigiditatis. Quod satis probant experimenta & rationes superiùs adductæ. Plura alia vide apud AA. *num.* 24. allegatos.

DIS-

DISP. QVINQ. OCTAVA.

DE NVMERO ET LOCO ELEMENTORVM.

Vtrùm existant quatuor elementa, totidem locis distincta?

Num. 1. *ELEMENTI Nomine communiter intellecto accipi solet quodlibet alicuius rei principium primum, ex quo illa consurgit. Eo sensu litteræ dicuntur primæ scripturæ elementa, quoniam primò ex ijs constituitur, & in easdem resolvitur. Similiter & Philosophi cum Aristotele prima principia entis naturalis, elementa vocant; & adhuc præsiùs materiæ primæ id nomen adaptant, quoniam omnium cõpositorum formarumque substantialium, exceptà rationali, primum principium est, ex quo, veluti radice, ortum ducunt. In præsenti autem nomine* elementi *solùm accipimus illa corpora, quæ non constant admistione contrariarum qualitatum: qualia sunt, ignis, aer, aqua, & terra: numerumque & situm illorum inquirimus. De quo agit Philosophus per sex prima capita libri secundi de Generatione. Sed disputatio præsens ad tria priora capita spectat, præcipuè ad tertium.*

SECTIO PRIMA.

Statuitur natura elementi, eiusque divisio adæquata in quatuor species iuxta doctrinam Aristotelis ac D. Thomæ defenditur, & à pluribus impugnationibus, tum frequentibus, tum & exquisitis, vindicatur.

2 *PHILOSOPHVS* In præsentì non tradit, sed supponit definitionem elemẽti, quam assignaverat *lib. 3. de Cælo cap. 3.* ferè a principio, *textu* 31. illis verbis: ἔστω δὴ τὸ στοιχεῖον τῶν σωμάτων, εἰς ὃ τὰ ἄλλα σώματα διαιρεῖται, ἐνυπάρχον δυνάμει, ἢ ἐνεργείᾳ· τοῦτο γὰρ ποτέρως, ἔτι ἀμφισβητήσιμον. αὐτὸ δὲ τοῦτο ἐστὶν ἀδιαίρετον εἰς ἕτερα τῷ εἴδει. *Sit igitur id corporum elementum, in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest potentiâ, aut actu. hoc enim utro modo se habeat, adhuc ambigitur. ipsum autẽ, est penes formam diversã indivisibile.* Prosiùs adhuc eandẽ definitionẽ tradit *lib. 5. Metaph. cap. 3. textu* 4. dum ait esse *id, ex quo primùm insito, ac indivisibili specie in aliã speciem, aliquid cõponitur.* Vtramq; explico iuxta interpretationẽ D. Thom. hoc ipso Metaphysicæ loco. Ratiò *corporis* implicitè ponitur loco generis per τὸ *id.* in eà namq; convenit elemẽtum cum alijs corporibus, quæ elementa non sunt, velùti cum cœlo, & corpore mixto. Verùm cùm ratio *corporis*, in quà convenit cum ijs, sit de predicamento substãtiæ, vtpotè generica, & cõpleta, per eam ipsam differt elemẽtũ à materiâ, & formâ materiali; quæ non habent rationẽ corporis de prædicamẽto substantiæ, seu completi & perfecti; sed incompleti, si seorsim accipiantur. Quo sensu intelligendus D. Thomas *ibidẽ* dum ait: *Universalia elementa sunt materia & forma, vt patet in primo Physicorum; quæ tamen non sunt corpora. Hic autem intendit Philosophus de elementis, quæ non sunt corpora, scilicet, prædicamentalia & completa.*

3 Additur deinde, *in quod cœtera corpora dividuntur, in quibus inest potẽtia, aut actu*: Quia de ratione elementi est quod existat in cæteris corporibus, scilicet, mixtis, quorũ elementũ est, & quæ in elementa dividi possunt. An verò actu & formaliter, an verò in potẽtia existat solùm & virtute, non determinat eo loco Philosophus. Per illam autem particulam ἐνυπάρχον, *inexistens*, denotatur elementum debere esse intrinsecum rei, cuius elemẽtum est, ad distinctionem aliorũ, quæ solùm extrinsecè requirũtur. Quare D. Tho. inquit: *De ratione elementi est, quòd sit existens sive intrinsecum. Per quod differt elementum ab omni eo, ex quo fit aliquid, sicut ex transeunte; sive sit privatio, aut contrarium. Elementa enim oportet manere in ijs, quorum sunt elementa.*

4 Subditur præterea: *Ipsum autem est penes formã diversã divisibile.* In hoc enim elementum distinguitur à mixto, cũ quo aliàs in communi ratione corporis conveniebat; quòd mixtum potest dividi in elementa quibus componitur; atque adeò resolvi potest in diversa penes formam, vel speciem, qualia sunt ipsa ele-

elementa, at verò elemẽta, cum sint corpora simplicia, & prima, ex quibus ipsum mixtũ componitur, nõ possunt in alia secundum speciẽ, sive formam diversa, dividi, seu resolvi. Quod totum mirà claritate explicat S. Thomas eò loci per hæc verba: *In corporibus naturalibus, in quibus etiã dicimus elementa quorundam, illa dicũtur corporum esse elementa, in quæ vltimò resolvuntur omnia corpora mixta: & per consequens ea sunt, ex quibus primò cõponuntur huiusmodi corpora. Ipsa autem corpora, quæ elementa dicuntur, non dividuntur in alia corpora specie differentia; sed in partes consimiles: sicut quælibet pars aquæ est aqua.*

5 *POTEST* Ratione idipsum suaderi. Omne enim quod est primũ principium in aliquo genere, indivisibile est: & è contrà omne quod intra idem genus habet rationem, vt aiunt, principiati, est divisibile in ea, quæ insunt: ideoque prædicamẽtalis vnitas est indivisibilis in genere quantitatis discretæ, & littera in genere scripturæ, quoniã primi principij rationem habent; cœterũ numerus & scriptura, quoniam in proprio vniuscuiusque genere habent rationem principiati, dividi possunt in ea principia, scilicet, vnitates & litteras, quibus coalescunt. Atqui elementa cõparantur vt prima principia, quibus mixta corpora intrinsecè coalescunt. Ergo elementa in se ipsis sunt indivisibilia; corpora autẽ mixta ex ijs cõstãtia, divisibilia sunt. Sed elementa nõ sunt indivisibilia penes partes integrales & cõsimiles; cùm manifestum sit aquam v.g. dividi posse ac solere in plures partes, quarũ quælibet sit aqua. Solũ ergo indivisibilia sunt penes formam, sive speciem, vt loquitur Philosophus; quia nullum elementũ seorsim sumptum in plura specie dividi potest, etsi in plura numero ac partialiter dividatur. Insistẽdũ itaque est præiactæ definitioni, ab omnibus Philosophis admissiæ, & à D. Thomà probatæ, prætermissis alijs quorumdã Recentiorũ, definientium elementum, *corpus, quod ex primis qualitatibus duplici tantũ gaudet*; sive, vt Atriaga vult, *corpus, quod ex primis qualitatibus vnà solũ potitur*. Prætermittẽdæ, inquã, aut reijciẽdæ sũt: tũ, quia à tritâ omniũ Philosophorũ viâ discedunt: tũ quia prima illarũ nimiùm à posteriori definit elementũ: tũ denique quia secunda supponit doctrinã falsã de existentiâ vniusprimæ qualitatis solùm in singulis elemẽtis, quam infrà refutabo.

6 *NEQVE* Obstat, si contra definitionẽ traditã ex Philosopho objicias, illam convenire alijs à definito, scilicet, mixtis homogeneis, seu quorũ partes omnino similes sunt. Etenim pars ligni v.g. est corpus in quod dividitur lignũ, & non est divisibilis in partes diversas secundùm formã, sive speciẽ, sed solùm in partes similares, quarũ quælibet est lignũ. Ergo esset id, in quod alia corpora dividuntur, ipsum verò indivisibile secundũ formã vel speciẽ, etiã convenit mixto homogeneo, quale est lignũ. *RESP.* enim verbis D. Tho. vbi suprà lect. 4. aientis: *Secundum quod cũ in definitione elementi ponatur, quòd non dividitur in diversa secundùm speciẽ, nõ est intelligendum de partibus, in quas aliquid dividitur divisione quantitatis: sic enim lignum esse elementũ, quia quælibet pars ligni est lignum: sed de divisione quæ fit secundũ alterationẽ, sicut corpora mixta resolvuntur in simplicia.* Vnde patet ligno minimè cõvenire definitionem elementi, sicut neque alijs mixtis homogeneis: quia licèt divisione quãtitativà nõ dividantur in diversa specie, sed numero tantum; divisione tamen alterativà, seu quæ per alterationem fit, dividi possunt in elementa specie diversa. quod tamen repugnat elemento iuxta ipsius definitionem. non enim aliquod elementorum dividi potest per alterationem in plura alia.

7 *PRÆIACTA* Definitio convenit quatuor elementis communiter assignatis: scilicet, igni, aèri, aquæ, ac terræ: quia omnia singulaque illorum indivisibilia sunt in plura secundum speciẽ, sive formam, in se ipsis; ea verò, quibus primò insunt, divisibilia sunt. Verum quidem est nonnullos Veteres Philosophorum plura aut pauciora quatuor elementis assignasse. At postquam Aristoteles numerum quaternarium designavit, illorum opiniones penitus exoleverunt. Difficile autem est assignare rationem eius communis doctrinæ, cuilibenter subscribo.

8 *PROBANT I.* Aliqui: Quoniam ignis est in loco supremo, terra autẽ in infimo. Ergo debent dari duo alia, vnũ quod sit prope ignem, aliud verò quod iuxta terram; ac proinde aer & aqua. *Confirmant* idipsum: Quia quatuor solum existunt spatia infra cœlum; vnum iuxta

cœ-

cœlum, quod alijs omnibus supereminet, & est locus proprius ignis; aliud summè à cœlo distans, quod est centrum terræ, & omnium infimum; aliud prope infimum, quod est receptaculum aquæ; aliud prope summum, quod est locus aeris. Quatuor ergo solùm elementa sunt, sicuti quatuor solùm spatia assignari possunt.

9 *VERVM* Ratio hæc non probat efficaciter elemẽta debere esse quatuor, & non plura, aut pauciora. Nã præterquamquod in eà supponitur terram esse in loco infimo omnium elementorum (quod tamen multi probabiliter negant, vt infrà constabit) adhuc convinci non poterit fundamento præiacto, qui dixerit esse aliud elementũ supra ignẽ, aliud verò infra terram, aut inter ignẽ & aera: neque etiam qui dixerit, non esse cur quatuor spatia determinatè assignentur infra cœlum potiùs quàm tria, aut quinque, aut plura. Quanquam sit coniectura probabilis, & à Philosopho indicata *cap. 3. textu 22.*

10 *PROBANTVR.* Alij, ab existentiâ duorum elementorum, quorum alterum est levissimum, scilicet, ignis; alterũ verò gravissimum, scilicet, terra. Vnde inferunt, debere existere duo alia elemẽta, quorũ alterum sit leve prope summũ, scilicet, aer; alterum grave prope summũ, videlicet, aqua. *COETERVM* & hæc mera congruentia est: quia concessio elemento ignis summè levi, & terræ summè gravi, nulla ratio evincit propterea assignari debere duo alia elementa media inter vtrumque extremum, potiùs quàm tria, vel vnum tantum.

11 *FATEOR* Difficilem probatu esse doctrinam communẽ, vt in pluribus alijs cõtingit, quæ ferè ante oculos habemus, & vix rationẽ eorum efficacẽ invenire possumus. Certè vt intellectus non nimiũ avidus novitatũ in hac re cõquiescat, sufficit omniũ Philosophorum consẽsus cum Aristotele ac D. Thomâ; & præterea commune experimentum. Nemo enim hucusque cognovit corpus aliquod quod non constet ex temperamento quatuor primarũ qualitatum, nisi ignẽ, aerẽ, aquam, & terrã. Sola igitur hæc quatuor habent rationẽ elementi simplicis. Propterea enim simplex dicitur, quia licèt cõstet ex materiâ & formâ subsantiali, non admittit compositionem ex quatuor primis qualitatibus, vt contingit in quolibet mixto; sed tantum ex duobus, saltẽ naturaliter: quanquam violenter soleat plures habere.

12 *ADHVC* Tamen, præter experimentum, probanda est suppositio eadem ratione Aristotelis in præsenti *textu* 16. & D. Thomæ *lect. 2. & 5.* proposita sub hac formâ, & solùm à posteriori. Solùm existunt in rerum natura quatuor cõbinationes primarũ qualitatum cõnaturales: scilicet, caloris & frigiditatis, humiditatis & siccitatis. Ergo solum existunt quatuor prima corpora, seu elementa, quibus cõnaturaliter ac propriè prædictæ combinaconveniãt. Sed hæc sunt ignis, aer, aqua, & terra. Igitur hæc quatuor, & nõ plura aut pauciora elemẽta existunt. Consequentia hæc vltima rectè infertur. Antecedẽs verò præcipuum probatur: Quia solùm invenire est has combinationes, naturales, calidum & siccum; calidum & humidũ; frigidum & siccum; frigidum & humidũ. Siquæ enim aliæ cogitari possunt inter eiusmodi qualitates per contrapositionẽ vnius ad aliã, vt calidum & frigidum, siccum & humidum, violentæ erunt, & non connaturales corpori simplici, quale est elementũ. Ergo solũ existũt in rerum naturâ quatuor naturales primarum qualitatũ combinationes. Prima verò consequentia probatur: Quia quælibet conaturalis primarum qualitatum combinatio exigit aliquod corpus primum, seu simplex, in quo naturaliter sit: quemadmodũ omnis temperies, seu naturalis mixtura quatuor primarum qualitatum exigit aliquod corpus mixtũ, in quo existat cõnaturaliter. Si ergo solum existunt quatuor primarum qualitatum combinationes, à posteriori infertur existere solùm quatuor prima corpora, seu elementa, quibus connaturaliter debeantur. Iam verò minor subsumpta, quâ asseritur, eas combinationes connaturaliter inveniri in igne, aere, aqua, & terra, suadetur breviter: quia vt infrà constabit, ignis est calidus & siccus; aer humidus & calidus; aqua frigida & humida; terra vero sicca & frigida.

13 *SED* Adversus hanc probationem obijcies, in eà supponi quod probandum erat: scilicet, solùm existere quatuor primas qualitates iam enumeratas. Vnde enim constat non esse aliquam aliam, priorem ex quâ illæ ortum habeant? Vnde etiam, cæteras omnes ex ijs quatuor

originem ducere. Quà etiam ratione probabitur in quibusdam mixtis non residere alias omnino ab ijs diversas, vt in in magnete ad trahendum ferrum; in remora ad detinendam navim; in pipere, sale, & vino, pluribusque medicamentis, ad præstandù singulares & miros effectus? Aut quonam fundamento suaderi potest qualitates istas, adeò dissidentes inter se, à quatuor illis procedere, quibus adeò dissimiles sunt? Gratis ergo supponitur existentia quatuor primarum qualitatum, vt ex totidem earum combinationibus probetur existentia quatuor primorum corporum, seu elementorum.

14 *RESP.* Supponi quidem existentiam quatuor primarum qualitatum; non tamen gratis, aut sine fundamento sufficiente: quia loquendo de primis qualitatibus inter sensibiles corruptibilium corporum, & ordinatas ad generationem, perfectionem, ornatumque ipsorum, in quantum talia sunt, nullæ aliæ priores inveniuntur quatuor enumeratis. Illæ enim sunt quas primò omnium deprehendimus disponentes ad generationem rei naturalis: ac proinde nullum est fundamẽtum vt alias priores statuamus, sed solùm vt cæteræ omnes existimentur consecutæ aut resultãtes ex quatuor prædictis. Quare & vis magnetis ad trahendum ferrum, & remoræ ad detinendã navim, & piperis, & salis, & vini, & plurium medicamentorum ad singulares quosdam mirosque effectus, adscribenda est originaliter quatuor prædictis qualitatibus, nõ secundùm se consideratis (alias in omni mixto obtinerent eandẽ vim, & similes effectus præstarent) sed prout diversimodè attẽperatis, & iuxta diversitatẽ agentium in quibus existunt, & quorũ virtuti activæ subordinantur in ordine ad diversos effectus præstandos.

15 *DICES*: Diversa quatuor qualitatum primarũ attemperatio sufficit ad inducendos quãplures effectus diversos, & virtutes operativas, quia attẽperatio potest esse multiplex supra quarernariũ numerum. Sed etiã combinario earumdem primarum qualitatum inter se potest esse multiplex supra numerũ quaternariũ. Ergo ob eamdẽ rationẽ sufficiet ad inducẽdum plura quã quatuor elemẽta. Consequentia deducitur à pari vtriusque, & maior desumitur ex doctrina solutionis præiactæ. Minor verò probatur: Ideo enim attemperatio primarum qualitatum potest esse multiplex supra quaternarium numerum, quia licèt illæ secundùm se solũ sint quatuor, nihilominus ratione intẽsionis ac remissionis variæ multipliciùs inter se attemperari possunt. Sed licèt quatuor sint secundũ se, etiam ratione intensionis ac remissionis multipliciùs, & vltra quaternarium numerum combinari possunt. Ergo & combinatio primarum qualitatũ potest esse multiplex supra numerũ quaternariũ. Probatur minor in quà solùm est difficultas: Nam summum calidum potest combinari non solùm cum remisso sicco, sed etiàm cum summo; siquidem nullam oppositionẽ inter se habẽt, adeoque ex hoc capite iam sunt duæ cõbinationes. Deinde summũ humidum cõbinari potest cũ summo frigido, ob eãdẽ rationem, & præterea cũ frigido remisso: vnde aliæ duæ cõbinationes habentur. Præterea remissum calidũ cum remisso sicco, aut humido, aut frigido: vnde aliæ quatuor. Idemque apparet in cæteris transposito ordine, vt ad præscriptum quadrati (sic enim Arithmetici appellant) sexdecim combinationes quatuor primarum qualitatum in gradibus remissis appareant, vltra quatuor indicatas penes gradum summè intensum. Ergo licet primæ qualitates secundũ se cõsideratæ sint quatuor tãtũ, ratione diversæ intẽsionis ac remissionis multipliciùs adhuc, & vltra quaternarium numerum, combinari possunt.

16 *RESP.* Concessà maiore, negando minorem. Ad probationẽ nego etiam minorẽ. Ad huius probationem dico, solas combinationes suprà ex Aristotele ac D. Thomà assignatas esse naturaliter possibiles, & siquæ fortè alia ab ijs assignetur, non sufficere ad inducendum novum elementum. Quare leorsim descendẽdo ad singulas combinationes in obiectione propositas, dicendum, ex quatuor ibidẽ assignatis vnam solùm esse possibilẽ ad summũ, nẽpe summè calidi & sũmè sicci, qualiter reperitur in igne, iuxta aliquos. Nec est locus vt summum calidũ cum sicco remisso cõbinetur, sed cũ summo, aut propè summo: neque etiã vt duæ aliæ qualitates in sũmo simul cõiungãtur quæcũq; illæ sint, vt postea ostẽdemus; aut cõtrariæ, adhuc in remisso gradu, intra idẽ elemẽtũ: quia habere qualitates cõtrarias, in quocũq; gradu assignẽtur, proprium est mixti, sive perfecti, sive imperfecti; alienũ

au-

autem à puro elemento. Similiter positis in igne simul calore ac siccitate in summo, non est locus vt aliqua earum qualitatũ existat in summo gradu penes aliud elementum: quia qualitates hæ prout in summo obtinent rationem proprietatum naturaliter emanãtium à forma cuiusque elementi, & eadem proprietas nequit simul convenire formis elementaribus specie diversis. Nec deniq; qualitates symbolæ in remisso gradu, vt calor cum siccitate, & frigus cum humiditate, constituere possunt diversam combinationem prout opus est ad elementum distinctum. Aut enim qualitates illæ ponuntur in gradu sufficiente ad existentiam & cõservationem alicuius ex quatuor elementis iam assignatis; & tunc palam est non induci elementum distinctum. Aut ponuntur infra gradum ab ijs exactum; & tunc resultabit mixtum imperfectum, quod exposcit refractionẽ qualitatum, non modò dissymbolarũ, sed etiam symbolarũ inter se. Nulla itaque assignari potest vtilis combinatio primarũ qualitatum, præter enumeratas ab Arist. vt inde resultet elemẽtum a cœteris quatuor distinctum.

17 *INSTABIS* Adhuc: Quia exploratum non est a Philosopho assignari combinationes sufficientes ad inducendum quatuor elementa: nam in libro de Mundo ad Alexandrum *c.* 2. & 3. assignat quinque elementa, quæ proinde exigunt quinque combinationes: & è cõverso *lib.* 4. *de Cœlo* solùm statuit duas elemẽtorum differẽtias penes grave & leve: vnde colligi videtur ex ipsius sensu duo tantùm esse elementa. Non ergo exploratum est Arist. quatuor elementa posuisse, saltẽ ita vt firmiter in hac doctrina persisteret.

18 *RESP.* De mente Aristotelis in hac re dubitari non posse: cùm hoc *lib.* 2. *de Generat. cap.* 2. & 3. & 4. ex professo statuat & probet elementa non esse plura, aut pauciora, quàm quatuor. Neque obstat primum testimonium, quoniam in eo sensus est, cœlum esse quintum elementũ supra quatuor alia, non quia propriè tale sit, sed quia cœteris assimilatur in ratione corporis simplicis. Hoc enim non sufficit ad rationẽ elementi, nisi præterea sit insitũ corporibus mixtis, & hæc in illud dividantur: quod cœlo non convenit. Ad secundum locũ patet, differentias illas elementorũ penes grave & leve non esse infimas; sed subalternas. Nã sub gravi continentur grave simpliciter, scilicet, terra; & grave respectivè ad levia, scilicet aqua: sub levi autẽ, leve simpliciter, quale est ignis; & leve respectivè ad gravia, quale est aër.

19 *REPLICABIS*: Etiam divisio elementi in ignem, aèra, aquam, & terrã, non est generis in species infimas, sed subalternas. Ergo aut non sunt assignanda plura elementa quam duo, nimirum leve & grave; aut plura quatuor elementis statuenda sunt. Consequentia patet, & antecedens suadetur: quia vnumquodque ex ijs quatuor elementis continet species diversas infra se: ac proinde nullum eorum constituit speciem infimam, sed solùm subalternam. Assumptum probatur quò ad ignem, qui videtur necessario dividẽdus in plures species, propter miram diversitatem ignium quorundam. Est enim ignis valde fervens in Pythecusis, qui tamẽ non comburit, vt testatur Aristoteles *lib. de Admir. cap.* 35. Plinius etiam *lib.* 2. *capit.* 106. scribit in Chymæra monte, qui Pharsalidis Lyciæ pars est, inveniri ignem qui aquis accenditur; terra autem & fœno extinguitur, contra indolem cæterorum ignium. Additque in Nymphæo ignem è petrà manare, qui aquis incalescit; sicuti & alium in Mẽgalopolitano agro, qui iugiter ardet iuxta gelidum fontem. Strabo quoque & Solinus aiunt, ignem montis Ætnę ita esse nivibus mixtum, vt invicta vtriusque vi, nec calor frigore, nec frigus calore mitigetur. Ioãnes Diaconus in Vita S. Nicolai in Methodio, *Est*, inquit, *penes vrbem Pateram Lyciæ quidam locus campestris, qui totus pernoctem, quasi ferrarij fornax, ignivomam evaporat flammam. cuius natura dicitur esse, vt siquis experientiæ causa manus propriùs admoverit, ardorem quidem sentit, sed nullã patitur adustionem.* Mirabilius adhuc est inveniri ignem frigidũ simul & calidũ, qui ardẽdo calet, at nõ vrẽdo frigescit, vt ex alijs perhibet Maiolus *Dierũ Caniculariũ Colloq.* 1. & 22. At hæc omnia sufficiẽtissima signa sut diversitatis specificæ inter ignes. Ergo elementum ignis continet sub se plures species omnino diversas.

20 *CONF.* Vrgentiùs adhuc in igne gehennæ, qui videtur specie essentiali diversus à nostro: tum quia comburit animas sontũ omnino spirituales, quod nostro igni impossibile est; tum etiam quia multi ex Patribus indicant esse alterius

omnino naturæ ab hoc igne sublunari: & præsertim Origenes *lib.* 2. περὶ ἀρχῶν, sive *de principijs* cap. 20. aliàs 11. illis verbis: *Qui discedunt à Iesu, mittuntur in ignem æternum, qui alterius generis est ab hoc igne, quem habemus in vsu.* Et Damascenus lib. 4. de Fide cap. vlt. fine, ait, *flagitiosos homines & spiritus conijciendos esse in ignem æternum,* οὐχ ὑλικὸν, οἷον τὸ παρ' ἡμῖν· ἀλλ' οἷον εἰδεῖνό θεός: *non materialem, vt est noster; sed qualem novit Deus.* Idem habet Lactantius *lib.* 7. *Divin. Instit. cap.* 21. Ergo divisio elementi ignis in tartareum & nostrum, est in varias species, essentialiter & toto cœlo diversas.

21 *CONFIRMATVR II.* Quia etiam ignis elementaris, suprà aeris regionem existens, est specie diversus à nostro. Hic enim oculis apparet, & præ se fert rubeum ac lucidum colorem: ille autem invisibilis est, & nullius coloris. Omne autem quod ab alio distinguitur ex naturâ suâ tanquam visibile ab invisibili, & coloratum à non colorato, licèt ex hac parte solùm accidentaliter differat, à posteriori colligitur distingui ab eo penes proprietates, quæ in vno exigunt colorē, in alio verò negationem coloris. Quidquid autem distinguitur ab alio secundùm proprietates, etiam secundùm essentiam distinguitur. Accedit, mira prodigia passim deprehendi in igne illo elementari, ac meteoris varijs, præsertim fulminum, omnino alienis à naturâ nostri ignis: propter quod fortasse Aristoteles *lib.* 1. *Meteororum cap.* 3. negavit illum esse ignem verum, scilicet, relatè ad purum & elementarem. Eadem quoque obiectio ferè efformari posset circa varietatem specificam terrarum, quæ iuxta variam conditionem diversos fructus edunt; similiterque aerum, & aquarum, quibus maxima in effectis diversitas est, quæ proinde arguat diversitatem illorum omnium specificam. Non ergo existunt solùm quatuor elementa in specie atomâ, sed multo plura, & ad summum quatuor in specie subalternâ, quæ adhuc habeant suprà se duo genera superiora ac distincta penes elementum grave ac leve.

22 *RESP.* Negando antecedens præcipuæ obiectionis. Divisio enim elementi in ignem, aerem, aquam, & terram, est generis in species infimas. Ratio est, quia singulis illorum cōveniunt cædē specie proprietates: vt igni calor & siccitas; aeri humiditas & calor; aquæ frigiditas & humiditas; terræ siccitas & frigiditas, modo inferiùs explicando. Ad probationem antecedentis respondeo, miram illam diversitatem ignium non oriri ex diversitate specificâ elementi, quâ elementum simplex est, & purus ignis; sed ex diversa temperie qualitatum existentium in hoc nostro igne, qui non est elementum purum ac simplex, sed mixtum & compositum, solumque simile puro elemento, vt inquit Aristoteles loco nuper allegato ex *lib.* 1. *Meteor.* Plures etiā effectus mirabiles ignium relati in obiectione oriri possunt ex antiperistasi, sive circumobsistentiâ contrarij, vim habente, vt ignis prope nives vehementiùs ardeat, & nix prope ignem intēsiùs rigeat. Denique tam multiplex esse potest quatuor qualitatum combinatio in quolibet mixto, præsertim adiunctâ multiplici diversitate materiæ, vt innumeros effectus mirabiles, & dissidentes pariat. Non tamen ideo colligenda est diversitas specifica & essentialis in elemento ignis; sicuti neque illam inferre licet in natura hominis, quanquam ex diversa dispositione materiæ, ac variâ temperie humorum sit in vultibus varietas tanta, & maior adhuc in affectibus sensibilibus, animæque passionibus.

23 *AD I. Confirmationem* occurri potest pluribus, quæ iā dedi *tom.* 2. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 17. *excursu* 2. vbi denso agmine testimoniorum Scripturæ ac Patrum probavi, tartareū ignem eiusdem rationis essentialis esse cum hoc nostro; quanquam accidentaliter differat penes intensionem, efficaciam, & temperiē qualitatum primarum; præsertim adiunctâ materiâ sulphuris ac resinæ, quæ vim eius nativam exacuit. Eoque sensu accipiendi Origenes, & Lactantius, dū aiunt, aut indicant, esse alterius generis à nostro igne: scilicet, non quò ad essentiam, sed penes temperiem qualitatum, & activitatem, ac sumptâ ratione *generis* non in rigore dialectico, sed largo quodam significatu, vti accipi solet iuxta Prophyrium *cap. de Genere.* Neque amplius probat locus Damasceni, dum ait tartareum ignē non esse materialem. Non enim id absolutè negat, sed respectivè: ideoque subdit statim *vt est noster*: quo plane solùm convincitur, non esse eodem modo materialem, ac noster ignis est; sed alio, soli Deo noto.

noto. Potest etiam explicari, non de igne ipso in se considerato, sed quantum ad vim agendi in spiritus, quæ immaterialis sine dubio & supernaturalis est. Sed de hoc plura satis exhibuimus loco indicato, quæ hic frustrà inserrerentur.

24 *AD II. Confirm.* Ignis purè elementaris & simplex, non solùm est diversus a nostro, sed etiam ab illo, qui in meteoris cernitur, & in fulminibus apparet præditus efficacissima vi. Quicunque enim ignis visibilis vsq; modo experimẽtis mortaliũ patuit, cuiusvis efficaciæ & activitatis fuerit, cõstitit planè tẽperamẽto quatuor primarũ qualitatũ, ac proinde habuit, habetque rationem mixti, saltem imperfecti; & non puri elementi. Quare solùm negamus esse diversas species ignium, sumpto igne simpliciter in ratione elementi: quanquam accepta solùm ratione ignis vt abstrahit ab elemento puro & mixto, sive simplici & composito, dubium non sit quin duæ saltem species illius existant, altera quæ puri elementi, altera quæ mixti rationem habet. Non tamen ideo cogimur assignare species essentialiter diversas mixtorum ignium. Nã licèt ille qui in meteoris gignitur adeò efficax sit, & tot mirabilia operetur, præsertim in fulminibus; id solùm evincit accidentale discrimen a nostro igne penes diversam temperiem qualitatum in illo longè intensiorum & activiorũ, præsertim caloris, & siccitatis.

SECTIO SECVNDA.

Quatuor etiam loca distincta ac propria totidem elementis assignari debere: & quidem igni supremum, ac terræ infimum omnium, quidquid alij contrà opinentur. Obiectiones notatu dignæ enervantur, pluraque selecta, & naturæ speculatoribus vtilia, traduntur.

25 DICENDVM Est II. Iuxta numerum ac dignitatem quatuor elementorum assignari debere ijs totidem loca in quibus connaturaliter sint: primum ac supremũ omnium igni, secundum aeri, tertium aquæ, quartum & omnium infimũ terræ.

ASSERTIO Quò ad omnes partes expressè traditur a Philosopho in *præsenti capit. 3. textu 22.* illis verbis: ὄντων δὲ τεττάρων τῶν ἁπλῶν σωμάτων, &c. *Cùm autem corpora simplicia quatuor ponantur, ad vtrumque duplum vterque accomodatur locus. Ad ignem quidem & aerem locus qui sursum efferatur sed ad terram & aquam qui deorsum demittatur: atque ignis & terra suis momentis extrema, & ea quidem purissima sunt: aqua & aer media magisque admista: & vtraque vtriusque contraria sunt: igni aqua, aeri terra. Hæc enim ex contrarijs constant affectionibus.* Vbi apertè quatuor elementis quatuor propria loca sive receptacula assignat: primum ac supremũ omnium igni; secundum ipsique proximũ aeri; tertium aquæ; ac denique quartum & infimum terræ; quam proinde asserit esse igni suis momentis extremam: scilicet, contrapositam, vt elementum infimum supremo.

26 *RATIO* Autem desumitur ex eodem Philosopho *lib. 1. de Cœlo textu* 91. & D. Thomà *ibidem lect.* 18. proponique potest sub hac formà. Quatuor elementa debent habere distributa totidem receptacula iuxta propriam naturam. Ergo eò superiora loca debent habere singula elementa, quo levioris naturæ fuerint; eò autem inferiora, quò gravioris. De ratione enim levium est sursum ascẽdere, gravium autem propendere deorsum. Atqui inter quatuor elementa ignis est summè levis; aer verò infra summum: terra autem est maximè gravis, & aqua infra summum, vt experientia, & sensu omnium constare videtur. Ergo inter omnia elementorum loca ignis habet primũ & supremum; aer secundum & ipsi proximum; aqua tertium, & terra infimum omnium.

27 *QVARE* Sententiæ Aristotelis quò ad ignem in supremo elementorum loco existentem, atque in ipso cõcavo Lunæ circumfusum in orbem, instar cuiusdam circuli, subscribunt frequentiùs Philosophi, tum Veteres, tum & Recentiores, plurimique Patrum, ex quibus Augustinum, Hieronymum, & Clementem Alexandrinum allegant sequũturque Conimbricenses *lib. 3. de Cœlo cap. 5. q. 5. art. 2. Oviedo in præsenti Controv. 8. p. 2.* Hurtado, Aversa, Giattinus, Comes Albergatus, Caprinus, Lynze *Phys. tr. 2. cap. 3. n. 16.* & quotquot ex Thomistis rem hanc discussserunt.

28 *OPPOSITVM* Tamen quò ad ignem, præcipuè stando rationi naturali, docent Cardanus *de Subtilit. l. 2.* Pontius

tius *in præſenti diſp. 57. num. 54.* allegans plures alios, Torrejon *lib. 2. diſp. 1. q. 1. §. penult.* Arriaga *diſp. 4. à num. 67.* Spinula *diſp. 5. de Gener. ſect. 3.* Suarez Luſitanus *tract. de Cœlo. diſp. 6. num. 471.* alios appellans pro eadem opinione, ac præcipuè peritiſsimum Matheſeon P. Athanaſium Kircherum; quibus adhæret tandem Quiros *diſp. 74. ſect. 1. num. 4.* & Sancta-Crucis *hic diſp. 2. q. 1. §. 2.* Vt omittam veterē illàm Pythagoricorum opinionem, qui ignis elementum in centro terræ ponebant, eumque locum appellabant Iovis cuſtodiam: vt refert Ariſt. *2. de Cœlo textu 73.* & Plutarchus *lib. 3. de Placitis Philoſ. cap. 11.* Mitto etiam illos, qui nullum ignem præter cœleſtem ponebant, è cuius concretione ætherei orbes conflarentur: vt refert Auguſt. *lib. 2. de Geneſi.* Mitto, inquam, obſoletam opinionem illorum; quanquam illam non nemo ex Recentioribus etiumulare tentaverit.

29 *NIHILOMINVS* Deſerenda non eſt doctrina Ariſtotelis ac D. Thomæ, ſed probanda præter rationem præiactam: Quia in hoc noſtro igne experimur flammas aſcendere ſurſum, & in pyramidem aſſurgere, conumque efformare. Ergo quia ſurſum connaturalem ſphæram, ac proprium locum obtinet. Antecedens omnibus ad ſenſum patet. Conſequētiam probo. Propterea nanque colligimus locum terræ proprium, ſive centrū, deorſum exiſtere, quia videmus terram ſuapte naturà propēdere deorſum, & cuilibet rei naturaliter inſitum eſt vt proprium locum quærat, vbi non habet illū; aut certè ſi habet, in eo conquieſcat. Ergo pariter ſi ignes ſurſum aſcendunt, & in pyramidem aſſurgunt, ideo eſt, quia locus ignis proprius ſurſum eſt. At non in ipſo aeris loco, vt ex ſe patet. Ergo ſupra totū aera: ac proinde immediatè iuxta cœlū & concavum ipſum Lunæ: nam ſupra illū, aut in illà ipsà, nullus locus eſt vero igni, vt ex communi Philoſophià ſuppono.

30 *OBIICIES I.* Si ſupra aerem eſſet regio propria ignis, & infra orbem Lunæ immediate; videretur neceſſario à nobis. Occuparet nanque quidquid eſt à tertia aeris regione vſque ad concavum Lunæ: quod iuxta computationem Mathematicorum apud P. Chriſtophorum Borrum in ſuà Aſtronomià *5. par. 2.* excedit plusquam octoginta quinque millies globum inferiorem conflatum ex aere, aquà, & terrà. At veroſimile non eſt, ignem occupantem adeò latè patentem locum, & propemodum immenſum, non videndum iri à nobis; maximè nullo interiacente obſtaculo, quod viſui impedimēto ſit. Cùm ergo experimento conſtet nullum nobis apparere ignem ſupra aerē, exiſtimari debet nullam eſſe regionem ignis ſuprà ipſum. *CONFIRMATVR.* Ignis valde exiguus ex loco nimium diſtante conſpicitur, præſertim nocturno tempore: vt præcipuè conſtat in ædis accenſis ſupra littorum ſpeculas, quas à longè proſpiciunt navigantes in alto ac remoto mari. Ergo ſi regio propria ignis occuparet vaſtiſsimam illam ſphæram, quæ interiacet concavum Lunæ & ſupremam aeris regionem, videretur manifeſtiſsimè, præſertim nocturno tempore.

31 *RESPONDET* Oviedo vbi ſuprà *num. 11.* lucem ignis elementaris exiguam eſſe, quia valde exigua eſt ignis groſsities, ſeu valde exiguus ignis interiectus in medio aeris ac Lunæ. Eo nanque ipſo, quòd per totam Lunæ ſuperficiem ſit expanſus, ad modum bracteæ extenditur, & ità ob tenuitatem groſsitiei, ſive profundæ menſuræ, non poteſt diſcerni ex loco adeò diſtanti. *SED Contrà I.* Hoc enim ipſo quòd ignis ſupra àerem ſit, nequit eſſe exiguus, ſed ipſo incomparabiliter maior. Nam vt communiter Philoſophi colligunt ex Ariſtotele *lib. 1. Meteor. cap. 3.* & ſupponit S. Thom. *1. p. q. 50. art. 3.* ea perfectione, quà corpora ſunt perfectiora & ſuperiora, eò maiora ſunt: & ideo aqua terrā excedit magnitudine, aer aquam, atque ignis aera, ſicuti & cœlum excedit ignem. Non ergo procedit inviſibilitas ignis ex eo quòd ſit exiguus, qui interiectus eſt in medio aeris ac Lunæ. Quidquid enim ſit, an decuplo excedat ſphæram aeris, vt plures affirmant, quos refutat Chriſtophorus Clavius *cap. 5. Sphæræ*; affirmandum ſaltem eſt, ignem multò maiorem eſſe, ſive maioris longè extenſionis, & groſsitiei, ſive profunditatis, quàm aera.

32 *CONTRA II.* In tanta enim diſtantiā, quanta eſt à terrā vſque ad concavum Lunæ, nihil vacui eſt: ac proinde totum id ſpatium repletur aere, aut igne. Sed aere non repletur vſque ad dimidiam partem, & fortè neque vſque ad decimā

Er-

Ergo quidquid suprà ac reliquum est usque ad concavum Lunæ, solo igne repletur. Probo minorem, non solùm ratione nuper insinuatà ex Philosopho & D. Thoma, sed etiam experimento eorum, qui explorarunt cacumina altissimorũ montium, & invenerunt aerem in ijs adeò subtilem, adeo tenuem esse, vt iam vix respirare liceat, nisi levissimè: vt, tanquam oculatus testis, litteris prodidit Pater Ovalle in Historia Chilensi, vbi mons altissimus, & longissimè porrectus est, qui supra omnia meteora nimiùm elevatur, & omnem ventorum flatum ignorat. Vt omittam quod Veteres de monte Olympo prodidere, adeo eminenti, ac ventis superiore, vt quas litteras in sicco pulvere cacuminis exarabant Sacerdotes Iovis, sequenti anno expressas & integras invenirent. Quo planè arguitur, aera post nonnulla milliaria distantiæ ab extimà superficie terræ, extenuari admodum, & paulatim resolvi sursum ascendendo, vt propterea longè amplior & profundior igni superfit sphæra. Falso ergo in solutione assumitur, ignem elementarem valde exiguum esse, ideoque nec interdiu, nec noctu saltem videri posse.

33 *ALII.* Respondent communiter ignem præ nimia raritate videri non posse, quantumvis extendatur, & latè per totum Lunæ concavum in orbem pateat: quia nimis rarus est. Hanc tamen solutionem non possunt consequenter præstare quicunque alias docent raritatẽ constitui per intromissionem corpusculorum: nam peregrina corpuscula vix, aut rarò, aut non ita crebro ascendere possunt ad regionem aeris adeò peregrinam & elevatam. Qui autem contra sentiunt, probabiliter difficultati respondent. Si enim aer, quia rarus, non videtur, quanquam alioquì sit minus levis, quàm ignis; cur ignis rarior, ac longè levior in propriâ regione videatur? His adde distantiã ignis ingentem à terra, & celerrimam illius circumvolutionem ad gyrum sphæræ cœlestis, quæ impedit ignis visionem: vt experimento simili constat in tabulà litteris insculptà, quæ immota facilè legitur, non tamen si in circulum moveatur. Addendum denique, forsan lucem ignis à nobis videri per modum vnius cum luce Lunæ, stellarum, ac cœli ipsius: licèt discerni non possit, tum quia est eiusdem rationis lux illorum omnium; tum propter nimiam distantiam à terrà. Quod si verò cometæ in ipsà regione ignis existẽtes videntur, ideo est quia ignis eiusque lux densatur, proindeque seorsùm oculis in prospectu est.

34 *DICES:* Etiam flamma ignis nostri est admodum levis, & rara, vtpotè quæ sæpe non sentitur: vt patet experimento flammæ, in quam resolvitur aqua ardens dicta, sive quæ ex vini fæcibus per industriam artis fieri solet. Et tamen illa constat rubeo lucidoque colore ab oculis perceptibili. Ergo si ignis supra aerem est, quanquam flamma eius sit levis & rara, constabit etiam simili colore rubeo ac lucido, ac proinde videri à nobis facilè poterit; imò & discerni à luce stellarum, cœli, ac Lunæ, sicut flamma nostra à quacunque aliâ luce discernitur. At consequens experimento falsum deprehenditur. Ergo nullus ignis supra aerẽ est, adhuc rarus & levis. *RESP.* Flammã ignis nostri, quantumvis defæcata supponatur, admixtam esse cum terreo denso, sicuti & ignis ipse impurus est, & elementi simplicitatem non attingens: ideoque lucem eius fieri rubram & purpuream, quia in eà admiscetur opacum. Quod totum è contrà accidit in flammà ignis purissimi elementaris, nullam mixturam admittente, aut nævum peregrinæ admixtionis, saltem communiter: ideoque nullus in eà color purpureus, aut rubens apparet. Indidem etiam oritur, quòd ignis ille omnino diaphanus sit, sive transparens, ac proinde non impediens visionem cœli suprà ipsum existentis: quia lux eius omnino pura, splendens, & rara est: cùm tamen flamma nostrorum ignium, propter rationem oppositam, terminet visum, nihilque vltra illam existens apparere permittat. De quo vide S. Thomam *in lib. 2. de Animâ lect.* 14.

35 *OBIICIES II.* Si in adeò amplâ, & in immensũ ferè patenti sphæra, quanta interiacet cœlum & aera, expatiaretur elementum ignis; accenderet planè vicinum aera, ac subinde aquam & terram. Cùm enim in propriâ regione deberet esse summè activus, vicina quæque absumeret, & ijs mediantibus vniversum terrarum Orbem depopularetur. Cũ ergo id non præstet, dicendum est ignem in regione vicinâ cœlo, & aere superiori, non existere.

36 *RESP.* Negando sequelam.

Ad

Ad probationem dico ignem, quò rarior est, eò minùs activum esse. Cumque in propria sphæra rarissimus sit, vt suprà monui, activitas ipsi modica ineſt. Hæc verò, qualiscumque demum sit, coerceturinfluxu cœlestium corporum, præsertim Lunæ ac Saturni, quorum est, iuxta Dei dispositionem, rebus hisce inferioribus, earumque conservationi providere, ne nimio æstu, aut aliâ immodicâ qualitate absumantur. Præterea aer igni proximus naturali humiditate resistit, ne in eius materiam inducatur forma ignis: ac proinde vterque in alterum agit & patitur, refractione mutuâ virium, quam singuli posteà compensant, convertendo nonnihil alterutrius in substantiam propriam. Denique aer in mediâ regione frigidissimus redditur ab exhalationibus terræ, & aquæ: ac proinde siquis immineret excessus caloris ab elemento ignis descendens, ibidem refrangeretur, ne inferioribus nocere posset, ac multò minùs terram & aquã adeò distantes absumeret.

37 *DICES*: Vtcumque minùs activa sit vis elementi ignis propter maximam raritatem in propriâ regione, saltem debet eidem assignari pabulum, seu materia extrinseca, quâ pascatur. Alioqui corrumperetur: cùm experimento constet ignem deficiente pabulo absumi, & in cineres ac favillas abire. Atqui nullum in eâ regione pabulum est, seu materia extrinseca, quâ ignis pascatur. Nullus ergo ignis ibidem est. *RESP.* Negando assumptum. Quòd enim ignis noster defectu pabuli absumatur, inde provenit, quia elementum ignis in hac regione sibi extraneâ & violentâ, quampluribus contrarijs circumcingitur, ab ijsque extenuatur, & imminuitur. Quare loco illarũ partium, quas amittit in hac diutinâ pugnâ, debet substitui pabulum, quod ipse in propriam substantiam convertat, alioqui periturus. At in illâ regione elevata, ac sibi connaturali, nullum habet contrarium à quo minuatur: ac proinde sine vllius alimenti necessitate integer & incorruptus persistit.

38 *OBIICIES III.* Si elementum ignis esset medium inter cœlum & aera, cœlum non posset influere frigiditatem in inferiora hæc, nisi transmittendo illam per medium ignis: cùm nullũ agens possit operari in distans, nisi mittat virtutem suam per medium. Atqui medio igne summè calido cœlum frigiditatem mittere non potest ad hæc inferiora. Ergo ignis non est medius inter cœlum & aera. Probatur minor. Si enim cœlum mitteret frigiditatem ad hæc inferiora mediante igne, in ipsâ ignis regione esset ingens pugna inter calorem & frigiditatem. Vnde fieret alterum è duobus; aut quod calor vinceret, propterea què ab ipsò dissiparetur frigus, & ita ad nos descendere nullatenus posset; aut quod frigus prævaleret, absumeretque calorem elementaris ignis, atque adeò ignem ipsum eâ qualitate indigentem ad sui conservationem.

39 P. Oviedo *vbi supra num.* 10. respondet, corpora cœlestia posse producere in igne gradum frigiditatis contra propriam ignis virtutem & exigentiam, eoque mediante alium intensiorem in corporibus existentibus infra elementarem ignem: quia non est contra naturam agentis naturalis fortiùs & intensiùs agere in distans, quàm in propinquum, quando passum propinquum specialem resistẽtiam habet respectu effectus producendi. Neque mirandum est, inquit, gradum frigiditatis in igne posse recipi: frequenter enim experimur reliqua elementa cum qualitatibus contrarijs illis, quas exigunt. Neque specialis est ratio propter quam non ita contingat in igne. Ex eo enim quòd sit fortius agens reliquis elementis tantùm infertur, fortiùs resistere agenti contrario, & cæteris paribus in minore effectu, seu remissiori calore amisso vincendum esse; non verò non posse, neque in minimo caloris ab illo expulsi, & frigiditatis receptæ contra illius exigentiã, superari. Imo oppositum suadet ratio: cũ enim calor in igne receptus sit divisibilis successivè, potest ab agente naturali corrumpi; & potest dari agens, quod valeat vnum vel alterum gradum corrumpere, & non plures. Huiusque rationis esse corpora cœlestia, valde consonum esse ait, & necessarium ad totius vniversi conservationem; vt hac ratione corpora cœlestia frigiditatem in reliquis corporibus cœlestibus producant; cum aliunde nequeant absorbere penitus ignem vicinum, valde necessarium ad attemperandos frigidissimos Lunæ & Saturni influxus. Hæc ille ad litteram loco allegato.

40 *SED* Multa mihi in hac solutione difficilia sunt. *Primò* enim directè ad-

àdverſatur Ariſtoteli loco allegato initio huius ſectionis, vbi expreſsè docet ignem in propria regione puriſsimum exiſtere. Ergo nullam ibidem permittit qualitatē oppoſitā ſummo calori, adhuc in remiſſo gradu, vt Oviedus ait: quia elementum quod patitur peregrinæ & oppoſitæ qualitatis admixtionem, nequit eſſe puriſsimum, vt patere videtur ex terminis, & ab exemplo ignis noſtri, qui propterea omnino purus non eſt. *Secundo* diſplicet, quatenus ait frigidiſsimos influxus Lunæ ac Saturni, tranſeuntes per medium ignem, producere in illo aliquem remiſsū frigiditatis gradum. Nam licèt alioqui fatear, & alibi probatum relinquam, poſſe aliquod àgens fortiùs operari in remotum, quàm in propinquum, ex meliori diſpoſitione, ſeu maiori denſitate remoti, quàm propinqui ad recipiendum effectū (quod planè tradit S. Thomas *in 2. diſt. 15. q. 1. ar. 2. ad 6. & 3. Meteor. lect. 6. digreſſione de coloribus Iridis*) ac proinde ex hoc capite poſſent frigidiſsimi quorundam planetarum influxus operari fortiùs in remoto, quàm in proximo; aliunde obſtat quòd ſi gradum aliquem frigiditatis imprimunt in regione ignis elementaris, nequeat eſſe remiſſus, vt in ſolutione aſſeritur, ſed intenſiſsimus. At intenſiſsima frigiditas in ipſa regione ignis elementaris eſſe non poteſt, vt ex terminis notum eſt, & fatetur prædictus Author. Ergo nulla frigiditas habet in eà locum. Aſſumptum maioris, ſive ſequelā probo: Gradus enim frigiditatis exiſtens ac perſeverans incorruptus iuxta calorem in ſummo gradu intenſum, nequit non eſſe intenſus. Si enim remiſſus eſſet, abſumeretur ſtatim à ſummo calore, tanquam à contrario incomparabiliter potentiori. Sed ignis elementaris in propria regione habet calorem in ſummo, vt omnes Philoſophi aſſertores noſtræ ſententiæ, & cum ijs Oviedus, fatentur. Ergo ſiquem frigiditatis gradum in regione ignis elementaris imprimit planetarum influxus, debet eſſe, non remiſſus, ſed maximè intenſus gradus.

41 *Confirmatur.* Notum enim eſt qualitates contrarias ſæpe mutuò intendi ratione antiperiſtaſis, ſeu circumobſiſtentiæ contrarij: ideoque ſuperiùs monuimus, quandoque inveniri nives congelatas iuxta ignem ardentiſsimum. Ergo ſi aliqua frigiditas ab aſtris impreſſa perſiſtit iuxta ſummum calorem ignis elementaris, poterit illa per circumobſiſtentiam contrarij, vndique circundantis, intendi nimiùm, ac proinde non manere in gradu remiſſo. *Tertio* denique; omiſsis aliis, diſplicet ſolutio, quia non ſolùm in illa regione, ſed in ipſo igne elementari aſſerit recipi aliquem frigiditatis gradum. Subiectum enim, quod eſt calidum in ſummo, nequit ſimul admittere aliquem frigiditatis gradū: quia ſummus calor habet ſummam vim ad expellendam qualitatem ſibi oppoſitam in quocumque gradu ſibi adiungatur. Ideoque vel in hoc noſtro igne adeo imperfecto tam intenſus calor eſt, vt vix aliquem gradum frigiditatis permittat, adhuc remiſſum, in eodem ſubiecto. At ignis elementaris eſt calidus in ſummo, vt Oviedus etiam ſtatuit. Ergo nequit ſimul admittere, ſeu recipere in ſe aliquem frigiditatis gradum.

42 *IDEO* Aliter occurrendum cenſeo præiactæ obiectioni, negando aſſumptum. Vt enim corpora cœleſtia influant frigiditatem in inferiora hæc, non eſt opus vt illam imprimant igni elementari. Quod vel ipſi Adverſarij fateri debent, niſi fallor. Dicant enim per quodnā medium corpora cœleſtia influant ſiccitatem, frigiditatem, humiditatem, ac calorem in inferiora hæc: & aſsignato illo inſtituam ego idem argumentum. Si enim mediā aeris regione mittunt ſiccitatem in terram; ſiccitas recipietur in aere & pugnabit cum nativà ipſius humiditate extremè oppoſitā. Quare oportebit alterutram prævalere, ideoque vel corrumpi aera exiſtentem in propria regione, vel ſiccitatem ab aere abſumi; ac proinde nequaquam in hæc inferiora deſcendere. Idemque eſt de frigiditate ſummà aquæ, aut terræ. Si enim ab aſtris imprimitur primum in aere, quomodo non abſumit naturalem ipſius calorem, quem communiter Philoſophi adſcribūt aeri in præcellenti gradu infra ſummum? Denique, vel in ipſo calore ſummo ignis noſtri, quē ſolùm admittunt Adverſarij, retorqueo idem argumentum. Si enim ſummus ca- ab aſtris tranſmiſſus media regione aeris in ipſo priùs recipitur, quomodo aerem non incendit vſque ad flammas? Oportet ergo vt ipſi proprio argumento reſpondeant, & tunc demum, quam aſsignaverint ſolutionem à nobis recipiant.

43 *ITAQVE* Reſpondeo, negando frigiditatem formaliter ſumptā in

ſe

se ipsa à cœlo & astris immediatè ad hæc inferiora descendere; quasi illa in se primùm à cœlo exeat, deinde eadem per mediam ignis aerisque regionem trāseat, & tandem ad nos perveniat. Hoc enim nec verum, nec possibile est: tum quia vera ac formalis frigiditas (idemque est de alijs tribus qualitatibus primis) nullum in cœlo locum habet; maximè in cœlo Saturni, adeò elevato supra sphæram Lunæ; neque iuxta ipsam Lunam, aut supra ignem: tum etiam, quia frigiditas illa formalis & intensissima, quæ à Saturno & Luna provenire dicitur, aut descenderet separata à proprio subiecto, & hoc est naturaliter impossibile; aut descēderet proprio subiecto coniuncta, scilicet, aquæ, aut terræ, iuxta varias opiniones. Et tūc oporteret dicere, verā aquam, aut terram de cœlo descendere, & per spatium intermedium ad nos pervenire: ac proinde totum aera, & quidquid ab extimā superficie terræ est vsque ad cœlum Lunæ, plenum esse aquā, aut terrā, imò & vtraque simul, si argumentum idem fiat de siccitate, frigiditate, & humiditate simul. imò & igne; si de calore intenso, qui apud nos est in igne, efformetur obiectio eadem. Atqui omnia hæc inaudita sunt, & falsa deprehenduntur, vel solo oculorum experimento, quibus nihil impedimenti est in totā regione aeris, neque in omni illo spatio, quod suprà est, vsque ad firmamētum, vt distinctè notent, ac manifestè intueantur planetas, & stellas. Quod tamen impossibile esset, si in eo spatio interijceretur grauium elementorum moles, & densorum, qualia sunt aqua & terra. Necessariò enim impedirent visum superioris obiecti; quem tamen non impediunt ignis & aer elementaris ob raritatem & levitatem.

44 *QVARE* Existimo influxum quidem cœli & astrorum descendere ad nos per mediam ignis, sicut & aeris, regionem: illum tamen nullam deferre secum qualitatem primam formaliter, sed virtute tantū. Lux enim cœli & astrorum, media quā influunt in inferiora hæc, continet virtualiter, aut eminenter quatuor primas qualitates, & singulas illarū causat modò in hoc subiecto, modò in illo, iuxta illius exigentiam. Cùm autem ignis elementaris nullam exigat humiditatem, aut frigiditatem; nihil illarū causat in ipso, sed solùm siccitatem & calorē: in aere causat humiditatem calorēq; & in aquā frigiditatem & humiditatem: in terra siccitatem & frigiditatem. Quapropter, sicuti vt cœlum causet apud nos aquam & ignem, non oportet vtrumque elementum è cœlo descendere & transire per regionem intermediam, sed solum est opus emissione lucis, in qua, veluti virtute causæ superioris, contineatur activitas circa productionem aquæ & terræ: ita etiam vt cœlum causet apud nos frigiditatem & siccitatem aquæ ac terræ, opus non est vtramque qualitatem formalem è cœlo descendere & permeare intermediam regionem; sed satis est quod lux per totum id spatium diffusa ad nos perveniat, & vt virtus causæ superioris vtramque qualitatem producat.

SECTIO TERTIA.

Vberiùs adhuc statuitur ex doctrinā Aristotelis ac D. Thomæ terram occupare infimum locum inter quatuor elementa, etiam relatè ad aquam. Argumenta sententiæ oppositæ, ac satis probabilis oppugnatur, & enodantur.

45 *VLTIMA* Asserti præcedentis pars, quā statuitur terra in loco omnium elementariū infimo, quanquam verbis Philosophi probata sit, attentiùs examinanda est. Pro quo aduerte, disputationem non esse circa aèra comparatum terræ, cùm manifestum sit illum superiori loco existere: sed solùm de terrā & aquā inter se comparatis: vtra, scilicet, illarū occupet elevatiorem locum. Nec præterea est quæstio de totā terrā & totā aquā. Certum enim est, & ad sensum patet, aquas fluminum inferiores existere vicinis montibus, & oras maris superari à littore. Solum itaque difficultas procedit de partibus altioribus terræ ex vna parte, & maris ex alterā, quænam illarum occupent altiorem locum: ac proinde vtri ex duabus respondeat quartus & infimus locus quatuor elementorum.

46 *ASSERO* Itaque cum Philosopho in præsenti, verbis iam allegatis, terram occupare infimum locum inter quatuor elementa, ac proinde esse inferiorem aquā. Quam sententiam, non modò tanquam probabilem, vt vult Oviedo,

sed

sed tanquam probabiliorem tuetur expressè S. Thomas 1. *part. quæst. 69. art. 1. ad 2.* per hæc verba: *Ad secundum patet solutio secundùm Augustinum: quia non oportet dicere quòd terra esset primò cooperta aquis, & postmodum congregatæ sunt: sed quòd in tali congregatione fuerunt productæ. Secundùm verò alios tripliciter respondetur, vt Augustinus dicit* 1. super Genesim ad litt. cap. 12. *Vno modo vt aquæ in maiorem altitudinem sint elevatæ in loco vbi sunt congregatæ. Nam mare est altius terra, vt experimento compertum est in Mari Rubro*, vt inquit Basilius Homil. 4. in Hexaëmeron. *Secundò, vt dicatur quòd aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione densata est. Tertio modo, vt dicatur, quòd terra potuit aliquas partes præbere concavas, quibus confluentes aquæ reciperentur. Inter quas prima videtur probabilior.* Ecce vbi expressè subscribens S. Basilio D. Thom. censet probabiliorem primam opinionem, quâ asserebatur aquam maris esse altiorem terrâ, quia congregatæ fuerunt aquæ tertia die mundi in locum altiorē. Idemque apertè docet S. Ambrosius in Hexaem. ad illa verba capitis primi Geneseos, *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.* Quos sequuntur Dionysius Carthusianus, Catharinusque & Melchior Canus, ac deniq; P. Arriaga in præsenti *disp. 4. sect. 4.* & plures alij.

47 *PROBATVR I.* Scripturæ testimonijs, & quidem breviter ac cursim, ne videamur vagari extra Philosophiæ orbitam. Psalmo enim 103. v. 6. dicitur: *Super montes stabunt aquæ.* Quæ verba expendo diutino omnium experimento: nam fontes & rivi inveniuntur in altissimis montibus totius Orbis, & in illo Provinciæ Chilensis suprà memorato, qui fortasse cæteros omnes altitudine superat, vt ex Historia eiusdem Patris Ovalle conijcitur. In eius namque ascēsu quatuor dies impenduntur; & cacumen longè excedit secundam aëris regionem. Modò sic. Marè emittit aquas vsque ad cacumina altissimorum montium. At non posset illas eousque emittere, si non superaret illorum culmina. Ergo mare superat culmina altissimorū montium. Maior constat ex trito illo testimonio Ecclesiastis cap. 1. v. 6. *Ad locum vnde exeunt flumina reverturtur, vt iterum fluant.* Ergo fontes altissimorum montium, qui augētur in flumina, exeunt ab ipso mari, in quod revertuntur. Minor verò probatur: quia, vt notum est, aqua non potest ascendere ad locum altiorem illo a quo primùm oritur. Cùm enim sit natura sua gravis nequit sursum ascendere, nisi tantudem saltem descenderit ab origine. Ergo mare non posset emittere aquas vsque ad altissimorum montium cacumina, nisi aquæ in ipsius medio existentes occuparent locum altiorem.

48 *RESPONDENT I.* Aliqui non omnes aquarum fontes ex mari ortum ducere: ac proinde opus non esse vt fontes in altissimis montibus existentes ab Oceano originem habeant. Cui doctrinæ suadendæ adiumento esse potest quod Philosophus ait *libr. 1. Meteor. cap. 13.* nimirum, aquas fontium & fluminum gigni intra sinus terræ ex aëre & vaporibus in aquam relolutis. Non ergo omnium aquarū originem in mare oportet reducere.

49 *SED Contrà I.* Licèt enim quandoque ex aëre & vaporibus nonnihil aquæ generari possit, ac soleat, vt cernere est in vapore adhærenti tecto, & in guttas resoluto; attamen illæso Ecclesiastis testimonio negari non potest fluvios è mari exire, & iterum in ipsum reverti. Et in altissimo illo monte nuper memorato pervium est, fontes iuxta summum cacumen scaturientes in magna aquarum abundantia statim ferè coalescere in flumina, quæ ad vicinum Oceanum delabuntur. Ergo Oceanus, saltem in medio sui, editior est cacumine illius montis, ac proinde & cœterorum; cùm nullus altior inveniatur. *Contrà II.* Si enim omnes aquarum fontes, qui in altissimis montibus sunt, non nascerentur ex mari, nulla esset stabilis causa, vnde haberent perennem aquarum scaturiginem, qualem toto anno, & continuatis sæculis experimur. Hodie enim ijdem in montibus extant fontes perennes, quos avi, & atavi nostri noverunt, quique à priscis sæculis Authorum memoria proditi sunt. Nulla, inquam, esset stabilis causa adeo regularis & perpetuæ fluxionis. Dato enim quòd semel aut iterum ex vaporibus generari possit ingens aquæ quantitas, non tamen adeò magna, vt sufficiat ad eruptionem copiosorum fontium & abundantium fluminum. Dato etiam sufficere ad id vapores per vnam horam, aut diem; non tamen per tot an-

annos, ac sæcula absque interruptione vlla.

50 *RESPONDEBIS II.* ex doctrina Conimbricensium loco infrà allegando, aquam è montibus emanantem, per subterraneos meatus ascendere in ipsorum culmina, præter naturalem ipsius inclinationem: quia terræ eiusmodi aquas ebibunt, & veluti spongia sugunt, præsertim accedente ad id influxu Solis, & aliorum siderum, curantium Vniversi conservationem. Quæ solutio adhuc fulciri potest experimento aquæ attractæ & sursum elevatæ, quoties panis, vel aliud corpus porosum supra modicam aquam ponitur. Tunc enim non solùm intima panis superficies madefit, sed totus ab aquâ humectatur & quasi penetratur, superioribus eius partibus humorem inferiorum trahentibus instar spongiæ cuiusdam. Ergo similiter terra, quamvis editior sit mari, poterit attrahere aquas ratione porositatis suæ, ita vt superiores terræ partes humectentur & madefiant ab inferioribus.

51 *SED Contrà.* Nisi enim aqua maris editior sit montibus, ideoque emittatur in illorum culmina, non poterunt superiores montium partes ratione porositatis suæ attrahere sufficienter aquam in inferioribus existentem. Incredibile enim est quod si mare emittit aquas solùm vsque ad radicem alicuius altissimi montis, omnes illius partes mediæ ac supremæ sugant & attrahant aquam adeo inferiùs positam, quamvis partes radici proximæ id præstent. Quod præterea probatur argumento à fortiori, desumpto ab experimentis. Licet enim partes terræ existentes proximè, aut non ita deorsum, sub alveo alicuius rivi vel fluminis humectentur à superioribus, & illarum humorem sugant, attrahantque vsque ad aliquod spatium profunditatis; non tamen magnæ, & quæ excedere possit iactum lapidis. Vnde & æstivo tempore experiuntur agricolæ post ingentem pluviam, vix aquam permeasse duos palmos intra terram. Et hoc quidem, quamvis aqua in lapsu à superioribus terræ partibus ad inferiores, naturæ impetu moveatur, vtpote tendens circa proprium centrum. Ergo multo minùs attrahi poterit aqua in radicibus internis alicuius montis existens à partibus superioribus terræ eiusdem montis, quæ adeo supereminent, & ab inferioribus distant: quia motus ille per attractionem sursum est aquæ violentus. Præterea refellitur solutio, quia experimentis pluribus constat, intra cavernas terræ ac montium existere meatus, per quos directè ascendat aqua maris.

52 Id patet: tum quia pluribus leucis à mari, & interiectis montibus, invenire est fontium scaturigines quotidie statis horis crescentes & decrescentes; & in Riuogia Cantabriæ vicina apud oppidũ de Anguiano, septuaginta plus minus milliaribus à mari distans, visitur hodie fons eiusmodi: tum quia narratione aut testimonio virorum fidedignorum proditum est, in quibusdam montibus existere lacus plenos irrequietis vorticibus maris, supra quos sæpe apparuerint ligna, & aliæ navium reliquiæ per meatus terræ occultos eructatæ à fluctibus maris. Vt omittam salinarum copiam, tum in plana terræ superficie, tum in editis montibus abundantium. Hæc enim omnia probabilissimo, ne quid amplius dicam, argumento sunt, aquas maris non ascendere ad terrã, & ad montes, per attractionem aquæ existentis in inferiori parte ad partes superiores, ratione solius porositatis; sed per directos, aut reflexos aquæductus. Qui motus aquæ maris violentus non est, vt docet D. Thom. *in 2. dist. 14. q. 1. ar. 5.* tum quia naturæ atque ordini totius Vniversi consonum, sive insitum est, vt inferiora superiorum impressionem sequantur in ordine ad illius conservationem: tũ etiã, quia in hac opinione, quam tuemur, origo fontium prima est ab alto sive summo Oceano: qui, cùm editior sit montibus, potest per aquæductus, & sine violentia vlla, ad ipsorum cacumina torrentes aquarum dirigere. Mitto pleraque Scripturæ testimonia, quæ pro nobis afferri solent, & legi possunt apud Pererium *lib. 1. in Genesim cap. 1. v. 9. n. 103.*

53 *PROBATVR II.* Ratione deducta ex natura elementorum, & quam subindicat Philosophus in præsenti. Quò enim elementa leviora sunt, eò sublimior locus ijs naturaliter competit; & quò graviora, eò inferior situs ijsdem consignari debuit: quia iuxta naturalem inclinationem corporum levium est esse sursum, gravium verò deorsum. Ideoque adhuc iuxta Aduersarios, ignis elementaris obtinet supremum locum inter quatuor

tuor elementa, quia est levis in summo: aër vero occupat locum ipsi proximum, quia est levis in gradu excellenti, infra summum. Ergo è converso, & à pari eiusdem rationis, quia terra est elementum grave in summo, debet obtinere locum infimum inter quatuor elementa; aqua autem huic proximum, quia est gravis solùm in præcellenti gradu, & citra summum.

54 *CONFIRM.* & simul præoccupantur evasiones Adversariorum. Elementum quod magis approximat centro Vniversi, inferiorem locum obtinet inter omnia elementa: quia centrum occupat locum infimum. Atqui manifestum est terram inter omnia elementa magis approximare centro Vniversi, quod propterea terræ centrum appellari solet. Terra ergo inferiorem locum obtinet inter omnia elementa. Propterea aque, sicuti infima terræ pars occupat inferiorem locũ, quàm infima pars aquæ; ita & suprema pars terræ, quæ in editissimis montibus est, inferiorem locum occupare debet, quàm suprema pars aquæ.

55 *ACCEDIT* Experientia ocularis eorum, qui ex alto mari, vbi primùm terram detegunt à longè, vident terram, veluti in loco inferiori iacentem. Quod non esset, si terra existeret superior mari. Insuper & aquæ; præsertim maris, proiectæ in terram, aut tabulam, in modum globi attolluntur, & elevantur. quo ostenditur ijs esse leviorem naturam, ac sublimiorem locum.

56 *OPPOSITAM* Sententiam, quæ sanè probabilis, & satis recepta vbique ferè est, tuentur Conimbricenses *lib. 2. de Cœlo, capit. 14. quæst. 4. art. 2.* vbi plures ex Antiquis allegant, & Caietanus (quanquam expressè contrarius Doctori Angelico) in dictum Geneseos locum, vbi & Pererius iam allegatus, ac Suarez *lib. 2. de Opere sex dierum, cap. 6.* Rubius *in præsenti*, Pineda, Valentia, & Christophorus Clavius, quos sequitur & allegat Tellez *disp. 45. sect. 1.* Oviedo. *Controv. 8. punct. 2. num. 3.* Castelvi & Giattinus apud Sancta-Crucium eiusdem sententiæ defensorem *hoc loco*; Spinula *disp. 5. sect. 3.* ac denique Richardus Lynceus *lib. 8. Physic. tract. cap. 12.*

57 *ARGVVNT I.* Si aqua esset superior, naturaliter dilaberetur, & obrueret terram: vtpotè natura sua tendens in locum inferiorem. Proindeque de facto operiret, non solùm agros & inferiora vallium loca, sed & suprema montium cacumina, quibus supereminere dicitur. Etenim iuxta illud Augustini lib. 7. de Civitat. cap. 30. *Sic Deus administrat omnia, quæ creavit, vt ipsa proprios motus exercere & agere sinat.* Vnde præoccupata videtur solutio communis, quà recurritur ad peculiarem providentiam Dei coërcentis aquas intrà certos terminos, quos natura sua excederent, nisi ab ipso cohiberentur. Præoccupata, inquam, videtur: quia verosimile non apparet centrum aquæ perpetuò cohiberi à motu sibi debito & & connaturali in locum deorsum. Cùm ergo aqua suis limitibus contineatur, & vniversam terram non obruat, dicendum est illam occupare inferiorem locum.

58 *VERVM* Argumentum hoc, siquid probat, evincit planè aquas, non modò littoris, sed etiam alti seu medij maris, terra plana inferiores esse. alioqui enim naturaliter illam totam obruerent. At si ità est, quomodo aquæ maris in terram ascendunt, non solùm planam, sed & eminentem, atque in præcelsos montes, vt suprà ostensum est, & ipsi negare non possunt? Cùm enim motus sursum sit violentus aquæ, non minùs mirabile, aut incredibile apparet, aquam maris perpetuò sursum moveri ad terram planam, aut eminentem, contra inclinationem naturalem propendendi deorsum; quàm cohiberi à motu sibi connaturali circa locum inferiorem. Ergo siquam violentiam patitur aqua in nostra sententia ex denegatione connaturalis motus; æqualem aut maiorem subit in contraria opinione ex motu violento. Nisi fortè dicant Adversarij ex summo mari, & non è littore, ascendere aquas in culmina editissimorum montium; quasi possint transire ad extremum, impertransito medio, quod sanè speciosum effugium est.

59 *RESPONDEO* Igitur, aquas naturaliter obruturas terram ex propria & connaturali inclinatione propendendi deorsum, nisi speciali Providẽtia Dei, & ex fine conservationis Vniversi, ab ipso cohiberentur. Quod videntur apertè significare verba illa Prov. 8. v. 27 *Quando certà lege & gyro vallabat abyssos,*

& legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Si autem aquæ existerent in loco inferiori, non esset opus lege Authoris specialiter cohibentis. Insuper & Iob cap. 38. v. 8. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi vulva procedens? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quid clarius ad ostendendam aquarum coercitionem, ne præfixos terminos excedant, & terram universam obruant? Accedit & illud Psalmi 103. v. 9. *Terminum posuisti, quem non transgredientur: neq; convertentur operire terram.* Apparet igitur manifestè ex Scripturæ locis, aquam speciali Authoris lege fuisse cohibitam, ne iuxta propriam indolem omnino defluat supra totam terram sibi inferiorem. Neque inde fit aquam esse violentam: quia sicuti per Adversarios violenta non est in motu sursum, vbi ascendit è mari ad irrigandam terram; ita neque vim patitur vbi cohibetur ne deorsum effluat in totius terræ perniciem. Cùm enim sit pars Vniversi, ex generali inclinatione conservandi totum, quasi contra propriam ac specialem gravitatis suæ indolem, detinetur. Prævalet itaque in eà communis propensio ad conservationem totius, nutu Authoris præscriptam, inclinationi privatæ ac propriæ. Sic manus hominis instinctu naturæ sese opponit ictui, nec caput feriatur, & totum pereat. Vide S. Thomam loco superiùs indicato *ex 2. Sentent. dist.* 14.

60 *ARGVVNT II.* ex illo Psalmi 106. v. 23. *Qui descendunt mare in navibus.* quo planè indicatur mare in inferiori loco esse relatè ad terram. Nec sufficit dicere esse inferiori loco quò ad aquas littoris comparatas cum portu; in superiori autem, collatis cum terrâ aquis medij, seu alti maris. Nã contra hoc est, quòd si ita accideret, navis cùm è portu solvit segniùs cieretur, quàm cùm in eumdem portum accedit: quia cùm è portu solvit in medium mare, ascenderet; cùm verò in portum rediret, descenderet: ac proinde velociùs regrederetur, quam exiret. At consequens est contra manifestam experientiam. Ergo aqua medij maris non est in superiori loco, quàm aqua littoris: ac proinde cùm hæc sit inferior terrâ, idem de toto mari censendum est.

61 *CONFIRMATVR* Lusitanorum nautarum experimento. Testantur enim apud P. Ovieuo *vbi suprà num.* 4. cùm è Lusitaniâ navigant in novã Hispaniam, postquã quindecim gradibus è portu discessere, Solem vnà hora tardiùs oriri & occidere in alto mari, quàm in Lusitaniâ. At si maris aqua è portu assurgeret ad superiorẽ locũ circa mediũ mare, oppositũ esset dicendũ. Ergo aqua maris è portu non assurgit in superiorem locum circa medium mare. Probatur minor. Si enim aqua maris assurgeret è portu in superiorem locum circa medium mare, quo magis nautæ accederent ad medium mare, eo superiori loco existerent. Ergo citiùs ijs oriretur Sol, quam cæteris Lusitanis in inferiori loco manentibus. Sol enim citiùs conspicitur ab ijs qui sunt in loco eminenti, quàm in depressiori: ideoque priùs cacumina montium, quàm radices, suâ luce perfundit.

62 *RESPONDEO* Solventes è portu descendere, quia portus altior est vbique littoralibus vndis, quanquã aquæ medij maris altitudine superent, non modo portum, sed etiam editissimorũ montium cacumina, vt in solutione interiectà dicitur. Ad illius impugnationem nego sequelam. Quamvis enim mare, quantò magis distat a portu, eò altius assurgat, ac proinde navis ex hoc capite videatur segnius movenda, dum solvitur, quàm dum redit ad portum; est aliunde discrimen maximum, sufficiens ad compensandum hunc excessum: quia, scilicet, in portu communiter loquendo est longè minor profunditas aquarum, quàm vltra illum: ac proinde occurrit prompta ratio, vt navis, dum solvitur, velociùs moveatur, quàm cum redit. Nam cum solvitur vadit a minori ad maiorem aquæ profunditatem, atque adeò faciliùs & faciliùs defertur ab aquis, eò aptioribus ad transferendum onus navis, quò profundiores sunt. Cum verò redit ad portum, accidit è contrà; quia procedit à maiori ad maiorem aquæ profunditatem: atque adeò difficilius defertur in fine & circa finem ipsum, quàm in medio mari, & longè à fine; quia aquæ minùs profundæ segniùs movere possunt superimpositam molem.

63 *AD Confirm.* retorqueo instantiã in Adversarios. Si enim ex eo quòd mare Lusitaniæ è portu ascẽdat magis ac magis iux-

iuxta noſtram opinionem, probant quindecim vltrà gradibus oriturum citiùs Solem in mari, quam in Luſitaniâ, quia mare altius eſt; tenebuntur etiam fateri in terrâ continenti Novæ Hiſpaniæ citiùs oriturum Solem, quàm in ipſo Oceano Atlantico & poſitione quindecim graduũ vltra portum; quia mare, iuxta Adverſarios, etiam in illis quindecim gradibus à Luſitaniâ, eſt inferius, ac proinde terra continens Novæ Hiſpaniæ, à qua terminatur, ſuperior eſt. Oriretur itaq; Sol priùs in Nova Hiſpaniâ, quàm quidecim gradibus à Luſitaniâ, quod eſt ridiculum. Dicēt fortè, vti reverà dicere debent, id abſurdũ non ſequi: quia licet facta comparatione ad centrum Vniverſi, quod eſt commune aquæ & terræ, ſit altior terra continens Novæ Hiſpaniæ, quàm mare Atlãticum; nihilominus ex terra & aquâ vnus conficitur globus: ac proinde Sol oriens priùs videtur in Luſitaniâ, quàm in mari Atlãtico vlteriori, & priùs in mari Atlantico, quàm in terrâ continenti Novæ Hiſpaniæ: quia Sol priùs illuminat partes proximiores Orienti, quàm remotiores ſimpliciter loquendo; quanquam cæteris paribus nonnihil priùs illuminet parum remotiores, ſi nimiùm altiores ſint.

64 Similiter ergo & nos reſpondemus, Oceanum Atlanticum quindecim gradibus à portu altiorem quidem eſſe Luſitaniæ regno, remotiorẽ tamen ſimpliciter ab Oriente; ac proinde à Sole tardiùs illuminari. Cùm enim ex aquâ & terra vnus fiat globus, naturale eſt vt Sol oriens priùs ſimplicitet illuminet partes globi proximiores Orienti, quàm remotiores, licèt hæ nonihil amplius emineant facta comparatione ad centrum. Quod apertiſsimè convincitur in globo ligneo, cuius tamen aliqua pars promineat aliquatenus vltra cæteras in orbem compoſitas. Adhibe globum eiuſmodi contra Solem orientem, qnà parte globus ſphæricus eſt, ſeu rotundus perfectè. Priùs certè in illa parte illuminabitur, quàm in oppoſitâ & prominenti, quanquam hæc relatè ad centrum globi altior ſit: quia prior illa ſimpliciter eſt Orienti proximior. Hinc obiter rationem opportunam colliges, cur præcelſis Gallæciæ montibus non citiùs, ſed tardiùs oriatur Sol, quam Barcinonenſi vrbi exiſtenti in plano & inferiori loco relatè ad centrum: quia ſcilicet Barcino eſt proximior orienti Soli in hoc Orbis terrarum globo: ac proinde licèt Gallæciæ montes emineant, & hac ratione poſsint illuminari aliquantò citiùs, quã valles nonnihil viciniores Oriẽti, ob modicam diſtantiam; non tamen priùs quàm Barcino longè Orienti proximior; ſed tardiùs ſimpliciter loquendo.

65 *QVOD* Si cum Conimbricenſibus objicias illud *Pſalmi* 23. *v.* 2. vbi dicitur Deum fundaſſe Orbem terrarum ſuper maria, ac proinde in loco eminentiori terram, quàm aquàm; *RESP.* eorũ verborum ſenſum eſſe, terram ad firmam ſui compactionem & perſiſtentiam egere permixſtione aquæ ſubiacentis, & intrantis per poros: quia ſine illâ in pulveres redigeretur, quemadmodum ſine humore ſanguinis ſparſo per venas corpus animalis exareſceret, aut diſſolveretur. Hoc enim ſenſu dicitur orbem terrarum fundatum eſſe, ſive firmatum ſupra maria. Aut etiam intelligitur ſolùm de parte aquarum vicinâ terræ, aquâ in altitudine ſuperatur, quanquam alioqui & in medio mare ſuperius ſit. Vide apud Lorinum vtramque expoſitionem, & plura alia opportunain locum Pſalmi allegatum.

DISP. QVINQVAGNONA.

DE QVALITATIBVS PRIMIS.

Quænam ſint ſingulorum quatuor elementorum propriæ?

Num. 1. *EXAMINATO Superioribus numero ac ſitu elementorum, nunc diſquirendum eſt quomodo inter ſe diſtinguantur penes compoſitionem ex quatuor primis qualitatibus. Circa quod communiter traditur, in quolibet elemento duas vt minimum qualitates inveniri. Ignis enim eſt calidus & ſiccus: aer humidus & calidus: aqua frigida & humida: terra ſicca & frigida. Quare ſupereſt diſquirendum, quomodo & in quo gradu ſingulæ dictarum qualitatum ſinguis elementis conveniant, inter ſe comparatis, & prout mutuo inter ſe diſtinctis. Habet locum diſputatio apud Ariſt.* lib. 2. cap. 2. & 3. *& præterea* cap. 8. t. 49.

SECTIO PRIMA.

Exiſtere quatuor primas qualitates iuxta numerum elementorum, quidquid aliqui rèpugnent. Illarum natura & ſingularum definitiones, ac ſpecies pròpriæ.

2 *PRIMÆ* Qualitates definiuntur, *quæ neque ex alijs, neque ex ſe mutuò fiunt. Sed ex ipſis oriuntur cæteræ.* Quæ definitio abſque dubio convenit calori, & frigiditati, humiditati ac ſiccitati: quia nulla iſtarum qualitatum reſultat ex commixtione aliarum, ſeu, quod perinde eſt, nulla illarū ex alijs qualitatibus fit; quamvis poſsit fieri ab alia qualitate, tanquam à principio efficiente. Lux enim eſt productiva caloris iuxta frequentem Philoſophorum ſentētiam, & tamē calor adhuc eſt prima qualitas; quia non fit ex temperie aliarū qualitatum, neque primarum, neque ſecundarum. Idemque dicendum de frigiditate, humiditate, & ſiccitate. Et hæc quidem de prima definitionis parte. Additur in ſecundà: *Sed ex ipſis oriūtur cæteræ*: quia ex commixtione, ſive temperie præcictarū quatuor qualitatum, fiunt reliquæ omnes, quæ ex aliquarum attemperatione reſultant: vt color, & ſapor. Quare lux non cōputatur inter qualitates primas: quia licèt ipſi conveniat prior definitionis pars, non tamen poſterior. Etenim quamvis lux non fiat ex alia qualitate, atque adeò ex hac parte conveniat cum quatuor primis iam enumeratis; aliūde ipſi deficit, quòd ex ipſa attemperatà cum alià reſultet diverſa qualitas in eodem ſubiecto, in quo ipſa eſt: ac proinde relegatur à numero primarum qualitatum. Similiter neque prior definitionis eiuſdem pars convenit coloribus extremè oppoſitis: quia licèt intermedij colores ex illorum commixtione reſultent, ipſi tamen colores extremi reſultant ex temperie aliarum qualitatum.

3 *NEQVE* Ideo exiſtimes, ex quatuor primis qualitatibus reſultare, ſeu fieri debere omnem aliam qualitatem: ſed tantùm illam, quæ ex aliarum attemperatione fieri debet. Etenim cōmuni Philoſophorum conſenſu cum Ariſtotele in præſenti calor & frigiditas, ſiccitas & humiditas ſunt primæ qualitates. Et tamen ex ijs non fit lux, neque ſonus, neque impulſus, neque aliæ qualitates, quæ ortum non ducunt ex aliarum temperie. Idemque eſt de potentijs vitalibus, habitibus, ſpeciebus intentionalibus, & actionibus ſenſitivis, intellectivis, & volitivis, ſi veræ qualitates exiſtimentur. Non enim reſultant ex aliarum qualitatum commixtione, aut temperamento. Ideoque in rigore, nec ſunt primæ qualitates, nec ſecundæ: non primæ, quia ex illarum attēperatione non reſultant aliæ in eodem ſubiecto: non ſecundæ, quia ex aliarum commixtione non reſultant. Solùm ergo dicuntur primæ qualitates quatuor iam enumeratæ: quoniam vtrumque habent: ſcilicet, non fieri ex aliarum qualitatum temperamento, & ſimul eſſe id ex quo primò cæteræ qualitates fiunt; illæ, ſcilicet, quæ generationi ſubſtantiali deſerviunt, & ex mixtione aliarum reſultant.

4 *SVPPONIMVS I.* Cum communi ferè Philoſophorum ſententiā præ-

prædictas quatuor qualitates eſſe entia poſitiva: quod planè docet Ariſtoteles toto hoc libro 2. de Generat. maximè *c.* 2 & 2. *de Animâ. t.* 65. De calore enim nullus ambigendi locus eſt, entitatem poſitivam eſſe, cùm ad ſenſum pateat, & ex ipſius ſummâ activitate comprobetur. De frigore id negarunt nonnulli, putantes conſiſtere in negatione caloris. At ij, vt errarent, ſolam hanc excuſationem habere videntur, quòd nunquam frigus experti ſint. Si enim ita eſſet, ad ſenſum perciperent, aliquid eſſe, quod adeò vehementer vrget ac torquet membra hyberno tempore; quodque applicatum alteri corpori ſtatim in eo ſimilem frigiditatem producit: quod nequit convenire privationi, ſed ſolùm poſitivæ entitati. De humiditate aliqui volunt qualitatem non eſſe, ſed ſubſtantiam fluidam, in cuius privatione conſiſtat ſiccitas. Ita nonnulli allegati à Conimbricenſibus *in præſenti c.* 3. *q.* 2. *ar.* 2. & eiuſdem ſententiæ eſt P. Arriaga *diſp.* 4. *ſect.* 2. *ſubſect.* 1. Verum immeritò ij à communi Philoſophorum ſenſu cum Ariſtotele & D. Thoma receſſerunt abſque fundamento ſufficienti. Nullum enim eſt, vt veræ qualitates non cẽſeantur illæ, quas tactu percipimus, quoties huda corpora tangimus, aut ſicca, & exinde cenſemus illa hudorem aut è contrà ſiccitatem habere. Sufficiat ex communi omnium ferè ſenſu ſtatuere poſitivas eſſe omnes illas qualitates, quæ à Philoſopho recenſentur hoc *lib.* 2. *cap.* 2. *textu* 8. dũ ait: εἰσὶ δ' ἐναντιώσεις ἁπτῶν ἁφῶν ἅδε, θερμὸν ψυχρὸν, ξηρὸν ὑγρὸν, βαρὺ κοῦφον, σκληρὸν μαλακὸν, γλίσχρον κραῦρον, τραχὺ λεῖον, παχὺ λεπτόν. *Sunt autem tangibiles contrarietates hæ: calidum, frigidum; ſiccum, humidum; grave, leve; durum, molle; viſcoſum, aridum; ſcabrum, glabrum; craſſum, tenue.* Vbi ex ipſo tactu dignoſcuntur qualitates omnes prædictæ, & oppoſitæ inter ſe.

5 *DICES,* Medio tactu ſentiri aut percipi calorem & frigus, veluti qualitates ſpeciales; non tamen humiditatẽ & ſiccitatem, ſed ſubſtantiam ipſam rei, quæ humida aut ſicca dicitur, vel aliam qualitatem communem. *SED Contrà I.* Niſi enim aſſignes qualitates ſpeciales ſiccitatis & humiditatis in eo experimẽto reſpondentes tactui, nihil præterea aſſignari poterit, quod nos ad ſenſum certos reddat de exiſtẽtiâ rei ſiccæ, aut humidæ. Non enim ſubſtantia ipſa rerum, quæ immediatè tangi non poteſt, & indifferenter capax eſſe ſolet alterutrius affectionis. Non etiam aliqua prima qualitas, vt calor & frigiditas. Nam corpus, ſive calidum, ſive frigidum, etiam indifferenter accipit, ſaltem ab extrinſeco, modò humiditatem, modò ſiccitatem. Ergo ratione neutrius qualitatis primæ deprehẽdit tactus aliquid eſſe potiùs humidum, quàm ſiccum, aut è contrà. Neque præterea aliqua ex ſecundis qualitatibus idonea eſt ad talem certitudinem pariẽdam, aut veroſimili fundamento aſsignari poterit: quoniam gravitas & levitas, durities & mollities, viſcoſitas & ariditas, ſcabricies & glabrities, craſsitudo & tenuitas, nuper aſsignatæ in Philoſopho, ſolùm nos certiores ad tactum reddunt de exiſtentia rei gravis aut levis, duræ aut mollis, viſcoſæ aut aridæ, ſcabræ aut glabræ, craſſæ aut tenuis; non verò humidæ aut ſiccæ. præſertim cùm & relatæ qualitates poſsint modò eſſe humidæ, modò ſiccæ ab extrinſeco. Nihil ergo erit quò tactus percipiat aliquid humidum aut ſiccum in rerum naturâ exiſtens, ſi ſiccitas & humiditas non ſunt qualitates ſpeciales ab omnibus alijs diſtinctæ.

6 *CONTRA II.* Tactus præ omni alio ſenſu diſcernit inter ſubſtantias, quas humidas appellamus, & inter ſiccas. Non enim viſus, aut auditus, guſtus, aut odoratus, percipiunt ſufficienter an res humida, vel ſicca ſit, niſi accedat tactus, qui nos certiores reddat de alterutrà affectione. Ergo aliquid pertinens ad tactum, præ obiectis aliorum ſenſuum, eſt quo ſubſtantia rerum conſtituitur humida aut ſicca: ac proinde non color, non ſonus, non odor, aut ſapor, qui ſunt obiecta aliorum ſenſuum: ſed aliquid ab ijs omnino diſtinctum. At non ſubſtantia ipſa rei humidæ aut ſiccæ, quæ tactui nõ ſubiacet immediatè, neque alia ex ſecundis qualitatibus præter enumeratas: Reſtat igitur vt ſubſtantia rei conſtituatur humida aut ſicca per ſpeciales qualitates, & diſtinctas ab omnibus alijs. *CONTRA III.* Si enim terra v.g. ſiccitatem non habet poſitivã, nunquam convertet in ſe aquã: quia huius humiditas nec corrumpi, nec expelli poteſt, niſi per contrariam ſiccitatem. At conſequens eſſe falſum experimento patet.

7 *OBIICIT* Arriaga humiditatem

tem non eſſe virtutem activam, ac proinde nec primam qualitatem: quia de ratione primæ qualitatis eſt vt activa ſit. Aſſumptū probat: Quia ſi humiditas haberet virtutem activam, per ſe ipſam humectaret abſque ingreſſu aquæ, aeris, aut alterius ſubſtantiæ fluidæ. At conſequens experimentis falſum convincitur. Siquis enim habeat vndique interpoſitum vitrum inter ſe & inter aquā totius Oceani, nunquam madefiet aut humectabitur; quia vitrum, ſi omnino denſum ſit, quamvis leve, coercebit ſubſtantiam fluidā aquæ ab ingreſſu in corpus contiguum vitro. Præterea ſi merces in navi ita aſſerventur, vt in eas nihil aquæ aut aeris humidi ingrediatur, ſiccæ erunt, ſicuti quæ in terrā intra arcam repoſitæ ſunt. Ergo humiditas per ſe ipſam nō eſt virtus activa ad humectandum, ſed ſolum id poteſt præſtare ratione ſubſtantiæ fluidæ.

8 P. Oviedo in præſenti *Controv. 8. puncto 5. num. 5.* negat aſſumptum obiectionis, ſtatuitque vtrumque experimentum eſſe falſum. Siquis enim in terrā aquā delibutā vitrum ponat, & ſupra illud colloceat aliud corpus humiditatis capax, inveniet hoc valde humidum, & magis humidum verſus partes illas, quæ vitrū immediatè tangunt, & à parte inferiori ſunt. Quod ſignum eſt, corpus vitro ſuperpoſitum non humectari ſolūm ab aere, quia hic magis tangit partes ſuperiores illius corporis (quæ tamen minùs humidæ inveniuntur) quàm inferiores & vitro contiguas. Similiter & negat merces in mari omni curā aſſervatas expertes fore totius humiditatis, quam inquit ex odore dignoſci, & diſcerni ex humiditate maris graveolente ab ijs, quæ extra mare in arca recluſæ fuerunt.

9 *EGO* Certè nollem ſubire experimentum id, cui tantopere confidit Arriaga; nec credo eundem vitæ ſuæ periculum facturum, poſito ſolūm levi vitro inter ipſum & mare. Atqui exiſtimo ſi vitrum ſolidum ſit, & omnino abſque poris, nullatenus humectandum iri corpus poſitum intra vitream ſphæram: quia humiditas non eſt qualitas aliqua ſubtilis, quæ permeare poſsit vitrum ſolidum, ſed craſſa eiuſque pervaſionis incapax. Videmus enim ſpecies colorum pertranſire vitrum, quia ſubtiles ſunt: ſimiliter & ſonos, ſiquis lapillos mittat in globū vitreū & perfectè rotundum ac ſolidum. inſonabunt enim auribus, quia obiectum auditus, & ſpecies ipſi deſervientes, ſubtiles etiam ſunt, quamvis non ita ac ſpecies viſuales. E contrà vero, quia guſtus, & odoratus, & tactus craſſiores ſunt; nec poſſunt in æquali diſtantia percipere obiecta, neque vllo prorſus modo, ſiquid interiaceat obſtans ſpecierum tranſmiſsioni. Vnde qui iuxta ſphæram vitream, & omnino poris carentem, vndique concluderetur, neque guſtu, neque odoratu, neque tactu perciperet obiecta eorundem ſenſuum contigua vitro; quamvis illorum ſonos & colores perciperet. Cùm ergo humiditas ſit qualitas non ſubtilis, ſed craſſa, & cuius diſcretio ad tactum ſpectat, inter ſenſus omnes materialiſsimum; dicēdum videtur, illam non poſſe vitrum omnino ſolidum permeare, neque aliquod corpus vndique vitro concluſum.

10 *QVARE* Reſpondeo aliter, *Primò* prætermiſsa maiore ad præſentem difficultatem. Quid enim refert, quod humiditas non ſit alterius humiditatis activa, vt propterea non ſit qualitas vera ac propria, quod diſquirimus in præſenti? Color enim vera qualitas eſt conſenſione omnium; & tamen communiter aſſeritur non activus, præſertim alterius coloris. Intellectus, voluntas, habitus ſupernatuarales non habent vim activam alterius intellectus, voluntatis, aut habitus ſupernaturalis; nec tamen ideo deſinunt eſſe qualitates veræ ac propriæ. Non ergo ab humiditate excluditur ratio propriæ qualitatis per hoc quod alterius humiditatis non ſit activa. Sed & hoc gratis permittimus ad vim illationis. Nam reipſa activa eſt, vt patet ad ſenſum: quia ſi corpus humidum apponatur iuxta aliud, abſque dubio illud humectat, etiamſi non ſit corpus ſive ſubſtantia fluida, ſed dura. Lapides enim madefacti humectant ſine dubio veſtem iuxta poſitam. At non humectant illam ratione ſubſtantiæ propriæ immediatè: tum quia mea opinione ſubſtantia immediatè activa non eſt; tum quia ſubſtantia lapidis nullam ex ſe virtutem habet ad humectandum. Ergo ſolūm cauſat in veſtibus humiditatem ſimilem, ratione humiditatis, quā ab extrinſeco habet; ac proinde hæc eſt virtus activa.

11 Neque hoc tollitur ex eo, quòd interpoſito vitro humectare non poſsit: quia tunc impeditur eius activitas: ſicuti etiam interpoſito corpore impedi-

tur

tur calor ab operando, quanquam omniũ conſenſione ſit qualitas operativa; & idem eſt vbi aproximatio deficit, quæ ſolùm eſt conditio, vt virtus caloris ac frigoris in paſſum agat. Nec video quànam illationis, ſeu conſequentiæ vi, colligat Arriaga, humiditatem non eſſe activã, ex eo quòd ad humectandum debeat ſimul deferri in aliquà ſubſtantià humidà: Nam neque calor poteſt calefacere niſi in ſubiecto per ipſum vtcumque calido exiſtat; nec frigus valet infrigidare niſi & pariter in ſubiecto per ipſum qualitercumque frigido ſit; & tamen omnium cõſenſu, atque ipſius Arriagæ, calor & frigus ſunt qualitates activæ. Ratio à priori omnium eſt, quia accidens naturaliter exiſtere nequit ſine ſubiecto inhæſionis & informationis, ac proinde nec operari ſeparatum a ſubiecto. Proindeque vt humiditas, calor, & frigus operẽtur in alio ſubiecto ſimiles qualitates, debent retinere ſubiectum proprium, & ſimul cum ipſo deferri quocunque deferantur & vbicunque operentur. Idemque eſt de mercibus in navi delatis, quæ humectari activè nequeunt, niſi ab humiditate exiſtente, & delatà ab aere, aqua, vel alio corpore hudo, cui humiditas ſit ratio proxima & vis activa operandi.

12 *SVPPONIMVS II.* ex Philoſopho *in præſenti textu* 8. definitionem caloris, ſeu calidi, *quod congregat homogenea, & diſgregat heterogenea.* Quod experimẽto patere probat S. Thomas *hic lect.* 3. quia ſi fiat aliqua maſſa ex auro, argento, & ære, & ponatur ad ignem; virtute ignis liquefacientis congregabuntur partes auri ad ſe invicem, ſimiliterque partes argenti & æris, vnæquæque ſeorſim. Similiter congregans aurum, facẽ ipſi diſſimilem ſeparat ad ignẽ: quia ſubtile, quod in igne exiſtit, attrahit ſimilia; ac proinde opus eſt diſſimilia ſeparari. Verùm hoc ſecundum eſt effectus aliquis conſecutus & quaſi præter intentionem caloris; cuius primus effectus eſt ſimilia congregare. Quòd ſi verò videtur quandoque congregare diſſimilia in natura, vt in ſtomacho & venis cibos valde diſſimiles, atque humores varios; non ideò labefactatur definitio tradita: nam vt calor habeat cõgregare homogenea, ſufficit quòd ſimilia ſint ſaltem in accidentibus, aut complexione, quanquam alioqui differant, vt S. Doctor *ibidem* notat.

13 *Frigus*, ſeu frigidum definitur ab eodem Philoſopho, *quod congregat homogenea, & heterogenea*, ſive ſimilia & diſſimilia per ſe. Videmus enim quandoque aquam, terram, lapides, fimum, & plura alia diſſimilia ſecundum ſpeciem & qualitates, virtute frigoris congregari. multoq; evidẽtius patet in ijs, quæ omnino ſimilia ſunt, vt in lacte, aqua, & nive congelatis. Poteſt tamen per accidẽs evenire vt moderatum frigus ſeparet heterogenea, quemadmodum & calor: vt patet quando ventus frigidus exſiccat veſtem inducendo ſiccitatem, & quaſi exprimendo atque ſegregando humiditatẽ a linteo, in quo erat. Si autem frigus vehemẽs ſit, prævenit expreſsionẽ humiditatis, & contiſpando illam cum linteo congregat, ſive vnit magis heterogenea, vt docet idem S. Thomas in Alamanio *hac q.* 45. *ar.* 8. *ar* 5.

14 *Humiditas*, ſive humidum eſt, *quod diſficilè proprio termino terminatur, facilè autem alieno.* Id videre eſt in aquâ & aere. ambo enim difficilè terminis proprijs continentur, cùm omni ex parte effluant & dilabantur: facilè autem ſeſe accommodant terminis alienis, vt vaſibus, cavernis, hiatibus. Neque humidi naturæ opponitur quod aliquando proprijs terminis cohibeatur, vt quando congelatur aqua, vel alius humor liquidus coagulatur. id enim per accidens eſt. Similiter & quòd aliquoties aer velociſſimè cieatur, & mare rapidiſſimè concitetur. provenit enim, non ex natura aeris, vel aquæ, ex ſe compeſcibilium quocunque termino alieno, etiam debili, vt aranææ telulà; ſed ex influxu Lunæ & aſtrorum invertentium vtrumque elementum.

15 *Siccitas* denique, vel ſiccum definitur è cõtrà, *quod facilè terminatur termino proprio, ſed diſficilè alieno.* Id manifeſtè apparet in glebà, & lapide, aliiſque eiuſmodi, quæ facilè ac tenaciter retinẽt proprias figuras, difficulterque ad figuras alterius corporis accomodari patiuntur: quia intra propriam ſphæram terminoſque contenta, alienos non, niſi violenter, admittunt. Neque obſtat primò quod ignis ſuà voracitate depaſcat lignum, aliãve vicinam màteriam, eamque in naturam propriam convertat: quia non propterea deſinit contineri proprijs terminis, ſed potiùs dilatat ſuæ ditionis terminos adquiſitione novæ ſubſtantiæ, vt in ijs continea-

tineatur. Neque obstat secundò, si opponas idem convenire igni, qui levis est, & facilè movetur de loco in locum. Non enim inde sequitur, minimè contineri ignem intra proprios terminos: quia motu illo sursùm quærit proprium locum, quem supra aeris regionē iam antè præscripsimus. Illud verò dicitur non contineri proprijs terminis, quod facilè dissipatur, & in diversas partes delabitur per sui divisionem, nullo contrario implente: quod non convenit igni, quanquam in superiorem locum moveatur. Hinc colliges, lapidem papyro aut linteo involutū minimè contineri alienis terminis eo genere continentiæ, seu terminationis, de quâ Aristoteles in præsenti agit: quoniam etsi cum moto papyro, aut linteo, lapis in terram decideret, non ideò dissiparetur secundum partes, neque illæ dilaberentur ad diversa spatij latera; sed omnes servatâ eâdem proportione formali, & correspondentiâ, quam antea habebant, & in quâ consistit terminatio prædicta, simul in terram deciderent. Contrà verò corpora humida, vt aer & aqua, cadente vase in quo erant, ita dilaberentur, vt ipsorum partes non retinerēt eandem proportionem formalem, quam antea habebant, sed longè aliam: nam antea servabant figuram tumentis vasis solidi; postea verò in plano per aera, aut per superficiē terræ extenduntur. quia, nimirum, terminationem illam suarum partium in figurâ tumentis vasis, aut solidi, non habebant ex se, sed ratione vasis, vt termini extrinseci, à quo facilè terminantur.

16 *RECTE* Aristoteles definivit qualitates primas per effectus prædictos, quāvis secundarios, terminandi, &c. potiùs quàm per primarios calefaciendi, infrigidandi, humectandi, & exsiccandi: quia hos posteriores, præstant quamplura agentia, & aliquando in summo; ac proinde ex his non ita perfectè dignosci posset propria cuiusque qualitatis ratio, at per effectus memoratos, qui nulli alteri qualitati conveniunt. Lux enim v.g. calefacere potest efficienter, etiam in summo: at nec congregare, nec disgregare, nec terminare potest modo dicto. Cæterum secundū opinionem singulis elementis singulas primas qualitates in summo assignātem, de quâ infrà, possent facilius & intelligibiliùs omnes illæ definiri: vt calor sit, *qualitas per se radix raritatis debitæ igni in summo*: frigus verò, *radix densitatis debitæ aquæ in summo*: humiditas autem, *radix fluxibilitatis & mollitudinis debitæ aeri in summo*: ac denique siccitas, *radix duritiei & asperitatis debitæ terræ in summo*. Verùm hæc quasi parerga erunt definitionum præcedentium, quas libenter ex Aristotele cum D. Thomâ suscipimus.

17 *SVPPONIMVS III.* Quatuor prædictas qualitates distingui specie essentiali, non minùs quàm ipsa quatuor elementa, in quibus sedem habent. Idque constat, tum ex varietate definitionum à Philosopho assignatarum; tum ex diversitate effectuum, quos præstant. Non tamen ideò existimandæ sunt quatuor species subalternæ, sed infimæ. Omnes enim calores, omnia frigora, siccitates, humiditatesque, censeri debent constituere singulas species infimas, vt colligitur ex Aristotele in præsenti, *textu* 25. & D. Thomâ *ibi*: quos communiter sequuntur Philosophi cæteri adversus Mirandulam & Niphum, existimantes oppositum. Et ratione vniversali probatur. Nulla qualitas intenditur, nisi interventu illius, quæ eiusdem speciei infimæ est. Sed calor intenditur interventu cuiuslibet alterius caloris, similiterque frigiditas, siccitas, & humiditas. Ergo calor eiusdem speciei est cum quolibet alio calore, proindeque & frigiditas, & cæteræ qualitates proportionaliter. Consequentia patet, & maior similiter: quia sive intensio fiat per additionem graduum, sive per maiorem radicationem in subiecto, solùm potest fieri vnivocè à qualitate illa, quæ est eiusdem rationis formalis cum qualitate intensâ.

18 Minor probatur multipliciter. I. Calor enim sive productus à Sole, sive ex motu, intenditur à calore ignis; & similiter remissus calor à calore ignis productus intenditur calore Solis: idemque est de calore animalis, (in quo appareret maior difficultas) quia intenditur vi Solis, & ignis, vt experimento notum est. *II.* Omnis calor, vndecumque provenerit, eodem modo immutat subiectum ac sensum. Sive enim ad ignem, sive ad solem calefias, æquali gradu vtriusque caloris approximato, eandem sensationem, seu perceptionem caloris experieris: æqualiter etiam per vtrumque expelletur frigiditas. Similiter & vndecunque oriatur frigiditas, sive ab aquâ, sive a terrâ, aut ferro,

ferro, vel lapide carni contiguo, in æquali gradu, omnino ſimiliter ſenſum immutat, perceptionem eiuſdem rationis parit, & indiſcriminatim oppoſitum calorem expellit. Idemque eſt de ſiccitate, & humiditate, ex quocũque principio oriatur, vt experimentis omnium patet. Omnis ergo calor intenditur à quolibet alio calore, ſimiliterque cæteræ qualitates primæ. Vnde etiam febrilis calor intendit naturalem calorem, quamvis extraneus & nocivus ſit animali, quia dũ nimiũ, ſeu plus iuſto intendit naturalem calorem illius, deſtruit temperamentum ſaluti neceſſarium. Quare omnes qualitates primæ, ſive remiſſæ, ſive intenſæ, ſive in ſubiectis ſolo numero diſtinctis ſint, ſive ſpecie aut etiam genere diverſis, *ſymbolæ* à Philoſophis communiter dicũtur, quoties in aliquo ex quatuor prædictis nominibus conveniunt. Ideoque calor ignis & aeris, ſiccitas ignis & terræ, humiditas aeris & aquæ, frigiditas aquæ & terræ, qualitates ſymbolæ appellantur, quãquã in diverſis elementis ſint: diſſymbolæ autem, quæ non cenſentur eodem nomine, ſed diverſo, vt calor & humiditas, ſiccitas & frigiditas. Reſtat modò exponere, quænã ex prædictis qualitatibus cuilibet ex quatuor elementis conveniant.

SECTIO SECVNDA.

Vnicuique elementorum inexiſtere naturaliter duas ex quatuor primis qualitatibus; & quidem aeri calorem vltra humiditatem, quidquid alij repugnent. Difficilia ac ſelecta argumenta in oppoſitum expediuntur.

19 DICENDVM EST Vnumquodque elemẽtum habere duas qualitates ex quatuor iam enumeratis: ita, vt in igne ſit calor & ſiccitas; in aere humiditas & calor, in aquà frigiditas & humiditas; in terrà verò ſiccitas & frigiditas.

ASSERTIO Quòd ad omnes partes expreſſa eſt Ariſtotelis in præſenti, *capit. 3. textu* 16. illis verbis: *τὸ μὲν γὰρ πῦρ, θερμὸν καὶ ξηρόν· ὁ δὲ ἀὴρ, θερμὸς καὶ ὑγρός· εἶναι γὰρ ὁ ἀὴρ τὸ δὲ ὕδωρ, ψυχρὸν καὶ ὑγρόν· ἡ δὲ γῆ, ψυχρὸν καὶ ξηρόν. Nam ignis calidus ſiccusque eſt: aer verò calidus & humidus (nam aer velut vapor eſt:) aqua frigida humidaque: terra frigida atque ſicca.* Idéque docẽt ſupra hunc locum S. Thomas, & alij Interpretes ac Philoſophi communiter, paucis exceptis.

20 *PROBANT* Aliqui ab experimento frequenti. Videmus namque in mixtis quatuor elementorum qualitates refractas, & pacificè compoſitas in certà ſimmetriâ. quod apertè indicat, vnumquodque ex quatuor elementis reliquiſſe ibi duas qualitates in gradibus remiſſioribus; ac proinde ſingula elemẽta duas qualitates habere. *SED* Contrà *I.* Idẽ namque Authores, docentes elemẽta formaliter non manere in mixto, nequeunt hac ratione vti: quia poſito elemẽta quatuor non exiſtere in mixto formaliter & in ſe ipſis, non poſſunt conſequenter aliquid tenere, ſingula elementa relinquere in eo duas proprias qualitates, adhuc remiſſas. Sic enim quodlibet mixtum conſtaret octo primis qualitatibus adæquatè diſtinctis, ſeu quatuor paribus vniuſcuiuſque acceptis à totidem elementis. Ignis enim & aer imprimerent mixto duos calores adæquatè diſtinctos: ignis & terra duas ſiccitates: aer & aqua duas humiditates: aqua & terra duas frigiditates. Itaque nõ ſolùm eſſent in quolibet mixto immediatè & in ſe plura accidentia ſolo numero diſtincta adæquatè, quod ſaltem Schola D. Thomæ averſatur; ſed etiam temperamentum ex octo primis qualitatibus, ſeu quatuor paribus illarum; quod videtur prorſus inauditum. Non ergo ſingula elementa relinquunt in mixto duas proprias qualitates, ſaltem prout in ratione præciſà ſupponi videtur. *CONTRA II.* Sic enim in igne noſtro, qui non purum elementum, ſed mixtum eſt, vt *diſp. praced.* oſtendimus, exiſteret ſimul calor vtpote acceptus ab elemento ignis, & calor alius remiſſus ab elemento aeris receptus. quod tamen eſt contra ſenſum omnium, ſupponentium vnicum calorem eſſe in igne, illumque intenſum in gradu neceſſario ad exiſtentiam conſervationemque ipſius.

21 *ALITER* Ergo probanda eſt communis doctrina ex convenientiâ maximà naturæ in eo, quòd ſingula elementa concordem diſcordiam habeant cum alijs, vt ex diſſidio & conſenſu ipſorum reſultet opportunum corporis mixti temperamentum. Quare, cùm oſtenſum ſit ſuperioribus, primum ac ſupremum quatuor

tuor elementorum eſſe ignem, ſecundum aera, tertium aquam, quartum & infimũ terram; oportuit vt gradatim in vnoquoque exiſteret duplex prima qualitas; vna diſsymbola ad pugnã cum elemento proximo, altera ſymbola ad concordiam cũ illo. Ergo oportuit vt in igne eſſet calor, in quo conſentiret cum proximo aere, & ſiccitas penes quam diſſentiret: in aere, vltra calorem inimicum aquæ proximæ, humiditas conſentiens aquæ: in aquâ, præter humiditatem adverſantem terræ, frigiditas terræ affinis; in terra demùm, vltra ſiccitatem àquæ oppoſitam, frigiditas cognata aquæ. Quod ſe orſim in vnoquoque elemento oſtenditur experimento frequenti. Videmus namque ignem non ſolùm calefacere, ſed etiam facilè terminari termino proprio, ſeu conſiſtere intra propriam figuram, ac ſphæram: quæ propria nota ſiccitatis eſt. Neque hoc ſolùm: ſed abſumere humiditatem corporum adiacentium, eaque redigere ſæpe in cineres: quod non, niſi ab elemento ſicco, præſtatur.

22 De aere verò, quidquid refragentur Stoici, & cum ijs Arriaga, & Spinula *diſp. 5 ſect. 2.* probatur *I.* vltra humiditatem, præditum eſſe calore. Levitas enim cognata eſt, & individuus comes caloris. Sed ad ſenſum patet aerem ita eſſe humidum, vt etiam ſit levis. Patet ergo aerem, vltra humiditatem, præditum eſſe calore. *II.* Nulla ſubſtantia gignitur ex qualitate oppoſitâ proprio temperamento, ſeu proprijs qualitatibus; ſed tantùm ex qualitate ſymbolâ & conſentiente ſibi. Sed aer generatur ex aquâ calidâ, quæ ſæpe in vapores, aeremque convertitur; nunquam verò ex aquâ frigidâ, quæ potiùs condenſatur & ſiſtit intra ſe. Ergo calor non eſt qualitas aeri contraria, ſed potiùs ſymbola & omnino conſentiens. *III.* Si aër eſſet humidus & frigidus, vt Adverſarij volunt, non autem calidus; nullã haberet cognationem cum igne ſibi proximo. Adverſaretur namque ipſius calori ratione frigiditatis, & ſiccitati ratione humiditatis: ac proinde eſſet inteſtinum & implacabile bellum inter vtrumque, totuſque inverteretur elementorum ordo. *IV.* Experimentis conſtat, aerẽ in ſubterraneis locis nimio frigore corrumpi: quod ita non accideret, ſi frigiditas eſſet ipſi cognata, & calor adverſus: præſertim in ſententiâ Patris Arriaga, exiſtimantis aerem eſſe frigidum in ſummo. Nullum enim elementum deſtruitur à qualitate illâ, quàm exigit in intenſo gradu. *V.* Subſtantiæ aereæ, ſive quæ cum aere cognationem ſpecialem habent, vt oleum, & mel, non ſunt frigidæ, ſed potiùs calidæ, vt ad ſenſum & ex effectibus patet. Ergo quia calor aeri, & proinde ſubſtantijs eidẽ cognatis, eſt conſentaneus.

23 De aquâ verò & terrâ Aſſertio manifeſta eſt. Aquam enim non ſolũ eſſe frigidam, ſed etiam humidam, effectus intrigidandi ac humefaciendi evidẽtiſsimè probant. Similiter & terram eſſe ſiccam ac frigidam, aſsiduis experimentis patet: ſiccam quidem, quia facilè intra proprios terminos conquieſcit, & difficilè alienis terminatur: frigidam verò, quia longè abeſt a Solis influxu, & ad ſenſum infrigidat adiacientia corpora. Quibus ita diſpoſitis, omnia cõmodè diſtribuuntur; & quodlibet elementum habet qualitates duas, quarum alia diſsymbola ſit, alia ſymbola, qualitatibus elementi proximi. Ignis enim opponitur vicino aeri in ſiccitate, convenitque in calore: aer opponitur vicinæ aquæ in calore, & convenit in humiditate: aqua opponitur terræ ſibi proximæ in humiditate, & cõvenit in frigiditate: ac tãdem terrâ in ſiccitate opponitur aquæ, in frigiditate verò ipſi conſentit, & ex diametro contraponitur igni, veluti elementum infimum ſupremo, vt Ariſtoteles in præſenti, *textu* 22. docet, dum ait: *Ignis & terra ſuis momentis extrema, & ea quidem puriſsima ſunt: aqua & aer media, magiſque admiſta: & vtraque vtriſque contraria ſunt: igni aqua, aeri terra. Hæc enim ex contrarijs cõſtant affectionibus.*

24 *OBIICIES* Pro Arriaga, aerem non eſſe ſimul humidum & calidum, vt cæteri cum Ariſtotele docent, ſed potiùs frigidum, & quidem in ſummo. Idque multipliciter probabis. *Primò*, quia aer in mediâ regione, in qua expeditior eſt ab omnibus contrarijs, eſt valde frigidus. Ergo quia ex propriâ ratione nõ habet calorem, ſed potiùs ſummum frigus. Conſequentia patet. Antecedens verò probatur: quia ſiquis æſtivo tempore altiſsimum montem conſcendat, ibi etiã ſentiet intolerabile frigus. Quod de editiſsimo Chilenſis Provinciæ monte teſtatur noviter in eius Hiſtoriâ Ovalle: & in Diſtercio apud Rivogiam quotãnis experimen-

rimento comprobatur. Incolæ enim circumhabitantes montẽ illum, vulgò *Sierra del Cogollo*, aſcendũt vſque ad illius cacumen ſacrà Diuo Laurentio die, quo tẽpore omnia alia loca ab æſtivo cane ardent; & tamen adeò ingens frigus experiuntur, vt neceſſum ſit rogum accendere, & duplicibus indumentis operiri. Ideoque tam ibidem, quàm in alijs montibus æqualis altitudinis, perſiſtere ſolent niues, etiam æſtivo tempore.

25 *DICES*, Aèrem quidem ibi frigidiſsimum eſſe, non tamen ex ſe, ſed tantùm ab exhalationibus terræ & aquæ, per antiperiſtaſim conglaciatis. *SED Contrà I.* Quia eiuſmodi exhalationes videtur fictæ ſolùm ad fugiendam difficultatem argumenti. In media namque regione, quam attingunt editiſsimi mõtes, aèr maximè ſerenus & purus eſt. Ergo nullas ibidem patitur exhalationes, a quibus infrigidetur. *CONTRA II.* Eſto aſcendãt eouſque exhalationes, nequeunt ibi frigefieri per antiperiſtaſim. Solùm ergo frigefiunt ab aère: ac proinde hic ex ſe ſummè frigidus eſt, Conſequentia patet: quia præter aèrem nullum reſtat agens, à quo frigefieri poſsint. Antecedens verò probatur: Antiperiſtaſis enim ſolum datur inter duo agentia diſsymbola, non verò inter ea, quæ ſymbola ſunt, vt omnibus in confeſſo eſt. At poſito ignem eſſe calidũ, nequit eſſe agens diſsymbolum cum exhalationibus ũccis, & calidis, ſed potiùs ſymbolum. Ergo poſito ignem eſſe calidum, nequeunt exhalationes ſiccæ, & humidæ ab eo frigefieri per antiperiſtaſim. *CONFIRM.* Si enim exhalationes ex præſentia aèris per antiperiſtaſim frigefierent in ſecunda illa regione, multò magis frigefierent in hac prima, vbi aer calidior eſt, ac proinde fortiorem circũobſiſtentiam contrarij patitur. Atqui experimento patet, exhalationes in hac prima regione non frigefieri ab aère per antiperiſtaſim, ſaltẽ in gradu intenſo. Ergo neque in illa ſecũda regione. *CONTRA III.* In monte enim illo editiſsimo Prouinciæ Chilenſis, vulgo *Cordillera de Chile*, teſtãtur quãplurimi, & prædictus Author, nullam percipi exhalationẽ è terrà aut aquà aſcendentẽ: quia aiunt, nullas iuxta, aut ſupra culmen nubes eſſe; nulla ibidẽ meteora gigni; ſed multo inferiùs exiſtere nubes, erumpere fulmina, prodire grãdines, pluviaſque: ſuperiùs verò nihil percipi, niſi leviſsimũ & gelidiſsimũ aèrem, quo vix reſpirare, vix etiã viuere poſsint, niſi multiplici ẽperimento tegãtur. Apparet igitur, ignẽ naturà ſuà, & non ab extrinſecis exhalationibus, in ſummo frigidum eſſe.

26 *Secundò* probabis idem antecedens. Aèr enim vbicũque liber eſt ab impedimentis, ſiue ab agentibus extrinſecis & calefacientibus ipſum, ſtatim frigidus redditur. Vnde nocte frigidior redditur, quam diurno tempore, ob abſentiã Solis ab extrinſeco calefaciẽtis, & propter illi⁹ maiorem diſtantiam, longè frigidior eſt in regionibus Septentrionalibus, quàm in Auſtralibus. Quare in Polonia (multoque faciliùs accidet in Norvegia, & Gothia) legitur aquas, etiã calentes, quæ a famulis è feneſtrà fundũtur, antequã in terrã perueniãt, cõgelari ſolere, ideoq; malè quatere & ferire prætereuntes: quia, ſcilicet, in ea regione ex diſtantia Solis aer propriã ac ſummã frigiditatẽ illæſam retinet.

27 *Tertiò* ad hominẽ ex ſententia Ariſtot. & ſequacium, aſſerentium regionem ignis elementaris eſſe immediatam ſurſum cõcavo Lunæ, deorſum vero aèri elementari. Ergo cùm aliunde certum ſit ignem elementarem eſſe calidum in ſummo oportuit proximum ac vicinum aèrem eſſe frigidum, & quidem in ſummo; vt nimius ignis ardor, & vehemẽtiſſimum incendium radiorum Solis, oppoſito frigore temperaretur. Non ergo aèr calid⁹ naturà ſuà, ſed frigidus in ſũmo eſt.

28 *Quartò* ex doctrina aliquorum, quam ſecuti ſumus *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 4. *excurſu* 4. *num.* 54. reddẽtes rationem, cur dæmones aſſumentes corpora aèrea nequeant abſque virili ſemine hominem ex fœmina generare, aut producere calorem humano temperamento opportunum: quia ſcilicèt aèrea corpora, valde frigida ſunt, ac proinde inepta ad talem calorem producendũ. Supponitur ergo aerem natura ſuà frigidum eſſe. nam ſi è contrà calidus in præcellenti gradu infra ſummum, vt ſententia aduerſa contendit, nulla ex parte aèrij corporis difficultas erit dæmoni, vt producere poſsit calorẽ ſimilem humano, & ex fœmina generare hominẽ abſque virilis ſeminis interventu.

29 *Quintò* denique probas idẽ antecedens varijs experimẽtis. *I.* Quia loca clauſa in eſtate frigidiora ſunt, quod in ijs liberior ſit aèr, & ſolutus ab impedimẽto

extrinſeco radiorum Solis calefacientiũ. *II.* Quia aèr motus flabello refrigerat, præſertim in æſtate, vbi vel febricitantibus magno levamini & refrigerio eſt. Igitur naturâ ſua non calidus, ſed frigidus cenſeri debet. Nam motus in rebus calidis excitat calorem, in frigidis verò frigiditatem. *III.* Quoties homo patitur colicam, aèr intus recluſus nimia frigiditate vexat: ideoque Medici remedia calida providēt, quibus frigiditas mitigetur. Illa ergo ab aère eſt.

30 *EGO* Certè vi argumentorum præcedentium facilè adduceret in ſententiam adverſam, niſi contradiceret authoritas Philoſophi ac D. Thomæ: in quorum obſequium communi, ac iam traditæ doctrinæ, iterum atque iterum ſubſcribo; malens fortè alicui difficultati non plenè ſatisfacere, quam Magiſtros communes, omniumque ferè tritam viam deſerere, vt nonnulli faciunt ſuſdeque omnia invertentes; ſcùm ſatiùs foret ingenij vires exerere, quo receptam vbique doctrinam ab adverſis difficultatibus expedirent. *RESPONDEO* Itaque negando antecedens, ſive aſſumptum argumenti. Aèr enim, vt infrà vberiùs conſtabit, calidus eſt citra ſummũ, & in præcellenti gradu: nam frigiditas ſolius aquæ & terræ propria eſt, & quidem alterutrius ſolùm in ſummo, vt omnes huculque exiſtimarunt, & experti ſunt.

31 *AD I.* Probationem antecedentis. Aèr eſt quidem valde frigidus in altiſsimorum montium culmine, & media regione; quandoquidem ibi vapores aquei condenſantur in grandinem; & relatis experimentis evincitur, ibidem intenſiſsimum frigus ſentiri. Atqui id non ex naturâ aèris, ſed ex antiperiſtaſi provenit iuxta Ariſtotelem; quidquid diſſentiat Anaxoras ab eo impugnatus, & aliqui è Recentioribus. Etenim nebula, ex terræ & aquæ frigidis exhalationibus cõgeſta, & in tenues vapores diſſoluta, vi Solis & aſtrorum attractos ſurſum, vndique călore circumobſiſtente cingitur; ac propterea nimiùm infrigidatur, & per conſequens infrigidat aèrem ab extrinſeco. Aèr enim naturâ ſua valde obnoxius eſt impreſsionibus peregrinis: ac proinde recedentes, aut nimiùm diſtanti Sole, vel refractionibus radiorum eius (vt accidit in editis montibus, ac media regione aèris) poteſt facilè recipere frigiditatem ab aquâ & terrâ, & ab exhalationibus vtrinque, & ab influxu Saturni ac Lunæ. Quare recta eſt ſolutio interiecta obiectioni.

32 *AD* Impugnationem primam illius, dico aèrem in media regione eſſe quidem puriorẽ, quàm in infima: cæterũ inde ſolũ haberi, vapores in regione media eſſe puriores, non tamen nullos. Certum enim eſt exhalationes terræ & aquæ aſcendere vſque ad extremum mediæ regionis; ſubtiliores vſque ad ſummũ, cæteras aliquantò inferiùs. Vnde in totâ illâ media regione aliquid eſt, quo aèr infrigidetur ab extrinſeco; quia nondũ eſt omnino purus vſque ad tertiam regionẽ, vbi iam liber eſt, ſaltem communiter, ab impreſsionibus peregrinis, & purè humidus, ac calidus in præcellenti gradu. *AD Impugnationem* ſecundam eiuſdem ſolutionis nego antecedens: Quia licèt antiperiſtaſis ſolùm fiat inter diſsymbola agentia, vt rectè ibidem aſſumitur, iam in media regione agentia diſsymbola aſsignamus: nimirum, ex vna parte aèrem calidum, tũ naturâ ſua, tũ ex refractione radiorũ Solis à terra; aliunde verò exhalationes prædictas, quæ frigidæ ſunt, vtpotè terreæ & aqueæ. Cõſtat verò agens frigidũ eſſe diſſymbolũ calido agenti. Quod ſi præterea ſupponas, exhalationes in mediâ regionẽ, aèris evaporatas eſſe ſolùm, aut præcipuè calidas & ſiccas, quales procedere poſsũt à magno igne, aut multitudine arborum ardentiũ; dicã in eo eventu aèrem ijs exhalationibus permiſtum, non fore ita frigidũ: quia frigiditas, quam accipit ab alijs exhalationibus frigidis, temperabitur addimento illo, ſeu adventu calidarum exhalationum.

33 *AD Conf.* nego ſequelã: Quia ſicut aèr in prima hac regione calidior fit ab extrinſeco, quàm in ſecunda, ita exhalationes iuxta terrã & aquã minùs frigidæ ſunt, quàm in media regione, propter vicinitatem radiorum Solis è terrâ reflectentium. Vnde temperatur illarum frigiditas, donec elongatæ à terrâ, & refractione radiorum, connaturalem ſibi frigiditatem in ſummo obtineant, per antiperiſtaſim, ſeu circumobſiſtentiam caloris. *AD Impugnationem* tertiam dicendũ, ſi vera ſunt omnia illa quæ de Chilenſi monte narrantur, ſtatuendum eſſe neceſſariò ipſius culmen nõ excedere mediam aèris regionem, ſed intra illam exiſtere, ſaltem circa ſupremam partẽ. alioqui

qui nõ potuiſſent mortales homines eòuſque conſcendere, aut ibidem reſpirare. Eo autem ſtatuto, pervium eſt aſsignare exhalationes, quanquam ſubtiles, & valde tenues, quæ non ſufficiant ad nubes & alia meteora gignenda, defectu denſitatis ad id neceſſariæ, qualis reperitur initio, aut medio ſecundæ regionis. Cæterum & illæ exhalationes, quanquam ſubtiles, cùm naturà ſua frigidæ ſint, & iam nimium elongatæ à refractione radiorum Solis è terrà, redduntur adhuc frigidiores ex eo capite, atque adeò poſſunt vicinum aèrem vehementer infrigidare.

34 *IAM* Verò ad *II.* Probationem illius præcipui antecedentis *ex num.* 26. Nego aèrem ab extrinſecis liberum impedimentis, eſſe frigidum. Cùm enim naturà ſuà levis ſit infra ſummum, eodem quoque gradu calidus eſt: ac proinde ſublatis impedimentis, vt in tertia regione, præcellentem calorem habet. Quòd ſi verò nocturno tempore frigidior eſt, quàm diurno, & in Regionibus Septẽtrionalibus, quàm in Auſtralibus, non eſt quia in priori conſideratione exiſtat iuxta propriam naturam ac proportionem debitam; ſed quia exhalationes frigidæ & ſiccæ ortum ducentes ex terrà & aqua, deſtitutis Sole, aut ab eo elongatis, ipſum aèrem infrigidant per accidens & ab extrinſeco.

35 *AD III.* Probationem. Vel eo ipſo quòd ignis elementaris iuxta Ariſtotelem ſit immediatus ſurſum versùs concavo Lunæ, oportuit aèrem igni proximum deorſum versùs non eſſe frigidũ, & præcipuè in ſummo gradu, vt Adverſarij ſtatuũt. Sic enim eſſet inteſtinum bellum, & mera diſcordia inter vtrũque elementum. Ad temperandum verò incendium elementaris ignis, & radiorum Solis, ſufficit aſsidua multitudo exhalationũ frigidarum ex terra & mari aſcendentiũ, quibus incendium deſuper adveniens in mediocrem, & mortalibus opportunam, proportionem reducitur.

36 *AD IV.* Probationem. Cùm aèr valde ſubtilis & levis ſit, dæmon nequit ex eo ſolo compingere ſibi corpus, ſaltem tangibile & denſum, niſi & præterea craſsis exhalationibus tertę & aquę vtatur, quæ naturà ſua frigidæ ſunt. Ideoque dæmones incubi ac ſuccubi coire nõ ſolent cum lamijs, ſtrygibus, ac magis, niſi nocturno tempore, aut in obſcurijs locis; quia ſcilicet, abſente Sole craſsiores exhalationes mittit terra & aqua, ex quibus dæmon effingat corpus quoddammodo denſum, & pluſquam evanidum ſpectrum. At vel hinc maximè evincitur, dæmonẽ in corpore aſſumpto non poſſe producere calidum & ſpirituoſum humorem, qualis ad humanam generationem requiritur, ſed exilem & frigidum; vtpotè ex frigidis vaporibus ſive exhalationibus ortum.

37 *AD V.* Probationem varijs experimentis nitentem, dicendum, loca clauſa, & præſertim inferiora, aut ſubterranea, in æſtate frigidiora eſſe, quàm in hyeme, eà ratione quà putealis aqua æſtivo, quàm hyberno, tempore frigidior eſt: nimirum, propter antipariſtaſim, ſeu circumobſiſtentiam caloris extrinſecè ambientis; in cuius conſpectu vapores frigidi, ex terra aſcendentes, ſeſe comprimunt, ac propriam frigiditatem interdunt, & ſubinde aèrem refrigerant. Ad experimẽtum aèris moti flabello, & nos refrigerãtis, dicendum eſt, aèrem iuxta nos nõ eſſe purum, vt in propriâ regione, ſed mixtum temperamento quatuor primarum qualitatũ, ac proinde habere per accidens coniunctos aliquot frigoris gradus, ratione quorum refrigerare poteſt; præſertim vbi agitatur flabello. Tunc enim novę partes aèris ſubintrantes expellunt alias præcedentes, quę ex vicinitate, noſtrorũ corporum incaluerant; ac proinde novo illo ſubſidio aèris nondũ ab extrinſeco calefacti, ſed habentis aliquot frigoris gradus, experimur aliquod refrigeriũ. Ad vltimũ experimentum, dico aerem in colicâ infirmitate vexare & infrigidare, non ratione ſui, ſed ratione humorũ & exhalationũ frigidarum intus naſcentium, quibus proinde oportet calida medicamenta adhiberi, quia contraria contrarijs curantur.

SECIO TERTIA.

Vnicuique quatuor elementorum inexiſtere vnicam qualitatem in ſummo gradu: igni calorem, aèri humiditatem, aquæ frigiditatem, terræ ſiccitatem: vnicuique etiam alteram infra ſummum. Oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, adhuc iuxta D. Thomam.

38 DICENDVM Eſt *II.* Vnicuique elemẽto inexiſtere vnicã qualitatem

tatem in ſummo; igni calorem, aëri humiditatem, aquæ frigus, terræ ſiccitatē; ac præterea in præcellenti gradu infra ſummum, igni ſiccitatem, aëri calorem, aquæ humiditatem, terræ frigiditatem. Aſſertio hæc cōmuniſsima eſt inter Philoſophos, vt teſtatur Bañez *in præſenti q.* 2. Conimbricenſes, *eodem libr. 2. c. 3. q. 4.* Rubius, & Toletus *hoc loco*, Tol. ez, *aſſput. 76. ſect. 3.* Averſa *q. 41.* Oviedo *controv. 8. p. 6.* Sancta-Crucius *l. 2. diſp. 2. q. 2. ſect. 1.* Quiros *diſp. 74. ſect. 2. n. 58.* ſi attente legatur: nam ex lapſu ſcribentis, aut iniuria Typographi, vbi aër ex contextu aſſerendus erat in ſummo humidus, dicitur ſiccus in ſummo. Eandemque veluti probabilem apud S. Doctorē, & expreſſam Philoſophi tuetur M. Ioann. à S. Thoma *q. 10. ar. 5.* alijque plures: & ex PP. Baſil. *Homil. 4. in Geneſ.* Ambroſius 4. *Hexam.* Damaſcenus *in Phyſic.*

39 *ET* Meritò quidē. Nam illa quò ad omnes ac ſingulas partes traditur ab Ariſtotele *hoc lib. 2. capit. 3. textu 23.* vbi hæc habet: *πυρὶ μὲν γὰρ ἐναντίον ὕδωρ, ἀέρι δὲ γῆ*, &c. *Nam igni aqua, aëri verò terra adverſatur: hæc enim contra ijs affectionibus conſtant. Verùm enim verò cùm quatuor ſimpliciter ſint, quodque vnius eſt. Terra ſiquidē, ſicci potiùs eſt, quàm frigidi: aqua verò frigidi potiùs, quam humidi: aër, humidi magis, quàm calidi: ignis, calidi magis, quàm ſicci.* Quibus expreſsè diſtribuit quatuor primas qualitates per quatuor elementa in gradibus diverſis: igni quidem calorem in ſummo, & ſiccitatem infra ſummum: aëri humiditatem in ſummo, & calorē infra ſummum: aquæ frigiditatem in ſummo, & humiditatem infra ſummum: terræ denique ſiccitatem in ſummo, & frigiditatem infra ſummum. Eandem doctrinam quò ad ignem & terram repetit *lib. de Senſu & Senſib. c. 4. circa med.*

40 *PROBATVR* Prior pars generatim loquendo. Cuilibet enim ex quatuor elementis aliqua ex quatuor qualitatibus debet in ſummo convenire. At nulli alteri meliùs convenire poteſt in ſummo calor, quā igni; humiditas, quàm aëri; frigiditas, quàm aquæ; & ſiccitas, quàm terræ. Ergo calor in ſummo convenit igni, humiditas aëri, frigiditas aquæ, & ſiccitas terræ. Maior videtur certa, *I.* Quia quatuor primæ qualitates debent habere aliquod ſubiectum connaturale & proprium cui ſoli ac ſemper conveniant in ſummo ac perfectiſsimo gradu. Id enim ſubiectū poſsibile eſt abſolutè, cùm nullam importet repugnantiā terminorū. Si autē ſemel poſsibile eſt, nulla apparet veroſimilis ratio cur elemēta de facto exiſtentia nō ſint ſubiecta connaturalia, quibus ſolis ac ſemper debeatur aliqua ex quatuor primis qualitatibus in ſummo ac perfectiſsimo gradu. *II.* Probatur eadem maior: Si enim cuilibet ex quatuor elementis non debet convenire aliqua ex quatuor primis qualitatibus in ſummo ac perfectiſsimo gradu, quodlibet elemētū abſque vlla violentia, & omnino cōnaturaliter erit capax qualitatis oppoſitæ, ac proinde non erit purum elementum, ſed mixtum. Quidquid enim non exigit connaturaliter aliquam qualitatē in ſummo ac perfectiſsimo gradu, naturaliter admittit oppoſitā. quod in elemētis, vt elemēta ſunt, & prout diſtinguuntur à mixtis, conſtat eſſe falſum.

41 Iam minor illa principalis diſcurſus, probatur ſeorſim quò ad ſingula elementa, & qualitates. Ac primò quidē calorem ſummū, ſeu perfectiſsimū, nulli alteri elemento meliùs, aut æquè bene convenire poſſe, quàm igni, videtur pronum & in aperto eſſe. Cæterum adhuc probatur ratione inſinuata à Philoſopho in præſenti *cap. 2.* & D. Thomà *ibidem*, ſicuti & ab vtroque *lib. 2. de Cœlo*, in hanc formam redacta. Ignis enim inter omnia elementa eſt leviſsimus; quare ſolus ille naturaliter fertur ſurſum. Ergo nullum aliud elementum eſt cui debeatur connaturaliter calor in ſummo ac perfectiſsimo gradu. Patet conſequentia: quia levitas ſolùm convenit naturaliter elemento calido: ac proinde ſumma levitas non, niſi elemento calido in ſummo ac perfectiſsimo gradu. *Confirmatur* ratione D. Thomæ 1. *Metaphiſic. cap. 3. & in 2. diſtinct. 6. art. 3. ad 2.* Ignis enim perfectiſsimus eſt inter omnia elementa, ideoque ſuperiorem omnibus locum occupat ſub ipſo Lunæ concavo, vt *diſput. præcedenti* oſtenſum eſt. Ergo debetur ipſi præ alijs elementis qualitas perfectiſsima inter primas. Hæc autem eſt calor, qui quemadmodum in activitate cæteras qualitates vincit, ſic etiā in perfectione. Ergo calor debetur igni præ omnibus alijs elemētis. At eo ipſo debetur illi connaturaliter in ſummo, ſive perfectiſsimo gradu. Ergo &c. Probatur minor, inſtaurando priorem diſcurſum. Poſsibile enim eſt elemē-

tum,

tum, cui ex ſpecie ſua debeatur calor in perfectiſsimo gradu: id enim abſolutè nō repugnat. At eo ſuppoſito nullum aliud elementum aptius cogitari poteſt, quam ignis de facto exiſtens, cuique ratione propriæ perfectionis calor debitus eſt. Ergo calor debetur igni ex ſpecie ſua in gradu perfectiſsimo.

42 *DE* Aère probatur eadem minor ex definitione humidi ſuperiùs tradita ex Philoſopho, quod ſit *termino proprio difficilè terminabile, facilè autem alieno.* Hoc autem potiſsimè convenit aèri inter omnia elementa: quia aèr eſt magis fluidus, quam aqua, ideoque celeriùs fluit, ac difficiliùs conquieſcit intra ſe; facilìùs autem terminatur oppoſito ſibi quolibet alio elemento; cùm tamen aqua haud ita difficulter terram & aèrem pervadat. Aèr ergo in humiditate excedit aquam, ac proinde cætera elementa, in quibus nulla dubitandi ratio eſt. Cùm ergo humiditas debeat alicui ex quatuor elementis de facto exiſtentibus convenire in ſummo ac perfectiſsimo gradu, vt rationes præiactæ extorquent, & nullum aliud ſit, cui illa connaturaliter debeatur, niſi aèr; conſequens eſt, vt ille ſit humidus in ſummo gradu. *DICES*: Elementum quod ſummè humidum eſt, nō habet vim exſiccādi. Sed aèr habet vim exſiccandi, vt patet experimento. Ergo aèr non eſt elementū ſummè humidum. *RESP.* Aèrem exſiccare ratione caloris excellētis, quem habet, licèt infra ſummum; & ſimul ratione ſiccitatis adventitiæ & extrancæ, quā afficitur ex conſortio terræ in hac prima regione, vbi non purum elementum, ſed quoddammodo mixtum eſt. Id autem ſolùm probat aèrem hunc nobis vicinum non eſſe ſummè humidum de facto & per accidens; quamvis per ſe loquendo, & in propria natura ſummè humidus ſit. *DICES II.* Aqua magis humectat, quam aèr vt patet ad ſenſum. Ergo eſt humidior. *RESP.* Aquam humectare magis, nō quia humidior ſit, imò nec æquè humida: ſed quia eſt denſior, quàm aèr. Sic ferrum cādens propter maiorem denſitatem magis calefacit, quàm levis flamma lucernæ, licèt minus calidum ſit. *DICES III.* Aquatilia, vt piſces, ſunt magis humida, quàm aves; ideoque magis phlegmatica, quod ſignum eſt humiditatis maioris. Ergo & aqua vbi generantur piſces, eſt humidior aère, in quo aves verſantur. *RESP.* Negādo conſequentiā: quia licèt aqua ſit minùs humida, quàm aèr, eſt tamē humida prope ſummū, & ideò piſces in ea iugiter habitātes ſunt maximè humidi inter omnia animantia. Cæterum aves in terra naſcūtur, aluntur, dormiunt, ac frequenter habitant; ideoque magis de ſiccitate habent quàm de humiditate.

43 *DE* Aquà eſſe frigidam in ſummo, probatur vltra teſtimoniū allegatum Philoſophi, expreſsis verbis D. Th. ibidem lect. 3. aientis: *In aquâ magis dominatur frigiditas, quàm humiditas.* At qualitas, quæ in ſingulis elementis dominatur, convenit eis in ſummo, vt probatum manet. Frigiditas ergo convenit aquæ in ſummo. *Præterea* Philoſophus loco exſcripto ſuperiùs obſervat, & omnibus notum eſt, ignē eſſe aquæ contrarium, & vnum deſtrui ab alio viciſsim. At in elementis contrarijs debent dominari cōtrariæ qualitates in ſummo: quia ſubſtantia non habet per ſe contrarietatē cum alia, ſed ſolùm ratione ſuperadditæ qualitatis. Ergo cùm in igne dominetur in ſummo calor frigiditati cō trarius, in aqua dominari debet frigiditas in ſummo. *Rurſus.* Qualitates prædominantes in elementis dignoſci debent ex operationibus ipſarum: ac proinde ſicut quia ignis magis calefacit, quam alia elementa, dignoſcimus in ipſo prædominari ſummum calorem; ita etiam, quia experimur aquam magis infrigidare, quàm cætera elementa, putandū eſt in ea prævalere ſummam frigiditatem.

44 *DICES* Cum Arriaga vbi ſuprà, *ſubſect.* 4. Si aqua ex natura ſua eſſet frigida in ſummo, inutile elementum foret vitæ humanæ, quia ſic congelata eſſet; ac proinde nec deſerviret potui, nec navigationi, neque irrigationi agrorum, nec generationi pluviarum. Cum ergo ex natura ſua ſit elementum vtile humanæ vitæ, & prædictis effectibus; non exigit eſſe cōgelatam, ac proinde neque frigidam in ſummo. *RESP.* Retorquendo argumentum in eundem Authorem, cuius opinione, vt ſupra vidimus, aèr eſt frigidus in ſummo: ac proinde, ſiquid probat obiectio in aquâ, deberet eſſe aèr inutilis viventibus: omnia enim frigore areſcerent, & morerentur, nec plantæ vllæ naſci poſſent, aut arbores apud nos; ſicuti non naſcuntur in culminibus editiſsimorum montium, propter ſummam frigiditatem, quæ in iis eſt. Imò

& tandem fieret, quod Arriaga vitare conatur; nempe, aquam vbique congelatam exiſtere, ac viventibus inutilem: quia ab aère ſummè frigido deberet vbique congelari. Deinde nego ſequelam obiectionis: quia aqua mortalium vſui deſerviens non habet rationem elementi puri, ſed mixti ex qualitatibus contrarijs: ac proinde non ſemper retinet frigiditatem in ſummo, ſed plerumque habet illam in gradu infra ſummum, vt viventibus deſervire poſsit. Alicubi tamen, id eſt, ſub ipſo polo, vbi mare ſemper congelatum eſt, & omni mortalium vſui ac navigationi invium, retinet ſummam frigiditatem; & ſimiliter in præcelſis montibus regionum polo finitimarum; vbi creditur eſſe nives à multis, aut etiam primis ſæculis, condenſatas, quæ ab aqua ſpecie nō differunt; ſicuti nec exhalationes aſcendentes, ſeu attractæ à Sole vſque ad ſecūdam aèris regionem; quæ ibidem in ſummo frigidæ ſunt. Apud nos verò ex maiori vicinitate Solis aqua communiter tēperatur, ne frigidior ſit, quàm oporteat generationi & conſervationi viventium.

45 *DE* Terra denique eſſe ſiccam in ſummo, videtur colligi ex ſacris litteris, apud quas antonomaſticè appellatur *arida*, propter ſummam ſiccitatem, vt *Geneſis* 1. ideoque S. Thomas 1. *p. quæſt.* 69. *art.* 1. *ad* 5. colligit ſiccitatem eſſe præcipuam terræ proprietatem. At præcipua cuiuſvis elementi proprietas convenit ipſi in ſummo. *Præterea*, terræ præ alijs elementis convenit definitio ſicci, ab Ariſtotele & cæteris Philoſophis tradita, nempe, eſſe *facilè terminabile termino proprio, difficilè autem alieno.* Terra enim propter maiorem ſoliditatem & duritiē, facilè continetur, ſive conquieſcit intra terminos, ac figuram propriam, vti iam ſuprà oſtēſum eſt; difficillimè autem terminatur alieno termino, vel figura extranea. Ignis autem, qui ſolus de ſiccitate cōtendere poſſe videbatur cum terrā, eſt levior, ac mollior; proindeque nō ita facilè ſe cohibet intra terminos ſibi à natura præſcriptos, nec ita difficilè admittit extraneos. Patet igitur ſiccitatem in ſummo convenire terræ. *Denique* S. Thomas ſupra Philoſophum in præſenti *lect.* 3. expreſsè ait: *In terrā magis dominatur ſiccitas, quàm frigiditas.* At probatum, remanet qualitatem dominantem in vnoquoque elemento convenire ipſi in ſummo. Siccitas ergo convenit terræ in ſummo.

46 *DICES I.* Nequit eadem qualitas in ſummo convenire ſimul duplici elemento. Sed ſiccitas convenit igni in ſummo. Ergo nequit etiam in ſummo convenire terræ. Conſequentia patet, & maior videtur certa: quia quælibet ex quatuor primis qualitatibus in ſummo gradu eſt proprietas alicuius elementi, ſicuti & vltima diſpoſitio ad illius introductionem. Nulla autem proprietas, aut vltima diſpoſitio alicuius elementi, poteſt ſimul eſſe proprietas, vel vltima diſpoſitio alterius elementi eſſentialiter diverſi. Nequit ergo eadē prima qualitas in ſummo convenire ſimul duplici elemēto. Minor autem præcipua probatur. Hoc enim ipſo quod ignis ſit calidus in ſummo, vti reverà eſt, evaporare facit omnes humores, ac propterea conſumit humidum, ipſiſque adverſatur. Sed quod conſumit humidum, ipſiſque adverſatur, debet eſſe ſiccum. Ergo ignis hoc ipſo quod ſummè calidus ſit, eſt etiam ſummè ſiccus.

47 *RESPONDEO* Concedēdo maiorem, & negando minorem, vt illam reverà negat S. Thomas in præſenti *text.* 23. *lect.* 3. illis verbis: *In igne verò magis dominatur caliditas, quam ſiccitas.* Cū ergo caliditas conveniat igni in ſummo, ſiccitas eidem in ſummo non convenit. Alioquí vtraque æqualiter in igne dominaretur, quia duarum qualitatū æquè primarum, & in ſummo exiſtētium, neutra præ altera dominatur. Ad probationē minoris dico, ſummum ignis calorem exercere ſummas & præcipuas vires in calefaciendo; non autem in exprimendo vapores à ſubiecto in quo eſt. Hoc enim quod eſt vapores exprimere, & extenuare humidum, non convenit igni in quantùm calido, ſed in quantum ſicco; ac proinde non convenit igni quatenus prævalet cæteris elementis in activitate. Quare licèt non exigat ignis humiditatem, facilè illam permittit, ſaltem in aliquo gradu remiſſo. Imò & calor excellēs, qui eſt in aère elementari, cōnaturaliter exigit humiditatē in ſummo, vt ſuprà oſtenſum eſt, vel ſaltem in præcellenti gradu; cùm evidens ſit, aèrem ſaltem excellenter humidum eſſe. Præterea vbi aqua ad ardentiſsimum ignem effervelcit, ſimul in ea exiſtunt, quanquam violenter, intenſiſsimus calor, & humiditas excellens,

ac

ac iuxta nonnullos ſumma. Non ergo ſummus calor neceſſariò adiunctam habet ſummam ſiccitatem, quà omnem ſubiecti humiditatem abſumat.

48 *DICES II.* In terrà omnino prævalet, ac dominatur frigiditas in ſummo. Ergo cùm iuxta hanc opinionem nequeant duæ qualitates primæ dominari eidem elemento, terra non erit ſicca in ſummo. Probatur antecedens. In illo elemento prævalet ac dominatur ſumma frigiditas, quod ex ſe nullum calorem habet, ac præterea remotius eſt ab omni extrinſeco calefaciente. Atqui terra nullum ex ſe calorem habet, ac præterea remotior eſt ab omni extrinſeco calefaciente. Ergo in terrà prævalet ac dominatur omnino ſumma frigiditas. Maior eſt manifeſta: cùm omne quod eſt remotius à calore, tam per ſe, quàm per accidens, debeat habere maiorem oppoſitionem cum calore, ac proinde eſſe frigidius quocunque alio. Minor quò ad primam partem ab omnibus traditur, & quò ad ſecundam ſuadetur: Quia cum terra ſit infimũ omnium elementorum, vt vidimus *diſput. præced.* eſt etiam remotior à Sole, & ab igne, & ab aere elementari, a quibus poſſet extrinſecè calefieri. Aqua autem, cũ editior, ſive altior ſit, viciniorem habet Solem, & ignem, & aerem, a quibus per accidens calefieri valeat. Ergo terra remotior eſt ab omni extrinſeco calefaciente.

49 *RESP.* Negando antecedens, ſicut illud negat S. Thomas ijs verbis ſuprà ex ſcriptis: *In terrà magis dominatur ſiccitas, quàm frigiditas.* Ad probationem facilè reſpondebunt, qui exiſtimant aquam exiſtere in inferiori loco, quàm terram. Cùm verò oppoſitum ſtatuerimus *diſp. præced.* aliter obiectioni occurrendum eſt, negando maiorem probationis. Non enim dominari debet frigiditas in illo elemento, quod per ſe loquẽdo caret calore, & aliunde remotius eſt ab omni extrinſeco calefaciente; ſed in illo, quod magis directè & ex diametro contrariatur calori ſummo ignis, quodque magis habet congregare homogenea, & heterogenea, vt conſtat ex definitione frigidi *num.* 13. traditâ. Hæc autem duo per ſe loquendo potiùs ac principaliùs conveniunt aquæ, quàm terræ: quia aqua præ terrà extinguit ignẽ, ſummumque ipſius calorem; & præterea magis congregat homogenea & heterogenea, quàm terra. Aqua enim denſiſsima eſt, & ſummà colligatione continuatione que vniuntur partes ſimilares ipſius, atque iiſdem partibus quidquid extraneum advenit, heterogeneis partibus conſtans. Totum enim pervaditur & comprimitur ab aquâ. Terra autem non ita congregat homogenea & heterogenea, neque adeò illa pervadit & comprimit; quià ex propria ratione poroſitatem habet, minorẽque partium continuationem ratione ſiccitatis, quæ per ſe loquendo redigeret ipſam in pulverem, niſi adiumento frigiditatis præcellentis infra ſummum congregaretur. Patet igitur aquam præ terrà frigidiam eſſe per ſe ac ſimpliciter loquendo; quia propriæ frigiditatis notiones ipſi in ſummo conveniunt.

50 *NEQVE* Obſtat diſtantia maior terræ, quàm aquæ, à cœlo, Sole, igne, & aere, a quibus poſſet extrinſecè calefieri. Hoc enim ſolùm probat, terram aquæ inferiorem, & propinquam centro, de facto & per accidens frigidiſsimam eſſe: quia ibidem nullum recipit influxũ ab aliquo calefaciente extrinſeco; propter ſummam diſtantiam; atque adeò retinet integrè frigiditatem prope ſummũ: quam tamen nec in ſummo, nec prope ſummum habet aqua cõmuniter loquendo; quia licèt ex ſe frigidior ſit, temperatur ex vicinitate extrinſecorum calefacientium. Aqua igitur per ſe loquendo frigidior eſt: de facto verò & per accidens minùs frigida, quam terra, modo explicato. Quo ſenſu accipiendum, & facilè conciliandum teſtimonium, alioqui difficile, S. Thomæ cum alijs ſuperiùs exſcriptis. Ait enim in præſenti lect. 3. *Frigiditas cauſatur ex diſtantia ab orbe, ſicut caliditas ex propinquitate. Cùm ergo inter cætera elementa terra magis diſtet à cœlo, neceſſariò ſequitur quod terra frigidiſsima ſit inter omnia elementa.* Terra enim prope centrũ, & quà parte inferior eſt quàm aqua, cũ ab omni extrinſeco calefaciente remotior ſit, totam illàm frigiditatem, quam exigit ratione propriæ naturæ prope ſummum, integram habet. Aqua verò, quanquam ex ſe frigidior, temperatur ex maiori propinquitate Solis, ignis, & aeris, propterea que nativa ipſius frigiditas mitigatur ac remittitur.

51 *POSTERIOR* Aſſerti pars, quà igni, præter ſummum calorem, adſcri-

scribitur siccitas; aeri, præter humiditatem summam, calor; aquæ, præter summam frigiditatem, humiditas; terræ, vltra summam siccitatem, frigiditas; satis probata manet sectione præcedenti, vbi ostensum est vnicuique elementorũ convenire duas qualitates prædictas. Cumque prima & præcipua illarum singulis conveniat in summo gradu, & nequeat in eà perfectione convenire simul duobus elementis, vt probatum manet; consequens est, vt qualitas secunda & minùs præcipua conveniat singulis infra summum. At non infra summum ita, vt sit in gradu remisso, sed excellenti, vt constat experimentis in vnoquoque elemento. Ignis enim excellenter exsiccat, & absumit humores: aer natura sua levis prope summum, eodem quoque gradu calidus est: aqua notabiliter humectat, & proprio termino insatiabilis, alieno facilè contenta est: terra denique ad sensum frigida & prope summum congregata ac densa deprehenditur. Ergo singulæ quatuor qualitates minùs præcipuæ conveniunt singulis elementis in gradu excellenti.

52 *FATEOR* Probabilem valde sententiam esse, quæ docet, ignem simul esse calidum & siccum in summo; aerem simul humidum & calidum propè summum; aquam summè humidam, & frigidam prope summum; terram denique summè frigidam, & prope summũ siccam. Probabilis, inquam, sententia est relata, & cui D. Thomas sufficiens fundamentum præbuit in præsenti *lect.* 3. toties allegata, quãque satis fulciunt & ab argumentis in oppositum vindicant Bañez hoc loco *cap.* 3. *q.* 2. & Complutenses, *disp.* 10. *de Elementis q.* 3. *&* 4. accuratissimè id disputantes: quos Lector consulere potest. Nobis sufficiat hucusque firmasse opinionem expressam Aristotelis, quæ iuxta S. Doctorem non minùs probabilis est, quàm opposita, vt ex prædictis constat, & Magister Ioannes à S. Thoma testatur, ac præterea colligitur *ex* 1. *p. q.* 69. *art.* 1. *ad* 5. quo ad terram, in qua potissima difficultas est.

SECIO QVARTA.

An qualitas elementi minùs intensa habeat permixtionem qualitatis contrariæ?

53 *DVBITABIS I.* An qualitas elementi minùs intensa habeat permixtionem qualitatis contrariæ? ac proinde an siccitas in igne habeat permixtam humiditatem, calor in aere frigus, humiditas in aquà siccitatem, frigiditas in terrà calorem? Vbi & nonnihil libandum de qualitate elementorum in summo gradu, an patiatur permixtionem oppositæ in gradu remisso?

54 *RESPONDEO* Probabilius, & conformius doctrinæ traditæ in hac disputatione esse, qualitatem minùs intensam, seu infra summum, non habere admixtionem oppositæ. Id enim videtur tradere Aristoteles *hoc lib.* 2. *textu* 25. *&* 26. docens faciliorem esse transitum vnius elementi in aliud symbolum, quàm dissymbolum, quia in elemẽto symbolo vna solùm qualitas corrumpi debet, in dissymbolo autem duæ. Hæc verò doctrina falsa esset, si qualitas minùs intensa cuiuslibet elementi haberet admixtionẽ oppositæ. Sic enim in quolibet elemento darentur tres qualitates: atque adeo totidem corrumpendæ forent in elemento symbolo, ac in dissymbolo. Nã in dissymbolo solùm corrumpi debent duæ qualitates contrariæ. At posito etiam elementum symbolum habere tres qualitates, duæ contrariæ debent in eo corrumpi. Ergo totidem qualitates forent corrumpendæ in elemento symbolo, ac in dissymbolo: ac proinde non esset facilior transitus vnius elementi in aliud symbolum, quàm in dissymbolum, quia vtrobique essent totidem contrariæ quæ vincerentur. Imò & omnia elementa essent symbola, quia omnia convenirent in aliquà qualitate, sive in gradu intenso, sivè remisso: & convenientia vera sufficit ad veram symbolizationem. Quæ ratio etiã probat idem dicendum esse in sententia probabili, indicata nuper ad finem sectionis præcedentis; & adhuc vrgentiùs. Cùm enim doceat posse in vnico elemento dari duplicem qualitatem prope summũ, vt in aere humiditatem & calorem, teneatur negare in eo quamlibet gradum oppositarum qualitatum; scilicet, siccitatis

tis & frigiditatis, adhuc remiſſum. Aliàs totidem qualitates eſſent vincendæ ad tranſitum aeris in elementum diſſymbolum terræ, ac ſymbolum ignis. imo & nullum elementum non eſſet ſymbolum aeri, vt modo argumentabamur. Præterea que (quod caput eſt) elementum aeris naturaliter & ex propriâ exigentiâ eſſet mixtum, vtpote conſtans temperamento quatuor primarum qualitatum: atque ſpectatum ſecundùm propriam naturam non haberet rationem puri ac ſimplicis elementi, quod diſſonat doctrinæ Philoſophorum omnium. Et ita cum Ariſtotele ac D. Thoma *in præſenti* docent Bañez *cap.3.q.3.* Toletus *q.6.* Rubio *tract. de primis qualit. q.9.* Complutenſes *diſp.10.q.5.* alijque Recentiores communiter. Cæterum oppoſitam tuentur nonnulli quos ſequuntur Conimbricenſes *hoc libro 2. cap. 3 q.5. ar.4.* eamque veluti probabilem defendit M. Ioannes à S. Thoma, *q.10. ar.4.* & quidam alij, ab ijs allegati.

55 *LOQVENDO* Verò de qualitate in ſummo cuiuslibet elementi, certum eſt non admittere cõnaturaliter aliquid qualitatis oppoſitæ: tum propter rationes præcedentes, quæ æqualiter, aut magis vrgent de qualitate in ſummo, ac infra ſummum: tum quia qualitas ſummè intenſa habet propulſare oppoſitam ſibi in quolibet gradu. Cæterum innaturaliter, & via corruptionis poteſt elementũ in qualitate ſibi propriâ amittere aliquid intenſionis, & recipere qualitatem contrariam in gradu remiſſo, viâ corruptionis: vt patet in aquâ priùs congelata, & poſtmodum temperatâ & demiſsâ ad inferiorem frigoris gradum, ratione alicuius caloris advenientis ab extrinſeco cõtra ipſius exigentiam connaturalẽ. Quod etiam patet in terrâ, quæ licèt ſummè ſicca ſit ex propriâ naturâ, per accidens & violenter patitur humiditatẽ ab aqua; & in aere ſummè humido, qui à terra & igne nonnihil ſiccitatis contra propriam inclinationem recipit. Ignis verò, cùm ſit omnium maximè activus ratione caloris ſummi, quandiu in rerum nàturâ perſeverat non videtur quidquam oppoſitæ frigiditatis admittere: quamvis ratione cõtrariorum poſsit deſtrui, per deſtructione caloris ſibi debiti iuxta communem deſignationem in octavo gradu.

DISPVTAT. SEXAGESIMA.

DE TRANSMVTATIONE ELEMENTORVM.

Vtrùm omnia elementa poſsint ſe immediatè atque invicem tranſmutare?

Num. 1. *DISPVTATIO Hæc potiſsimùm ſpectat ad* cap.4. *libri 2. de Generatione, quod in quatuor partes ſecat Philoſophus. In primâ ſtatuit, ſimplicium corporum, ſeu elementorum, mutuam eſſe generationem; ſive, quod perinde eſt, quodvis illorum ex quolibet alio gigni poſſe. In ſecundâ aſſerit, tranſitũ vnius elementi in aliud ſymbolum, faciliorem & citiorem eſſe, quàm in aliud diſſymbolum. In tertiâ docet, ex duobus elementis diſſymbolis reliqua gigni poſſe. In quartâ demum concludit, ex duobus elementis ſymbõlis non generari aliud tertium ſeu vnum ex alio Hæc omnia ſub præfixo diſputationis titulo diſſerenda ſunt. Pro cuius intellectu, præmittendum ex communi Philoſophorum ſenſu, ac ſtylo loquendi, elementa illa dici ſymbola, quæ conveniunt in aliqua qualitate; diſſymbola autem, quæ in nullâ omnino, vt idem Ariſtoteles indicat* textu 25. *Conventientia autem hæc in qualitate aliquâ, vt ad præſens inquirimus, non debet ſolum eſſe penes gradum remiſſum, qui adſtrictam ſymbolizationem non ſufficit: ſed penes excellentem gradum infra ſupremum ex parte vnius elementi, & penes ſummum ex parte alterius. Quare iuxta dicta diſput. præcedẽti, ignis & aer ſunt elementa ſymbola quoniam convenunt in calore, qui in primo ſummus eſt, & in ſecundo excellens ac prope ſummum. Similiter terra & aqua ſunt invicem ſymbola elementa, quia conſentiunt in frigiditate, quæ alteri illarum (vt abſtraham à varijs ſententijs*

ibid. m

ibidem examinatis) convenit in summo, alteri verò prope summum. Præmittendum vlteriùs ex communi sententia Philosophorum, quodlibet elementum posse generari ex alio, saltem mediatè. Nam cùm omnia illa, sive symbola sive dissymbola sint, habeant materiam communem, & qualitates activas, quibus invicem agere & reagere possint, ac generare sibi simile; consequens est vt possit vnum vincere aliud, & illud in propriam naturam convertere, saltem mediatè, & loquendo de elementis secundùm aliquam illorum partem. Nam alioqui, & secundùm totum atque integrum elementum, transmutatio vnius in aliud, nec immediatè, nec mediatè fieri potest secundùm ordinem Vniversi à Deo præscriptum, vt advertit S. Thomas in 2. dist. 19. q. vnicâ ar. 2. ad 2. & 2. contra Gentes cap. 9. *Quare difficultas præsens solùm est circa transitum immediatum vnius elementi in aliud secundùm aliquam ipsius partem.*

SECTIO PRIMA.

Ex mente Aristotelis ac D. Thomæ probatur, quodlibet elementum posse generari immediatè ex alio quolibet. Evasiones Adversariorum multipliciter præoccupantur.

2 *SIT I. Assertio.* Quodlibet elementum, sivè symbolum, sive dissymbolum, absolutè ac simpliciter potest cõverti immediatè in aliud; ac proinde ignis in aquam, terra in aerem, & è contrà. Hanc sentẽtiam expressè tradit Aristoteles, & cum eo S. Thomas verbis postea allegandis: quos sequuntur in præsenti Marsilius *q.* 9. Albertus de Saxonia *q.* 7. Augustinus Nyphus *Comment.* 46. *q.* 1. Conimbricenses *hoc lib.* 2. & *cap.* 4. *q.* 1. *ar.* 2. vbi asserunt communem esse inter Latinos ac Græcos Interpretes: Toletus *q.* 8. Bañez *q. vnicâ*, Complutenses *disput.* 11. *q.* 1. M. Ioannes à S. Thoma *q.* 10. *ar.* 4. alijque ex Recentioribus Thomistis: Averſa *q.* 41. *sect.* 10. Lalemandet *disp.* 9. *partitione* 3. Hurtado & Tellez, quos allegat Sancta Crucius *disp.* 2. *q.* 3. *sect.* 2. Richardus Lynceus *lib.* 8. *Physic. tract.* 1. *cap.* 4. Quamquam oppositum aut omnino, aut ex parte sentiant Valles 4. *Physic. cap.* 5. *fine* Rubius *in Præsenti cap.* 6. *tractatu de Generat. elementorum q.* 1. vbi refert supresso nomine nonnullos è Recentioribus, quos tandem imitatur allegatus Sancta-Crucius, & Spinula *disp.* 5. *sect.* 3. & P. Arriaga *disp.* 4. *sect.* 6. vbi contendit nullum elementum posse convertere in se aliud, non modo dissymbolum, vt nuper allegati Authores volunt, sed neque symbolum; in quo discedit à communi cæterorum ferè omnium sensu.

3 *PROBATVR I.* Assertum testimonio, vt videtur, expresso Aristotelis hìc capite 4. vbi postquam assignavit elementa dissymbola, seu contraria ad invicem, vt ignem & aquam, ac præterea symbola, vt aquam & aerem, subdit statim: ὡς τε καθόλου μὴ φανερὸν, ὅτι πᾶν ἐκ παντὸς γίνεσθαι πέφυκε. *Quare in vniversum quidem patet, quodvis è quovis gigni natum esse.* Vbi S. Thomas: *Sic ergo concludit, quòd vniversaliter manifestum est, quodlibet elementum ex quolibet generari.* Ergo nõ modò potest converti quodlibet elementum in aliud symbolum immediatè, verum etiam in aliud, quod contrarium ipsi, aut dissymbolum est, cùm Aristoteles & D. Thomas de vtrisque indifferenter loquãtur.

4 *RESPONDET* Rubius, verba illa Philosophi solùm dirigi adversus quosdam ex Veteribus, qui negabant elementa esse substantialiter transmutabilia ad invicem, & solùm admittebant mutationem illorum accidentalem. Inde verò nequaquam convinci transmutationẽ posse immediatè fieri. Sat enim est ad salvandum Aristotelis scopũ, quòd vnius elementi in aliud detur transmutatio mediata, dummodo substantialis sit.

5 *SED* Contra *I.* Ratio enim Philosophi inferiùs expendenda, sicuti probat vnum elementum in aliud posse substantialiter transmutari, sic etiã evincit, posse id immediatè fieri: quia nititur in naturà generationis, quæ est ex contrarijs, & in contraria immediatè, qualia sunt elementa ad invicem. *Contrà II.* Nititur enim Philosophus in qualitatibus oppositis, quibus elementa prædita sunt. Hæc autem ratio non solùm probat trãsmutationem substantialem vniusin aliud, sed etiam immediatam: quia quodlibet elementum potest immediatè proprias dispositiones vicino elemento repugnantes inducere in aliquà ipsius parte. Ergo poterit illud corrumpere immediatè, quo ad illam partem, atque adeò & substantialiter in se convertere. Nam materia vltimò disposita proprijs alicuius elementi

ti

ti diſpoſitionibus, immediatè recipit in ſe formam ipſius ſubſtantialem. *Contrà III.* Si enim hæc eſſet Philoſophi mens, fruſtra adderet ſtatim citiorem, ſive faciliorem eſſe tranſmutationem vnius elemẽti in aliud ſymbolum, quam in diſſymbolum. Si namque in elementum ſymbolũ poteſt ſolùm converti mediatè, hac ratione in elementum diſſymbolum etiam tranſmutari poteſt. Non ergo citior aut facilior erit tranſmutatio vnius elementi in aliud ſymbolum, quàm in diſſymbolũ, ſed æque facilis, aut difficilis, æquè citâ, aut tarda, quod Philoſophus apertè negat, & cum ipſo omnes.

6 *AT* Inquies, vel hinc maximè probari, ex mente Philoſophi, vnum elementum diſſymbolũ immediatè in aliud non tranſmutari. Quod enim tranſitus vnius elementi in aliud diſſymbolum difficilior ſit, quàm in aliud ſymbolum, exinde ſolùm provenire poteſt, quia in tranſitu ad elementum diſſymbolum neceſſariò intervenit duplex tranſmutatio; vnica verò in tranſitu ad ſymbolum elemẽtum; ac proinde hoc poſteriùs præſtatur facilius & citius, quàm illud prius. Ergo indicata doctrina Philoſophi potiùs evincit nullum elementum tranſire immediata mutatione in aliud diſſymbolum, ſed in ſymbolum tantùm.

7 *SED Contrà.* Philoſophus enim vt aſsignet cauſam illius maioris difficultatis in vno tranſitu, quàm in alio, nõ recurrit ad numerum tranſmutationũ; quaſi duplex in tranſitu ad elementũ diſſymbolum requiratur, vnica verò ad ſymbolum elementum: ſed tantùm nititur in eo, quod ad priorem tranſitum ſit neceſſarium vincere plures qualitates contrarias; ad poſteriorem verò, vnam tantùm. Vt enim ex aqua fiat ignis, oportet vincere humiditatẽ, ſimul ac frigiditatẽ aquæ oppoſitã calori & ſiccitati ignis: vt verò fiat ignis ex aere, ſolùm opus eſt vincere humiditatem aeris, cùm alioqui vterque in calore conveniat. At ex eo quòd oporteat in priori tranſitu vincere duplicem qualitatem oppoſitam malè deducitur non poſſe vnum elementum in aliud diſſimbolum tranſmutari immediatè. Stat ergo cum illâ maiori difficultate in vincendis pluribus qualitatibus oppoſitis, trãſmutatio vnius elementi in aliud diſſymbolum immediata. Probatur minor: quia duæ qualitates oppoſitæ abſolutè & ſimpliciter vinci poſſunt ab alijs duabus potentioribus alterius elementi ſimul & in eodem inſtanti, vt infrà conſtabit: atque adeò, non obſtanti pugna cũ duplici qualitate oppoſitâ, ad vtriuſque deſtructionẽ poterit vnum elementum immediatè aliud in ſe convertere: quia deſtruendo qualitates conſervativas elementi contrarij, & inducendo oppoſitas in gradu neceſſariò, materia ſpoliabitur ſubſtantiali forma elementi vnius, & ſtatim recipiet alterã oppoſiti ac prævalentis. *CONFIRMATVR.* Etiam in generatione mixtorum communiter neceſſarium eſt vincere plures qualitates, quàm in tranſmutatione vnius elementi ſymboli in aliud: cum enim quodlibet mixtum conſtet ex temperamento quatuor primarũ qualitatum iuxta proportionem eidem mixto debitam, oportet vincere in eo plures qualitates, vt inducatur forma mixti oppoſiti, aut diverſi. Et tamẽ manifeſtum eſt vnum mixtum immediatè tranſmutari in aliud diverſum, ac ſibi oppoſitum. Ergo multò magis vnũ elementum poterit tranſmutari in aliud ſibi oppoſitum, quàmvis oporteat vincere plures qualitates.

8 *RATIONE* Verò eiuſdem Philoſophi ac D. Thomæ probatur concluſio. Omnia enim elementa ſunt ſibi invicem, & immediatè contraria. Ergo omne elemẽtum generari poteſt ex quolibet alio immediatè. Conſequentia ſuadetur: quia vt communiter Philoſophi cũ Ariſtotele. 2. *Phyſic.* docent, generatio eſt ex contrarijs, & in contraria. Ergo ſi omnia elementa ſunt ſibi invicem & immediatè contraria, quodlibet illorũ ex quolibet alio immediatè generari poterit. Antecedens verò eſt manifeſtum loquendo de elementis diſſymbolis, quia opponuntur immediatè in duplici qualitate contraria. Hoc modo ignis contraponitur aquæ, quia ratione caloris & ſiccitatis àdverſatur frigiditati & humiditati in aqua exiſtentibus. Eadem quoque ratione aer ratione humiditatis & caloris ex diametro adverſatur terræ ſiccæ ac frigidæ. Loquendo verò de elementis ſymbolis, datur oppoſitio immediata ipſorum penes vnam qualitatem. Sic ignis opponitur aeris humiditati penes ſiccitatem, & frigiditati terræ penes calorem; licet aer & terra ſint elementa ſymbola igni; aer quidem penes calorem, & terra penes ſicci-

ſiccitatem. Sic & aer ratione caloris pròprij contraponitur aquæ naturà ſuà frigidæ; licet ſit elementum ſymbolum penes humiditatem. Omnia ergo elementa, ſive quæ diſſymbola appellantur, ſive quæ ſymbola, contrariantur ſibi invicem & immediatè, aut penes duplicem qualitatem, aut penes vnam ſaltem, licèt in aliâ conveniant. Cùm ergo quælibet res immediatè generari poſsit ex ſuo cõtrario, quodlibet elementum poterit fieri ex quocunque alio immediatè.

9 *RESPONDET* Rubius, ex immediatâ contrarietate omnium elementorum nequaquam probari tranſitũ, ſeu generationem immediatam vnius ex alio: quin potiùs inferri oppoſitum. Vniverſali namque ordine naturæ præſcriptum eſt, nihil immediatè tranſire de extremo ad extremum, ſed ſolùm gradatim & mediante alio. Sic ſemen arboris, & animalis nequit immediatè tranſire in arborem, animalve; ſicuti neque homo in pulberem; propter magnam diſsimilitudinem diſpoſitionum vnius & alterius mixti. Quare & ſemen arboris priùs tranſit in qualemcumque plantulam, quàm in arborem; & ſemen animalis in embryonem, priuſquam in animal; & homo in cadaver, priuſquam in pulverem. Cùm itaque elementa diſſymbola nimiùm inter ſe diſtent, & extremè opponantur, contrariaſque diſpoſitiones exigant; non erit immediatus tranſitus vnius in alterum; ſed ſolùm mediantè aut interiecto alio.

10 *SED Contrà*. Quamvis enim verum ſit, inter ea, quæ extremè opponuntur, aut diſtant, non poſſe eſſe tranſitum, niſi per medium; id tamen ſolùm eſt, quando tale medium per ſe exigitur ab extremis; non verò quando extrema per ſe illud non exigunt. Ideoque licèt à loco ſurſum deſcendi non poſsit immediatè ad locum deorſum, quoniam vterque locus ſe exigit, & ex terminis, locum medium inter ſurſum & deorſum; nihilominus à ſummè tenebroſo ad ſummè lucidum poteſt eſſe immediatus tranſitus, quia neutrum illorum per ſe exigit medium aliquod interiectum vt fiat tranſitus. At neque elementa diſſymbola, ſive extremè oppoſita, exigunt per ſe aliquod medium interiectum, vt fiat tranſitus. Ergo poterit eſſe tranſitus immediatè ab vno elemento in aliud diſſymbolum, ſive extremè oppoſitum.

11 Conſequentia patet ex illâ regula. *Vbi affirmatio eſt cauſa affirmationis, ibi negatio eſt cauſa negationis*. Minor, in qua ſolùm eſt difficultas, probatur multipliciter. *Primò*: Quia, vt rectè arguunt PP. Complutenſes; licet elementa diſſymbola, vt ignis & aqua, extremè diſtent ſecũdùm vtramque qualitatem, non tamen exigunt per ſe aliquod medium, per quod fiat tranſitus vnius in aliud. Ideo enim forma embryonis habet eſſe medium inter formam ſeminis & animalis, quia per ſe loquendo debet ſubſequi forma animalis formam embryonis, tanquam à natura interiectam ex fine præcipuo generationis animalis. At hæc ratio non militat in elementis diſſymbolis, vt igne & aquâ. Nullum enim aliud elementum reſultare poteſt immediatè ex igne v.g. ad quod per ſe loquẽdo ſequatur generatio aquæ. Ponamus etenim ex igne reſultare immediatè aerem, vt dictus Author vult, & defenſores opinionis adverſæ, ferè omnes. Sanè ad formam aeris per ſe loquendo non habet ſubſequi forma aquæ, neque illa à naturâ interiecta eſt ex fine præcipuo generationis aquæ; cùm natura æquè primò ac per ſe reſpiciat vtrumque elementum. Ergo neque elementa diſſymbola ſive extremè oppoſita, exigunt per ſe aliquod medium, per quod fiat trãſitus.

12 *Secundò* probatur eadem mĩnor: Quia qualitates propriæ vnius elementi diſſymboli poſſunt in materia alterius immediatè induci. Si enim ignis, qui calidus maximè & ſummè activus eſt, pugnet adverſus aquam, poteſt immediatè in illam inducere, non ſolùm quintque aut ſex gradus caloris, vt ſolet in aquâ nimium ferventi; ſed etiam octavum, qui eſt vltima diſpoſitio ad formam ignis. Et hoc modo accidere videtur quoties ardentiſsimus ignis aſpergitur aquâ. Tunc enim vehemens calor producit in aquâ illà modica alium ſimilem, quo poſito, immediatè introducatur forma ignis in materiâ aquæ. Ergo elementa diſſymbola, ſeu extremè oppoſita, non exigunt per ſe aliquod medium interiectum, vt fiat tranſitus. *Tertiò* probatur eadem minor. Ideo enim vnum elementum poteſt immediate convertere aliud ſymbolum in propriam ſubſtantiam, quia poteſt in illius materiâ inducere immediate diſpoſi-

tionem aliquam oppoſitam illius diſpoſitioni. Sed etiam vnum elementum diſſymbolum poteſt in materia alterius inducere immediatè diſpoſitionem ſuam propriam, & oppoſitam ipſius diſpoſitioni. Sicut enim poteſt ignis immediatè producere in aère ſiccitatem propè ſummũ, aut etiãm ſummo, oppoſitam ipſius humiditati; ſic etiam in aquâ poteſt inducere, aut calorem ſummum cum illius frigiditate pugnantem, aut ſiccitatem propè ſummum, cum qua nequit perſiſtere forma aquæ. Ergo & vnum elementum diſſymbolum poteſt convertere immediatè aliud in propriam ſubſtantiam.

13 *CONFIRMANTVR* Impugnationes præiactæ. Experimento enim conſtat, ignem aquæ ſuppoſitum calefacere illam donec ferveat, & tantò magis, quantò vehementior fuerit ignis ac maior, atque excedens in quantitate aquam. Ponamus ergo produxiſſe in ea ſex gradus caloris. At hoc ipſo poteſt ſimiliter in ipſa producere immediatè octavum gradum, qui connectitur cum formâ ignis. Ergo poteſt ignis vehementiſsimus & excedens, producere immediatè ex aqua formam alterius ignis Conſequentia patet: Quia producens immediate vltimam diſpoſitionem connexam cum aliqua forma, etiam producit immediatè ipſam formam. Alioqui nec vnum elementum poſſet immediatè producere formam alterius ſymboſi; cùm ſolùm id præſtare poſsit per immediatam inductionem diſpoſitionis vltimæ ad propriam formam. Minorem probo. Ideo namque vehemẽtiſsimus ignis in modica aquâ immediatè potuit producere ſex gradus caloris, quia in ſua virtute activa continebat ſex caloris gradus, atque adeò illos potuit cauſare in paſſo. Sed ignis vehemẽtiſsimus etiam in ſua virtute activa continet gradum caloris octavum, qui connectitur cum forma ignis; imò gradum longe intenſiorem, vt ſuppono. Ergo & poterit in paſſo, ſive materia aquæ, inducere octavum caloris gradum, qui connectitur cum forma ignis.

14 *CONFIRMATVR II.* Materia aquæ per ſe loquendo indifferens eſt ad formam cuiuslibet elementi, ſolumq; determinatur ad recipiendam vnam præ alia ratione ſpecialium diſpoſitionũ, exigentium potiùs vnam, quàm aliam. Ergo quemadmodum ratione humiditatis & frigiditatis in gradu debito exegit immediatè formam aquæ, ſic etiam ratione ſummi caloris exiget immediatè formã ignis. At poteſt ab influxu vehemẽtiſsimi & longe potentioris ignis recipere ſummum calorem, non minùs, quàm ab alia aquâ recepit antea ſummam frigiditatẽ, aut humiditatem. Ergo aqua ab influxu vehemẽtiſsimi & longè potentioris ignis poteſt immediatè exigere, ac ſubinde recipere formã aquæ. Ergo dari poteſt trãſmutatio immediata aquæ in ignem, atq; adeò vnius elementi in aliud diſſymbolum.

15 *NEQVE* Vrgent iſtantiæ, quibus Rubio ſuam ſolutionem munit. Nam, præterquamquòd vtramque in ipſum retorſimus, prompta occurrit ratio, cur forma ſeminis immediatè non tranſeat in formam animalis, ſed ſolùm mediante formâ embryonis: quia hæc per ſe exigitur ab vtroque extremo; non quidẽ ex ratione eſſentiali & intrinſeca generationis humanæ ſecundum ſe; ſed iuxta naturalem rerum curſum. Agens enim naturale nequit perfectè organizare materiam vt requiritur ad immediatam receptionem formæ animalis, niſi priùs introducatur forma embryonis. Elementa autem nec organizationem exigunt, nec diſpoſitiones ad ſui productionem, quæ præſtari non poſsint immediatè a quolibet alio elemento, vt ſatis probatum eſt. Idemque fortè eſt de arbore & qualibet planta earum, quæ ex ſemine generantur. Fortè enim ante primam illarum productionem exiſtit materia ſub formâ aliqua intermedia embryonis, aut quaſi embryonis, poſtquam granum in terrâ mortuum, ſive corruptũ fuit. Quòd vero homo immediatè non tranſeat in terram, ſed priùs in cadaver etiam oritur ex repugnantia ſpeciali materiæ dũ exiſtit ſub forma hominis, alteriuſve animalis, vt accipiat diſpoſitiones immediatas ad formam terræ. Non enim ſolùm prædicta eſt calore atque humiditate pugnantibus cum frigiditate & ſiccitate propria terræ (hoc enim etiam reperitur inter elementa diſſymbola) ſed etiam affecta eſt temperamento & organizatione, pluribuſque alijs qualitatibus terræ oppoſitis; ideoque nequit in formam terræ immediatè tranſire, niſi interiacente tranſitu in formam cadaveris, cum quo vivens longè maiorem

affinitatem habet, quam cum forma terræ. Elementa autem, omni temperamẽto & organizatione carent, ac proinde ex hac parte potiùs conveniunt, quàm differant, vt proinde vnum in aliud poſsit tranſire immediatè.

16 *HINC* Colliges cur plura mixta non poſsint immediatè tranſire in plura alia mixta, licèt omne elementum tranſmutari immediatè valeat in aliud elementum. Etenim plura mixta ſæpe habent oppoſitionem cum alijs, non modò penes exceſſum in vna aut alia ex primis qualitatibus, oppoſitionemve (hæc enim in elementis non prohibet tranſitum immediatum) ſed etiam penes totum temperamentum ex quatuor primis qualitatibus, & penes plures alias ſecundas ex vario illarum congreſſu reſultantes, & denique penes plures proprietates ſpecificas & accidentia communia. Sic carbo nequit immediatè tranſire in adamantem, neque adamas in ovum, neque ovum in aurum, &c. In elementis autem, etiam diſsymbolis, ſatis eſt corrumpere duplicem qualitatem nullo temperamento admixtam, & quaſi inermem, ac ſimplicem: quod poſſe à quolibet potentiori elemento prætiari, ſatis iam ſuperque probatum eſt.

17 *DIGES:* Etiam elementa vltra diſconvenientiam & oppoſitionem quam habent penes vnam aut duas qualitates, differunt præterea in pluribus alijs exinde ortis. Ignis enim v. g. opponitur terræ penes raritatem & levitatem, quia terra denſa & gravis eſt. Ergo qua ratione plura mixta nequeunt immediatè tranſire in alia ſibi oppoſita, eadem quoque plura elementa, aut nullum tranſire poterit immediatè in aliud elementum.

18 *SED Contrà.* Hæc enim obiectio, ſiquid probat, etiam tollit de medio converſionem immediatam vnius elementi in aliud ſymbolum, quam ferè omnes, aut plures ſaltem ex Adverſarijs tuentur. Terra enim & ignis ſunt elementa ſymbola, cùm in ſiccitate conveniant. Deinde dico ignem quidem in propria regione rariſsimum, ſicuti & leviſsimum eſſe: apud nos verò, vbi impurus exiſtit, vt ſæpe in ſuperioribus dictum eſt, non æquè rarum, aut levem exiſtere; ſicuti nec terra apud nos eſt adeò denſa aut gravis, ac circa centrum vbi purum elementum & impermixtum eſt. Quare vt terra immediate convertatur in ignem, ſufficit quod pro priori temporis ad converſionem paulatim recipiat terra raritatem illam & levitatem, cuius eſt capax via corruptionis; eaque poſita, vt diſpoſitione remota, & calore vt octo, veluti diſpoſitione proxima, ſtatim terra convertitur in ignem. Poterit tamen terra adeò impura & permixta eſſe per accidens, vt aliquando nequeat immediatè tranſire in ignem. Id tamen non impedit abſolutè aut per ſe loquendo converſionem vnius elementi in aliud: quod ſolùm ſtatuit Ariſtoteles in præſenti. Neque enim ipſe, aut Div. Thomas, aut ipſorum diſcipuli aſſerimus ſemper contingere, vt ex quolibet elemento fiat aliud immediatè: ſed ſolùm poſſe ita fieri per ſe loquendo, & conſiderata ſolùm diſpoſitione cuiuslibet elementi propria, ac præſcindendo ab extrinſecis circunſtantijs.

SECTIO SECVNDA.

Nonnullæ obiectiones difficiles, variaque experimenta notatu digna contra doctrinam præcedentem, proponuntur & enodantur, ac plerumque retorquentur.

19 SED Adverſus doctrinam præcedenti ſectione traditam, plura ſunt quæ non levem difficultatẽ ingerant. *Primò* Oppones commune argumẽtũ. Vt corrumpatur vnũ elementũ diſsymbolũ ab alio, v. g. aqua ab igne, neceſſum eſt vtrãque qualitatẽ propriam aquæ, ſcilicet, humiditatẽ ac frigiditatem, remitti vſque ad quartũ gradũ, paulo plus, minuſve, priuſquam corrumpatur: quoniã id nõ ſubitò, ſed ſucceſsivè & media alteratione, fieri debet. Ergo oportebit ſimiliter introducere ante corruptionẽ in eadẽ aqua oppoſitum calorem & ſiccitatem in eiſdẽ gradibus. Aliter enim intelligi nequit frigiditatem & humiditatẽ aquæ remiſſam fuiſſe vſque ad quartum gradum, quã inductis calore & ſiccitate oppoſitis in eãdem proportione. Modò ſic. Ergo oportebit aquam priuſquam corrumpatur eſſe redactam ad talem diſpoſitionem, vt conſtet ſimul quatuor primis qualitatibus, ad quandam mediocritatẽ redactis.

At

At qualitates quatuor sic attemperatæ non sunt dispositiones idoneę ad formam elementi, sed solùm ad formam mixti, vt ex terminis notũ est. Ergo materia aquæ priusquam convertatur in ignem debet recipere formam mixti.

20 *DICET* Aliquis falsum esse antecedens, ex quo argumentum procedit: quia quando corrumpitur aqua vt transmutetur in ignem, non est opus vt sub eisdem gradibus remittantur in eà frigiditas & humiditas, aut inducantur calor & siccitas; sed sub diversis. Ignis enim multò fortiùs agit per calorem, quàm per siccitatem: quia calor est activus in summo gradu, siccitas verò in infimo. Ideoque in eo ipso tempore, quo ignis producit vnum, duosve gradus siccitatis in aquà, poterit in eam inducere sex caloris gradus. Atqui ex gradibus sex caloris, & duobus siccitatis non videtur resultare idoneum temperamentum ad formã mixti. Non ergo sequitur ex aqua, antequam resolvatur in ignem, debere fieri formam mixti.

21 *VERVM* Solutio hæc difficilis est: quia ex ea videtur colligi, prius aquam debere resolvi in elementum symbolum aèris, quàm in dissymbolum ignis: quod plerique ex Adversarijs volunt. Assumptum, sive sequela probatur. Hoc enim ipso, quòd in aquam prius inducatur ab igne calor vt sex, & siccitas vt vnũ, manebit calida & humida in gradu excellenti, quamvis non summo. Sed esse calidum & humidum simul in excellenti gradu est propria dispositio ad formam aèris, aut saltem magis propria, quã ad formam ignis, idque in omni opinione. Ergo inducto in aquam calore vt sex, & humiditate vt vnum, erit in eà dispositio potiùs ad formam aèris, quàm ignis: ac proinde aqua non resolvetur in elementum dissymbolum ignis, nisi priùs transmutetur in elementum symbolum aèris.

22 *QVARE* Aliter occurrendum est, concessio primo enthymemate, & secunda consequentia, ac negando minorem subsumptam. Itaque quàm optimè stat, aquam, priusquam corrumpatur ab igne, aliquoties redigi ad talem dispositionem, vt constet simul quatuor qualitatibus ad quandam mediocritatem, seu proportionem distributis: quamquam sæpe ignis magnus ita fortiter & subitò agat in guttam aquæ proiectã, vt absque mora vlla inducat calorem in gradu excedẽte ipsius frigiditatem, & sufficiente ad formã ignis. Verùm adhuc data illa mediocritate, non inde infertur materiam aquæ debere priùs recipere formam mixti, quam ignis. Nõ enim quælibet mediocritas quatuor primarum qualitatum sufficit ad constituendum mixtum: vt patet in aqua nimiùm ferventi, quæ licèt constet simul quatuor qualitatib⁹ ad mediocritatem redactis, nõ ideo simpliciter & absolutè habet rationẽ mixti, sed elemẽti, quamquã impuri, & positi in statu præternaturali, ac via corruptionis. Ratio à priori huius doctrinæ est, quia elementa, sive symbola, sive dissymbola, non habẽt qualitates ita cõsistentes in proportione, vt eà oblata corrumpantur, sicut contingit in viventibus. Hæc enim tali tẽperamento & humorũ proportione constant, vt ijs notabiliter alteratis dissolvatur mixtum, in eo temperamento, & proportione consistens. Elementa vero, licèt ex se omne temperamentum excludant in statu connaturali ac proprio, solumque exigant duplicem qualitatẽ primã in gradu debito; nihilominus via corruptionis, & in statu præternaturali ac violento patiũtur permixtionẽ quatuor qualitatũ: vt patet, tũ in exẽplo aquæ, iã producto, tum & aèris, qui sæpe frigiditatẽ & siccitatẽ recipit ab exhalationibus terræ & aquæ, cùm tamen naturà sua solùm calidus & humidus sit, neque ideo tamen corrumpitur, sed solùm est aliqualiter in via ad corruptionem. Patet igitur ex eo quòd in aquà resultet mediocritas quatuor qualitatum, non ideò debere resultare formam mixti, priusquam ignis.

23 *DICES*: Mixtum, vt distinctum ab elemento, constituitur proportione aut simmetria quatuor primarum qualitatum. Sed aqua priusquam convertatur in ignẽ constituitur proportione aut simmetria quatuor qualitatum. Ergo aqua priusquam convertatur in ignem, constituitur in ratione mixti distincti ab elemento. *SED Contrà*. Si enim obiectio quidquam probat, evincit ferventẽ aquã, & aèrem valde frigidum, qualem experimur hiberno tempore, habere rationem mixti simpliciter & absolutè, non verò elementi: quia in ijs casibus habent proportionem quatuor primarũ qualitatum. Deinde in forma ad obiectionẽ distinguo

maiorem. Mixtum, vt distinctum ab elemento, constituitur proportione quatuor qualitatum permanenti & connaturali; verum est: viali, & præternaturali aut violenta, falsum. Et eodem modo distinguo minorem. Aqua priusquam convertatur in ignem cõstituitur proportione quatuor qualitatum permanenti aut connaturali; falsum est: viali & sibi præternaturali ac violenta, verum est. Indidem verò consequentia nullo iure deducitur, vt patet cõsideranti distinctionem datam. Ad summum infertur, aquam vt convertatur in ignem, priùs debere transire à ratione puri elementi ad rationem elementi impuri, & habentis rationem mixti imperfecti, sive secundùm quid; quatenus in eà proportione qualitatum, licèt præternaturali ac violẽta, & viali, vtcumque imitatur mixta propriè dicta, à quibus tamen essentialiter & toto cœlo differt: quemadmodum in sententia satis recepta sœpe fit per accidens, vt habitus habeat modum essendi vialem instar dispositionis, & dispositio permanentem instar habitus; cùm tamen absolutè & simpliciter neque habitus transeat in naturam dispositionis, nec dispositio in naturam habitus, vtpotè specie essentiali diversam.

24 Hinc iterum occurritur doctrinæ Adversariorum contendentium, materiam vnius elementi non posse transire immediatè de extremo ad extremum, atque adeò nec de forma vnius elementi ad aliud dissymbolum, nisi per interiacẽtem formam alterius symboli elementi, aut etiam mixti. Nam præterquam illam superiùs impugnavimus, modò facilis & prompta ratio sese offert ex doctrina solutionis datæ. Iam enim assignamus medium aliquod inter formam vnius elemẽti & alterius dissymboli; scilicet, statum illum præternaturalem & vialem imperfectę mixtionis, mediante quà vnum elementum transit in aliud dissymbolum. Hoc enim sufficit ne dicatur subitò transire de extremo ad extremum: quemadmodum ne corpus humanum subitò trãsire dicatur de vivo ad mortuum, opus nõ est media aliqua forma substantiali interiacente cadavericam & humanã: sed sufficit status præternaturalis & intermedię ægritudinis, qua disponitur materia, vt ex forma vivẽtis trãseat in cadaveris formã.

25 *SECVNDO* Oppones varia experimenta & rationes, ex quibus colligi videtur non posse vnũ elementũ in aliud converti immediatè. *Primùm* fit in igne, qui nunquã potest converti in aquam. Si enim titionẽ aut carbonẽ accensum mittas in fluvium, vel intra mare, non fiet ex illo aqua, sed semper manebit carbo, aut titio sicut antea, quamvis extincto calore. Quod præterea ratione & authoritate probatur. Vt enim ignis convertatur in aquã immediatè, debet recipere in se aliquã frigiditatẽ, quà summę ipsius calor remittatur, aut extinguatur. At ignis nunquam in se recipit aliquam frigiditatem: quia vt docet Arist. *in Post prædicam. cap. de Oppositis*, & S. August. *lib. 3. de Genesi c. 4.* ignis nũquam friget, idque ad sensum patet. Ergo ignis nũquã cõvertitur immediatè in aquã. *Secundò* idẽ probatur de igne adhuc cõparato cũ elemẽto symbolo aëris. Vt enim ignis corrũpatur ab aëre, & proinde in ipsum convertatur, aër debet inducere in ignem aliquam frigiditatem cũ ipsius calore pugnantẽ. Sed aër nequit inducere frigiditatẽ pugnantẽ cum calore ignis: tum, quia ignis capax non est alicuius frigiditatis, vt modò dicebatur: tũ quia aër ex se nullã frigiditatem habet iuxta nostram & cõmunem ferè sentẽtiam: tũ deniq; quia estò sœpe habeat frigiditatẽ adventitiã, illa in remisso, aut nõ præcellenti gradu erit: ac proinde vincere non poterit summũ ignis calorẽ, & maximè activum. Igitur ignis nequit corrumpere aërem, atque adeò neque illum in se convertere.

26 *TERTIO*, nec ignis videtur posse convertere in se aërem: nam si posset, iam omnẽ aërẽ in se convertisset. Est nãque ignis potentissimus, & proximè coniũctus aëri: partaque prima aut secũda victoria, fieret indies potẽtior, totumq; iã aërẽ absumpsisset: sicut magnus ignis, vbi partẽ alicuius montis aut nemoris incẽdit, progreditur, & nihil inultũ relinquit, nisi ab extrinseco impediatur. *Conf.* hæc probatio. Ignis enim in fornace, vbi vehementissimus est, nunquã aërem in se convertit. Etenim deficientibę lignis emoritur, quin pascaturaëre ambiẽte, quãtũvis calido. At nequit aërem in se convertere, quin illo pascatur. Ignis ergo in fornace nũquã aërẽ in se cõvertit. Multò ergo minùs in quolibet alio loco, vbi minùs ardet aut minùs opportunitatis habet ad aërem absumendum. *Quartò*. Nusquã enim

ignis

ignis convertit in ſe aquam, vt conſtat in lampadibus: vbi ignis depaſcit oleum, nō tamen aquam, neque vel vnicam illius guttulam; quà exiſtente in candela, aut lychno, neutiquam accendetur lucerna, aut candela, donec omnis aquæ humor penitus excutiatur.

27 *QVINTO*, loquendo de elemento terræ idem omnino colligitur, ſive comparetur cum aqua, quæ eſt elementum ſymbolum ratione frigiditatis vtrique cōmunis; ſive cum aère, qui elementum ipſi diſsymbolum eſt ratione humiditatis & caloris. Non enim terra vnquam in aquam cōverti poteſt: ſiquidem vel exigua terræ pars miſſa in vrceum aqua plenum, integra perſeverat; neque maria aut fluuina creſcunt ratione terræ, quæ in profundo, aut alveo, aut littoribus eſt. Sed neque vnquam viſa eſt terra in aèrem converti, aut creviſſe aèrem ex converſione terræ in propriam ſubſtantiam. Quod præterea ratione oſtenditur eſſe impoſsibile, Terra enim ratione propriæ naturæ exigit ſummam gravitatem: aèr vero ex ſe levis eſt. Ergo nec materia terræ idoneè diſpoſita eſſe poteſt ad ſuſceptionem formæ aèris, neque è contrà. Indidem verò à fortiori conſtat neque terram in ignem, neque ignem in terram poſſe immediatè converti: cùm ignis ſit levior aère, & in ſummo. *Confirmatur.* In terra videmus ſæpiſsimè cavitates tum magnas, tum & parvas diuturno tempore in eadem amplitudine. Ergo aèr, quo plenæ ſunt, nunquam in terram convertitur.

28 *RESPONDEO* Plures harum obſervationum etiam militare adverſus illos, qui admittunt tranſitum immediatum inter ſymbola elementa, illumque negant de diſsymbolis, vt conſideranti patebit. Deinde ad I. Probationem dico, titionem carbonemve miſſum in mare aut fluvium, manere quidē titionē, & carbonem vt antea; ſed extinctum, & ſine igne. At verò ignis, qui in ipſius poris includebatur, aut abijt in aquam, aut in exhalationem, ſive fumum aqueum, qui eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis eū aquà eſt, ſicuti cæteræ exhalationes ab aquà provenientes: vtpote, quæ in mediā aèris regionem delatæ abſque ſubſtantiali mutatione ſui aqua fiunt. Poteſt tamen abſolutè fieri, vel in ipſo exemplo argumenti, vt ignis in carbone exiſtens tranſeat immediate in aquam. Pone enim carbonem non mitti in mare deſuper, & media ſuperficie extima aquarum, ſed deferri intra ſphœram vitreā ab homine per profundum maris natante, ibidemque fracto vitro carbonem accenſum ſubito a magna aquarum molle circundari. Certè tūc ignis, qui in carbone erat, non evaneſceet in fumum, prohibente id pondere aquarum ſuperiacentium; ſed ſtatim ferè diſsipabitur, & convertetur in aquam. Nec ratio in obiectione allata ex Ariſtotele ac D. Auguſtino vrget. Dum enim aiunt ignem nunquam frigere, locuntur de frigore prædominante, qui in igne nullum obtinet locum. Cum hoc tamen rectè cohæret, poſſe materiam ignis diſponi ad formam aquæ per introductionem aliquorum graduum frigoris, & plurium humiditatis, quibus ſubintrantibus extenuetur, & paulatim intenſis corrumpatur diſpoſitio caloris & ſiccitatis neceſsaria ad conſervationem ignis. Quæ enim ratio eſſe poteſt, vt aqua, ex ſe frigida in ſummo, permittat admixtionem caloris, etiam intenſi, atque in gradu præcellenti, dum eſt in via ad corruptionem; & tamen ignis non patiatur in ſe aliquos frigoris humiditatisque gradus, licet in ſummo calidus, & prope ſummum ſiccus ſit? Par enim, aut proportionalis ſaltem apparet vtriuſque ratio. Imò & retorqueo argumentum in Adverſarios. Si enim in igne nullus induci poteſt frigiditatis gradus, quomodo poterit extingui ab aqua? Non enim ab ea extingui poteſt niſi per inductionem diſpoſitionum oppoſitarū igni, quæ ſunt frigiditas & humiditas. Ergo aut vtraque ſimul, aut alterutra illarum ſaltem inducitur in ignem, taliterque intenditur vt ſufficiat ad ipſius extinctionem. Quid ergo abſurdi eſt in eo quòd immediate in aquam convertatur, ſicut in ipſorum opinione convertitur in aliud elementum, aut mixtum? Profectò nihil.

29 *IAM* Ad cæteras probationes breviùs reſpondere oportet. *AD II.* Poteſt aèr ratione frigoris adventitij, quandoque præcellentis, vt in hyeme, & ſimul ratione humiditatis ſummæ, aut prope ſummum, quàm ab intrinſeco habet, extenuare primùm, ac deinceps corrumpere calorem & ſiccitatem neceſsariam ad conſervationē ignis; proindeque illum in ſe immediatè convertere.

Alioquì nec poterit aèr lucernam aut cereum ardentem extinguere: quod tamen passim fieri videmus, & Adversarij negare non possunt. Si ergo nulla repugnantia est vt aèr inducat humiditatem ac frigiditatem in lucernam, aut cereum ardentem vt illum extinguat, quæ contradictio erit in eo quòd flamma illa vertatur in aèrem?

30 *AD III. Probationem* nego sequelàm, quam & ipsi Adversarij negare debent, dum aiunt posse ignem cõvertere aerem in aliud mixtum: id enim fieri nequit nisi per corruptionem aèris ab igne causatam. Si autem ignis potest corrumpere aerem, quomodo iam totum illum non absumpsit, præsertim cùm ignis longè potentior sit, vt ipsi vrgent? Deinde dico, potentiorem quidem esse ignem, quàm aerem, coerceri tamen, tum à summà humiditate aeris, tum à cœlo, tum & maximè ab Authore naturæ. Cuius rei pulchram rationem reddit S. Thomas: quia ita se habent elementa in ordine ad hunc modum componendum, ac qualitates contrariæ in ordine ad constituendũ mixtum. Quemadmodũ ergo hæ in mixto regulantur, ne se invicem corrumpãt, quamvis vna sit potentior ex se quã alia; ita etiam contraria elementa regulantur & proportionantur in ordine ad hoc totum, ne se invicem interimant. *AD confirm.* eiusdem probationis, dico àdhuc restare probandum in eo experimento fornacis, nihil aèris in ignem converti. Neque enim id satis evincitur ex eo quòd ignis solvatur in favillas deficiente lignorum pabulo. Potest enim responderi ignẽ nostrum, cùm valde impurus & permixtus sit, indigere pabulo grassiori, quàm aère, ac proinde deficientibus lignis àbsumi. Id tamen non tollit quòd ex parte saltem aèr in fornace sit pabulum ignis, & proinde in ipsum convertatur. Neque etiam impedit, quòd in confinio regionũ ignis & aèris quandoque prævalente calore aliquid vicini caloris in ignem transeat: quia hoc minimè perturbat ordinem Vniversi nuper explicatum. Denique etiã in igne nostro id contingere potest si corium inflatum aere mittatur in profundum ardentissimæ fornàcis non habentis ostium ad respirandum. Tunc enim incredibile apparet nihil aeris clausi in corio inflato absumendum iri ab àrdentissimo igne vndique circumdante, ac prohibente exitum: vt à simili suprà dictum est de carbone accenso intra vitream sphærã missio in profundum maris, ibidemque extincto.

31 *AD IV. Probationem.* Cùm ignis in lychno, aut candelà existens exiguus sit, & proinde modicæ vehementiæ activitatisque, nihil mirum si guttã aquæ integram absumere nequeat, sed illam excutere conetur, veluti obsistentem sibi. At verò credibile est in illo lucernæ stridore nonnullas guttæ particulas in ignem resolvi, quando auditur fragor & pugna ignis & aquæ in favillà. At permisso gratis id non accidere in lucernà, aut lampade, propter modicum ignem, & exiguã ipsius activitatem; quidni contingat, vbi in ardentissimum rogum mittitur aquæ gutta? Quis neget ignem levi illà aspersione exacui, & guttam in propriam substantiàm convertere? Quare Aristoteles *lib.* 2. de Animà textu 43. dixit *aquam igni alimentum esse.* Ianè tradit aquam sæpe immediatè in ignem resolvi.

32 *AD V.* Nego impossibilem esse conversionem terræ in aquam, vel aèrem. Nùllum enim est inconveniens in eo quod lèvis pulviculus in flumen proiectus vertatur immediatè in aquam. Vnde satis verosimile est idem accidere alicui particulæ leviori terræ in vrceũ missæ, de quà procedit obiectio. Neque Adversarij possunt negare, terreas exhalationes, quæ calore Solis elevantur in mediã aeris regionem, esse eiusdem speciei & substantiæ cum ipsa terrà, quamvis accidentaliter ab eà differant. Et tamen exhalationes illæ immediatè vertuntur in grandinem, nivem, & aquam. Fateri ergo debent substantiam terræ posse immediatè converti in aquam. Quòd verò aut mare crescat aliquoties & tantillum ex absumptione terræ in littoribus, vel in fundo existentis, aut è contrà terra ipsa ex absumptione & conversione alicuius partis aquæ in se, nec certò affirmari, nec certò negari potest. Fortè enim vtrumque ita accidit: aut fortè non contingit, iuxtà regulam illam Aristotelis ac D. Thomæ, quà statuitur, pugnam cessare quoties cõtrariorum vires ad æqualitatem perveniunt. Cùm verò additur, terram esse gravem, aèrem verò levem, ac proinde neutrius materiam esse idoneam, vt recipiat formam alterius; dicendum est quemadmodum aèr naturà suà calidus infrigidatur

ab

ab extrinſeco, & terra ex ſe ſicca humectantur violenter; ſic etiam aerem poſſe per accidens addenſari, reddique graviorem & graviorem; terramque extenuari, ac præter naturam propriam fieri leviorem & leviorem via corruptionis, donec tandem aèr in terram, & terra in aèrem convertatur. Idemque proportionali modo de igne dicendū. Si enim terra ex ſe ſicca in ſummo & frigida prope ſummum, iuxta varias opiniones, humectatur & calefit ab extrinſeco, cur ignis, quamvis in ſummo levis ſit, non poterit per accidens, & ab extrinſeco gravitare?

33 *AD Confirm.* eiuſdem probationis; aut dicendum eſt, aèrem in foraminibus nō pugnare cum terra, quia amborum vires ita ſunt refractæ ex præcedenti pugna, vt neutrum poſsit alterum ſuperare: aut aſſerendum, prævalente altero elementorum modo aliquid terræ in aèrem, modò aliquid aèris in terram cōverti, quāquā imperceptibiliter. Deniq; vt iam ſupra monui, ad aſſerendam poſſibilitatem abſolutam immediatæ converſionis cuiuslibet elementi in quodcumque aliud, non requiritur illam in omni eventu eſſe poſsibilem, ſed ſolùm per ſe loquendo; quamquam per accidens, & ex æqualitate virium duplicis elementi, quandoque neutrum poſsit convertere alterum, aut ex debilitate vnum in alterū prævalere non poſsit.

SECTIO TERTIA.

Tranſmutationem inter elementa diſsymbola per ſe loquendo difficiliorem eſſe, quàm inter ſymbola; licèt oppoſitum evenire poſsit per accidens. Evaſiones variæ præoccupantur.

34 *SIT II. Aſſertio.* Tranſitus de vno elemento ad aliud ſymbolum, per ſe loquendo, facilior eſt, quàm ad aliud diſsymbolum; per accidens tamen oppoſitum evenire poteſt.

PRIOR Aſſertionis pars expreſſa eſt Philoſophi *hoc lib. 2. & cap. 4. textu* vbi ſtatuta poſsibilitate converſionis vniuſcuiuſque elementi in quodlibet aliud, & poſito diſcrimine celerioris facilioriſque tranſitus quorundam in alia, quàm aliorum, ſubdit ſtatim: ὅσα μὴ γὰρ ἔχει συμβολον πρὸς ἄλληλα, ταχεῖα τούτων ἡ μετάβασις· ὅσα δὲ μὴ ἔχει, βραδεῖα, διὰ τὸ ῥᾴδιον εἶναι τὸ ἕν, τὰ πολλὰ μεταβάλλειν. *Quæ enim ſymbolum inter ſe habent, horum celeris eſt migratio: quæ verò non habent, tarda; quod facilius ſit vnum, quam multa mutari.* Vbi nō ſolùm traditam reſolutionem luculenter docet, ſed etiam rationem eius aſsignat, quam S. Thom. *ibi* proponit ferè ſub hac formà. Quoties elementa habentia ſymbolum tranſmutantur, ſolùm opus eſt tranſmutatione vnius qualitatis; quoties verò non habentia ſymbolum tranſmutantur, neceſſaria eſt duplicis qualitatis tranſmutatio. Sed facilius eſt tranſmutari vnam qualitatem per ſe loquendo, quàm duplicem. Ergo facilius eſt transmutari elementa habentia ſymbolum, quam non habentia. Maior ſyllogiſmi probatur à S. Doctore iuxta doctrinam Philoſophi adhibendo exemplum in ſingulis elementis. Vt enim ex igne fiat aer, qui eſt elementum ſymbolum, ſolùm opus eſt tranſmutatione ſiccitatis propriæ ignis, convertendo illam in humiditatem propriam aèris: nam alioqui in calore conveniunt. Similiterque vt ex aère fiat aqua, ſat eſt per aquæ frigiditatem calor aèris corrūpatur, cùm alias in humiditate conſentiāt. Contrà verò, vt ex aquà generetur ignis, oportet tam frigiditatem, quàm humiditatem aquæ corrumpi, introductis in eius materiam calore & ſiccitate in intenſiſſimo gradu. Similiterque vt aqua ex igne fiat, opus eſt corrumpere illius calorem & ſiccitatē, inductis in ipſum, aut in eius materiam; humiditate in ſummo aut prope ſummum, & frigiditate. Verùm ergo vniverſim eſt, ad tranſmutationem elementorum habentium ſymbolum opus eſſe trāſmutatione vnicæ qualitatis; duarum verò ad tranſmutationem eorum, quæ diſsymbola ſunt.

35 Iam minor illa præcipui ſyllogiſmi, quà aſſeritur, facilius eſſe tranſmutari vnam qualitatem contrariam, quamquam ſupponatur communiter ab Authoribus, probatione eget propter plura, quæ in oppoſitum vrgere videntur. Quare illam probo multiplicīter. *Primò:* Quia per ſe loquendo facilius eſt pugnare contra vnum & vincere, quàm cum duobus certare & obtinere victoriam: vt lumine naturę palàm eſt. Ergo per ſe loquēdo facilius eſt tranſmutare vnam qualitatem oppoſitam, quam duplicem. Hæc enim tranſmutatio nec incipit ſine pugna,

na, nec finitur sine victoria. *Secundò*: Quoniam ad transmutandum duas qualitates oppositas per se loquendo opus est vt elementum dissymbolum exerat omnes suas vires, operando simul intensè per duplicem qualitatem sibi propriam. hoc autem per se loquendo difficilius est, quàm exhibere conatum, & operari intensè per vnam qualitatem tantùm. Sic experimur communiter, ex vivida operatione vnius sensus hebetari aliam, & agēria naturalia dum ingētem conatum adhibent circa operationem alicuius potētiæ, non posse intensè exercere operationes alterius. Vnde ortum duxit tritum illud, *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Ergo per se loquendo facilius est transmutare vnam, quàm duplicem qualitatem oppositam. *Tertiò* probatur eadē minor, adhibendo exemplum in symbolis & dissymbolis. Ignis enim collatus elemento dissymbolo aquæ pugnat cum illà ratione caloris & siccitatis; cum elemēto autem symbolo aèris solùm pugnat ratione siccitatis. At siccitas ignis facilius vincit humiditatem aèris, quàm aquæ. Nam (sive humiditas aèris sit summa, & aquæ solùm excellens, seu potiùs è cōtrario, iuxta opiniones) humiditas aèris est longè rarior, ac proinde minùs resistens, quam aquæ humiditas quæ longè densior est. Facilius ergo siccitas ignis prævalere potest in humiditatem aèris symboli, quàm aquæ dissymbolæ: ac proinde, & à fortiori, facilius transmutare potest vnam qualitatem oppositam siccitatis in elemento symbolo, quàm duas siccitatis & frigiditatis simul in dissymbolo elemento.

36 *Confirm.* Probatio eadem Siccitas enim ignis pugnantis contra solā humiditatem aèris, magis iuvari potest à calore ipsius ignis, quàm eadem siccitas ignis pugnantis simul contra humiditatē & frigiditatem aquæ. Nam vt ignis vincat aquam, illamque in se convertat, opus est occupari simul calorem & siccitatem eiusdem ignis, vnoquoque illorum pugnante adversus qualitatem sibi oppositā in summo, aut excellenti gradu. Quare per se loquendo nec calor adiuvat siccitatem, nec siccitas auxilium calori fert; cū vtraque qualitas seorsim impendat proprias vires in profligandà qualitate sibi adversa. At verò vt ignis vincat humiditatem aèris, calor siccitati coniunctæ suppetias fert, illamque adiuvat vt citiùs faciliusque operetur & vincat humiditatē. Calor enim, si summus sit (vt in igne) est cognatus siccitatis, aut summæ, aut saltèm præcellentis: atque adeò illi subsidiū præstat, vt citiùs ac faciliùs consumat humiditatem, & quoscunque vapores. Facilius ergo est igni vincere humiditatem solam aèris, quàm humiditatem simulac frigiditatem aquæ. Porrò eædem rationes vrgent, si vice versā argumentum instituàtur ex parte aquæ, vt vincat ignem dissymbolum, & aèrem symbolum. Eadē quoque, si contendamus terram faciliùs posse vincere, aut vinci ab aqua symbola, quàm à dissymbolo aère. Non solum ergo vera est Aristotelis ac D. Thomæ doctrina de faciliori transitu vnius elementi symboli in aliud per se loquendo; sed etiā efficax, ne dicam evidens aut demonstrativa, permanet vtriusque probatio.

37 *DICES I.* Doctrinam huius assertionis pugnare cum præcedenti, in qua ex Philosopho probatum est, quodlibet elementum posse fieri ex quolibet, quia vnumquodque fit ex suo contrario, & omnia elementa invicem contraria sunt. At hæc ratio probat pariter, posse quodlibet elementum faciliùs fieri ex dissymbolo elemento, quàm ex symbolo. Nam si contrarietas elementorum in causà est, vt vnum fiat immediatè ex alio; ergo maior contrarietas in causà etiā erit, vt vnum faciliùs ex alio fiat: sicuti quia calor & lux sunt causa calefactionis & illuminationis, maior calor & lux faciliùs, quàm minor, causabunt calefactionem & illuminationem. Sed inter elemēta dissymbola est maior contrarietas, quam inter symbola. Ergo faciliùs quodlibet elementum fiet ex dissymbolo, quam ex alio symbolo.

38 *SED Contrà I.* Licet enim ex contrarietate elementorum rectè inferatur posse vnum fieri ex alio immediatè; non tamen eò faciliùs posse fieri, quò magis cōtrarium est. Ergo stat optimè posse vnum immediatè fieri ex alio ratione contrarietatis, & tamen non fieri faciliùs propter contrarietatem maiorē: atque adeo vtraque assertio consentaria atque amica est. Consequentia patet, & antecedens probatur. Nam hoc ipso quòd elementa sint contraria, habent aliquam saltem qualitatem oppositam ex parte vtriusque, quæ possit in vno esse fortior, quam

quam alio, ac proinde poſsit vincere qualitatem contrariam, & per conſequens elementum adverſum. At verò creſcente contrarietate ex parte duplicis qualitatis, creſcit difficultas vincendi plura, & exercendi vires quaſi diviſas in ordine ad diverſos effectus: quod ſine dubio impedit, aut retardat victoriam. Ergo licèt ex cõtrarietate elementorum rectè inferatur poſſe vnum fieri ex alio immediatè, nõ tamen eò facilius poſſe fieri, quo vnum elementum alteri magis contrarium eſt.

CONTRA II. & retorquetur inſtantia. Calor enim & lux quò intenſiores fuerint, eò facilius calefacere poſſunt & illuminare; quia ſunt tota ratio calefaciendi & illuminandi; & creſcente ratione formali operãdi redditur operatio, tum perfectior, tum & facilior per ſe loquendo. At contrarietas elementorum non eſt tota ratio quare vnum poſsit tranſmutare aliud. Ergo ex eo quòd contrarietas creſcat, non redditur tranſmutatio facilior. Probo minorem. Contrarietas enim elementorum ſe ſolà non ſufficit vt vnum tranſmutet aliud, ſive vincat illud, vt patet quoties habent æquales vires, & neutrum poteſt ſuperare alterum: ſed præterea requiritur exceſſus vnius contrarij ſupra aliud in agendo; qui per ſe loquendo facilior eſt, quoties cum vno hoſte ſolùm, quàm cum duobus pugnatur. Ergo contrarietas elementorum non eſt tota ratio quare vnum poſsit tranſmutare aliud, niſi vlteriùs addatur exceſſus vnius ſupra alterum; qui omnibus conſideratis, ac per ſe loquendo maior eſt contra vnicam qualitatem oppoſitam elementi ſymboli, quàm contra duplicem elementi diſſymboli.

39 *DICES II.* Nullum eſſe exceſſum maiorem elementi per ſe loquẽdo contra qualitatem vnam in ſymbolo elemẽto exiſtentem, quàm contra duas elementi diſsymboli. Ergo neque ex contrarietate & exceſſu ſimul deducitur facilior prioris, quàm poſterioris victoria. Conſequentia patet, & antecedens probas: Nam per ſe loquendo difficilius non eſt duo contraria vinci à duobus contrarijs, quàm vnum ab vno; cùm eodem modo ſe habeant vnum ad vnum, & duo ad duo: atque adeò nullus eſt exceſſus maior vnius contra vnum, quàm duorum contra duo. At in elemẽto ſymbolo vna qualitas pugnat contra vnam, in diſsymbolo autem duæ contra alias duas. Ergo per ſe loquendo non eſt maior exceſſus elemẽti contra vnam qualitatem elemẽti ſymboli, quàm contra duas elementi diſsymboli.

40 *SED Contrà.* Licèt enim ſic ſe habeant vnum cõtrà vnum, ac duo adverſum duo, cæteris paribus; non tamen vbi cætera diſparia ſunt. Atqui licèt in elemento ſymbolo vna qualitas pugnet contrà vnã, & in diſsymbolo duæ contra duas, cætera omnia ſunt diſparia. Ergo non ſe habent eodem modo. Probatur minor: Quia, vt ſuperiùs oſtẽſum eſt multipliciter, longè facilius eſt elementum ſymbolum operari intensè per vnicam qualitatem contra aliàm, & medià illa exerere totas ſuas vires in ſummo gradu, quàm in diſsymbolo elemento adhibere ſimul conatum intenſum aut ſummum per qualitatem duplicem, vt oportet ad vincendum alias duas elementi adæquatè oppoſiti. Ergo licèt in elemento diſsymbolo vna qualitas pugnet contra vnam, & in diſsymbolo duæ contra duas, & ex hac parte fiat proportio, aliunde cætera ſunt diſparia penes facilitatem aut difficultatem vincendi.

41 *DICES III.* Etiam ad vincendum elementum ſymbolum oportet vincere duplicem illius qualitatem, & nõ tantùm vnam. Ergo omnia ſunt paria, ac proinde æquè facilis aut difficilis eſt victoria elementi ſymboli, ac diſsymboli. Aſſumptum probas. Nam, cum iuxta opinionem Philoſophi ac D. Thòmæ in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad nudam materiam, opus eſt quoties corrumpitur elemẽtum, ſive ſymbolum, ſive diſsymbolum, vtramque qualitatem illius propriam corrumpi. Ergo ad vincẽdum ſeu corrumpendum ſymbolum elementum, oportet vincere ſeu corrumpere duplicem qualitatem ipſius propriam, & non tantùm vnam.

42 *SED Contrà.* Vt enim notat S. Thomas, qui in præſenti hanc ſibi difficultatem obijcit, quando vnum elementum vincit aliud ſymbolum, non corrumpit qualitatem ſymbolam illius per ſe loquendo, ſed tantùm per accidens ad corruptionem alterius qualitatis diſsymbolæ, & ſubiecti vtrique communis. Ignis enim per ſe loquendo non pugnat cum aère vt calido, ſed vt humido; neque cum terrà vt ſiccà, ſed in quantùm frigidà: &

pro-

proſligando, tum ab aere humiditatem, tum à terrà frigiditatem, corrumpit formam vtriuſque, non potentem conſervari abſque qualitate illà; ac proinde deſtruit aërem, & aquam, atque vtrumque in ſe convertit. Cùm verò iuxta doctrinam Philoſophi & S. Thomæ, proprio iam loco ſtatutam, ſubiectum accidentiũ ſit totum, ſive compoſitum; & deſtructo ſubiecto nullum accidens perſiſtere valeat; nihil mirum, ſi altera qualitas ſymbola elementi corrupti deſtruatur per accidens ad illius deſitionem. Atqui facilius eſt vincere per ſe vnam qualitatem oppoſitam, & aliam per accidens, quã duas per ſe, & maximè in gradu intenſo, vt requiritur in elementis diſſymbolis: quia in primo dividitur conatus agentis, & extenuatur quò ad ſingulas ratiõnes agendi per ſe loquendo; in ſecundo autem tota eius vis colligitur, & acuitur ad vincendã vnicam qualitatem, vt iam ſuprà probatũ eſt. Ergo facilius eſt per ſe loquendo vincere elementum ſymbolum, quàm diſſymbolum.

43 *DICES IV.* Vt terra in ſe convertat elementũ ſymbolum aquæ, agit per ſolam ſiccitatem, quæ inter omnes primas qualitates infimè activa eſt: vt verò ignis in ſe convertat elementum diſſymbolum eiuſdem aquæ, agit non ſolùm per ſiccitatem ſummam, aut ſaltem præcellentem, ſed etiam per ſummum calorem, qui inter omnes qualitates maximè activus eſt. Ergo faciliùs ignis in ſe cõvertet elemẽtum diſſymbolum aquæ, quàm terrà eandem aquam ſibi ſymbolam: nam vbi ratio agendi, ſive convertẽdi, eſt fortior ac multiplex, facilior erit operatio, ſive converſio.

44 *SED Contrà.* Vt enim terra vincat, & in ſe convertat elementũ ſymbolum aquæ, opus non eſt inducendi in eà ſiccitatem in ſummo, ſeu prope ſummum: quia aliunde aqua convenit cum terrà, non ſolùm in frigiditate, ſed etiam in gravitate, & denſitate: ac proinde facilius in terram convertitur, quàm in ignẽ, à quò differt penes omnia prædicta. Fateor inter omnes quatuor primas qualitates calori eſſe primam ac præcipuam activitatem, frigori ſecundam, humiditati tertiam, ſiccitati quartam & vltimam. Verum cùm ſiccitas in terrà, aut ſit ſumma, aut prope ſummam, iuxta varias ſententias, poteſt introducere mediocrem ſiccitatem in aquà: quia in eà nullam invenit repugnantiam, ſed potiùs cõveniẽtiam penes cæteras qualitates. Introductà autem ſemel mediocri ſiccitate in aquà, iam materia ipſius apta eſt vt citò formam terræ recipiat, cum quà in alijs omnibus convenit. Ignis verò vt convertat in ſe aquam, debet inducere ſimul calorem in ſummo, & ſiccitatem ſaltem prope ſummum, ſine quibus nequit exiſtere; & quò ad vtramque qualitatem invenit reſiſtentiam, atque omnimodam repugnantiam in aquà. Ergo licèt ſiccitas ſit minùs activa, quàm calor, poterit faciliùs terra, quam ignis in ſe convertere aquam.

45 *INSTABIS:* Tam propria eſt ſiccitas terræ in gradu ſummo, quam calor igni, vt alibi docuimus. Ergo ſicut ob eam cauſam ignis in materia aquæ produci nequit, inducto ſolum calore mediocri, ſed ſummo tantùm; ſic etiam nec terra in materiã aquæ produci poterit inducta ſolùm mediocri ſiccitate, ſed ſummà tantùm, aut prope ſummam. At licèt ſummus calor ignis propter ſuprem ã activitatem poſsit inducere alium caloré ſummum, ſiccitas tamen terræ propter activitatem infimam ſolùm poteſt inducere mediocrem ſiccitatem in materiam aquæ, non tamen ſummam, aut prope ſummam. Ergo de primo ad vltimum ignis faciliùs, quàm terra, poterit inducere propriam formam in materiam aquæ.

46 *SED Contrà I.* Licèt enim tam propria ſit terræ ſumma ſiccitas, quã igni ſummus calor, loquendo de terrà in ſtatu omnino connaturali; at verò in ſtatu præternaturali, & via corruptionis, terra maiorem admittit remiſsionem penes ſiccitatem, quàm ignis penes calorem. Videmus enim terram ſubſtantialiter invariatam ſæpiſsimè humefactam perſiſtere, ac perpetuo ferè in alveo fluminis, & profundo maris: ignem verò frigidum nunquam videmus, aut ſentimus, ſed calidum ſemper in ſummo, aut prope ſummum. Ergo ad introducendam formã terræ modo præternaturali, atque mĩnùs perfecto, in aquà non eſt opus inducendi tantam ſiccitatem, ac calorem vt introducatur forma ignis: ac proinde ex hoc capite quaſi compenſatur minor illa ſiccitatis activitas, quam caloris. *Cõtrà II.* Quamvis enim ſumma terræ ſiccitas ex ſe minùs activa ſit, quàm calor, aliunde ex

maio-

maiori diſpoſitione paſsi, & minori reſiſtentia, adiuvari poteſt, vt inducat in illud gradum ſiccitatis æqualem. Cùm enim elementum terræ ſymbolum, ſcilicet, aqua, aliàs conveniat in frigiditate, denſitatè, & gravitate cum terrà, vt ſuperiùs dicebamus, materia illius magis diſpoſita eſt, & minùs reſiſtit introductioni ſiccitàtis, quàm ad caloris introductionem, cui per omnia reſiſtit. Ergo quamvis ſiccitas ex ſe præcisè conſiderata ſit minùs activa, quàm calor, facilius poterit introducere terræ formam in materiam aquæ quam calor formam ignis. Ergo de primo ad vltimum per ſe loquendo facilior eſt tranſitus inter elementa ſymbola, quàm diſsymbola.

47 *POSTERIOR* Aſſerti pars, quà diximus per accidens evenire poſſe, vt facilior ſit tranſitus inter elementa diſſymbola, quàm inter ſymbola, abſque negotio probatur. Nam poteſt contingere, & ſæpe accidit, vt vnum ex diſsymbolis elementis ſit in longè intenſiori gradu qualitatis diſsymbolæ, quàm elementum oppoſitum: vt ſi fervētiſsimus ignis luctetur cum aquà remiſsè frigidà, aut tepidà; vel aër humidiſsimus cum terrà parum ſiccà, vel iam humefactà. Item ratione magnæ quantitatis in vno, & modicæ in alio: vt ſi gutta aquæ proijciatur in ingentem rogum, aut è contrà candela accenſa immergatur in flumen. Manifeſtum nanque eſt in relatis caſibus citiùs ac faciliùs fieri tranſitum vnius elementi diſsymboli in aliud, quàm ſymboli in alterum æquali intenſione ac materia præditum. Id tamen non oritur ex propria elementorum natura, quæ facilior & promptior eſt ad producendum ſibi ſimile, quàm diſsimile; ſed provenit ex accidenti maioris intenſionis, & quantitatis. Nam vbi cōtrària ſunt æqualia in vtroque, non pugnant, ſed pacificè perſeverant, vt contingit in aëre & igne elementari, quibus eā ob cauſam communiter ſtabilis concordia, & ſine pugna eſt.

DISP. SEXAGESI. PRIMA.

An duo elementa poſsint concurrere ad generationem alterius elementi ſpecie diſtincti?

Num. 1. HÆC *Diſputatio eſt appendix præcedentis, quam ſeorſim & breviter exagitare placuit.*

SECTIO PRIMA.

Reſolvitur difficultas.

2 SIT *Aſſertio.* Ex duobus elementis ſymbolis ad invicem corruptis, nequit produci aliud tertium ſpecie diſtinctum: bene tamen ex duobus diſsymbolis.

PRIOR Aſſerti pars luculenter traditur à Philoſopho in præſenti, textu 26. illis verbis: ἐν δὲ τοῖς ἐφεξῆς, ὅτι ἐνδέχεται φθαρέντος ἐν ἑκατέρῳ θατέρᾳ τῶν στοιχείων γενέσθαι μετάβασιν εἰς ὅλην τ σωμάτων. *Porrò in hiſce, quæ ſunt deinceps* (ſcilicet, per convementiam, ſeu ſymbolizationē) *ſi in vtroque qualitas altera corrupta ſit, haudquaquam elementorum migratio in vnū corpus fieri poteſt.* Vbi Angelicus Doctor lect. 4. ſic loquitur: *Oſtendit ex quibus duobus elementis non poteſt generari tertium, dicens, quòd in ijs elementis, quæ ſunt per convementiam, id eſt, quæ ſunt immediatè in loco, & habent ſymbolum, talis generatio eſſe non poteſt; ſcilicet, quod ex duobus tertium generetur.* Quare in doctrinà aſſertionis communiter Philoſophi cōveniunt, quos proinde ſpeciatim allegare opus non eſt.

3 *SED* Pro intellectu doctrinæ Ariſtotelis ac S. Thomæ, nota, duplici ſenſu intelligi poſſe quod duo elementa ad alterius tertij generationem concurrant. *Primò* ita, vt ex duobus alterum ſolùm deſtruatur; & alterum, quod permanet, educat ex illo priore tertium aliquod elementum. Hac ratione indubium videtur, ex duobus elementis poſſe fieri vnum tertium: quia ignis pugnando cum aquà illamque vincendo, poteſt illam deſtruere ita, vt reſultet aër. Nam quamvis gutta

aquæ

aquæ missa in ardentissimum ignem, statim in ignem convertatur; adhuc sæpe fieri potest, ac solet, vt in vaporem purè humidum & calidum convertatur, ex minori activitate ignis; ac proinde in aèrem, qui solùm humidus & calidus est. *Secundò* ita, vt vtrumque elemẽrum pugnans corrumpatur; idque adhuc dupliciter. Aut enim id fieri potest per actionem alterius *tertij* agentis: & hoc modo etiam certum apparet, posse ex duobus elementis fieri aliud distinctum specie ab vtroque: quoniam ex aère & aqua, symbolis inter se, potest resultare ignis, si detur alius ignis ab eo distinctus, qui simul aquam & aerẽ destruat, & ex vtriusque materiâ formam ignis educat. Aut potest supponi, non existente alio tertio elemento corrumpente, esse mutuam actionem inter duo elementa solùm, quæ invicem se corrumpant. Et in hoc eventu, asserimus, si illa duo elementa symbola sint, non posse ex ambobus resultare tertium aliquod elementum specie distinctum.

4 *PROBATVR* Ratione Aristotelis & S. Thomæ, in banc formam redactâ. Vt ex duobus symbolis elementis, mutuâ actione corruptis, generetur tertium aliquod specie distinctum, debent in illo manere aliquæ ipsorum qualitates. Sed nequit dari tertium aliquod elementum specie distinctum, in quo maneant aliquæ qualitates duplicis elementi symboli, mutua actione corrupti. Ergo ex vtroque nequit resultare tertium aliquod elementum specie distinctũ. Consequentia rectè deducitur, & maior est certa: quia elementa nihil aliud producere possunt, nisi in illo causent qualitates similes ijs, quibus prædita sunt. Minor verò probatur, adhibito exemplo in elementis symbolis, vt igne & aère, quorum prior est calidus & siccus, posterior humidus & calidus. Vt enim ex vtroque generetur tertium aliquod elementum specie distinctum, debet in illo manere, aut solus calor communis igni & aèri; & hoc nõ sufficit vt resultet elementum, quia vna solùm ex quatuor primis qualitatibus non est sufficiens dispositio ad rationem elementi: aut manebit certè siccitas ignis & humiditas aèris, cùm nihil aliud præterea possit manere. Atqui siccitas & humiditas sunt qualitates oppositæ, ac proinde ineptæ dispositiones ad quodlibet elemẽtum. Ergo de primo ad vltimum nequit dari tertium aliquod elementum specie distinctum, in quo remaneant aliquæ qualitates duplicis elementi symboli, mutuâ actione corrupti. *Secundò*, & vniversim, suadetur eadem minor. Aut enim ex duplici elemento symbolo permaneret in tertio producto qualitas symbola, & vnica, in quâ ambo illa conveniunt; aut duæ qualitates dissymbolæ, penes quas opponuntur: neque enim aliud manere potest. At tertium in quo manet, aut vna solùm qualitas symbola, aut duæ qualitates dissymbolæ & oppositæ, nequit esse verum elementum specie ab alijs distinctum, vt omnibus notum est. Ergo tertium illud, in quo permanẽt qualitates duplicis elementi symboli mutuò corrupti, nequit esse verum elementum specie ab alijs distinctum.

5 *POSTERIOR* Assertionis pars, in quâ est maior difficultas etiam traditur ab eodem Philosopho dicto cap. 4. textu 27. vbi de dissymbolis elementis invicem corruptis ita loquitur: *ἐὰν δ' ἑκατέρα θατέρου φθαρῇ*, &c. *Si verò vtriusque altera qualitatum intereat, horum migratio facilius quidem, sed non in se se mutuò fiet: sed ex igne quidem & aquâ, terra & aèr; ex aer verò & terrâ, ignis & aqua ortum ducent.* Vbi S. Tho. lect. 4. iam allegatâ *Ostendit*, inquit, *quomodo vnum elementum generetur ex duobus, dicens, quòd si altera qualitas vtriusque elementorum non habentium symbolum corrumpatur, non est ad invicem transmutatio. Sed poterit aliquod tertium generari sicut ex igne & aquâ, quæ in nullâ qualitate conveniunt, potent generari terra, & aèr; ex aère & terrâ, ignis & aqua.* Vterque igitur expressè docet ex duobus elementis dissymbolis posse aliud specie distinctum generari: vt ex igne & aquâ dissymbolis, aèrem, vel terram; ex aère vero & terrâ etiam dissymbolis, ignem, vel aquam.

6 *RATIO* Aristotelis ac D. Thomæ hæc est. Quoties duo elementa dissymbola pugnant, v. g. ignis & aquâ, ignis ratione caloris destruit frigiditatẽ aquæ, & aqua ratione humiditatis destruit siccitatem ignis, ac proinde vtrumque elemẽtum destruitur. Ergo compositũ ex vtroque resultans nequit accipere ab eis siccitatem, aut frigiditatem, quæ in pugnâ præcedente interierunt; sed solam caliditatem ignis, & humiditatem aquæ. Sed caliditas & humiditas simul sunt propriæ dis-

positiones aèris. Ergo compositum resultans ex igne & aqua eo modo certantibus, erit tertium aèris elementum. Ponamus aliter, pugnantibus invicem igne & aqua, calorem vnius destrui, & humiditatem alterius. Tunc certè vtrumque elementum corrũpetur: ac proinde tertium resultans non mutuabit ab ijs calorem aut humiditatem, quæ in certamine occubuerunt; sed solùm siccitatem ab igne, & frigiditatem ab aquà. At siccitas & frigiditas sunt propria terræ dispositio. Ergo ex corruptione dissymbolorum elementorum ignis & aquæ per talem pugnam, resultare poterit tertium aliquod terræ elementum. Porrò eadem ratio adaptari potest alijs duobus elemẽtis dissymbolis, scilicet, aèri & terræ, pugnantibus inter se duplici modo ex prædictis, & proportione servata, vt cõsideranti apparebit. Si enim sese interimant aèris calor & terræ siccitas, neutra illarum resultabit in tertio producto; sed solùm humiditas ex aère, & frigiditas ex terra; quæ sunt dispositiones propriæ ad aquam. Si verò se vicissim corrumpant aeris humiditas & terræ frigiditas, tertiũ resultans solùm mutuabit ab ijs calorem & siccitatem; quæ est propria dispositio ad ignem. Ergo ſimiliter ex corruptione dissymbolorum elementorum aèris & terræ poterit resultare iuxta modum diversum pugnæ, aut ignis, aut aqua.

7 *CONFIRM.* Nam, vt explicat adhuc S. Doctor, & ratione cõstat, nequit esse pugna interimens duplex elementum dissymbolum, vt alterum tertium resultet, niſi illa duo se invicem excedant in qualitatibus disparatis: v. g. in exemplo ignis & aquæ, vt ambo vicissim se corrumpant, opus est, vt ignis in calore excedat frigiditatem aquæ, aqua vero in humiditate excedat siccitatem ignis, atque adeò se vincant mutuò secũdùm alteram & alteram qualitatem. Aut vice versa opus est, vt ignis in siccitate, attentis circunstantijs, excedat aquæ humiditatẽ, & aqua in frigiditate excedat calorem ignis. Ergo oportet vt ex vtraque pugna resultet tertium aliquod constans duplici qualitate prævalente, non verò alijs duabus devictis, atque interẽptis. Ergo cũ in priore congressu interẽptæ fuerint frigiditas aquæ & siccitas ignis, tertium ex vtroque resultans solùm erit calidum & humidum, quod est aèr: cumque in posteriore pugna perierint humiditas aquæ, & calor ignis, tertium exinde ortum erit tantùm siccum & frigidũ, quod terræ proprium est. Idem quoque argumentum proportione facta adaptari potest, vt ex dissimbolis elementis aèris & terræ resultet tertium ignis, vel aquæ, pro vario pugnantium congressu, & quarundam qualitatum persistentiâ, vel destructione.

SECTIO SECVNDA.

Difficultates nonnullæ in oppositum, expediuntur.

8 *DICES 1.* Doctrinam sectionis præiactæ infœderabilem esse cum alia eiusdem Philosophi ac D. Thomæ, quà traditur in corruptione substantiali fieri resolutionem vsque ad materiam primam. Hoc enim ipso quòd duo elementa dissymbola sese mutuo interimant, nulla qualitas illorũ manet, neque illa quę devicta fuit, neq; altera quæ prævaluit: sed omnes illæ pereunt ad corruptionem subiecti. Ergo non magis poterit exinde resultare tertium elementum constans duplici qualitate prævalente, quàm duplici devictâ. *SED Contrà 1.* Licet enim in instanti generationis materia illius tertij careat omnibus ijs quatuor qualitatibus, quæ præcesserant in vtroque elemento dissymbolo; nihilominus in instanti immediatè præcedẽte generationem tertij, materia illius sigillata fuit solùm duplici qualitate prævalente in præcellenti gradu vsque ad illud instans; non verò alia duplici iam devicta, & remissa. Ergo tertium resultans debet mutuare seu recipere potiùs duplicem qualitatem prævalentem, quàm duplicem remissam: quia debet recipere qualitates eiusdem speciei cũ ijs, per quas ipsius materia fuit vltimò sigillata. *Contrà II.* Vt enim diximus *disput.* 48. licèt omnes qualitates existentes in composito corrupto interierint, & resolutio vsq; ad nudam materiam facta sit; adhuc in ipso instanti generationis potest permanere qualitas prævalens & intẽsa in parte aliquâ proximiore subiecto genito, quæ aliam sibi similem in ipso producat. Poterit ergo resultare tertiũ potiùs constans qualitate prævalente, quam remissâ. Vide quæ diximus allegato loco.

9 *DICES II.* Nequeunt duo elementa disſymbola eſſe ſimul ac mutuò fortiora & imbecilliora, cùm hæc ſint prædicata ex diametro oppoſita. Ergo nequeunt ſe mutuò prohibere, vt ex vnoquoque illorū non reſultet aliud eiuſdem ſpeciei, ſed tertium ab ambobus ſpecie diſtinctum. *SED Contrà.* Si enim duo elementa disſymbola nequirent eſſe ſimul ac mutuò fortiora & imbecilliora, non poſſent mutuò ſe corrūpere, ſed ſemper ac neceſſariò alterum permaneret. Quod tamen falſum eſſe probatur: quia vnumquodque illorum poteſt ſecundùm vnam qualitatem prædominantem prævalere alteri, & deſtruere qualitatem oppoſitam, ipſiſque neceſſariam ad conſervationem. Neque incōvenit, idem elementum alteri comparatum eſſe fortius ſecundum vnam qualitatem, & imbecillius ſecundùm aliam: hæc enim prædicata, quamvis oppoſita ſint, cōvenire poſſunt eidem ſubiecto penes qualitates diverſas.

10 *DICES III.* Elementa ſolùm operātur vt cauſæ vnivocæ, ac proinde ſolùm producunt ſibi ſimile ſecūdùm ſpeciem. Ergo ex duplici elemento disſymbolo nequit reſultare aliud tertium ſpecie diſtinctum. Aſſumptum probas. Nam ſi elementa operarentur, nō ſolùm vt cauſæ vnivocæ, ſed etiam vt æquivocæ, deberent eminenter continere effectum ab ijs procedentem: vt patet ab inſtantia in omnibus cauſis æquivocis. Atqui neque vnum elementum, neque duo continent eminenter aliud elementum ſpecie diſtinctum. Ergo ſolùm comparantur vt cauſæ vnivocæ ad aliud elemētum ſimile, non verò vt æquivocæ ad aliud diverſum. *SED Contrà.* Nam licèt elemente per ſe loquendo, & ex propria cuiuſque inclinatione ſolùm tendāt ad producendum ſibi ſimile; nihilominus per accidens, & præter intentionem naturæ particularis, ſed tamen iuxta genrū naturæ vniverſalis, poſſunt concurrere ad generationem alterius elementi diſſimilis, ſeu ſpecie diſtincti: quo ſenſu ſolùm id fieri poſſe aſſeruimus. Idque patet in mixtis, quę ſæpe producere ſolent tertium aliquod ſpecie diſtinctum, aut mōſtroſum, per accidens, & ex coniunctione ad aliud agēs. Cùm verò additur, cauſam æquivocam continere eminēter effectum ab ea procedentem; id ſolùm eſt verum de cauſa æquivoca principali; nō autem de inſtrumentali, aut diſpoſitiva; quà ſolùm ratione duo elementa disſymbola ſunt cauſa alterius tertij ſpecie diſtincti. nam cauſa activa principalis eſt cœlum, & ſuperiora agentia, quorū virtute inferiora elementa effectus ſibi diſſimiles operantur.

11 *DICES IV.* Impoſsibile apparet ex duobus elementis disſymbolis, aère & terrà, inter ſe pugnantibus, reſultare ignem. Nam ignis exigit ſummum calorem, quem accipere nō poteſt à terra, vtpote frigida, neque ab aère, qui ſolùm infra ſummum calidus eſt. *SED Contrà.* Vt enim monet D. Tho. in præſenti licèt calor aèris ſit infra ſummum, adiuvari poteſt & intendi per virtutem corporis cœleſtis, & lucem Solis, & per influxum aliarum ſtellarum. Ergo calor aèris quamquam infra ſummum, poterit producere inſtrumentaliter, & virtute ſuperiorum cauſarum, ſummum calorem ignis.



DISP. SEXAG. SECVNDA.

DE MIXTIONE ELEMENTORVM.

An ſit mixtio, & qualiter fiat?

Num. 1. *DE Mixtione agit Philoſophus* lib. 1. de Gener. cap. 10. *ex profeſſo: illudque dividit in tres partes. In primâ oſtendit exiſtere in rerum naturâ veram mixtionem, & diſtinctam à generatione, augmentatione alijſq; motibus, ſive mutationibus. In ſecundâ probat elementa, ex quorum mixtione generatur aliquod tertium, non manere in ipſo actu ſed poteſtate ſolùm. In tertiâ denique colligit quidnam ſit miſcibile, & quid ipſa mixtio. Omnia hæc ſub vnicâ diſputatione comprehendimus: quæ etiam excitari poteſt* lib. 2. cap. 7. & 8. *vt patet ex ipſorum contextu. Porrò, vt colligitur ex Philoſopho ac D. Thomâ in præſenti, mixtio dupliciter accipi poteſt.* Primò *impropriè pro cõiunctione plurium corporum, aut particularum, confusâ quadam ratione penes ſitum, ſeu locum, ita vt omnia, quæ ſic coniunguntur, invariata maneant penes ſubſtantiam. Hoc ſolùm modò dicitur* mixtio *illa actio, quæ ex pluribus granis tritici aut hordei ſimul attritis educit farinam, quæ etiam* mixtum *appellari ſolet impropriè, quoniam ſingulæ particulæ tritici vel hordei contriti integræ perſiſtunt, & per coniunctionem ad alias non mutantur.* Secundò, & *propriè, accipitur mixtio pro illa actione, quâ plura corpora, aut illorum particulæ, ita coniunguntur, vt media alteratione & corruptione ipſorum reſultet aliquod tertium numerò aut ſpecie diſtinctum: & ſub hac conſideratione mixtio definitur ab Ariſtotele in præſenti,* miſcibilium alteratorum vnio. *De hoc poſteriori genere mixtionis diſputamus in præſenti an in rerum naturâ exiſtat, & quomodo fiat.*

SECTIO PRIMA.

Ex mente Ariſtotelis ac D. Thomæ oſtenditur, exiſtere in rerum naturâ propriam mixtionem, & argumenta in oppoſitum difficilia enodatur.

2 *PRIMA* Aſſertio ſit. Poſsibilis eſt abſolutè mixtio, tam ex quatuor elementis, quam ex quibuslibet alijs miſcibilibus. Aſſertionem hanc in præſenti ſtatuit Ariſtoteles, & D. Thom. *lect.* 24. quibus adhærent Philoſophi ferè omnes quarumcumque Scholarum: illãque recenter illuſtrant ex Thomiſtis PP. Carmelitæ Complutenſes *diſp.* 9. *quæſt.* 1. Ioannes à S. Thomâ *q.* 6. *art.* 1. Ex PP. Societatis Conimbricenſes in præſenti, Oviedo *controv.* 8. *punct.* 3. Sancta-Crucius *lib.* 1. *de Generatione diſp.* 1. *q. vlt.* Ex alijs Averſa *q.* 43. Lalemand. *diſp.* 9. *partit.* 5. & plures alij: quamquam ex parte diſſentiat Rubio *in præſenti tract. de Mixtione*, aſſerens poſsibilem quidem eſſe mixtionem ex aëre, aquâ, & terrâ, aliſque corporibus: non tamen ſimul ex quatuor elementis, quia exiſtimat ignẽ venire non poſſe cum tribus iam enumeratis in compoſitionem mixti.

3 *PRIOR* Aſſerti pars probatur ratione ex Philoſopho deſumpta, tũ in præſenti, tum & 1. *Meteororum cap.* 4. ac Div. Thomâ iſdem locis. In eo quod exiſtat vera quatuor elementorum mixtio, ex qua tertium aliquod ab ijs diſtinctum reſultet, nulla contradictio eſt. Ergo vera & propria mixtio abſolutè eſt poſsibilis ex quatuor elementis. Conſequentia patet: quia abſolutè poſsibile eſt omne illud, cuius exiſtentia nullam importat contradictionem. Antecedẽs verò probatur: tum quia omnia argumenta, quibus aliqui Veterũ conati ſunt eam contradictionem inferre, ſufficienter ſolvuntur ab Ariſtotele in præſenti, & nonnulla alia quæ reſtant, inferiùs enodabũtur: Tum præterea, quia omnia quatuor elementa ſunt per ſe ordinata à natura ad generationem mixti, tamquam alicuius tertij ab ijs diſtincti: Tum denique, quia cùm omnia quatuor elementa ſibi invicem contraria ſint, aut penes vnam ex primis qualitatibus, aut penes duas, omnia illa poterunt ſe frangere invicem per mutuã actionẽ & reactionẽ, ita vt deſtruãtur diſpoſitiones, à quibus naturaliter

pendēt in exiſtendo. Ergo omnia illa corrumpi poterunt in ea pugna, ita, vt ex ijs tertium aliquod reſultet, ſpecie ab ijs diſtinctum. Probatur hæc conſequentia: Quia tertium inde reſultans nequit eſſe eiuſdem ſpeciei cum aliquo elementorū, à quo reſultat; ſiquidem caret diſpoſitionibus neceſſarijs ad formam elementi. Erit ergo quid ab ijs omnibus ſpecie diſtinctum: ac proinde verum mixtum, cùm aliud cogitari non poſsit. Quam rationē in omnibus elementis, atque adeò in igne locum habere, quidquid neget Rubius, perpendenti exploratum erit.

4 *POSTERIOR* Pars ſuadetur: Quia inter quælibet miſcibilia diverſæ rationis datur diverſa virtus activa, & quoddammodo inæqualis, vt in debita proportione pugnent, & refrangant ſe mutuò, atque invicem deſtruant diſpoſitiones vtriuſque conſervativas. Ijs autem deſtructis, neceſſariò deſtruetur vtrumque miſcibile: quippe quod naturaliter pendet in ſui permanentia à diſpoſitionibus conſervantibus. Eo autem ipſo reſultabit neceſſariò aliquod tertium: quia nulla deſtructio, ſive corruptio ſubſtantialis datur, quin reſultet vera alterius productio. Cumque nequeat tertium illud reſultans, eſſe eiuſdem ſpeciei cum aliquo ex duobus extremis pereuntibus, propter combinationem ex pluribus ac diverſis diſpoſitionibus reſultantibus ex vtroque ſimul; conſequens eſt, vt debeat eſſe tertiæ alicuius ſpeciei ab vtroque diverſæ. Atqui in hoc cōſiſtit vera & propria mixtio, de quà diſputamus. Ergo de primo ad vltimum, ex quibuslibet miſcibilibus reſultare poteſt vera mixtio.

5 *VNDE* Inferre licet, per veram mixtionem fieri bruta illa, quæ gignuntur ab aſino & equâ, vel ab equo & aſinâ: quoniam ex ſeminibus vtriuſque commixtis, & mutuò alteratis, reſultat tertium aliquod, ſive forma tertiæ ſpeciei informans materiam vtramque ſeminum pereuntium; idque præter intentionem vtriuſque agentis præcipui, quorum vnumquodque per ſe loquendo tendebat ad propagandam ſuam ſpeciem propriam; non verò alterius tertij ab vtroque generante diſtincti. Secùs vero dicendum videtur de generatione brutorum omnino naturali: quia licèt hæc reſultet ex commixtione diverſorum ſeminum pereuntium, non tamen modo ad veram mixtionem exacto, neque ita vt reſultet tertium aliquod diverſæ ſpeciei ab vtroque parente, ſed omnino eiuſdem; & quidem ex vtriuſque intentione per ſe loquendo. quod proprium eſt perfectæ generationis viventium; alienum autem a propria mixtione, vt infra *num.* 7. amplius conſtabit. Porrò idem, quod de generatione muli ex equo & aſina, ſentiendum videtur de productione ranularum, bufunculorum, & aliorum quorundam animalculorum in æſtate, ex guttis aquæ, aëre, ac pulvere, inter ſe commixtis. exinde enim reſultat tertium aliquod miſtum ſpecie diſtinctum ab omnibus miſcibilibus, præter ipſorum intentionem. Idemque eſt de productione vermium intra viſcera & quævis membra animalium perfectorum: intra quorum poros, ſeu vacuitates, miniſterio tubuli ſeu lenticulæ deteguntur animalcula variarum ſpecierum, & embryonelli omnis generis culicum ac muſcarum, quæ nos pungunt intus, præter plura alia, quæ experimur foris. Patet enim ex ratione prejacta, ea omnia fieri per veram mixtionem: quamvis fatear communi loquendi ſtylo appellari non ſolere mixtionem, niſi eam quæ ex liquidis miſcibilibus reſultat. Verùm de nomine curandum non eſt, vbi res ipſa obtineatur.

6 *SED* Contra poſsibilitatem & exiſtentiam mixtionis, oppones plura, quæ ſibi objicit Sanct. Thomas in præſenti. *Primum* eſt, quod miſcibilia debent eſſe æqualia in potentia. At vbi eſt duorum æqualis potentia, non datur actio & reactio, ac ſubinde nec mixtio. Ergo nunquam eſſe poſſunt miſcibilia, ex quibus reſultet vera mixtio. *Secundum.* Vt elementa miſceantur, debent recedere ex proprijs locis, ac proinde pati contra propriam naturam ſeu inclinationē. Ergo non dabitur mixtio, quæ ſit naturalis, ſed ad ſummum violēta. *Tertium.* Mixtio neque eſt generatio, neque augmentatio, neque alteratio, vt docet Philoſophus in præſenti *lib.* 1. *textu* 83. At ſi eſſet poſsibilis, deberet ſpectare ad aliquā ſpeciem prædictarum actionum. Ergo mixtio non eſt poſsibilis. *Quartum.* Mixtio definitur *alteratorum vnio.* Ergo ex illa non reſultat aliquod tertium à miſcibilibus diſtinctum, ſed aliquid ex ijs congeſtum, vnione per accidens. quod eſt contra naturam mixtionis ſuperius ſtatutæ.

Quin-

Quintum. Aut etenim vnum ex miſcibilibus eſt fortius altero, aut ambo ſupponũtur æqualia? Si primum aſſeratur; id, quod fortius eſt, convertet alterum in ſe; atque adeò non dabitur vera mixtio, ſed aggeneratio, & augmentatio. Si autem dicatur primum; non pugnabunt, ac proinde non miſcebuntur. Ergo de primo ad vltimũ, nunquam vera mixtio dabitur.

7 *RESPONDET* S. Thomas, & nos cum ipſo. *AD I.* Ariſtotelem, vt inferiùs conſtabit, voluiſſe miſcibilia non eſſe prorſus æqualia, ſed aliquatenus inæqualia; id eſt, tali proportione, vt neutrũ illorum ratione potentiæ longè maioris abſorbeat alterum, & in ſe convertat per veram aggenerationem, quamvis ex natura ſuâ in id tendat: ſed impediatur ob varias circunſtantias à converſione alterius in ſe, & ex vtroque reſultet tertiũ aliquod diverſum, quaſi monſtrum; intentũ verò per ſe à Naturâ, vniverſali; quod appellatur & eſt miſtum. *AD II.* Vnio elementorum, quæ fieri ſolet per motũ cœli, aut aliorum agentium impreſsionem, in ordine ad generationes & mixtiones varias, non eſt violenta propriè loquẽdo, ſed naturalis relatè ad commune bonum Vniverſi. Dato autem quòd initio violẽta ſit, adhuc mixtio reſultans ex vnione elementorum eſt ſimpliciter naturalis: quoniam, vt rectè monent Conimbricenſes, naturaliter reſultat ex elementis vtcumque ad proportionem debitam coniunctis. *AD III.* Mixtio, ex qua producitur forma mixti, eſt quò ad eſſentiam vera generatio; non tamen intenta per ſe ab vtroque miſcibili: in quo differt ab alijs generationibus communiter dictis; quamvis in eſſentia cum ijs conveniat; vtpotè abſtrahente ab ijs circũſtantijs, tum pugnæ mutuæ duorum, tum & deſtructionis extremorum pugnantium, tum & tendentiæ per accidens in tertium reſultans, quæ in miſtione interveniunt. *AD IV.* patebit infrà. *AD V.* patet ex ſolutione ad I. alterum ex miſcibilibus debere eſſe, non omnino, ſed aliquomodo fortius altero, atque in tali proportione, vt illud non abſumat, & convertat in ſe; ſed immutet ſufficienti modo, vt ex vtriuſque pugna reſultet tertium aliquod diverſum.

(1)

SECTIO SECVNDA.

Præiactis pluribus circa naturam mixtionis, eligitur & ſuadetur vera ſententia, quæ negat elementa formaliter manere in mixtis.

8 *VERVM* Vt doctrina ſuperiùs tradita intelligatur penitiùs, prænotanda ſunt plura ex doctrinâ Ariſtotelis, quæ requiruntur ex parte miſcibilium ad veram mixtionem. *Primò* enim exigit *textu* 87. *lib.* 1. quòd miſcibilia ſint inter ſe actiua & paſsiua: ideoque ait, nec materiam cum formâ, nec ſubiectum cum accidentibus, propriè miſceri. *Secundò* ait *textu* 83. miſcibilia debere eſſe per ſe exiſtentia & ſeparabilia: ideoque albedinem v.g. & ſcientiam non miſceri alteri rei. *Tertiò* monet *textu* 89. debere eſſe facilè diviſibilia in particulas: quoniam ſic facilius poterunt inter ſe agere & pati, ac reduci ad quandam communem temperiem, omniumque partium æquabilem proportionem, vt proinde toti materiæ ſuperveniat forma mixti. *Quartò* ſubdit *ibidem*, debere eſſe inter ſe contraria, vt inter ſe agant patianturque, ac mutuò refragantur in proprijs naturis, qualiter opus eſt ad reſultantiam alicuius tertij. *Quintò*, & cohærenter, debere eſſe inter ſe ita proportionata & attemperata, vt alterum illorum nõ præualeat in totum alteri. alioqui enim, vno alterum abſorbente, & convertente, non eſſet duorum mixtio, ſed vnius tantùm excretio, & augmentatio. Quare ſubdit loco alleg. *Multa quidem paucis, & magna parvis compoſita, non faciunt mixtionem, ſed augmentationem dominantis: mutatur enim alterum in dominans. Ideo gutta vini decem millibus congijs aquæ non miſcetur: ſolvitur enim forma & mutatur in vniverſam aquam.* Quæ doctrina Theologis notanda eſt in tractatu de Euchariſtiâ, pro opinione veriore aſſerentium, modicisſimam aquam vino in calice admiſtam, priùs converti in vinum prædominans, quàm in ſanguinem Chriſti Domini. Quare & idem Philoſophus *textu* 85. præmiſerat, nutritiũ mentum non iubire miſtionem cum corpore nutrito, ſed converti in illud.

9 *Sextò*, & potissimùm, monet *textu* 89. prælegato, miscibilia debere esse eius conditionis, vt per mutuā actionem & passionem convertantur in aliud tertium, quod sit & appelletur propriè mixtum. *Quando*, inquit, *potentijs adæquātur quoddammodò; tunc mutatur quidem vtrumque in dominans ex sui ipsius naturā: non generatur autem alterum, sed medium & commune.* Scilicet, tranſeunt in quoddam tertium dominans ex sui naturā, veluti continens virtualiter sua miscibilia, ex quorum alteratione resultavit. *Septimò*, tradit *textu* 83. debere ipsa miscibilia aliquomodo permanere in mixto, & non penitus interire in ipsā mixtione: ideoque negat ligna misceri cum igne; quia non manent in illo, nec secundùm formam, nec secundùm proprias qualitates; sed tantum se habent vt terminus *à quo* derelictus. *Octavò* ibidem notat, nec miscibilia debere integrà permanere, atque immutata, qualiter fuerant ante mixtionem: quia, vt ille addit *textu* 86. hæc non esset mixtio, sed conservatio, aut compositio, in quibus extrema vnionis permanent, sicut antea.

10 *ADDIT* Philosophus in præsenti lib. 2. textu 49 *Omnia mixta corpora ex omnibus composita sunt simplicibus.* Et ratione probat: quoniam in omnibus mixtis debet esse terra, cū omnia sint circa locum terræ, & debeant mutari aliquid à vicino elemento: debet etiam esse aqua, vt det facilem terminationem: proindeque & debent esse ignis atque aèr, quoniam duobus prædictis elementis contraria sunt. Idem repetit *textu* 50. & probat: quia nullum mixtum nutritur ex vno solo elemento, sed ex pluribus. Nam vel ipsæ planetæ, quæ videbantur ex sola aquā nutriri, verè nutriuntur ex terrā & aquā. Ex quā doctrinā statim oritur difficultas præcipua huius controversiæ: an simplicia, scilicet, elementa, formaliter in se ipsis manentia, componant mixtum; an verò solùm virtualiter, id est, penes solas virtutes, sive qualitates ipsorum, existentes in mixto: & quoniam sēpe verùm sit omnia illa debere cōcurrere, sive formaliter, sive virtualiter, ad cuiuslibet mixti productionem; an potiùs sufficiat ipsorum aliquod, vel duo aliqua, aut tria.

11 *SIT II. Assertio.* Nullum mistum continet elementa formaliter, & in propriā specie: sive, quod perinde est, nullum mistum conflatur formaliter ex formis ignis, aèris, terræ, & aquæ, aut ex multis formis aliorum miscibilium; præsertim compositis, seu coexistentibus cū novā formā mistī recenter productā. Ita Aristoteles in præsenti *lib.* 1. *de Generat. textu* 84. vbi & D. Tho. *lect.* 24. quos cōmuniter sequuntur cæteri Interprētes ac Philosophi præter allegandos infrā *num.* 15. Imo & inter Medicos Vallesius *lib.* 1. *Controvers. c.* 1. contendit ac latè probat hanc esse sententiam Hipocratis & Galeni, miraturque oppositam tribui Medicis, veluti communem, illamque attentā ratione improbabilem censet. Assertio nostra probari potest ijs rationibus, quibus supra *disp.* 51. ferè per totam, multipliciter ostentum est, in nullo composito substantiali existere, nisi vnicam formā, per quam constituatur integrè in specie atque individuo. Posset insuper, suaderi pluribus alijs, quibus in Phyſica *disput.* 3. probatum est contra Ludovicum Rodriguez in composito substantiali non existere formaliter elementa, quæ habeant rationem materiæ primæ; quoniam cōpositum ex ijs coalescens no esset vnum per se. Verùm modò placet nonnulla solùm fundamenta proponere cursim ac breviter, quibus constet elementa formaliter in se ipsis considerata nullum in mixto locum habere posse; relictis ferè alijs, & remisso Lectore ad prædicta loca.

12 *PRIMVM* Sit. Aut formæ elementorum ita existerent in mixto, vt simul in eo non esset alia forma specialis mixti; aut esset, quā mixtum vltimò constitueretur. Alterutro enim ex prædictis modis defendi solet opinio adversa. At vtrumque est falsum. Ergo & falsum est quòd elementa existant formaliter in mixto. *Prior* pars minoris suadetur multipliciter. *Primò*, ratione loco illo allegato expensā: quia sic mixtum non esset vnius speciei, sed plurium, iuxta multiplicitatem specificam formarum elemētarium, quibus essentialiter constitueretur; sed potiùs foret aggregatum quoddam per accidens ex diversis naturis. *Secundò*: Quia sic quodlibet mixtum esset brevissimæ durationis, vtpotè coalitum formaliter ex contrarijs elementis, absque vllā alià formā prædominante, quæ omnia illa in concordiam revocaret.

Con-

Conſtat autem quanplura mixta eſſe lõgiſsimæ durationis. *Tertiò*: Quia ſaltem in viventibus anima nequit non eſſe forma aliqua elementis inanimatis ſuperaddita, vtpotè vitales operationes exercẽs. Hoc autem ſtatuto, neceſſum eſt vt & in omni alio mixto ſit peculiaris forma, propter ſpeciales ipſius diſpoſitiones, proprietateſque, quæ nulli ex elementis conveniunt. Ergo formæ elementorum neutiquam ita ſunt in mixto, vt ſimul in eo non ſit alia ſpecialis forma mixti.

IAM Poſterior eiuſdem minoris præcipuæ pars ſuadetur diverſimodè. *Primò* ratione *ibidem* vberrimè confirmata, & in Phyſicâ *diſp.* 9. quoniam quælibet forma ſubſtantialis ita informat & complet materiam, in quâ recipitur, vt in eâ non relinquat capacitatem, ſaltem naturalem, ad aliam formam recipiendã ſimul. Nec prodeſt recurſus ad ſubordinationem vnius formæ relatè ad aliam, qui in formis ſubſtantialibus eſt fictitius, & proprius accidentalium. Ergo repugnat in quolibet mixto eſſe quatuor elementorum formas, & præterea quintam aliã ſpecialem ipſius mixti. *Secundò*: Quia aut formæ elementorum exiſterent cum formâ mixti integræ & perfectæ in ſuo eſſe; vel potiùs refractæ ac remiſſæ. Hoc ſecundum planè repugnat formis ſubſtãtialibus, quæ nullam in ſe admittunt intẽſionẽ, aut remiſsionẽ; ideoq; nõ producũtur ſucceſsivè, ſed inſtãtaneè, vt in Phyſica *diſp.* 38. probatũ eſt. Primũ verò æquè abſurdum eſt: quoniam formæ elementorum perfectæ atque integræ exiſtentes in mixto, maximâ vi & conatu pugnarẽt inter ſe, ideoque quàm citiſsimè diſſolverent formam mixti, & totum ipſum. Conſtat verò vix vllum mixtum eſſe, quod adeò breviter diſſolvatur. *Tertiò*: quoniam incredibile apparet in piſcibus v.g. exiſtere verum ac proprium ignem, dum latent ſub aquâ: quoniam hæc vndique diffuſa, quamlibet ignis particulam momento ferè temporis diſsiparet. *Quartò* denique: quia poſitâ ſpeciali formâ mixti, & diſpoſitionibus accidentalibus, ſive qualitatibus neceſſarijs, illa eſt ſatis idonea & ſufficiens ad quodlibet mixtum conſtituendum in vnicâ ſpecie atque individuo. Ergo natura, quæ ſemper compendio ſtudet, & non efficit per plura quæ per pauciora facere poteſt, nullatenus mixtis præbuit ſingulorum elementorum formas, ſed ſolùm proprias cuiuſque mixti.

13 *SECVNDVM.* Aut elementa eſſent formaliter in mixto penetrata inter ſe: & hoc repugnat naturaliter, præſertim elementis, quæ exigunt diverſa loca ſecundùm propriam cuiuſque naturã, vt dictum eſt *diſput.* 5. atque adeò nequeunt ſe mutuò tangere ſecundùm ſe tota, ſed tantùm penes vltimas ſuperficies. Aut non eſſent penetrata, ſed quoddammodo diſiuncta loco: & tunc forma mixti non poſſet ſimul in ijs omnibus recipi, nec in vnâ potius, quàm in aliâ; cum par omnium ratio eſſet. Aut preterea formæ elementorum eſſent omnes ſimul in vnâ materiâ communi ita diffuſæ, vt in quavis particulâ mixti ac materiæ omnes iungerentur. Hoc autem abſurdum eſt multiplici ex capite. *Primò*, quia formæ elementares ſunt eſſentialiter diverſæ & oppoſitæ; ideoque contrarias diſpoſitiones exigunt. *Secundò*, quoniam hac ratione vnum elementum non corrumperet aliud & in ſe converteret (cuius oppoſitum *diſput.* 60. abundè probatum eſt) ſed potiùs omnia invicem amico fœdere copularentur. *Tertiò*, quia ſic nulla eſſet elementorum mixtio, ſicuti nulla eſt formarum accidentalium, quæ ſimul exiſtunt in eodem ſubiecto, & diffunduntur in qualibet ipſius particulâ. Aut denique formæ elementorum ſolùm eſſent in mixto per minutas particulas iuxtà poſitæ, ita vt quævis particula conſtet vnicâ formâ elementari. Hoc autem reijcitur: tum, quia, vt arguit S. Thomas *Quodlib.* 1. *ar.* 6. *ad* 3. & *de Potentiâ quæſt.* 5. *art.* 2. hæc non eſſet propria mixtio, ſed ſolùm iuxta poſitio, ſicut partium heterogenearum in eodem corpore animato: tum etiam, quia hac ratione non quælibet particula mixti, ligni v.g. eſſet verum mixtum, ſed elementum partiale: tum præterea, quoniam ſic non omnia elementa ſe reducerent mutua actione ad quandam cõmunem temperiem qualitatum, ſed quælibet ſeorũm eſſet in quavis particulâ: cuius oppoſitum Philoſophi omnes ſtatuunt.

SE-

SECTIO TERTIA.

Eludantur argumenta opinionis adverſæ.

14 EX Dictis ſectione præcedenti, & locis in eà allegatis corruit opinio aſſerentium elementa formaliter in mixto manere, qualitercunque exponatur iuxta varios modos dicendi quorundam Veterum, & plurimorum Recentiorum, præſertim Piccolominei *lib. de Mixtione cap.* 9. Flaminij Nobilij *lib.* 1. *de Gener. c.* 10. Dandini 2. *de Animâ, digreſſione* 8. & quorundam ex Medicis: quorum omnium præcipua argumenta ſubiungo.

15 *OPPONVNT* Ariſtotelem *in præſenti lib.* 1. *c.* 10. afferentem, admiſtionem exigi vt miſcibilia non pereant, ſed maneant, ac tradentē mixtionis definitionem per hoc, vt ſit *miſcibilium alterarorum vnio.* Non ergo corruptorum, ſed adhuc manentium in ipſo mixto. Inſuper eodem loci ait, elementa eſſe materias miſtorum, & principia eorundem. Atqui iuxta ipſum *lib.* 1. *Phyſ. c.* principia manere ſemper oportet. Ergo & elemēta ſemper in mixto manent. Præterea ait nos conſtare ijs, quibus nutrimur. At nutrimur ex elementis formaliter. Ergo & ijſdem conſtamus. Sunt & alia loca, quibus non obſcurè idem ſignificare videtur.

16 *CONFIRMANT* Doctrinam eandem ratione: Quia vnumquodque realiter componitur ex ijs, in quæ reſolvitur: cùm nullum compoſitum reſolvi poſſit, niſi in ſuas partes. Atqui mixtum reſolvitur in quatuor elementa. Ergo ex ijs componitur realiter, tanquam ex partibus. Probatur minor experimentis; nam quando comburitur lignum, emittitur aqua; remanent cineres, qui ſunt terra; evolat fumus, ſubſtantialiter non diſtinctus ab aere; āc fit flamma, quæ eſt ignis. Preterea ex herbis, ac floribus educitur aqua miniſterio alambici. Ergo inerat antea.

CONFIRMANT II. Quia vbi ſunt paſsiones propriæ formarum elemētarium, ibi etiam ſunt formæ ipſæ. At in quolibet mixto ſunt paſsiones formarū elementarium propriæ: ſcilicet, quatuor primæ qualitates. Ergo & in eo ſunt formæ elementares.

17 *RESPONDET* S. Thomas in præſenti, & nos cum ipſo, præiactis obiectionibus, Ariſtotelem proculdubio tradidiſſe noſtram ſententiam, *lib.* 1. *de Gener. textu* 84. vbi rem hanc ex profeſſo determinat, docetque elementa nec actu remanere in mixto, nec penitus interire, ſed ſalvas manere virtutes illorum. Inſuper & *lib.* 2. *textu* 48. aſſerit, elementa non ineſſe actu, ſed potentia tantùm in mixtis. Et 3. *de Cœlo textu* 32. inquit: *In carne & ligno, & vnoquoque talium, ineſt potentia ignis ac terra.* Deinde ad primam partem obiectionis dico, ſenſum Ariſtotelis eſſe, miſcibilia non omnino perire; quia perſeverant ſecundùm ſuas virtutes, ſeu qualitates primas, in mixtis. Quod verò miſtio dicatur alteratorum vnio, ſolùm probat neceſſariam eſſe miſcibilium alterationem vt fiat mixtio, quaſi viam & initium ad illam; quanvis præterea requiratur ipſorum corruptio, vt quid proximius. Neque id dixit Philoſophus ſtrictè definiendo mixtionem: quæ, iuxta ipſius doctrinam, ſic potiùs definiri deberet: *Generatio compoſiti diverſi à miſcibilibus, his pereūtibus quo ad formas proprias, & manentibus quò ad ſuas virtutes.* Iam quod additur, elementa eſſe materiam & principia; non eſt accipiendum de elementis ſecundùm ſe tota, vt voluit Empedocles; ſed tantùm penes materiam ipſorum, quæ manet in mixto. Denique, ſicut nutrimur elementis, non immediatè, ſed mediatè, quatenus nutrimur cibis, in quibus ſunt qualitates elementares; ſic etiam conſtamus elementis, non actu, ſed virtute, ſive penes ipſorum qualitates, manentibus.

18 *AD I. Confirm.* negatur minor. Ad probationem experimentalem dicendum, liquorem illum ex ligno proceduntem, non eſſe aquam, ſed ſubſtantiam humidiorem ligni: ſicuti aqua roſacea, aut ex herbis alambico expreſſa, non eſt elementaris, & vera; ideoque nec ſufficiens ad Baptiſmum adminiſtrandum, ſaltem abſque periculo nullitatis. Deinde, cineres, in quos abit lignum, videntur eſſe partes ipſius groſſiores, quæ propterea non potuerunt converti in ignem; ideoque non ſunt terra elementaris, ſed aliud compoſitum; dictum cinis, habens rationem mixti. Porrò flammam veram, atque adeò ignem ex ligno fieri non negamus: verùm illa non inerat antea, ſed producta eſt ab igne comburēte lignum.

De-

Demum partes ligni tenuiores, quæ ſunt minimùm humidæ ac fluidæ, aut erant in ligno fumus ſubſtantialiter, aut poſtea in fumum converſæ ſunt, diſtinctum ab aëre, & verum mixtum.

19 *AD II. Confirm.* Vbi ſunt paſsiones propriæ formarum elementarium ſtrictè loquendo, ſive quarto modo proprij; neceſſum quoque eſt elementares formas inexiſtere; quia mutuam & inevitabilem connexionem habent. Cæterum non ſic, ſed alio diverſo modo, ſunt paſsiones elementorum in mixtis. Non enim ſunt in ijs in ſummo, aut propriæ elementorum; ſed refractæ ac remiſſæ in gradu longè inferiori, & certà temperie: qua ratione ſunt qualitates cõmunes; & ſufficiunt, vt elementa dicantur virtute, ſeu potentiâ, quanvis non actu permanere in mixto.

SECTIO QVARTA.

Difficultas circa permanentiam virtualem elementorum in mixto, accuratiùs expenſa ac ſoluta.

20 *VERVM* Hinc conſurgit gravis difficultas. Si enim qualitates mixti non ſunt illæ ipſæ, quæ ineſant elementis in ſummo aut præcellenti gradu, ſed aliæ communes ac longè remiſsiores, quæque proinde non ſunt elementorum propriæ; quomodo verè ſalvabitur elementa virtute in mixto permanere? Omnis enim res permanere virtualiter in aliâ dicitur, quatenus vice propriæ ſubſtantiæ relinquit in eâ virtutem accidentalem ſibi propriam, quæ pro illa ſubſtituat: vt patet in ſemine deciſo a generante; & in calore ferri candentis, alijſque pluribus. Si ergo qualitates illæ, quæ elementorum propriæ ſunt, non manent in mixto, ſed aliæ remiſsiores, refractæ, & communes; elementa non remanebunt in mixto virtualiter: cuius tamen oppoſitum docent Ariſtoteles, & D. Thom. locis allegatis, atque ex vtroque ferè omnes Philoſophi.

21 *HVIC* Difficultati communiter reſponderi ſolet, ideo quatuor elementa ratione primarum quatuor qualitatũ dici virtualiter permanere in mixto; quia dum ad hanc mixtionem conveniunt, prædictas qualitates relinquunt; non in ſummo aut præcellenti gradu; ſed inferiori ac contemperato; vt vice formarum elementarium in mixto permaneant, & conſtituant ipſius temperamentum, exigens prædictum quatuor elemẽtorum concurſum.

22 *SED* Tamen inſtat difficultas propoſita, quoniam qualitates in mixto manentes ſunt omnino aliæ, ac remiſsiores ijs, quæ antea elementis inerant. Ergo ratione illarum nequeunt elementa virtute in miſto manere. Præterea, nec dici poteſt omnia quatuor elementa ſecundùm ſuam ſubſtantiam convenire debere ad relinquendas qualitates in mixto, adhuc in gradu remiſſo: quoniam ſæpe non omnia elementa quò ad ſubſtantiam ſuam; ſed aliqua ſolùm, aut etiam nullum illorum concurrit ad relinquendam qualitatem aliquam in generatione mixti. *Primò* enim difficile eſt creditu quòd ſemper ignis quò ad ſubſtantiam adſit; præſertim ad generationem piſcium intra aquam, aut pulveris tormentarij in officina, qui ſtatim accenderetur, ſi vel minima ignis ſcintilla adeſſet. *Secundò*, cùm duo elementa oppoſita, v.g. ignis & aqua, aut etiam terra & aër, conſtent binis qualitatibus contrarijs, altera in ſummo, altera in præcellenti gradu; atque adeò duo quælibet conſtent quatuor primis qualitatibus; videtur minimè neceſſarius concurſus omniũ quatuor elementorum, & ſufficere duorum tantùm, modò contraria ſint. *Tertiò*: Nec videtur exigi concurſus duplicis elementi, ſed vnius tantùm. Nam ſæpe vnum elementum convertitur immediatè in aliud, ex eoque gignitur, vt *diſp.* 60. oſtẽſum eſt. Ergo multò magis ex vnico elemento poterit gigni aliquod mixtum, quod maiorem affinitatem habet cum quovis elemento, ratione temperiei mediæ qualitatum, quàm vnum elemẽtum cum alio. *Quartò* denique: Nec videtur neceſſarium vnum aliquod elementorum quò ad ſubſtantiam intervenire. Videmus enim ab vno vivente aut animali generari aliud, abſque interventu actuali alicuius elementi: item & cibos, qui ſunt vera mixta, concurrere ad partialem generationem ſubſtantiæ aliti, quæ etiam eſt verum mixtum: item ex lignis & cadaveribus progigni vermes, quin appareat concurſus alicuius ex elementis, actũ ibidem exiſtentis, vt ſic virtutem ſuam relin-

relinquat. Igitur elementa, ne quidem virtualiter in mixto manent.

23 *IDEO* Recentiores aliqui volunt, elementa ſecundùm ſuas qualitates permanere in mixto ſolũ, quatenus ſimul in eo ſunt refractæ & remiſſæ omnes quatuor, quarum ſingulæ in ſummo gradu ſingulis elementis conveniunt ſeorſim. Aiunt quoque virtualiter dici elementa contineri in mixto, quatenus exigit ad ſui temperamentum omnes quatuor qualitates, quæ ſunt elementorum virtutes. Denique exiſtimant mixtum dici conſtare ex elementis, non ſubſtantialiter & entitativè, ſed accidentaliter & diſpoſitivè; quatenus pro ſuâ formâ exigit in materiâ temperiem ex qualitatibus refractis, quæ elementis conveniunt in ſummo gradu: atque eo tantùm ſenſu putant elementa concurrere ad conſtitutionem mixti; ſive adſint omnia, ſive aliqua ſolùm, ſive nullum quò ad ſuam entitatem & ſubſtantiam.

24 *COETERVM* Expoſitio hæc difficilis eſt multipliciter. *Primò*, quia iuxta illã non ſalvatur vera ratio mixtionis, atque adeò nec mixta verè conſtare ex elementis, nec elemẽta eſſe verè miſcibilia, nec remanere in mixto virtualiter. Etenim iuxta hunc dicendi modum non ſalvatur quod elementa in ſe ipſis, nec in qualitatibus ipſorum proprijs, nec medio aliquo ipſarum effectu, concurrãt ad mixtum componendum, nec in ſua ſubſtantia, nec in tempore ab illo exacta: ſine quibus, aut ſaltem ipſorum aliquo, nihil prædictorum eſſe poteſt. *Secundò*, quoniam ſic non ſalvatur definitio elementi tradita ab Ariſtotele *lib. 3. de Cœlo cap. 31.* per hoc vt ſit *illud corporũ, in quod alia corpora dividuntur, quod ineſt potentiâ aut actu. ipſumque eſt indiviſibile in diverſa ſpecie.* Si enim elementa nec ſecundùm ſuam ſubſtantiam, nec ſecundùm virtutes proprias, vllo modo ſunt in corporibus mixtis; nullatenus quoque hæc dividentur in elementa: cùm omnis diviſio fieri debeat in ea, quæ inſunt. Improprijſsimè etiam dicetur, elementa eſſe in mixto actu aut potentiâ, ſi neque in ijs ſubſtantiam ſuam, nec virtutes proprias vllatenus retinent. *Tertiò*: Cùm omne elementum ſit principium intrinſecum rei illius, cuius elementum dicitur, proindeque in eâ permanere debeat, vt ſæpe ex Ariſtotele obſervavimus; neceſſum eſt elementa habere vim principiorum, verà aliquâ ratione permanentium in mixto, quod tamen iuxta præiactam expoſitionem nõ ſalvatur. *Quartò*, & vltimò, iuxta illam æquè benè dicetur elementum ignis permanere virtualiter in elemento aëris, ac in quolibet mixto: quia etiam in elemento aeris eſt calor, qui igni convenit in ſummo. Similiter & aqua dicetur contineri virtualiter in terrâ, quatenus hæc continet frigiditatem, quæ in ſummo cõvenit elemento aquæ. Atqui manifeſtum eſt longè aliâ & ſtrictiori ratione elementa contineri in mixto, quam vnum elementum in alio. Imò vnum elementum contineri in alio, eſt locutio improprijſsima, & Philoſophis inaudita.

25 *IDEO* Aliter occurrendum eſt præiactæ difficultati. Pro quo adnotare oportet, eo ipſo quòd in corruptione ſubſtantiali ſit reſolutio vſque ad materiã primam, vt *diſput. 49.* ſtatutum eſt, neceſſariò dicendum, non eaſdem numero qualitates primas manere in mixto, quæ inerant elementis, ſed diſtinctas: quoniã miſcibilia verè corrumpuntur, vt mixtũ ex ijs generetur: quod *num. 17.* præmiſimus. Notandum præterea, primas qualitates aliter mixtis convenire, quàm elementis: nam mixtis ſolùm conveniunt ſecundariò, & per participationem ab elementis: his verò primariò, & indepẽdenter ab omni causa inferiori & ſubcœleſti. Quod non modò verum eſt de ijs qualitatibus primis, quæ conveniunt ſingulis elementis in ſummo; ſed etiam de ijs, quæ prope ſummũm. Non enim elementum aëris v.g. accipit calorem præcellentem ab igne calido in ſummo, nec terra præcellentem frigiditatem ab aqua ſummè frigida: ſed vnumquodque illorũ primo ac per ſe exigit binas qualitates ſymbolas, alteram in ſummo gradu, alteram in præcellenti, ſive prope ſummum. Id enim eſſet contra rationem corporũ ſimplicium, qualia ſunt elementa. Notãdum denique omnes qualitates primas, quæ ſunt in mixtis, ſaltem per ſe loquendo, provenire ab elementis: quia cùm hæc ſint prima corpora ſubcœleſtia, & principia cæterorum omnium, debent concurrere ad ipſorum generationem. Cumque nequeant in ijs manere formaliter, vt *ſect. 2.* oſtenſum eſt, nec præterea ſemper adſint ſe ipſis generationi mixtorum, vt rationes propoſitæ *num. 22.* probant;

bant; conſequens eſt, vt ſaltem virtualiter adeſſe debeant: ſcilicet, in qualitatibus primis refractis ac remiſsis, quæ ſunt participationes primarum qualitatum in ſummo gradu conuenientium ſingulis elementis.

26 *HINC* Difficultati propoſitę *num.* 20. Occurrimus, aſſerendo, elementa verè ac proprie dici contenta, ſeu permanentia in mixto, tum ſecundùm materiam, tum & ſecundùm virtutem, ſiue virtualiter. Secundùm materiam quidem: nam eadem eſt materia prima mixti, quæ priùs fuerat elementi, ſiue immediatè præceſſerit mixtionem ſub formâ elementi (vt per ſe patet) ſiue etiam ſub formâ alterius mixti. nam adhuc in hoc eu̇ẽtu verum eſt per ſe loquendo materiam primò, ſeu ex primariâ ratione naturæ, conuenire elementis, quæ ſunt prima compoſita ſubſtantialia, ſpectantia adpotiſsimam integritatem Vniuerſi; & ſubinde ac ſecundariò mixtis, quæ ad minùs præcipuam illius integritatem pertinent. quare in ipſa Mũdi geneſi legimus, Deum condidiſſe prima mixta ex elementis, vt hominem ex limo terræ, piſces ex aqua, &c. Secundùm virtutem autem, ſiue virtualiter, dicuntur elementa permanere in mixto, quatenus medijs qualitatibus ſibi proprijs in ſummo gradu, producunt alias ſimiles in mixto, quãvis refractas & remiſſas; vtpotè iam non exiſtentes in primo ſubiecto: idque, ſiue immediatè concurrant elementa in earum productionem, vt in prima rerum geneſi, & ſæpiſsimè poſtea; ſiue mediatè ſolùm, ſcilicet, medijs alijs qualitatibus refractis, & productis ab ijs in alijs mixtis, concurrentibus ad generationem mixtorum cœterorum, vbi elementa ſe ipſis nõ concurrunt. Et in hoc ſenſu ſatis cõgruẽter videtur exponi communis opinio, & doctrina ex Ariſtotele tradita, præſertim *num.* 10.

27 *INSTABIS*: Aut qualitates refractæ mixtorũ proueniunt ab elementis in genere cauſæ effectiuæ, aut in genere cauſæ materialis? Si primum aſſeratur; elementa non ſe habebunt vt miſcibilia, neque vt cauſæ intrinſecæ; ſed tanquam effectrices & externæ; qualiter cœlum ſe habet circa hæc inferiora, quorum propterea non eſt elementum. Ac præterea id non videtur per ſe exactum à mixtis, vt accipiant primas qualitates ab elementis, ſed à causâ idoneâ ad efficiendum illas, quæcunque ea ſit. Si autem dicatur ſecundum; videtur id minimè neceſſarium: quia cùm materia prima ex ſe ſit indifferens ad elementum & mixtum quodlibet, æquè benefiet generatio mixti, ſiue materia ipſius præextiterit ſub formâ alterius mixti apti & idonei, ſiue etiam ſub formâ elementi.

28 *RESP.* Qualitates refractas mixtorum prouenire ab elementis, tam in genere cauſæ effectiuæ, quàm materialis, vt paulò antè dictum eſt. Ad impugnationem prioris partis, nego ſequelam: quia licèt quà parte elementa medijs ſuis virtutibus producunt efficienter qualitates refractas miſtorum, non habeant rationem cauſæ intrinſecæ, nec miſcibiliũ, ſtrictè loquendo; aliunde illam habnet quatenus ex ipſis elementis alteratis & corrupris fit mixtum tertiæ ſpeciei, conſtans ſimilibus qualitatibus, licèt refractis. Habent itaque elementa rationem cauſæ intrinſecæ materialis *ex quâ*, & intrinſecæ, ratione materiæ ipſorum, ex quâ conſurgit mixtum: quod ſanè non conuenit cœlo, vtpotè incorruptibili. Et præterea mixta exigunt accipere ſuas qualitates refractas ab eo ſubiecto, in quo primùm ac potiſsimè reſident, qualia ſunt elementa, quanvis ſæpe ſolùm mediatè concurrentia, ſiue medijs alijs ſimilib s qualitatibus productis in alio mixto. Sic etiam omnis lux inferior per ſe loquendo prouenit à luce cœli, quanvis nõ immediatè, ſed mediâ alia atque alia luce cauſatâ in aëre. Ad impugnationem verò poſterioris partis, fatemur materiam primam quò ad eſſentialia eſſe indifferentem ad omnes formas. Cœterum quò ad ordinem connaturalem Vniuerſi exigit primò eſſe ſub formis elementorum, veluti ſpectantium ad primam rerum integritatem, & ſubinde tranſit ad mixta, veluti coalita ex elementis.

SECTIO QVINTA.

Expediuntur breuiter aliquot dubia circa mixtionem.

ROGABIS I. An in mixto quolibet ſit aliqua ſimplex qualitas, à quatuor primis diſtincta, quæ habeat rationem temperamenti eiuſdem mixti? *RESP.* Negatiuè cum D. Thomâ apud Ala-

Alamanium 1. *de Gener. q. 42. ar. 6.* vbi id probat ex Philosopho locis suprà indicatis docente, in corruptione elementorum non salvari ipsorum formas, sed solùm qualitates in mixto attemperatas, ex quibus componitur mixtum. Supponit ergo temperamentum non esse quintam qualitatem simplicem, sed solas primas qualitates combinatas, seu attemperatas inter se. Deinde quia posità eiusmodi attēperatione, omnis alia qualitas superfluit ad operationes mixti: vt calefactionem, humectationem, infrigidationem, exsiccationemque; quas sensibiliter manifestat. Neque tactus noster percipit aliquam quintam qualitatem, sed solùm excessum quatuor primarum, quia omnes ei insunt in certa temperie. Denique, nec à priori & per causam, neque à posteriori per sensuum experimenta, dignoscitur alia qualitas temperamenti constitutiva, quàm primæ quatuor combinatæ inter se. Vnde corruunt adversæ opiniones aliquotū Veterum ac Recentiorum, quorum fundamēta solutu facilia sunt, & videri possunt apud Aversam, *q. 43. sect. 5.* Sanctam Crucium *q. 11, à num. 199.* Conimbricēses *2. de Gener. cap. 8. q. 1.* Tellez *disp. 77.* Oviedo *controv. 1. de Anima p. 8. num. 18.* qui omnes nostræ ac communi sententiæ subscribunt.

30 *ROGABIS II.* An temperamentum æquale ad pondus quò ad omnes qualitates, sit alicui mixto connaturale? *RESP.* Negativè iuxta doctrinam Aristot. in præsenti, *l. 1. textu 89.* & 10. *Metaph. t. 23.* ac D. Tho. *in 2. d. 19. q. 1. ar. 4. ad 2.* alijsque pluribus: quia omne mixtum est ab intrinseco obnoxium corruptioni, propter pugnam elementorum, seu primarum qualitatum. quæ tamen nulla esset, si omnes illæ ad exactam æqualitatem essent redactæ. Ergo nullum mixtū exigit naturaliter temperamētum æquale ad pondus. Verùm de hoc legendi plenius Authores nuper allegati, & Fernelius *lib. 3. Physiologiæ c. 4.*

(§)



INLI

IN LIBBROS ARISTOTELIS DE COELO ET MVNDO

DISPVTATIONES SELECTÆ, AD QVOSDAM ILLVSTRES VIROS.

EXPEDITIS Iam, quæ ad Physicam attinent, disputationibus, quasdam alias subiungere placuit circa libros de Cœlo, & Mundo, quamquam communiter ferè ab ijs Authoribus prætermittantur, qui Cursus Philosophicos edunt. Plura quæ in ijs differit Aristoteles circa Mundum, eiusque perfectionem & æternitatem, in præsenti omittenda sunt, quoniam de ijs *lib.* 8. *Physicæ* per totum iam satis actum est. Quare præcipuè circa ea, quæ Cœli propria sunt, quatenus considerātur a Naturali Philosopho, differendum erit. Quoniam verò disputationes istæ non sunt adeò salebrosæ, & hispidæ, aut aridæ Scholastico pulvere, ac præcedentes, sed quodammodò amœnæ, & quæ quibuslibet eruditis delitio esse possint; placuit eas inscribere quibusdam litteratissimis Consiliarijs Regij ac Supremi Senatus; vt vel hoc levi obsequio testarer animi gratitudinem pro accepta ab ijs cathedra Philosophiæ in hac florentissima Academiâ; eaque inter præstantissimos Concertatores, & tot tantisque honorificentiæ signis argumentisque, vt mihi non Philosophiæ solùm, sed & primæ sophiæ cathedra fuerit. Porrò quanta sit huius tractationis dignitas, ex materiæ sublimitate & elevatione ab his rebus fluxis ac labentibus innotescit: quanta autem difficultas, sacræ litteræ satis perhibent. *Difficilè æstimamus*, (aiebat Salomon 9. Sapientiæ, v. 16.) *quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt autem, quis investigabit?* Imo, vt in Græco habetur, μόλις εἰκάζομεν, *vix imaginamur*, vel coniecturâ assequimur, τὰ ἐν χερσὶν, *quæ in manibus sunt*: quantò minùs ea, quæ longè dissita, superiora, & experimentum nostrum supergredientia? Quod ipsum alter naturæ Salomon, Aristoteles, humiliter & ingenuè fatetur *lib. de Partibus Animalium cap.* 5. dum ait: Τῶν ἐνυπαρχόντων φύσει συνεστάσι, &c. *Substantiæ, quæ naturâ constant, partim ingenitæ immortalesque sæculis omnibus sunt: partem ortus participes, atque interitus intelliguntur. Sed partem illam æternam, & proinde nobilem ac divinam, minus contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius modò sensui pateant, quorum beneficio tū de eâ ipsa parte divinâ, tum de ijs, quæ nosse capimus, facultas nobis cogitandi indagandique suppeditetur. Res mortales, atque caducas, vt stirpes, atque animantes, quod eas socias, familiaresque habemus, nòsse uberius possumus: quippe cùm multa ineſſe quoque in genere percipere possit, quicunque laborem non recusat previorem. Vtrumque tamen studium nos delectat. Res namque illas superiores, tametsi leviter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cùm hæc nobis iuncta omnia tenemus.* Hucusque Aristoteles. Quare condonandum nobis erit, si cubi fortè circa cœlestia à verò deviaverimus; præsertim cum plura eorum, quæ examinanda sunt, Authores Scholastici plerique non discusserint ad præscriptum severioris Philosophiæ.

S ILLV-

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO D.

D. GARSIÆ DE MEDRANO

TOPARCHÆ OPPIDI S. GREGORII, REGIO CONSILIARIO IN SVPREMIS SENATIBVS IVSTITIÆ, FIDEI, ATQVE INTERIORIS CVBICVLI, &c.

IN Tantà rerum mole, quæ humeris Tuis impoſita eſt, *ILLVSTRISSIME D.* neque tempus, neque otiũ ſuppetit, vt ad extranea hæc, & alienæ Profeſsionis propria, animi intentionem ſeriò convertas. Neque id ego vnquam velim, quamquam conſcius capaciſsimæ mentis Tuæ, quæ nullo pondere fatiſcit, & tot ferẽdis oneribus par eſt, quot honoribus digna. Licebit tamen brevi epiſtola meam exprimere gratitudinem ob beneficia accepta, & repetere nonnihil obſervantiæ illius, quà olim veneratus ſum in Apparatu Laureæ meæ antiquiſsimam & clariſsimam Domum Tuam, nulli ſub Numantino cœlo ſecundam; virtutes Chriſtiano Heroe dignas; litterarum gloriam in Maximo Tuo *D. BARTHOLOMÆI* Collegio, ac Noſtra Salmanticenſi Academia, in quà Veſpertinam Iuris Pontificij Cathedram illuſtraſti, & Doctoratus inſignia nobilitaſti, dum accepiſti. Hinc gradum feciſti ad falces, ad Magiſtratus, ad ſupremos Hiſpaniæ honores, & ampliſsima munera: in quibus communi Iuſtitiæ bono, Fidei puritati atque exaltationi, & Regum Noſtrorum obſequio, totus invigilas. Hæ Tuæ delitiæ ſunt. Hiſce ludis ab ineunte ætate oblectatus es. Hęc ſpectacula animum Tuum recrearunt. Expleviſti opere id, ad quod Cordubenſis Philoſophus ſermone hortabatur diſcipulum *imperare dignum, niſi imperaſſet*, ijs verſibus apud Tragicum:

Conſulere ſuis, parcere afflictis ferà — *Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo,*
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare, — *Hæc ſumma virtus, itur hac cœlum vià.*

Quippe ijs lineamentis exprimitur nobiliſsima indoles animi Tui, inſigniſque probitas, & communis boni ſtudium. Ampliſsimam Domum Tuam qui exteriùs viderit, præclari Herois, vti revera eſt, habitaculum cenſebit. At ſi penitiora eius adyta exploret, non, niſi Monaſterium deprehendet. Nimirum, non modo *TIBI* curæ eſt innoxio vitæ progreſſu periodos annorum tranſigere, ſed etiam circa domeſticos idem exibere ſtudium. Ideo chariſsima cordis pignora, tres Filios, *D. D. DOMINICVM*, Salmanticenſis olim Academiæ Rectorem, iuventutiſque Principem, ac *D. GARSIAM*, & *D. ANDRÆAM*, honeſtiſsimè educandos curaſti: vt rectam Maiorum ſuorum viam inſiſterent, & poſtea è Togis, Collegiorum Maiorum, quibus decorantur, ſele ad ſeverioris Regni curas accingerent. Quippe, vt cum Claudiano loquar,

His neque per dubium pendet fortuna favorem,
Nec novit mutare vices; ſed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. quemcumque requires
Hic de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci.

Igitur dum res ad terram ſpectantes ita regis, vt cœleſtia priùs in animo habeas, ac ſeriò cogites; non dedignabere ſi videas, ſi legas nonnihil harum diſputationum de Cœlo ſub nominis Tui ſalutari, & mihi benefico ſidere in lucem prodire. Id quippe vel ſuperioribus Planetis ſolemne eſt, vt lumine ſuo tueantur, non magna ſolùm, ſed perexigua, & nullius ferè pretij; atque ita in excelſas cedros influant, vt tamen humiles myricas non ſpernant. Vale, *ILLVSTRISSIME D.* in commune Hiſpaniæ bonum.

DIS-

DISP. SEXAGES TERTIA:

DE NATVRA COELI.

An sit simplex, vel composita ex materiâ & formâ?

Num. 1. *PRIMA Controversia, quam instituere solent Philosophi circa libros de Cœlo, est, quâ de ipsius natura agitur, & disquiritur, an prorsus simplex, an potius composita ex materiâ & formâ? Si autem composita, ex quâ materiâ? an eiusdem speciei cum nostrâ, an diversæ? Similiter & ex parte formæ dubitatur, an sit intra aliquod genus aut speciem animarum. Omnia enim hæc ad eandem vnicamque disputationem attinent; quæ locum sibi vendicat* lib. 1. de Cœlo cap. 2. & 5. & 9.

SECTIO PRIMA.

Cœlum materia & formâ substantiali constare. Vbi, an possibile sit corpus completum omnino simplex. Obiectiones aliquorum solutæ.

2 *SIT. I. Assertio.* Cœlum nõ talis naturę est, vt corpꝰ omnino simplex sit, sed potiùs compositum ex materiâ & formâ substantiali.

Ita Aristoteles hoc libro 1. sœpe, & speciatim *c. 9. textu* 95. ijs verbis: *ὁ δ' οὐρανὸς, ἔστι μὲν τῶν καθ' ἕκαστα, καὶ τῶν ἐκ ὕλης.* Cœlum autem est quidem eorum, quæ singularia sunt, & eorum, quæ ex materiâ sunt. Idque expressiùs adhuc tuetur 2. *de Gener. c. 9. t.* 51. & 12. *Metaph. text.* 22. vbi materiam & formam ait esse duo principia rerum omnium sensibilium, etiã cvi-ternarum. Quod eodem loco tradit S. Thomas *lect.* 6. & alibi passim, sed præsertim 1. *p. q.* 66. *art.* 2. Quare nescio quo fundamento ducti Authores aliqui Aristotelẽ pro adversa opinione stare velint, quos suppresso nomine allegat Nicolaus Cabeus *lib.* 1. *Meteor. lib.* 1. *textu* 4. *q.* 1. Ipse tamen nostram assertionem tuetur *ibidem* cum Suarez, Molina, Hurtado, & Conimbricensibus, alijsque communiter: estque expressa doctrina D. Thomæ, ac Discipulorum eius in prædicta loca Philosophi. Illam etiam tradere tenẽtur quotquot ex Recentioribus aiunt, in Cœlo esse substantiales mutationes, quoties generãtur phænomena, cometæ, & novæ stellæ. Quod tamen an ita sit, progressu Operis disquirendum est.

3 *PROBANT* Aliqui ex illo Sapiẽtiæ 11. v. 18. *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa.* Quod de omnibus rebus, & toto mundo corporeo videtur intelligere S. Augustinus *lib.* 1. *de Genes. contra Manichæos*, ibi: *Prima ergo materia facta est confusa, & informis, VNDE OMNIA FIERENT, QVÆ FORMATA SVNT. quod credo a Græcis CHAOS appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei: Qui fecisti mundum de materiâ informi. quod aliqui codices habent, DE MATERIA INVISA.* Ergo Cœlum constat ex materia.

COETERVM Probatio hæc infirma est: quoniam vt Lorinus ostendit ibidem ex Martinengo, & PP. Græcis ac Latinis apud ipsum, nomine *orbis terrarum*, intelligitur mundus hic sublunaris & inferior Cœlo; non autem aliquid comprehendens Cœlum ipsum. Alluditur quippe his verbis ad illa alia Geneseos 1. *Terra autem erat inanis & vacua.* Sive, vt Septuaginta legunt, *ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος; invisibilis & incomposita*: seu, vt idem S. Augustinus de Gen. ad litt. imperf. habet *imparata vel inordinata*. Etenim prima mundi die, antequam lux fieret nondum erat terra aspectabilis, sed omni ornatu, & decore carebat. Non eam vestiebant plantæ, non homines, & animalia incolebant; cumque aquis præterea operta esset, nec videri digna erat, nec poterat; ideoque *invisa* appellatur loco sapientiæ relato. Exinde verò ad Cœlum nulla illatio fieri potest, quasi & ipsum ex materiâ informi, seu invisa conditum sit: quia nomine *orbis terrarum* Cœlum ipsum minimè comprehenditur, nec de eo loquitur Augustinus verbis in probatione adductis.

4 *RATIO* Asserti præcipua & communis est: Quia nulla substantia corporea & completa, est omnino simplex, sed cõposita ex materia & formâ. At Cœlũ est substantia corporea completa. Non ergo omnino simplex est, sed cõpositũ ex materia & forma. Illatio est evidens in modo & figura perfecta. Maior videtur certa: quia nulla substantia cõpleta est sola materia, aut sola forma. Non primũ: Quoniã materia sola est ens imperfectissimũ, & incompletũ, atque ex naturâ suâ ordinatum ad componendũ cum formâ, vt ostẽsum est *libr.* 1. *Physic.* quod sanè repugnat substantiæ corporeæ completæ. Non secundum: Quia nulla substantia completa corporea potest esse forma incompleta, vt eadem ratione convincitur; nec etiam forma completa & per se subsistens. Omnis enim forma completa, & per se subsistens, eo ipso debet esse spiritualis: ideoq; omnes ferè Theologi 1. *p. q.* 50. iuxta doctrinam Patrũ colligunt Angelos esse substantias spirituales, quia sunt formæ completæ, & per se subsistentes. Ergo nulla substantia corporea completa potest esse sola forma, sicut nec sola materia. Ergo cùm in genere eodem non sit res aliqua, nisi materia, forma, & compositum, nulla substantia completa potest esse omnino simplex, sed quid compositũ ex materiâ & formâ. Iam minor illa præcipui syllogismi suadetur quò ad singulas partes: Quia Cœlum est ens per se, cùm non inhæreat alicui subiecto. quo planè evincitur esse substantiam. At non est substantia spiritualis; cũ subsistet accidentibus corporeis, vt quantitati, luci sensibili, ac motui locali. Ergo est substãtia corporea. Atqui non incompleta; cùm non ordinetur ex naturâ suâ ad aliud componendũ, neque illud assignari possit rationabiliter. Ergo de primo ad vltimum, Cœlum est substantia corporea & completa.

5 *RESP.* Adversarij negando maiorem: quia potest dari substantia corporea completa omnino simplex, seu carens cõpositione substantiali ex materia & forma. Ad probationem aiunt, nõ propterea solũ colligi Angelos esse purè spirituales, quia sunt formæ completæ & per se subsistentes; sed præterea, & maximè, quia intellectuales sunt: ideoque posse quam optimè cœlos esse formas per se subsistẽtes, quin propterea spirituales sint, quoniam non est vnde colligatur illos esse intellectuales. Semel autem statuta possibilitate formæ corporeæ completæ & per se subsistentis, non esse cur illa negetur de facto nobilissimæ cœlorum substantiæ.

6 *SED Contrà I.* Nõ enim ideo colligitur Angelos esse substantias purè spirituales, quia intellectuales sunt: sed potius è converso, ex immaterialitate, ac proin de ex spiritualitate illorũ, infertur à priori quòd cognoscitivi & intellectuales sint, vt constat ex communi ferè Theologorum consensu cum D. Th. 1. *p. q.* 14. Angelos verò esse substãtias completas immateriales, seu purè spirituales, deducitur à priori ex eo, quòd sint formæ completæ simplices, sive subsistẽtes per se. Eo namque ipso, non habent materiam aliquam, à quâ coarctentur ac limitentur: ac proinde habent amplitudinem ad formas aliorum omnium representativas. quæ est ratio genuina S. Doctoris, apud ipsius Interpretes vberius confirmata. Omnis ergo forma completa & per se subsistens debet esse immaterialis, spiritualis, & intellectualis: ac proinde nequit esse corporea & materialis, qualis sine dubio est forma Cœli. Quæ ratio vniversalis est, proindeq; etiã probat de formâ Cœli Empyrei & de qualibet alia possibili, quæ sit purè materialis, sive corporea. *Confirm.* Omnis substantia cõpleta carens materia, secundùm se totam est forma per se subsistens, & ens in actu. At eo ipso debet esse ens intellectuale: quia quemadmodum materialitas & potentialitas impediunt cognitionem, ita è converso carentia materiæ & potentialitatis illã inferunt; quæ carentia nequit non convenire rei habenti rationem formæ per se subsistentis, & entis in actu. Cùm igitur Cœlum non sit ens intellectuale, nequit etiam secundùm se totum esse forma per se subsistens, & ens in actu.

7 *CONTRA II.* Impossibilis enim est substantia corporea completa, quæ non constet materia, ac proinde & formâ. Ergo & impossibilis est substantia corporea completa, quæ sit omnino simplex, seu excludens compositionẽ ex materia & formâ. Consequẽtia patet, & antecedens quò ad posteriorẽ partẽ deducitur ex priore illarum, quia materia est ens quoddam incompletum, & naturâ suâ ordinatum ad componendum cum formâ, impotensque sine illa existere naturaliter, vt *in Physic. disp.* 9. ostensum est. Prior

vero

verò antecedentis pars ſuadetur multipliciter. *Primò*: quia omne quod eſt corporeum in genere ſubſtantiæ, eſt etiam materiale in eodem genere; ſiquidē omne corpus eſſe materiale, evidens eſt. At impoſsibilis eſt ſubſtantia materialis cōpleta, quæ non conſtet materia, vt per ſe patet. Ergo & impoſsibilis eſt ſubſtantia corporea completa, quæ non conſtet materia. *Secundò*. Omne enim corpus completum naturaliter eſt impenetrabile, ac proinde quantum; quia impenetrabilitas eſt effectus formalis quantitatis. Omne autem corpus quantum conſtat materia; quia quantitas eſt proprietas materiæ. Ergo omne corpus completum, ſive omnis ſubſtantia corporea completa cōſtat materia. *Tertiò*. Si enim poſsibilis eſſet ſubſtātia corporea completa non conſtans ex materia, poſsibilis quoque eſſet ſubſtātia ſenſitiva ex materia minimè coalescens: eadem quippe vtriuſque ratio apparet. At conſequens abſurdū eſſe cōvincitur: quia repugnat ſubſtantiam cōpletam ex materia non conſtantem ſentire. Etenim ad actum ſenſionis exigitur calor, & reliquę primæ qualitates. At ſubſtantia completa non conſtās materia, careret calore & reliquis qualitatibus primis. Cùm enim illæ ſint diſpoſitiones ad formam in materiā recipiendam, vbi nulla eſſet materia, nullæ quoque eſſent diſpoſitiones. Nulla igitur eſſe poſſet ſenſatio. Deinde ſi fortè aliqua eſſe poſſet, certè illa deberet eſſe perpetua, & immobilis: quia accidentia ad eam ſenſionem exacta nunquam mutari poſſent accidentaliter, quoniam omnis mutatio accidētium ſenſibilium diſponit ad aliquam formam recipiendam in materiā, quā ſupponitur carere talis ſubſtantiā corporea. Oporteret igitur, neceſſariūque eſſet, vt nullam ſubire poſſet accidētium ſenſibilium mutationem, ac proinde vel nunquam ſentiret, vel ſemper & immobiliter. quod ex ſe ſatis abſurdum apparet.

8 *CONFIRM.* Ratio præcipua. Cœlum enim conſtat materia. At non materia exiſtente abſque omni ſubſtantiali forma. Ergo Cœlum conſtat ſimul materia & forma. Conſequentia patet, & minor ſimiliter: quia, vt ex omnium ferè ſententia & ratione concludenti oſtēſum eſt loco nuper indicato, materia, ſaltē naturaliter, nequit exiſtere abſq; omni ſubſtātiali forma: ſimiliter nec ſubſiſtere, nec operari. Cùm ergo palam ſit cœlum naturaliter exiſtere, ſubſiſtere & operari, palam quoque eſt illud non conſtare materia exiſtente abſque omni ſubſtātiali forma. Maior autem ſuadetur ex Ariſt. *lib. 1. huius tract. c. 9. text. 92.* vbi docet omne ſenſibile, ſive ſenſibus perceptibile, cōſtare materia. Cùm enim obiectum & potentia debeant habere proportionem, & potentiæ ſenſitivæ ſint materiales, oportet omne obiectum ſenſibus perceptibile materiale eſſe. Atqui Cœlū eſt ſenſibile, ſive ſenſibꝫ perceptibile, vtpotè lucidū & oculis ſpectabile. Ergo Cœlū conſtat materia. Deinde Cœlum vel eſt rarū, vel dēſum, cùm neceſſariò ſit quantū. At nequit eſſe rarum aut denſum, niſi quod conſtat materia. rarū enim eſt, quod ſub magnis dimenſionibus parùm materiæ habet: dēſum verò quod multùm ſub dimenſionibꝫ parvis. Cœlum igitur neceſſario conſtat materiā.

9 *OPPOSITAM* Sententiā tuētur Averroes *lib. 1. de Cœlo textu 10. & 8. Metaph. comm. 12. lib. 2. comm. 20.* Aureolꝰ, Mayron, Baſſolis, Durandus, ac Gabriel, quos allegant Suarez *diſp. 33. Metaph. ſect. 10. n. 10.* Conimbric. *in præſenti c. 2.* ac Rubius *c. 1. q. 5.* Eandem opinionē, aut de facto, aut de poſsibili ſaltem, tuētur ex Recentioribus Arriaga *diſput. 5. Phyſ. ſect. 3.* Averſa *tom. 2. Philoſ. q. 33. tract. 5.* Pōtius *diſp. 22. Phyſ. q. 1.* ſaltē ſtādo rationi naturali, Cōpton *diſp. 3. de Cœlo ſect. 1.* & loquēdo de poſsibili Henao *lib. 2. Empyr. exercit. 4.* Oviedo *in Phyſ. contr. 5.* Mag. Lynce *lib. 9. Phyſ. tract. 1. c. 1.* adhuc de facto, probabile cenſet. quod & à fortiori dicturus videtur D. Ludov. Rodriguez. *Cùm enim in Selectis diſp. 5.* aſſerat elementa eſſe omnino ſimplicia, & minimè cōpoſita ex materia & forma: potiori ratione id de Cœlo aſſeret, & longè conſequentiùs, quàm ſi neget.

10 *ARGVVNT I.* ex Ariſt. varijs locis. Etenim *in præſenti lib. 1. c. 3. & 4.* ex profeſſo probat Cœlum non habere contrarium. At teſte eodem *lib. de longit. & brevit. vitæ*, omne quod habet materiam, habet etiam contrariū. Ergo cœlum non habet materiā. *DEINDE, 1. Phyſic. cap. 7.* docet materiam primam eſſe ſubiectum privationis, & priùs reſpicere illam, quā formam, ſiquidem privationem ex ſe habet, formam verò non, niſi ex influxu agentis. At in Cœlo nullum eſt ſubi-

ctum privationis, cùm nullus sit in eo trãsitus ab vna forma substantiali in aliam. Igitur in Cœlo nulla est materia prima. *DENIQVE, lib. 9. Metaph. textu* 17. tradit, potentiam ad esse substantiale (quę est materia prima) non habere locum in rebus incorruptibilibus & æternis. Cùm ergo Cœlum iuxta ipsius Philosophi mentem sit incorruptibile & æternum, nullũ in eo locum habet materia prima: proindeque est omnino simplex.

11 *RESP.* Aristotelem solùm excludere à Cœlo contrarium contrarietate substantiali, seu includente generationem vnius & corruptionem alterius; non verò contrarium contrarietate accidentali motuum; cùm in Cœlo nunquam negaverit motus contrarios. Vt autem aliquid constet materia non exigitur prior contrarietas, sed sufficit posterior: quia moveri nequit successivo & quantitativo motu, contrariisque modis, nisi quod quantum est, & proinde materiam includens. *AD Secundum testim.* patet Philosophum eò loci sermonem instituisse de sola materia sublunari, non autem de cœlesti. Quo sensu distincta maiore, & cõcessa minore, negatur consequentia. *AD III.* Sola illa materia Cœlo negatur, quæ est corruptionis principium, seu quæ est potentia ad esse & non esse formæ; non verò materia illa, quæ nullius corruptionis principium est, & eidem formæ inamissibiliter adhæret. Hæc enim cum rebus in corruptibilibus & æviternis nullam oppositionem habet; eamque solam dicimus in Cœlo locum sibi vendicare posse.

12 *ARGVVNT II.* Exinde colligimus sublunaria corpora constare materia, quia experimur ea substantialiter transmutari. Cùm ergo circa Cœlum nullam experiamur substantialem transmutationem, non est caput vnde colligamus illud constare materia. *Confirm. I.* Ex eo etiam deducimus sublunaria hæc componi ex materia & forma, quia agunt patiũturque; & agere convenit ratione formæ, pati autem ratione materiæ. At Cœlum non patitur quidquam, cùm sit incapax alterationis & corruptionis; sed solũ agit vt causa vniversalis in inferiora hæc. Ergo non constat ex aliqua materia, sed tantùm est quædam pura & per se subsistens forma. *Confirm. II.* Omne compositum ex materia & forma est corruptibile. At Cœlum iuxta veriorem opinionem est incorruptibile. Ergo non est compositum ex materia & forma. Probatur maior. Perfectissimum omnium compositorum possibilium ex materia & formà, est homo. Cùm igitur homo sit corruptibilis, omne compositum ex materia & forma est corruptibile.

13 *RESP.* ex transmutatione substantiali corporum sublunarium colligi sensibiliter & manifeste substantialem ipsorum compositionem ex materia & forma, vt ostensum est *in Physicâ disp. 3. sect. 2.* non tamen veluti ex vnico fundamento: cùm plura alia restent, quorum nonnulla nuper *à num. 4.* proposita sunt. Quare concesso antecedenti, negatur consequentia. *AD I. Confirm.* eodem modo dicẽdum, illam rationem esse sufficientem; non tamen vnicam. Quare licet Cœlum non patiatur ab inferioribus, sed tantùm in ea agat; est locus vt constet materia. Idque suadetur adhuc ex modo quo Cœlum agit, nimirum, per lucem sensibilem, & motum successivum, quorum neutrum esse potest sine quantitate, ac proinde nec sine materia. Imo & retorquetur obiectio, vel ex solo Cœli motu. Sicut enim agere convenit ratione formæ, & pati ratione materiæ; ita & movere convenit ratione formæ, & moveri ratione materiæ, vt *lib. 7. Physicæ disp.* 40. ostensum est, traditurque ab Arist. *2. de Gener. text.* 35. Atqui manifestum est Cœlum moveri. Ergo habet materiam, ratione cuius moveatur. *AD II. Confirm.* negatur maior. Ad probationem dico, perfectissimum omnium compositorum possibilium quò ad formam, esse hominem; quia nulla forma substantialis perfectior possibilis est, quam rationalis anima, in ordine ad compositum substantiale. Si autem perfectio consideretur quò ad vnionem formaliter, aliquod compositum perfectus esse potest homine; illud, scilicet, quod constiterit vnione partium indissolubili & inamissibili, quali constat Cœlum, quod ab intrinseco est incorruptibile, vt probabimus *infrà disp. seq sect.* 1.

14 *INSTANT* Recentiores. Cœlo, præsertim Empyreo, concedi debet omnis illa perfectio, cuius est capax sustãtia completa purè corporea. At hæc capax est talis perfectionis, vt excludat omnem compositionem ex materia & forma. Ergo hanc excludit Cœlum, præsertim Empyreum. Maior constat ex dig-

ni-

nitate Cœli, maximè Empyrei, quod sedes Dei & Beatorum est: ideoque decuit condi cum omni ea perfectione, quæ ipsi naturaliter est possibilis. Minor autem suadetur multipliciter. *Primò* à pari. In totâ enim latitudine spirituum non solum dari potest substantia incompleta, qualis est animus rationalis componens simul cum materiâ; sed etiam substantia completa, omnem compositionem excludēs, qualis est natura Angelorum. Ergo & in totâ latitudine corporum non solùm dari potest substantia incompleta, qualis est materia & forma, componens aliquod tertium; sed etiam substantia completa, totius compositionis expers. *Secundò*. Deus producere potest corpora perfectiora & perfectiora in infinitum syncathegorematicè. Ergo eò devenire potest, vt producat corpus aliquod omnino simplex, & quamlibet compositionem substantialē excludens. *Confirm.* hæc probatio. Sicut corpus completur per formam, ita & natura per subsistentiam. At possibilis est naturâ creata, quæ completa sit absque subsistentia distinctâ, vt multi opinantur de natura Angelorum. Ergo & possibile est corpus completum absque formâ distinctâ. *Tertiò*. Possibilis est, imo de facto existit forma aliqua tantæ perfectionis, vt naturaliter existat absque materia. quod patet in animâ rationali separatâ. Ergo & possibile est corpus tantæ perfectionis, vt naturaliter existat absque omni formâ. Vnde & per mediatam illationem colligitur, non fore componendum ex formâ & materiâ, quia hæc nequit naturaliter existere sine formâ.

15 *RESP.* transmissâ maiore negando minorem, cuius oppositum satis efficaciter *num.* 4. & 7. probatum est. *AD I. Probationem*, concesso antecedente, nego consequentiam: tum quia ordo rerum spiritualium perfectior est, quàm materialium; ac proinde attingere potest præ illo perfectionem simplicitatis excludentis omnem physicam compositionem: tū etiam, quia repugnat ex terminis forma excludens compositionem cum materia, quin sit forma immaterialis, spiritualis, & intellectiva, vt ibidem ostensum est. *AD II.* concedo antecedens & nego cōsequentiam. quæ tam malè ex antecedēti infertur, ac si ex eo quod Deus possit producere perfectius & perfectius corpus substantiale in infinitum, colligeret quis, eo perfectionis deveniri posse, vt producat corpus substantiale extensum sine quātitate superadditâ, agens sine operatione distincta, & alia eiusmodi. Ratio est, quia potestas illa, seu capacitas dandi & recipiendi maiorem & maiorem perfectionē in infinitum, sistit intrà terminos possibilitatis, & non trāsit ad impossibilia; qualia sunt omnia in ijs illationibus deducta.

16 *AD Confirm.* negatur minor. Ex dictis enim *in Ppysicâ disp.* 10. præsertim *sect.* 2. constat nullam naturam creatam posse identificare sibi actum existētiæ, qui in substantijs est idem cum actu subsistentiæ, vt ex professo probamus in Metaphysica. Permisso autem vtrumque esse actum, sive modum realiter distinctum, impossibilis est natura substantialis creata, quæ non possit assumi ab aliquâ personâ divinâ. At natura creata identificans actum subsistentiæ assumi non possit ab aliquâ personâ divinâ, sed seorsum constitueret personam incommunicabilem, ac distinctam, vt ibidem contra Durandum probamus. Ergo impossibilis est natura substantialis creata identificans actum subsistentiæ. *AD III.* Retorquèo instantiam. Esto enim aliquâ forma substantialis possit naturaliter existere sine materiâ; nulla est possibilis, quæ naturaliter non importet ordinem ad materiam, vt compartem alicuius compositi: qualiter se habet anima rationalis separata, quâ nulla alia perfectior est possibilis. Ergo permisso aliquam materiam posse naturaliter existere sine forma, nulla est possibilis, quæ naturaliter non ordinetur ad formam, vt compartem alicuius compositi. Deinde concedo antecedens, & nego consequentiam: quia formæ nō repugnat esse spiritualem intra genus substantiæ: ac proinde potest per se subsistere independenter à materiâ: corpori autem repugnat esse spirituale intra idem genus; ideoque ipsi repugnat subsistere atque existere seorsim à formâ, saltem naturaliter, vt *in Physicâ disp.* 8. *sect.* 1. demonstratum est.

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm materia, quâ constat Cœlum, sit eiusdem rationis cum nostrâ?

17 SIT II. *Assertio.* Materia, quâ diximus constare Cœlum, distin-

ſtinguitur eſſentialiter à ſublunari. Dico *eſſentialiter*: quia licèt careat vnitate ſpecificâ poſitiva ex ſe, vt probatum eſt *in Phyſicâ diſp. 4. ſect. 1.* id nō prohibet quod habeat ſuam entitatem & vnitatem poſitivam tranſcendentalem, quâ eſſentialiter diſtinguatur ab omnibus alijs rebus. Aſſerimus itaque, materiam cœleſtem & ſublunarem ſub illâ vnitate communi & tranſcendenti conſideratas, eſſentialiter inter ſe differre, ita vt repugnet materiā cœleſtem actuari ab aliquâ formâ ſublunari, & materiam ſublunarem à cœleſti formâ.

18 *HANC* Sententiam planè indicat Ariſtot. hoc *lib. cap. 1. textu* 16. vbi, ſtatuto corpore quinto ſimplici, & cœleſti, vltra quatuor corpora ſimplicia elementorum, (ſimplicia, ſcilicet, quatenus ex ſe carent mixtione qualitatum cōtrariarum) docet corpus illud eſſe longè perfectioris cōditionis, vtpotè *tantò præſtabiliorem habens naturam, quantò plus ab iſtis corporibus diſtat*. Quibus planè aſſignat diſtinctionem vtrorumque corporū ſecundùm naturam, ac proinde eſſentialem. Deinde *cap. 2.* immediatè ſequenti ex profeſſo probat corpus cœleſte neque leve, neque grave eſſe, nec generabile, aut corruptibile, nec augmenti aut decrementi capax, alterationiſvè. quod tamē eſſe non poteſt, niſi materia, quâ conſtat, ſit eſſentialiter diverſa, ab hac elementari & ſublunari, quæ corruptionis principium eſt, & quæ nullius cōpoſiti, niſi generabilis & corruptibilis, pars eſſe poteſt. Quod & ſæpe alibi repetit, & 10. *Metaph. c. 5.* vbi docet, corruptibile & incorruptibile differre genere: ac *lib. 12. textu* 11. & 1. de *Gener. cap. 6.* Idem expreſsè tradit S. Thomas hoc eodem libro, præſertim *lect. 6.* ijs verbis: *Materia cœleſtis corporis eſt alia, & alterius rationis à materiâ inferiorum corporum.* Idemque docet 1. *p. q. 66. ar. 2.* Albertus Magnus *in 4. diſt. 6. ar. 8.* Hiſpalenſis *in 2. diſt. 12. q. vnicâ ar. 1.* Ferrara 3. *contra Gent. cap. 20.* Araujo 10. *Metaph. q. 3. ar. 1. concl. 2.* Conimbricenſes *in præſenti q. 4. ar. 1.* vbi allegant Bonaventurā, Capreolum, Hervæum, & Ægidium. Tannerus *tom. 1. diſp. 2. q. 4. dub. 3.* Hurtado *diſp. 1. ſect. 1.* Suarez *diſp. 13. Metaph. ſect. 11. n. 13.* vbi adhuc ſolâ ratione ſpectatâ exiſtimat probabilius eſſe materiam Cœlorū eſſe diverſæ rationis à materia rerum generabilium. Videturque conformius doctrinæ Patrum: vt apparebit *infrà*.

19 *RATIO* Aſſerti præcipua deſumitur ex loco indicato D. Thomæ *in præſenti lect. 6.* Omnis enim potentia cōſtituitur & diſtinguitur eſſentialiter ab omni alio per reſpectum tranſcendentalem ad actum ſibi adæquatum, vt communiter Philoſophi ſtatuunt cum Ariſtotele 9. *Metaph.* & nos diximus *in Phyſicâ diſp. 13. ſect. 2.* At materia cœleſtis & ſublunaris important reſpectum tranſcendentalem ad diverſos actus vnicuique illarum adæquatos. Ergo diſtinguuntur eſſentialiter. Probatur minor. Materia enim cœleſtis reſpicit formam Cœli inamiſsibiliter informantem, veluti actum ſibi adæquatum; quia Cœlum ab intrinſeco incorruptibile eſt, vt patebit *diſput. ſeq. ſect. 1.* Materia autem ſublunaris reſpicit æquè tranſcendentaliter formam amiſsibiliter informantem, vt actum adæquatū; quia omne compoſitum ſublunare ab intrinſeco eſt corruptibile. At forma quatenus inamiſsibiliter & amiſsibiliter informans, importat duplicem diverſum actū in ipſa ratione informandi. Ergo materia cœleſtis & ſublunaris important reſpectum tranſcendentalem ad diverſos actus vnicuique illarum adæquatos.

20 *CONFIRM.* Si enim Cœlum eſſet compoſitum ex materiâ eiuſdem rationis cum elementari ſublunariqúe; eſſet non minùs corruptibile, quàm ipſa elementa & compoſita ſublunaria. Sequela ſuadetur: Quia in eâ hypotheſi materia cœleſtis eſſet capax aliarum formarum elementarium ſublunariumqúe, quibus tamen careret, vt caret de facto. Ergo cùm appetitus materiæ ſit reipſa capacitas illius ad formas, quibus càret, materia cœleſtis appeteret elementares & ſublunares formas. At capacitas materiæ ad formas, quibus caret, eſt principium corruptionis, vt *diſp. 4. Phyſ. ſect. 2.* oſtenſum eſt. Verè ergo Cœlum conſtaret materiâ, quæ ſit principium corruptionis, ideoque eſſet non minùs corruptibile, quàm ipſa elemēta & compoſita ſublunaria. Cuius conſequentis abſurditatem in præſenti ſolum ſupponimus, vſque ad ſequentem diſputationem.

21 *DICES I.* cum aliquibus, nullius roboris eſſe ſequelā, eiuſque probationem: Quia materia dum eſt ſub vnâ formâ non eſt capax alterius, ſaltem naturaliter; ideoque nullam habet illius pri-

privationem, appetitumve, ex quo oriatur corruptio; quia appetitus naturalis ſolum eſt ad formam naturaliter poſsibilē. *SED Contrà.* Capacitas enim materiæ ad plures formas, non eſt in ſenſu compoſito, ſed diviſo; nec potentia ſimultatis, vt aiunt; ſed ſimultas potentiæ: quoniam licèt materia nequeat eſſe ſimul ſub pluribus ſubſtantialibus formis, vt *diſp. 9. ſect. 1. Phyſicæ* probatum eſt; adhuc tamē dum eſt ſub vnà forma, ſecundùm ſe indiferens eſt ad aliam. quod ſufficit vt hac poſteriore privetur, cùm verè careat formà, cuius eſt naturaliter capax. Alioqui negāda eſſet privatio cuilibet materiæ, quia nulla eſt quæ ſub aliquà formà non ſit; cuilibet etiam ſubiecto, in quo ſit qualitas poſitiva violenta, propriæ ac connaturali contraria; quia nec vtramque ſimul habere poteſt: nec denique peccator ſubiret veram gratiæ privationem quandiu peccator eſt, quià cum ſtatu peccati nequit in eo componi habitualis gratia, ſaltem naturaliter. Quæ omnia abſurda eſſe patet. Verè igitur materia cœleſtis ſubiret privationem formarum elementàrium, ſi eſſet illarum naturaliter capax ſecundùm ſe & in ſenſu diviſo: propterea quę non minùs in Cœlo eſſet principium corruptionis, quam in elementis & compoſitis ſublunaribus.

22 *DICES II.* cum alijs, non ſequi appetitum in materia cœleſti ad formas elementares: quia ſatiatur per formā Cœli, tanquan excellentiorem, & eminēter continentem ſublunares formas. *SED Contrà.* Falsò enim aſſeritur, & minimè probatur, formam cœleſtem eminenter continere ſublunares formas. Non enim animam rationalem, imo nec ſenſitivas perfectorum viventium; cum ab ijs excedatur ſimpliciter in entitate. Ergo ſaltem illas appeteret, ac proinde, vel ex hoc ſolo capite, corruptionis principium eſſet. Deinde nec forma vnius Cœli continebit eminenter aliam Cœli ſuperioris, aut etiam æqualis, ſi vnum alteri æquale in perfectione ſupponatur. Ergo materia vnius Cœli appetet alteram Cœli ſuperioris, aut etiam æqualis; ſicut màteria exiſtens ſub formà leonis appetit aliam, tum æqualem, tum & ſuperiorem.

23 *DICES III.* formam cœleſtem non adæquare *in eſſe rei*, ſive in entitate, formas aliquas ſublunares perfectiores, vt rationalem, & perfectè ſentiētem: adæquare tamē illas in actione actus formaliter; quia actuat materiam inamiſsibiliter, defectu contrariarum diſpoſitionū, quæ ſunt proximum corruptionis principium. ideoque in materia cœleſti ſolùm manere appetitum remotum, & quaſi ligatum ſufficienti modo, vt Cœlum abſolutè dicatur & ſit incorruptibile. *SED Contrà I.* Vt enim Cœlum abſolutè ſit & dicatur alterabile & corruptibile, no exigitur vt in eo ſint diſpoſitiones contrariæ, ſed ſufficit abſoluta capacitas cū privatione relatè ad aliam formam, ac proinde ad diſpoſitiones contrarias alterius formæ. Quare licèt elementum ignis in ſummà regione, ac Cœlo Lunæ cōtiguà, careat actu diſpoſitionibus contrarijs frigiditatis & humiditatis; adhuc dicitur & eſt ſimpliciter alterabile & corruptibile, quia materia ipſius abſolutè capax eſt formæ aqueæ, & terreæ, ac proinde & diſpoſitionum prædictarum, cum actuali privatione vtriuſque. At materia cœleſtis eodem modo ſe habet, iuxta ſolutionem præiactam. Ergo & Cœlum abſolutè alterabile ac corruptibile eſt. *Secundò.* Nequit enim componi, quòd forma Cœli inamiſsibiliter actuet materiam, ſi hæc abſolutè capax eſt ſuſcipiendi alias formas cum illà incompoſsibiles. Hoc enim ipſo quòd Natura materiæ cœleſti communicaverit naturalem capacitatem ad formas alias ſublunares, debuit etiam, ſaltem ſemel aut iterum, conferre ipſi diſpoſitiones ad eas recipiendas; ne aut ſibi cōtraria videretur, aut irrita & fruſtranea maneret ea capacitas; vtpotè nunquam in actum reducenda, nec reducibilis naturaliter. Quod ſi vero confugias ad nobiles aliquas qualitates in Cœlo exiſtentes, ac reſiſtentes his inferioribus & contrarijs; nihilo magis argumentum ſolvis. Colligam enim, ſaltem poſito agente naturali ſuperioris virtutis (quod certè poſsibile eſt, nec veroſimiliter negabitur) poſſe ab eo produci qualitates cotrarias ijs prevalentes, quibus alteretur & corrumpatur Cœlum. Vnde illud non erit ſimpliciter incorruptibile, ſed ſolùm relatè ad agētia inferiora. quo ſenſu reſpectivo innumeræ res, imo & omnes ſublunares poſſunt appellari incorruptibiles, quia nequeunt corrumpi ab agēte inferiori, ſeu inferioribus vndequaque viribus prædito; ſed ſolùm à ſuperiore, ſeu viribus prævalente. Quà doctrinà obiter impugnata manet

do-

doctrina Pontij *disp. 22. q. 4. num. 31.* asserentis, quanquam Cœlum constaret màterià eiusdem rationis cum nostrà, adhuc incorruptibile futurum.

24 *CONFIRM. II.* Si enim Cœlum constaret materià eiusdem rationis cum materià aèris v.g. hæc esset capax formæ cœlestis, & illa carens, ideoque eam appetens, sicut & alias formas substantiales ob eãdem rationem. Ergo Cœlum ex parte causæ materialis, sive materiæ, est simpliciter generabile ex aère, sicut vnum elementum ex alio. cuius oppositum *disp. sequenti* constabit. Probatur consequentia: tum, quia denominatio *generabilis* potissimùm desumitur ex parte materiæ; tum etiam, quia eo ipso quòd in materià aèris detur naturalis & passiva capacitas ad formam Cœli, debet ipsi correspondere potentia aliqua naturalis activa, ne talis capacitas inutilis & otiosa sit. Aut certè, vt minimùm possibilis esse debet intra naturæ ordinem eiusmodi virtus activa. Ergo Cœlum absolutè & simpliciter, id est, tam ex capite causæ materialis, quàm efficientis, absolutè est generabile ex aère; estò de facto non existat agẽs naturale, à quo producatur. Imò neque vlla erit ratio, cur Cœlum ex aèris materià sibi applicatà nequeat generare sibi simile: quia materia aèris erit subiectum absolutè capax formæ cœlestis & carens illa. Ergo forma illa generabilis est per eductionem ex materià aèris. Ergo cùm alitunde finita sit, per actionem agẽtis alicuius naturalis ac finiti, educi, seu generari poterit. Cur ergo eiusmodi agens non sit Cœlum ipsum, quod cum alio sibi simili æqualitatem & proportionem activam habeat? Erit igitur Cœlum vndequaque & simpliciter generabile ex aère.

Posset quoque probari Assertum à priori ex eo quòd minimè repugnet diversitas essentialis & specifica materiarũ, ac proinde cœlestis & sublunaris, in quibus invenitur de facto, quidquid ad eum finem invenire licet de possibili. Verùm hanc rationem brevitatis causà omittimus videndam àpud Eximium Suarez, qui latè eam expendit *disp. 13. Metaph. sect. 11. à num. 8.* Vide vlterius rationem aliam vrgentem *disp. seq. à num. 6.*

(§)

SECTIO TERTIA.

Opinio adversa, eiusque argumenta soluta.

25 *ADVERSAM* Opinionem tuentur plures Veterum Philosophorum, & præsertim Plato *in Timæo*, atque Ægyptij Veteres, quorum opinione stellæ & Planetæ existimabantur cœlestes ignes. Anaximãder dixit Solem esse ignem purissimum: Anaxagoras esse candens ferrum, ac penitus ignitum; ideoque à Cleone impietatis accusatus fuit. Stoici omnes & Plinius *lib. 2. cap. 9.* putarũt sidera esse ignea, & ex terræ humoribus pasci. Idem ferè tradit Avicenna *lib. 1. Sufficientiæ cap. 6.* Ex Theologis & Philosophis Christianis illã propugnant D. Bonaventura *in 2. dist. 12. q. 1.* Scotus *dist. 14. q. 1. §. Secundùm Theologos*, Ægidius *speciali tract. de Materia Cœli.* Ex Recentioribus P. Christophorus Borrus *parte 5. Astron. ar. 2.* Camerarius *p. 2. de Cœlo q. 4.* Soarez Iunior *in præsenti disp. 1. sect. 3. num. 59.* & Athanasius Kircher *in Arte Magna lucis & vmbræ lib. 1. cap. 1.* Quod ipsum æquè probabile, ac oppositum, saltem vi rationis, existimant Oviedo *in præsenti controv. vnicà, puncto 2. num. 10.* & Quiros *disp. 59. sect. 2. num. 11.* præter eos, qui affirmant Cœlos ab intrinseco incorruptibiles esse, allegandos *disput. venturà.* Itaque prædictorum Authorum censio est, naturam Cœli elementarem esse, vtpotè non distinctam ab aliquo saltem ex elementis in statu purissimo, sive illud sit ignis, sive aqua, sive aèr; ac proinde constantem materia eiusdem rationis. Et prætermissis rationibus, quas desumũt à corruptibilitate Cœli, quoniam seorsim postea sunt expendendæ,

26 *PROBANT. I.* Quia Cœlum & Planetas naturæ elementaris esse, in sacris litteris indicatur: nam *aèr* sæpe *Cœli* nomine censetur, quatenus aves per aèra volantes dicuntur *volucres Cœli.* Similiter & Psalmo 148. *aquæ super cœlos* exprimuntur; cùm tamen super Cœlos nihil sensibile sit, nisi naturà cœlesti præditum. Ergo hæc aquea est. Similiter & Ecclesiasticus 43. de Sole dicitur: *Sol exurẽs montes, radios igneos exsufflans.* Vnde & Ecclesia in quodam hymno: *Iam Sol recedit igneus.* Igitur Sol naturæ & proinde materiæ igneæ est. Idque videntur tradere SS. PP. Augustinus *1. in Genes. c. 7.* Basilius, Hie-

Hieronymus, Ambrosius & Damascenus, apud Conimbr. *hic c.7.q.6.* asserētes, Deū ex eadem materiā condidisse Cœlum & terram, inferioremque mundum. Quin & Poetæ Latini *astra ignea*, & Græci ἔμπυρα appellant: itemque Philosophi Veteres, vt Plutarchus *lib.2. de Placitis Philos. c.* 15. & Plinius *lib.2 c.5.* dum ait: *Nec de elementis video dubitari quatuor ea esse: ignium summum: inde tot stellarum collucentium illos oculos.* Ac tandem Diogenes Laertius, qui perspectas habuit Philosophorum doctrinas, sicut & mores, ex communi ipsorum mente ait, stellas ignem esse. Videtur itaque Cœlum & astra essentialiter ab elementis non differre, & communem cū ijs habere materiàm.

27 *RESP.* Scripturæ testimonia præiacta, aliaque similia, solùm probare aliquam inter Cœlum & quædam elementa similitudinem, sufficientem vt sæpe quasi per analogiam aut metaphoram aer dicatur Cœlum, & Sol igneus, & Cœlum aqueum, sive chrystalinum. Conveniunt enim in luce, & in effectibus calefaciendi, infrigidandi, humectādi, & exsiccandi; quanquam aliter & aliter: elementa quidem per virtutem formalem in ijs residentem; Cœlum autem & astra per eminentialem tantùm. Quare non infertùr formalis convenientia vtrorumque quòd ad materiam, & reliqua essentialia. Ad testimonia Patrum respondet S. Thomas 1.*p.q.66.* vbi inquirit, *Vtrùm vna sit materia informis omnium corporalium?* Et primo argumento desumpto ex verbis Augustini sequētis affirmativam partem, occurrit dicens: *Augustinus in hoc sequitur opinionem Platonis, non ponentis quintam essentiam.* Quod ipsum adaptari posset testimonijs aliorum Patrum: quoniam in re hac purè naturali, non tam proprium aliquem sensum ex litteris sacris deductum expresserunt, quā sensum Platonis, è cuius scriptis Philosophiam didicerant. Aut dicendum cum eodem S. Doctore *ibidem*, posse Patres intelligi de vnitate materiæ communis rebus omnibus corporeis, non communitate essentiali, aut specificā, sed solius ordinis, quatenus tam materia Cœli, quàm elementorum, ad vnum mundū corporeum componendum ordinatur. Vide *disp. seq. num.6. & 7.* Quod vero multi Philosophorum Veterum tradiderint oppositum, parùm vrget, cùm Aristot. & plerique alij à nobis sint. multo autem minùs quòd Poetæ, quibus licet esse disertiores, & liberiores, quàm Philosophis, *qui Musas colimus severiores.*

28 *PROBANT II.* Omnis materia prima secundùm se præcisè considerata, est eiusdē rationis essentialiter, absque vllà diversitate. Ergo & materia cœlestis ac sublunaris sub ea præcisione. Consequentia patet, & antecedens suadetur multipliciter. *Primò*: Quia omnis diversitas essentialis desumitur ab actu, iuxta adagium illud commune Philosophorū, *Actus est qui distinguit.* At omnis materia secundùm se præcisè considerata nullum importat actum, vt *in Physica disp.4. & 5.* stabilitum est. Ergo nullam importat essentialem diversitatem, sed eandem omnino rationem. *Secundò* suadetur idem antecedens. Omnis enim materia prima secundùm se præcisè considerata, est pura potentia, ac proinde summè distans ab actu puro. At in hac summà distantia nequit dari diversitas essentialis, sicut nec inæqualitas; quia perfectior, seu minùs distans materia, iam eo ipso non summè distaret. Ergo omnis materia prima secundùm se præcisè considerata excludit diversitatem essentialem, sicut & inæqualitatem. *Confirm. I.* Ratio enim puri actus non est divisibilis participabilisve à duplici actu puro diversæ aut inæqualis rationis. Ergo neque ratio puræ potentiæ oppositæ actui puro. *Confirm. II.* Probatum est enim *in Physicā disp.40.* in quolibet genere deveniendum esse ad vnum primum principiū activum, vltra quod ascendi nō valeat. Ergo & in genere potentiæ passivæ deveniendum est ad vnam primam potentiam, infra quam non sit descensus; ac proinde si materia Cœli est prima potentia passiva, infra illam non erit alia essentialiter diversa, atque adeo nec imperfectior.

29 *RESP.* Negando antecedens: quia cùm materia, adhuc secūdùm se præcisè considerata, essentialiter importet habitudinem quandam potentiæ passivæ ad formam, erit eadem, si forma, quam respicit, fuerit vna formaliter, seu constituens vnicum actum adæquatum, terminumve eius habitudinis; diversa autem, si adæquatè diversum. Ex dictis autem *à n.* 19. constat formam inspectam vt actum terminumvè adæquatum à materiā cœlesti, esse formaliter diversam ab actu sive termino materiæ sublunaris. *AD I. Prob.*

Omnis diversitas desumitur ab actu, vel constituente, vbi res se ipsâ & positivè habet vnitatem specificam; vel terminante & extrinsecè intra idem genus specificante, vbi res ex se non habet speciem positivam & propriam. Hoc posteriori modo se habet materia prima, vt *disp. 4. Physic. sect. 2.* probatum est: ideoque non eget actu aliquo intrinsecè constituente, sed solùm informante & terminante, ac diverso ab actu informativo materiæ cœlestis, vt per ordinem ad ipsum essentialiter ab eâ distinguatur. Quæ distinctio, spectata vtràque materia secundùm se, non est specifica, sed analogica, sicut & convenientia illarum, vt ibidem dictum est. *AD II. Prob.* Omis materia prima, quia pura potentia est, ex genere suo summè distat ab actu puro. Cum hoc tamen cohæret quòd intra ipsum genus, vel potiùs intra eandem rationem analogam, materia sublunaris magis distet, quam cœlestis: non quia hæc ex se habeat proprium actum, quo caret illa; sed quia ordinatur ad actum perfectiorem in esse formæ inamissibiliter informantis, & stabiliorem, atque vniformiorem, quo magis accedat ad imitandum stabilitatem & immutabilitatem Dei. *AD I. Confirm.* concedo antecedens: quoniam ratio actus puri illimitata esse debet, & à se, in toto genere entis; ideoque immultiplicabilis per ordinem ad aliquam causam, vel specificativum extrà se. Ratio autem puræ potentiæ passivæ limitata est, & multiplicabilis per ordinem ad aliquid specificativum extra se, quod est actus formalis. *AD II. Confirm.* patet ex eâdem doctrinâ, primũ movens debere esse vnicum, non in genere solum, sed in specie, atque individuo, quoniam actus purus & simpliciter illimitatus est in omni genere perfectionis. Ratio autem puræ potentiæ multiplicari potest per respectũ ad actus adæquatè diversos, & esse eò imperfectior, seu inferior, quò illi sub ratione informandi fuerint imperfectiores, seu inferiores; quanquam alioqui & in ratione entis sint perfectiores, vt anima rationalis relatè ad formam Cœli. Vnde patet, licet nullus sit ascensus vltra primum aliquod movens, adhuc esse descensum infra aliquod primum patiens. Sic etiam licèt forma substantialis sit actus primus informans, adhuc vna est perfectior aliâ.

20 *INSTABIS* Contra solutionem primæ probationis. Materia cœlestis & sublunaris, nequeunt distingui ex parte actuum adæquatorum. Nam etiam materia vnius Cœli respicit formam ipsius vt actum adæquatum, sicut & in quolibet Planetâ seorsim ab alio contingit. Non enim materia Lunæ extenditur ad formam Solis, sed Lunæ tantùm; idque inamissibiliter. Et tamen materiæ Cœlorum ac Planetarum non distinguuntur inter se essentialiter. Ergo Idem dicendum de materijs sublunari & cœlesti, quamvis respiciant actus adæquatè diversos. *RESP.* Negando antecedens. Ad probationem duplex esse potest solutio. *Prima*, concedendo maiorem, & negando minorem, materia vnius Cœli ac Planetæ distinguitur essentialiter à materia alterius, vt expressè docet Caietanus *1. p. q. 66. ar. 2. § ad evidentiam*, & latiùs Araujo *10. Metaph. q. 3. ar. 1. concl. 3.* ac recentiùs Lynce *lib. 9. Phys. tr. 2. cap. 3.* Vnde & Planetæ per se loquendo diversas operationes habent. Mars enim causat in nobis calorem & siccitatem; Luna humiditatẽ; Saturnus frigiditatem & siccitatem, Sol gradum corporis; & sic de alijs: quod signum est specificæ distinctionis inter Planetas: idemque colligitur ex diverso ipsorum motu. Vnde in hac sententiâ tota capacitas cuiusque materiæ cœlestis exhauritur per specialẽ formam, vt actum sibi adæquatum, præter quem nullus alius sit, a quo possit informari. *Secunda*, negando maiorem probationis, asserendoque materiam cuiuslibet Cœli respicere omnes cœlestes formas vt actum adæquatum, & proinde sub qualibet illarum existere posse: quia omnes illas respicit sub eadem formali ratione actus inamissibiliter informantis. Prior tamen solutio probabilior est: quia posterior non rectè conuenit cum incorruptibilitate Cœli ab intrinseco. Si enim materia Solis v.g. est absolutè capax formæ Lunæ, quà caret, iam eo ipso illam appetet, eritque corruptionis principium, vt *suprà à num. 20.* arguebamus. omnesque rationes, & impugnationes, quas ibidem proposuimus in opinionem adversam, æqualiter vrgebunt in qualibet materiâ cœlesti. Placet itaque prior solutio, quia rationabilior, & consequentior.

31 *DICES.* Si anima rationalis vniretur sufficienti portioni materiæ cœlestis, consurgeret ex vtraque homo eiusdem speciei cum Socrate. Esset enim ani-

animal rationale, ſicut & nos. At eo ipſo materia vtriuſque debet eſſe eadem ſpecie eſſentiali: quia ex materijs ſpecie diverſis nequit reſultare compoſitum duplex eiuſdem ſpeciei. Ergo materia cœleſtis, & ſublunaris in Socrate exiſtens, ſunt eiuſdem ſpeciei. *RESP.* Negando maiorē: quia ſpecies licèt radicaliter ſumatur à ſola forma, proximè deſumitur à toto compoſito, quod, ſive materia, ſive forma ſpecie diſtincta conſtet, nequit non eſſe ſpeciei ſimpliciter diverſæ. Porrò maiorem illam rectè à nobis negari, præter rationem aſſignatam, efficaciter ſuaderi poteſt: quia Marcion, & Valentinus hæretici finxerunt Chriſtum Dominum, corpus ſuum, ſive materiam è Cœlo traxiſſe, vt referunt S. Auguſt. *hæreſi* 11. & Irenæus *lib.* 1. *cap.* 5. pluresque alij apud Caſtrum *lib.* 4. *contra hæreſes v. Chriſtus, hæreſi* 2. & potiſsimum S. Leo Papa in epiſt. quadam ad Aſtorigenſem Epiſcopum, vbi tum Priſcillianiſtarū, tum & Marcionis errorem relatum damnat, veluti tollentis à Chriſto veritatem humanæ naturę, eo ipſo quod corpus ſuum de Cœlo acceperit. Quod ipſum & alij Patres ex eodem errore colligunt. Ergo ſupponunt corpus, ſive materiam cœleſtem coniunctam rationali animo, non conſtituere verum hominem. Pergo vlteriùs. Ergo & ſupponunt materiam cœleſtē eſſe diſtinctę ſpeciei eſſentialiter ab humana & ſublunari. Alioqui enim non poſſent colligere ex doctrina Marcionis & Valētini, Chriſtum non fuiſſe verum hominem: quia compoſitum ex materia & formà eiuſdem ſpeciei cum humanà, nequit non eſſe verus homo. Vnde novum ac ſpeciale robur accipit ſententia, quam hucuſque propugnavimus.

SECTIO QVARTA.

An Cœlum, ſicut corpore, ita & animā conſtet?

32 SIT III. *Aſſertio.* Forma, quà diximus Cœlum conſtare, non eſt anima aliqua, nec vegetativa, nec ſenſitiva, nec rationalis, nec purè locomotiva.

ASSERTIONEM Hanc, & plura ad eam illuſtrandam admodum opportuna, latè diſcuterem, niſi id abundè præſtitiſſē *tom.* 1 *Theologiæ Florulentæ Ludo* 8. *per totum.* Vide ibi ſi placet, & Ariſtotelem *in præſenti lib.* 2. *textu* 48. Quia tamen eò loci *num.* 16. retuli opinionem quorundam aſſerentium Cœlum conſtare anima loco motiva, placet modò quædam pauca ſupperaddere in eius impugnationem, præter plura alia quæ inferiùs exhibebo *diſp.* 69. vbi latiùs oſtendo, Cœlum non moveri a ſe, ac proinde nulla anima, ſeu forma vitali præditum eſſe. Itaque Cœlum non habere animam locomotivam, nec motum vitalem.

33 *PROBATVR I.* Quia motus localis, ſeu progreſsivus, qui viventium proprius eſt, procedit ex appetitu elicito circa bonum aliquod conſequendū. Alioqui enim non diſtingueretur ab appetitu innato, quo res inanimatæ leves & graves in proprium centrum localiter moventur, mortuo quodam modo; ſcilicet, non movendo ſe ab intrinſeco, ſed motæ ſolùm a generante. Ergo vt Cœli & aſtra ſe moveant localiter ac vitali modo, debet in eis eſſe appetitus elicitus circa bonum aliquod conſequendum. At hic neceſſariò conſequitur aliquam apprehēſionem boni conſequendi, aut ſenſitivam, aut intellectivā: vt ratione naturali demōſtrant Theologi cum D. Th. 1. *p. q.* 19. Ergo de primo ad vltimū, in Cœlo & aſtris nequit eſſe motus localis ab intrinſeco & vitali modo, niſi in eis ſit apprehenſio, ac proinde vita vel ſenſitiva, vel intellectiva. Conſequens autem abſurdum cenſetur, vel ab ipſis Adverſarijs, & meritò; ſicut & Authori libri de Cognitione veræ vitę *c.* 6. inter Opera S. Auguſt. aienti: *Qui ſidera rationabilia, vel ſaltem ſenſibilia corpora arbitrantur, iure ſenſu carentes inter irrationabilia computantur.* Et Nierēbergio, qui animā loco motivā in Cœlo & aſtris tuetur, viſa eſt certa ſecundū fidem ſentētia, quæ ijs animā intellectivā negat, quoniam in V. Synodo Generali, *anathematiſmo* 6. inter alios Canones hic legitur: *Si quis dicit Cœlū, & Solem, & Lunā, & ſtellas, animantes quaſdam eſſe & animales virtutes; anathema ſit.* De quo plurima dixi loco allegato, probans verba prædicta de animà rationali intelligēda eſſe; præter plura alia quę poſtea didici ex eruditiſsimis Petavio *lib.* 12. *de Incar. cap.* 10. *n.* 5. & Henao *lib.* 2. *Empyr. exerc.* 6. *ſect.* 4.

33 *Secundò.* Omnis motus vitalis exigit diſtinctionem partis per ſe moventis, & partis per ſe motæ: quoniam vivere eſt moveri à ſe, & idem ſecundùm idē

nõ potest movere seipsum; cùm nequeat secundùm eandem considerationem esse simul in actu & in potentia, vt in Physica *disp.* 40. *sect.* 2. cum Aristotele demonstratum est. Igitur vt aliquid se moveat quolibet motu vitali, proindeque & locali, seu progressivo, requiritur diversa aut cõtraria dispositio partium, ratione cuius vna per se moveat, & altera per se movea tur. At neque in Cœlo, neque in astris, est eiusmodi diversitas, & contraria partium dispositio; cùm sint corpus homogeneũ, & simplex, sicut pura & impermixta elementa. Ergo sicuti eam ob causam nequit esse Cœlo motus vegetativus, aut sensitivus, sic etiam neque motus localis à se.

34 *Tertiò.* Denique contrariã opinionem Nierembergij, & aliorum, refellit in terminis, vt aiunt, S. Tho. 1. *p. q.* 70. *art.* 3. vbi inquirit, *Vtrùm luminaria cœli sint animata?* Respondetque negativè in corpore articuli. Et pri mò refert varias opiniones, his verbis: *Respondeo dicendum, quòd circa istam quæstionem apud Philosophos fuit diversa opinio. Anaxagoras enim, vt Augustinus refert* lib. 8. de Civitate Dei, *factus est reus apud Athenienses; quia dixit Solem esse lapidem ardentem; negans vtique ipsum esse Deum, vel aliquid animatum. Platonici verò posuerunt corpora cœlestia animata. Similiter etiam apud Doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origenes enim posuit corpora cœlestia animata. Hieronymus setiam idem sentire videtur, exponens illud Ecclesiast.* 1. Lustrans vniversa per circuitum, pergit spiritus. *Basilius verò & Damascenus asserunt, corpora cœlestia non esse animata. Augustinus verò sub dubio dereliquit, in neutram partem declinans, vt patet* in 2. super Genes. ad litteram, & Enchiridio. *Vbi etiam dicit, quòd si sunt animata cœlestia corpora, pertinent ad societatem Angelorum eorum animæ.* Deinde accedit ad ferendum iudicium, & excludit à luminaribus Cœli omnem animam vegetantem sentientem ac rationalem, aitque: *In hac autem opinionum diversitate, vt veritas aliquatenus innotescat, considerandum est, quòd vnio animæ & corporis non est propter corpus, sed propter animam. Non enim forma est propter materiam, sed è converso. Natura autem & virtus animæ deprehenditur ex eius operatione, quæ etiam quodammodò est finis eius. Invenitur autem corpus nostrum necessarium ad aliquam operationem animæ, quæ mediante corpore exercetur: sicut patet in operibus animæ sensitivæ, & nutritivæ. Vnde necesse est tales animas vnitas esse corporibus propter suas operationes. Est autem aliqua operatio animæ, quæ non exercetur corpore mediante, sed tamen ex corpore aliquod adminiculum tali operationi exhibetur, sicut per corpus exhibentur animæ humanæ phantasmata, quibus indiget ad intelligendum. Vnde etiam talem animam necesse est corpori vniri propter suam operationem, licèt contingat ipsam separari. Manifestum est autem, quòd anima cœlestis corporis non potest habere operationes nutritivæ animæ, quæ sunt nutrire, augere, & generare: huiusmodi enim operationes non competunt corpori incorruptibili per naturam. Similiter etiam nec operationes animæ sensitivæ corpori cœlesti conveniunt, quia omnes sensus fundantur supra tactũ, qui est apprehensivus qualitatum elementorum. Omnia etiam organa potentiarũ sensitivarum requirunt determinatam proportionem secundùm commixtionem aliquam elementorũ, à quorũ naturâ corpora cœlestia ponuntur remota. Relinquitur ergo, quòd de operationibus animæ nulla potest competere animæ cœlesti, nisi duæ, intelligere, & movere. Nam appetere consequitur sensum, & intellectum, & cum vtroque ordinatur. Intellectus autem operatio, cùm non exerceatur per corpus, non indiget corpore, nisi in quantùm ei per sensus ministrantur phantasmata. Operationes autem sensitivæ animæ, corporibus cœlestibus non conveniunt, vt dictum est. Sic igitur propter operationem intellectualem, anima cœlesti corpori non vniretur.*

34 Exclusis verò iam à Cœlo animis vegetante, sentiente, & intelligente, tandem reijcit ab eo animam purè loco-motivam, & immediatè prosequitur, dicẽs: *Relinquitur ergo quòd propter solam motionem,* scilicet, anima vniatur cœlesti corpori. *Ad hoc autem quòd moveatur, non oportet quòd vniatur ei vt forma, sed per contactum virtutis, sicut motor vnitur mobili. Vnde Aristoteles* lib. 8. Phisic. textu 40. & 41. *postquam ostendit quòd primum movens seipsum componitur ex duabus partibus, quarum vna est movens, & alia mota, assignans quomodo hæ duæ partes vniantur, dicit quòd per contactum, vel duorũ adinvicem, si vtrũque sit corpus; vel vnius ad alterũ, & non è converso, si vnũ sit corp°, & aliud nõ corpus. Platonici etiã animas corporib° vniri nõ ponebãt, nisi per cõtactũ virtutis, sicut motor mobili. Et sic per hoc*

quòd

quòd Plato ponit corpora cœleſtia animata, nihil datur intelligi, niſi quòd ſubſtantiæ ſpirituales vniuntur corporibus cœleſtibus, vt motores mobilibus. Quòd autem corpora cœleſtia moveantur ab aliquâ ſubſtantiâ apprehendente, & non ſolùm à naturâ, ſicut gravia & levia, patet ex hoc quòd natura non movet, niſi ad vnũ, quo habito quieſcit. quod in motu corporum cœleſtium non apparet. Vnde relinquitur quòd movẽtur ab aliquâ ſubſtantiâ apprehendente. Auguſtinus etiam dicit tom. 2. lib. 3. de Trinit. c. 4. *corpora omnia adminiſtrari à Deo per ſpiritum vitæ. Sic igitur patet quòd corpora cœleſtia non ſunt animata eo modo, quo plantæ & animalia, ſed æquivocè. VNDE INTER PONENTES EA ESSE ANIMATA, ET PONENTES EA INANIMATA, PARVA VEL NVLLA DIFFERENTIA INVENITVR IN RE, SED IN VOCE TANTVM.*

35 Hucuſque S. Thomas, mirà claritate perſtringens varios ſenſus, quibus cœleſtia corpora aſſeri poſſent animata per formam intrinſecè informantem, & illos impugnans; ac tandem in concordiã reducens Authorum opiniones, quaſi ſolùm diſſidentes penes verba, nolenteſque reipſa Cœlum intrinſecè animatum eſſe; ſed tantùm à ſubſtantia aliqua apprehendente, ſive intelligente motum; ac denique explicans Ariſtotelem hoc ipſo ſenſu quamvis alijs locis ipſum in oppoſito intellexiſſe videatur. Quare licèt apud eundem Philoſophum ſemel aut iterum legantur verba illa, alibi à nobis obſervata, *ὁ δὲ οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως τὴν ἀρχήν*; *Cœlum verò animatum eſt, & habet principium motus*; intelligẽda ſunt de animatione largè dicta per ſpiritum, ſive, vt ille ſæpe ait, *νόησιν, intelligentiam* movẽtem; non autem informantem. Quin & præterea idem S. Doctor ſeipſum alijs locis dubiè, aut minùs firmiter circa hanc controverſiã locutum, exponit. Similiter & S. Auguſt. qui dubiè de hac re locutus fuerat, poſtea lib. *Retract.* 1. c. 5. *& libr. de duab. anim. c.* 4. ait, vel muſcam, quia vivit eſſe perfectiorem Sole. Quo planè ſupponit Solem nullam vitam omnino habere.

36 *COETERVM*, quidquid ſit de Platone, alijſque priſcis Philoſophis, videtur originem in ea fuiſſe opinione, vt exiſtimaret Planetas & aſtra eſſe animata & ratione vtẽtia. quod planè exigit ſpiritum, non ſolùm extrinſecè moventem, ſed interiùs informantẽ. Id enim ſenſiſſe ipſum, colligitur ex epiſtola Iuſtiniani Imperatoris ad Papam Vigilium, & ab eo approbata iuxta Liberatum Diaconum, vt referunt Baronius *tomo* 7. *ad annum* 538. & Severinus Binius *ad calcem V. Synodi pag.* 132. vbi inter alia ſic loquitur Imperator: *Præterea hoc quoque Origenis demonſtrat amentiam, quòd affirmet, Solem, & Lunam, & Stellas, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, animatas eſſe, & quaſdam virtutes ratione vtentes.* Etenim quidquid ita animatum eſt, vt ratione vtatur, nequit non habere rationalem animum intrinſecè conſtituentem. Inſuper & ipſe Origenes hoc ipſum videtur ſupponere *in Commentario Evangelij Ioannis pag. mihi* 170. vbi hæc habet fideliter ex Græco tradu-cta: *Etenim abſurdum eſt dicere, eum* (ſcilicet Chriſtum) *pro peccatis quidẽ humanis mortem guſtaſſe; non verò pro quibuſcunque alijs præter hominem, qui in peccatis eſſent: v. g. pro aſtris. nimirum neque aſtra coram Deo puris exiſtentibus.* At quiſquis in peccato eſt, & ita vt Chriſtus pro eo mortuus ſit, nequit non ratione vti, & libero arbitrio conſtare. Igitur aſtra ex mente Origenis ratione vtũtur, & libero arbitrio conſtãt. Quare & in eadẽ V. Synodo, anathematiſmo 7. configitur error Originiſtarum, aſſerentium Chriſtum pro dæmonibus, ſicut & pro hominibus mortuũ fuiſſe. Verba exhibeo: *εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει ὑπόληψιν ὅτι ἀποστὼς τῆς Χριστοῦ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι σταυρωθήσεται ὑπὲρ δαιμόνων, καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis dixerit, aut ſenſerit, Dominum Chriſtum in futuro ſæculo crucifigendũ iri pro dæmonibus, ſicut & pro hominibus; anathema ſit.* Vbi error errori adſtipulatur: vt qui Chriſtum pro dæmoninibus in futuro ſæculo crucifigendum exiſtimarũt, & ipſum antea crederent crucifixum pro aſtris, quaſi hæc ratione vtantur, & aliquando peccaverint, ideoque eguerint Redemptore. Cætera vide loco allegato quibus pro rei opportunitate hoc quaſi parergon addidiſſe ſufficiat: ſimulque D. Thomam cõſule loco indicato *ex* 1. *p. q.* 70. *art.* 3. vbi argumenta in oppoſitum adducit & ſolvit. Vide etiam Lalemandet *diſput.* 8. *part.* 2.

PROPIEDAD INTELECTUAL

ILLVSTRISSIMO D.

D. ALPHONSO MARQVEZ DE PRADO,

ALCANTARENSIS ORDINIS EQVITI, REGIO CONSILIARIO IN SVPREMIS SENATIBVS IVSTITIÆ, AC FISCI, &c.

QVRATVLOR Mihi, non *TIBI*, quòd hæc occasio accesserit consignandi scripto mnemosynon quale quale obseruātiæ meæ, simul & beneficentiæ Tuæ, Nobilissime & Clarissimè D. Nimirum, iam aliquot ab hinc annis hominem antea ignotum, & solo aliorum testimonio Philosophum, ijs amoris & honorificentiæ notis affeciſti, quæ nō seruum Tuum, qualis ego sum, sed amicū decerent. Quantùm *TIBI* obstrictæ sint res nostræ, præsertim in concertationibus Academicis, ac dubia illa spe obtinendi inter præstantes Antagonistas; satis perspectū habeo, semperq; retinebo alta mente defixum. Si quidquam assecutus sum; Tuum est. Ne Dissertationes quidem istæ, quas sub *COELI* nomine simul & lumine, publicæ luci cōmitto, viderent lucē, nisi à *TE* mutuatam. Dediſti larga manu *chartacea munera*, vt quidam ex Consultis, Poetam agens, canebat. Dediſti è molendinis hæreditarijs papyracea folia, & latas phylluras; quæ in prælo sudātes, agones meos litterarios exprimerēt, atque Authori suo fortassè non obscurū nomen assererent. Quidni igitur chartæ ipsæ Domini sui nomen præferant, & dicant, cuius sint? Dicunt planè, non ore suo, sed stylo meo, quāvis breviter, & quà licet alloqui gravissimū Consiliariū magnis vndiqne curis agitatū. Sed cur minoribus; si ad magna, ad eximia natus es? Nimirū, non aliud auspicabatur insignis nobilitas Generis Tui: quod iam tot sæculis Viros litteris, armis, ac regimine, tū sacro, tū & politico, illustres dedit, quot & qualibus celebrandis nec paginæ plures sufficerent. Partem ipsorum referunt monumenta Maximi Tui Collegij *ARCHIEPISCOPALIS*: cuius Gentilitijs sideribus splendorē addidiſti, dum ingenij ac doctrinæ opinione celebris, insignē Digesti Veteris Cathedrā assecutus es in Nostra Salmanticensi Academia. Hinc aditus fuit ad Senatum Vallis-Oletanū, Cōsiliarij munere oblato, & adeò iustè, solicitè, ac laudabiliter gesto, vt merueris, quàm primū occasio fuit, ad Suprema Regū Nostrorū Prætoria conscendere. Ideò & nunc meritissimū Consulē agis, tum Iustitiæ, tū & Fisci Regij: atq; vtriusque quidem, ea honestate morū, ac puritate manuū, & ingenuæ veritatis constantiā, quæ decet Magnū Maximi Imperij Optimatē, ac Generū, seu verius Filiū Excellētissimi Principis *D.D. GASPARIS DE BRACAMONTE ET GVZMAN*, Comitis de Peñarāda, & Hispanæ Monarchiæ Atlantis: qui cœlesti genio natus ad summa, primò Germaniæ Imperiū, dein Italiæ Regna, postea Novū Orbē, nunc *OMNIA* superimposita humeris gestat, veluti mētis capacissimæ, & infractę cōstantię Princeps. Sanè præeunte hoc vivido exēplari, simul & Tuo, intra domesticos Lares; quid, quòd dilectissimi Filij Tui, simul & Nostræ Academiæ ocelli, felices sibi auspicentur processus? Quid, quòd *D.D. GASPAR*, dudū illius Rector, atq; Hispanæ adolescētiæ Princeps, Calatravensis Militiæ Eques; & *D.D. FRANCISCVS*, Iacobæo stemmate cōspicuus; sicut & *D.D. DIDACVS* candida D. Ioannis Cruce exornatus (vt nihil è quatuor præcipuis Equestriū Ordinū insignibus Parenti ac Filijs desit) præclara animorū indole, honestissima educatione, & pijs in ipsa puerili ætate exercitationibus, sese accingant ad eādem Maiorū suorū semitam ineundam? Frustrà aliorū simulacra exprimerent, qui meliores prototypos hæreditario iure possident; aut Mœcenatē extraneum ambirent, qui domestico gaudent. Apagè hinc tristem illam & ominosam sententiā Demostenis, τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἰμαρμένη εἴη φαύλοις ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς. *A viris egregijs, quasi fato accidere, vt improbi filij oriantur.* Nec fato quidem id accidet, quamvis sæpe contigerit. Feliciora omnia in posterū boni alites nuntiant. Feliciora pollicentur suavissimi Natorum Tuorū mores: neque aliter apparerent dimidiū animæ Tuæ. Feliciora denique spero, & quibus possum votis exoro ab eo, qui bonorū omniū Author est. Ipse *TE* cōmuni Hispaniæ bono, Tuis, ac nobis quàm diutissimè servet incolumen. Interea hanc *DE COELI INCORRVPTIBILITATE* Dissertationem accipe, quàm maximè opportunā *TIBI*: qui in tanta Fisci Regij opulentiā, intentus Cœlo, incorruptas manus servasti, quin *auri sacra fames*, quæ omnes pene devovet tyrannidi suæ, aliquando pectus Tuum invadere ausa fuerit. Quippe *sic itur ad astra*, & quod periturum erat, meliori gazophylacio reponitur. Vale *CLARISSIME VIR, & præsidium, & dulce decus meum.*

DIS-

DISP. SEXAGES. QVARTA:

DE PROPRIETATIBVS COELI,

An Cœlum sit incorruptibile?

Num. 1. *QVIDQVID Disputatione præcedenti traditum est, uberiùs confirmabitur ex dicendis modò circa proprietates Cœli; præsertim circa incorruptibilitatem, & nonnullas alias, quæ inde sequuntur. Supponimus autem Cœlum, sicut & quamlibet aliam creaturam, etiam purè spiritualem & per se subsistentem, pendere in suo esse & conservatione à libera voluntate & influxu Dei, quo cessante abiret statim in nihilum, ex quo olim prodijt. Quare præcipua difficultas in hoc tendit, vt inquiratur, an Cœlum ab intrinseco sit incorruptibile, ita, vt nullum agens creatum, aut creabile, possit in ipsum inducere dispositiones, quibus tandem corrumpatur, aut desinat esse. Indidem verò constabit, an Cœlum suapte naturâ æternum sit, necne. Habet locum disputatio hæc apud Arist. hoc lib. 1. cap. 3. insuper & 10. vbi magna ex parte disserit, an Mundus sit interiturus; quæ difficultas potissimè ad Cœlum attinet. Similiter & cap. 11. & 12. & 13. sequentibus opportunè satis excitari potest, & lib. 2. cap. 1. vbi & directè de Cœli incorruptibilitate agitur, & cap. 7.*

SECTIO PRIMA.

Cœlum absolutè incorruptibile existimandum ex naturâ suâ, & primis qualitatibus carens. Vbi plures ac selectæ observationes.

2 *SIT ASSERTIO.* Cœlum absolutè incorruptibile censeri debet. Ita Aristoteles hoc *lib. 1. cap. 3. textu* 20. illis verbis: ὁμοίως δ' εὔλογον ὑπολαβεῖν περὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, καὶ ἀναυξές, καὶ ἀναλλοίωτον. *Similiter rationi consentaneum est, & ingenerabile & incorruptibile ipsum cœlum existimare, neque incrementa decrementaque suscipere, neque alterationibus subijci posse.* Idemque docet S. Thomas *lect. 2. & 3. in præsenti, & 1. p. q. 66. art. 2.* vbi & Caietanus, Bañez, alijque Interpretes Thomistæ; & Flandria 10. *Metaph. q. 13. art. 1.* Araujo *ibid. q. 3. art. 2.* Albertus M. *par. 1. de quatuor coævis quæst. 4. art. 1.* Bonavent. *in 2. distinct. 14. art. 1. quæst. 1. & 2.* Vallesius *sacræ Philos. cap. 89.* Ex PP. Societatis Eximius Suarez *disp. 13. Metaphys. à sect. 10.* opinionem nostram supponit, illamque probat *de Oper. 6. dierũ lib. 1. capit. 5.* Conimbricenses *in præsenti, cap. 3. quæst. 1.* Rubio *quæst. 1.* Compton *hic*, Quiros *disp. 69. num. 11.* Hurtado *disp. 1. sect. 5.* Arriaga *disp. vnica*, Oviedo *contr. vn. punct. 2. num. 20.* cõvictus solà authoritate ad id asserendum. Eandem sequitur Pontius *disput. 22. sect. 4.* & (quod caput est) plurimi Ecclesiæ Patres, quorum selecta testimonia profert Pererius *lib. 2. in Genesim quæst. 1. num. 8.* Consentiunt Molina *de Opere sex dierum disp. 3.* Tirinus *in epist. 2. Petri 3. & in Psalmum 101. v. 27.* Bellarminus, Salianꝰ, & Menochiꝰ, Aversa, & Sfortia apud Sancta-Cruciũ *in præsenti num. 919.*

3 *RATIO* Asserti præcipua, ex Aristot. desumitur *hoc lib. 1. capit. 3. textu* 22. illis verbis: πάντες γὰρ ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, &c. *Omnes enim homines de Dijs existimationem habent, & universi qui Deos esse putant, tam Græci, quàm Barbari, ipsum supremum locum Dijs tribuerunt, propterea quod immortale ad immortale est accommodatum. alio namque modo est impossibile. Si igitur quippiam est divinum quemadmodum & est; ea sanè, quæ de primâ corporum substantia dicta sunt* (scilicet, incorruptibilem & inalterabilem esse) *benè rectèque sunt dicta.* Ex quibus hunc discursum conficio. Semel asserta possibilitate substantiæ corporeæ ab intrinseco incorruptibilis, debet concedi illam esse Cœlum de facto existẽs. At possibilis est substantia corporea ab intrinseco incorruptibilis. Ergo illa Cœlum de facto existens est. Consequentia rectè infertur, & maior suadetur ratione Philosophi: Quia omnes homines, quotquot de Deo existimationẽ habẽt, apprehẽdũt eum sũme perfectũ, vt ratio naturalis evincit; ac proinde omnia quę ad eum spectant, ipsi accõmodata, & Deo digna. Ergo & cõcedere

debent, locum in quo specialiter habitat Deus, scilicet, Cœlum de facto existens, esse ipsi accommodatum, Deoque dignũ. At semel assertâ possibilitate substantiæ corporeæ, sive Cœli ab intrinseco incorruptibilis, solùm illud est Deo accommodatum & dignum; vtpotè incorruptibilis & perfectissimus locus, incorruptibili ac perfectissimo Numini. Ergo concedi debet Cœlum de facto existens esse ab intrinseco incorruptibile. *Præterea* suaderi potest eadem maior: quia vt probat idem Arist. *cap.* 1. huius libri, & sacræ litteræ, atque Patres Ecclesiæ perhibent, Deus condidit hoc Vniversum valde bonum, sive perfectum: ac proinde ex omnibus ordinibus perfectionum possibilium nullum reliquit, cuius aliquid de facto non conderet, ne Mundus ex eo capite maneret imperfectus. Ergo si semel est possibilis ordo substantiæ corporeæ ab intrinseco incorruptibilis, putari debet illam de facto productam: quæ sanè nulla alia est, præter Cœlum de facto existens. *Denique* suadetur eadem maior consideratione aliâ Philosophi eodem *cap.* 3. & textu indicato: Quia ex quo memoriâ hominum est per omnia sœcula anteacta, nunquam legitur, aut in vltimo Cœlo, aut in vlla eius parte, mutationem fuisse factam (intellige, iuxta cursum naturæ; quia tempore Iosue Sol stetit, & ad preces Ezechiæ retrocessit, supra naturæ leges) sed vniformi & stabili motu, ac sine alteratione vlla, perstitit. Ergo si quæquam substantia corporea incorruptibilis ab intrinseco est possibilis, maximè Cœlum hoc.

5 Iam minor illa præcipui ac primi syllogismi, suadetur multipliciter. *Primò* ratione generali desumpta ex non repugnantia extremorum, qua non intercedente in qualibet re, necessario concedi debet, eam absolutè possibilem esse. At nulla est repugnantia inter duo extrema, substantiæ corporeæ ex vno capite, & incorruptibilitatis intrinsecæ ex alio; neque illam hactenus Adversarij invenerunt. Possibilis ergo est substantia corporea incorruptibilis ab intrinseco. *Secundò*. Possibilis est substantia corporea incompleta per modum potentiæ passivæ, ab intrinseco incorruptibilis; qualem esse materiã primam, tum cœlestem, tum & sublunarem, omnes Adversarij fatentur, & relinquimus demonstratum *disp.* 4. *Physicæ sect.* 4. Ergo & possibilis est substantia corporea incompleta per modum actus, sive formæ, ab intrinseco incorruptibilis. Aliunde incorruptibilis vnio vtriusque, possibilis fit: cùm in eâ nulla appareat repugnantia. Atqui ex materia, vnione, & formâ, incorruptibilibus ab intrinseco, necessariò resultat substantia corporea totalis, sive completa ab intrinseco incorruptibilis. Ergo hæc absolutè possibilis est. *Tertiò*. Possibilis est substantia corporea incapax recipiendi quatuor primas qualitates, quæ sunt proximum corruptionis principium: nam sicut est possibilis quinta essentia, sive substantia distincta à quatuor elementis (qualem esse Cœlum *præced. disp. sect* 2. probatum est) ita etiã possibilis debet esse substantia incapax recipiendi quatuor qualitates elementorum proprias. At substantia incapax recipiendi aut subeundi proximum corruptionis principium, est etiam incorruptibilis ab intrinseco. Ergo &c.

6 *CONFIRMATVR* Probatio hæc vltima. Vt enim observat Chrysostomus *Homil.* 10. *ad popul. Antioch.* & experimento assiduo constat, omnis corruptibilitas ex dissidio & luctâ quatuor primarum qualitatum proficiscitur. At in Cœlo nullum locum habent quatuor primæ qualitates, ac proinde nec illarum luctâ. Ergo Cœlo nulla corruptibilitas est. Probatur minor multipliciter. *Primò*, quia Cœlum, sicut est substantia alterius omnino rationis ab omnibus elementis, & mixtis, qui ex ijs ortum ducunt, ijsque superior & excellentior; ita etiã exigit alias qualitates longè diversas & excellentiores quatuor primis elemẽtorum proprijs, & mixtorum communibus. Natura enim omnino diversa & superior non exigit, admittivè, nisi prorsus diversas & altiores proprietates. *Secundò*. Cœlum enim est quoddam vniversale agens in omnia elementa, & subinde in mixta omnia, quæ ex ijs aut virtualiter, aut formaliter coalescunt. Ergo habet naturam longè superiorem & diversam ab omnibus elementis & mixtis; ac proinde & qualitates diversæ ac superioris rationis. *Tertiò* suadetur eadem minor ratione desumpta ex Arist. *cap.* 3. & 8. *huius* 1. *libri*. Omne corpus constans primis qualitatibus, naturaliter movetur motu recto. At Cœlum naturaliter non movetur motu recto. Ergo Cœlum non constat primis qualitatibus. Consequentia est evidens in *Baroco*, & mi-

minor oculis cõprobata, ac ratione certa. Omnis enim motus rectus, aut est sursum, aut deorsum. Patet verò Cœlum naturaliter non moveri sursum ac deorsum, sed in circulum tantùm. Non ergo naturaliter movetur motu recto. Iam maior illa præcipuæ probationis, suadetur. Omne enim corpus constans primis qualitatibus, aut est grave, aut leve: grave si in eo prædominentur siccitas & frigiditas, vt in terrà; aut frigiditas & humiditas, vt in aqua; leve autem, si in eo imperent calor & siccitas, vt in igne; vel saltem humiditas & calor vt in aère, iuxta ea quæ ex communi sententia dicemus circa *libr. 2. de Generat.* Atqui omne corpus grave aut leve movetur naturaliter motu recto; grave deorsum, & leve sursum. Omne ergo corpus constans primis qualitatibus, movetur naturaliter motu recto. Quod ipsum in omnibus mixtis invenire licet. Omne enim mixtum ex elementis, sive solùm virtualiter, sive etiam formaliter constans, naturaliter ac rectè tendit in cẽtrum eius elementi, quod in mixto prædominatur. Quare lapis directè tendit in centrum terræ, quoniam hæc in eo primas tenet; exhalationes autem & vapores humidi ac calidi in aèra terũtur, quoniam aer in ijs imperat; liquores in aquarum locum collimant, quia potissimùm aquei sunt; idemque est proportionaliter de ijs, in quibus ignis regnat. Mutuant enim ab elemento prædominante qualitatem ipsius præcipuam, & subinde gravitatem aut levitatem, qua in eius centrum naturaliter tendant. quod patet in Cœlo non inveniri. Nullum ergo locum in Cœlo habent qualitates propriæ elementorum.

7 Vnde obiter illustratur, & cõfirmatur denuo, sententia à nobis tradita *disp. præced. sect.* 2. de distinctione essentiali materiæ cœlestis ab elementari & sublunari, contra asserentes Cœlum ex aquis factum esse, vel ex materia comuni omnibus elementis & mixtis. Sic enim necessario deberẽt esse in Cœlo primæ qualitates elementorum propriæ, aut omnes, aut aliquæ saltem; ratione quarum naturaliter inclinaretur ad centrum proprium alicuius elementi recto motu: proindeq; deduceretur Cœlum hucusque à principio creationis assiduam violentiam passum, quoniam priuatum fuit eo motu, & solum in circulo actum. Consequens autem absurdum esse nemo non viderit.

8 *DICES*, negari non posse, quin Cœlum primis qualitatibus constet, ac proinde corruptibile sit: Quoniam vbi sunt effectus proprij primarum qualitatum, nequeunt illæ non esse. At in Cœlo sunt effectus proprij primarum qualitatũ. Ergo nequeũt illæ in Cœlo non esse. Probatur minor dupliciter. *Primò* in raritate & densitate, quæ sunt primarum qualitatum effectus. Ignis enim quoniam aère calidior est, ideo etiam rarior; & aèr quia humidior quàm aqua, etiam raritate præcellit. Contrà verò terra, & aqua, quia frigiditatem præcellentem, aut summam habent, altera siccitati, altera humiditati coniunctam, ideo densæ sunt, & proinde oppositæ igni atque aèri. Atqui in Cœlo est raritas & densitas; raritas, quà parte diaphanum est, & proinde superiorũ luminum species ad nos transmittit; densitas verò quà parte diaphanum non est, sed spissum quoddammodo, vt in corporibus siderum & Planetarum cernitur; quos ideo non transcendimus visu. Igitur in Cœlo sunt effectus proprij primarum qualitatum. *Secundò* probatur eadem minor. Colores enim sunt effectus earundem qualitatum primarum, quoniam ex ipsarum commixtione varia ac temperie oriuntur. Ideoque humiditas & frigiditas candorem generant, vt in lacte & nive; humiditas & caliditas ruborem, vt in sanguine; siccitas & frigiditas colorem atrũ sive obscurum, vt in atrà bili, seu melancholià; caliditas autem & siccitas flavitiem, vt in melle & auro. Atqui Cœlo colores insunt, quoniam oculis percipitur, quibus videri nequit, nisi quod coloratum est. Sunt igitur in eo effectus qualitatum primarum.

9 *SED Contrà.* Quamvis enim Cœlum habeat raritatem & densitatem, coloremque, non ideo colligitur in eo esse aliquem effectum primarum qualitatum proprium; quoniam ij effectus possunt ab alijs causis provenire. Sic diaphaneitas, quæ in igne & aère est, ita ab ipsorum qualitatibus primis oritur, vt tamen in Cœlo aliunde oriatur: quoniam Cœlũ nec est calidum & siccum, vt ignis; neque humidum & calidum, sicut aèr. Præterea & densitas, modò caloris, modò & frigoris effectus est: vt patet in calore Solis addensante lutum, & in frigore pariter tribuente densitatem aquæ. Similiter ergo

potest

potest densitas, ac raritas, itemque colores, provenire, tum à primis qualitatibus elementorum proprijs; tum etiam à Cœlo, quanquam eàrum qualitatum experte. Ratio autem huius doctrinæ quasi à priori ea assignari potest, quoniam vbi non invenitur mutua & inevitabilis duorum connexio ex naturà rei, nullum est fundamentum vt alterum àsseratur stricta proprietas alterius, sed manet intra limites accidentis communis. At inter primas qualitates ex vnà parte, & densitatẽ ac raritatem coloresque ex alia, non invenitur mutua & inevitabilis connexio ex naturà rei, neque illam Adversarij ostẽdunt. Ergo non est fundamentum, vt densitas & raritas coloresq; asserantur strictæ proprietates primarum qualitatum. Quare manent intra limites accidentium cõmunium Cœlo, elementis, ac mixtis.

10 *CONFIRMATVR.* Aut enim Cœlum constaret quatuor primis qualitatibus inter se permixtis, ac refractis: & sic iam naturaliter subijsset corruptionem, aut ex toto, aut maximà ex parte, sicut mixta omnia, propter assiduam earum pugnam, intestinumque prælium. quod falsum esse, experimento liquet. Aut haberet vnam solùm in summo, & aliam ipsi affinem, seu symbolam, infra summum: & ita esset vnum aliquod ex quatuor elementis purum, absque distinctione vllà: quod non minùs purum figmentum est. Aut vnicà qualitate earum præditum esset Cœlum, eaque in summo, aut infra summum. quam nondum assignaverunt Adversarij, nec facilè possunt. nisi fortè cum Platone & alijs Veterum, dicant, Solem igneam esse facem, summo ardore tantùm constantem. At, præterquã quòd de reliquà Cœli parte, & Planetis causantibus frigiditatẽm, id, ne apparenter quidem asseri potest; quomodo flamma illa Solis vicinas Cœli partes non combusit, & in flammam similem redegit? Ignis enim eo ipso quòd summè calidus sit, summè quoque activus est, & propagator speciei suæ. Deinde si Luna humida est, quia humiditatem in rebus inferioribus causare dignoscitur; quomodò elementũ ignis vicini, & sicci in præcellenti gradu, illam nõ absumpsit, aut ex toto, aut magnà ex parte; vel è contrà? Oppositæ enim & vicinæ qualitates naturaliter pugnam ineunt, quoties in præcellenti gradu sunt; aut vna in summo, & altera prope summum. Quà ratione sæpe ignis elementaris prævalet in magnam partem aeris summi, & sibi contigui, illamque in ignẽ convertit, subministratis sibi è terrà vaporibus calidis & siccis, vt in cometis videre est, & dicemus *tract. de Meteoris.* Cùm ergo neque ignis vicinam Lunam, nec Luna ignem absumpserit aliquando, signum est, in ijs non residere qualitates contrarias.

11 *OCCVRRES* huic vltimæ instàntiæ cum Oviedo *vbi suprà num.* 19. quasi & nos eidem respondere debemus, cur vicina elementa, sibique invicem contraria, non pariant mutuum interitũ: vt in aere & igne apparet, quorum prior summè humidus, posterior prope summũ siccus est; & tamen neuter alterum aliquando notabili ex parte corrupit. Ergo pariter quamvis Luna igni contigua constaret oppositâ qualitate, potuisset vsque modo nullum grave detrimentum subire, aut inferre. *SED Contrà.* Etenim hanc evasionem iam præoccupavimus discursu præiacto: Quia cùm neque Adversarij negent, plures, aut plerosque cometarum in summà regione aèris generari ab igne vicino ex calidis & siccis terræ exhalationibus, sæpe in magnà quantitate è terra levatis; fateantur etiam necesse est, sæpe aerem magnà sui parte ab igne vicino corrumpi, & in ipsum converti. Cur ergo idipsum nõ præstabit ignis in orbe & corpore Lunæ, sibi proximis? Præsertim quoties prædicti vapores dicuntur ab Adversarijs transcendere orbem Lunæ vsque ad sphæram Mercurij, aut etiam Saturni, & in magnà sui copià excedente totam terræ molem; quomodo non corrumpunt, & in se convertunt æqualem Cœli portionem, oppositâ qualitate præditam, & ab ijs assertam corruptibilem?

12 *SECVNDO* Probatur assertum retorquendo præcipuum Adversariorum argumentum, desumptum ex sacris litteris & Patribus, sæpe aientibus, Cœlum cum magno impetu trãsiturum, periturum, immutandum post diem iudicij, & alia eiusmodi. At exinde non colligitur Cœlum naturà suà esse corruptibile; sed ad summum corrumpendum, sive destruendum iri miraculosè, & ex solà voluntate Dei operantis supra naturæ leges. Sic etiam S. Scriptura & Patres aiunt ignem æternum (qui sane verus & materialis est) paratum esse diabolo & angelis

lis eius; ac proinde ſpiritus corporeo igne comburendos eſſe; quin tamen exinde inferre liceat, ſubſtantiam purè ſpiritualem naturâ ſuâ paſsibilem eſſe ab igne; aut hūc habere connaturalem activitatem in illā. Igitur neque ex eo quòd Cœlum aſſeratur deſtruendum, immutandumvè, etiam per ignem, minimè infertur, aut illud naturâ ſuâ deſtructibile vel alterabile eſſe; aut hunc in ipſum habere naturalem activitatem. *Confirm. I.* Id quod regulariter, imò & ſemper fit, maius longè fundamētum præſtat, cœteris paribus vt connaturaliter fieri cenſeatur, quàm quòd raro, aut ſemel tantùm. At combuſtio dæmonum miniſterio ignis corporei ſemper & in æternum fit; deſtructio autem, ſive renovatio Cœli per ignem, fiet ſemel tantùm in vniverſali iudicio. Ergo ſi adhuc combuſtio dæmonum naturalis non eſt, multò minùs deſtructio & innovatio Cœlorum naturalis, ſive iuxta ipſorum naturam erit. *Confirm. II.* Etiam in ſacris litteris exprimitur futura hominum reſurrectio, quin tamen colligatur naturalē fore: quoniam obſiſtit illud axioma notiſsimum Philoſophiæ, *Ad præteritum non eſt naturalis regreſſus.* de quo nonnulla dedimus *diſp. 4. Phyſicæ ſect. 4.* Ergo quamvis aſſererent Cœlum ab igne deſtruendum eſſe, non pròpterea colligeretur id eventurum naturaliter. Obſtat quippe inferioritas ignis, & aliorum quorumlibet elementorum relatè ad Cœlum, cui ſubordinatur naturaliter, vt agenti ſuperiori & vniverſali.

12 *VRGETVR* Ampliùs conſideratio hæc ratione àpriori. Quoties aliqua res naturâ ſuâ corruptibilis eſt ab aliquo agente ſibi approximato; quòd ab eo nunquam, niſi raro aut ſemel, corrumpatur, miraculum eſt: quia agens ſufficienter approximatum; paſſio, ſolùm ſupernaturaliter prohiberi poteſt ab agendo in illud. Ergo ſi Cœlum Lunæ naturâ ſuâ corruptibile eſſet ab elemento ignis in circulo ſibi approximato, quòd ab eo nunquam corrumpatur, niſi ſemel & in die Iudicij, miraculum erit, & proinde ſupra naturæ vires. Adverſarij igitur adſtruunt in Cœlo & igne aſsiduum ab ipſo initio Mundi ad finem vſque miraculum. Quod tamen nō modò alienum à Philoſophiâ eſt, omnia, quoties fieri poteſt, in naturales cauſas referente; ſed etiam parùm cohærens ipſis ſacris litteris; in quibus oſtenta, Iudicij diem in Cœlo prævenientia, immutationes Solis, ac Lunæ, caſuſque ſtellarum, appellantur *ſigna* Lucæ 21. v. 25. & *ſigna magna*, verſ. 11. præcedenti: ac *prodigia*, Ioelis 3. v. 15. Igitur è contrà, deſtructio illa, ſive immutatio futura Cœlorum, miraculoſa erit; ſtabilitas verò aſsidua & incorruptio vſque ad illum diem, connaturalis eſt. Ergo quia naturâ ſuâ incorruptibiles ſunt ab igne, quanquam ſibi aproximato, ad ſummum que deſtructibiles, ſeu alterabiles ab illo ſupernaturaliter, tanquam ab inſtrumento Omnipotentiæ divinæ, à cuius concurſu producente & cōſervante dependent ſemper & vbique omnia corruptibilia & incorruptibilia. Quo autem ſenſu Cœli deſtruendi aut alterandi reverà ſint, ex mox dicendis conſtabit.

SECTIO SECVNDA.

Primum opinionis contrariæ argumentum ex Scripturâ & Patribus deſumptum, objicitur, & diſſolvitur. Vbi an Cœli & elementa immutanda ſint tempore vniverſalis Iudicij.

13 OPPOSITAM Sententiam tuentur pleriqne Authores allegati *diſp. præced. num. 25* & Tichus Brahe (quem Aſtronomiæ Reſtauratorem, & alterum præcedentis ſæculi Ptolemæum appellare ſolent Recentiores) *lib. 1. de Mundi Æterei Phænomenis recentibus*, Euſebius Nieremberg. *lib. 6. de Vitâ Stellarum cap. 13.* vbi denſum agmen Aſtronomorum pro eodem placito allegat, ſicut & Chriſtophorus Borrus *in ſuâ Aſtron. p. 5. c. 1.* Ambroſius Catherinus *in epiſt. ad Hebræos cap. 1. & in 2. Petri 3.* Salmeron *tom. 1. Prolegom. vlt. in eundem locū*, Hieronymus Magius *lib. de exiſtentiâ Mūdi*, Martinus del Rio *in cap. 1. Geneſis*, Criſtophorus Scheiner *in ſuâ Roſâ Vrſinâ*, quæ tota eſt de maculis Solis, Sancta Crucius *in Compendio librorum* de Cœlo *num. 920.* & Nicolaus Cabeus *lib. 1. Meteor. textu 4. q. 2.* Moneo autem pro toto hoc tractatu, Nierembergium in ipſo ferè iuventutis flore edidiſſe Philoſophiam ſuam; & ideo mirum non eſſe ſi aliquatenus exceſsiſſe videatur in reijciendis, aut improbandis aliorum opinionibus. Condonandum eſt id Viro alioqui pijſsimo, eruditiſsimo, & tot nominibus de Eccleſia benemerito.

PRO-

14 *PROBANT I.* ex variis Scripturæ locis. Iob. 14.v.12. *Homo cùm dormierit, non resurget: donec atteratur cœlum non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Ergo Cœlum tempore communis resurrectionis atteretur, ac proinde corruptionem subibit. Psalmo 101.v. 27. *Opera manuum tuarum sunt Cœli. Ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur.* At nihil perit, nisi per sui corruptionem, aut annihilationem, cõversionemve totalem in aliud. Cum ergo Cœli neutro ex duobus modis posterioribus perituri sint, restat vt id tandem fiat per corruptionem. Eccles. 17, v. 29. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet.* Isaiæ 34.v.4. *Tabescet omnis militia cœlorum*, &c. Christus D. alio loco: *Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur.* Mathæi 24.v.35. *Cœlum & terra transibunt.* Apertiùs adhuc D. Petrus *epist. 2. cap.* 3. testatur Cœlos esse igni reservatos, in diẽ iudicij, & tunc magno impetu transituros: tunc etiam fore, vt ardentes solvantur, & elementa ignis ardore tabescant: novos etiam Cœlos & novam terram à nobis expectari secundùm promissa Dei. Verbà sunt loco alleg. v.10. *Adveniet autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsâ sunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, PER QVEM COELI ARDENTES SOLVENTVR, & elementa ignis ardore tabescent. Novos verò cœlos & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Hucusque Apostolus Petrus, qui non videtur potuisse apertioribus verbis corruptionem exustionemque futuram Cœlorum exprimere. Cœlum igitur est corruptibile, siquidem aliquando tandẽ corrumpendum est.

15 *RESP. I.* Quamvis testimonia prædicta intelligantur de destructione & combustione futura Cœlorum quò ad substantiam, vt volunt Adversarij, adhuc non evinci, corruptibiles esse ab intrinseco, & ex naturà suà, sed solùm supernaturaliter & miraculosè, vt *num.* 12. & 13. efficaciter probatum est. Quare integra manet nostra sententia, quæ ita negat corruptibiles esse ab intrinseco, vt tamen fateatur posse supernaturaliter à Deo corrumpi, sive destrui. Quod dupliciter fieri potest. Primò, elevante Deo calorem ignis elementaris, vt virtute Omnipotẽtiæ ipsius corrumpat accidentia propria & conservativa formæ substantialis Cœlorum, ac subinde eandem formam, ac per consequens & mediatè materiam, quæ in probabiliori opinione nequit adhuc divinitus existere sine omni forma; quo posito calor indirectè & mediatè, atque solùm instrumentàliter, annihilabit Cœlũ. Secundo, destruendo solùm accidẽtia propria & formam substantialem Cœli, etiã instrumentaliter, & materià ipsius manẽte in rerum naturà, ac recipiente divinitus aliam formam cœlestem solo numero distinctam, & in accidentibus meliorem. Quodcunque ex his dicatur, apparet satis probabile de possibili, & alterutrum eventurum de facto, si Cœli quo ad substantiam supponantur interituri.

16 *RESP. II.* Probabilius esse testimonia prædicta non debere intelligi de Cœlis & astris quò ad substantiam, sed penes accidentia tantùm. Quod evincunt testimonia alia Scripturæ: vt Psalmi 148. v.6. vbi de Sole, Lunà, stellis, ac Cœlis dicitur: *Statuit ea in æternum.* Et saltem de operibus Dei præcipuis, quorum primum est Cœlum, accipi debet illud Ecclesiastes cap. 3. v. 14. *Omnia opera quæ Deus fecit, perseverant in perpetuum.* Iuxò & *cap.* 1. de terrà, quæ planè corruptioni ex se obnoxia est, præmisserat: *Terra in æternum stat.* Quare vt vtraque loca specie tenus dissidentia concilientur, videtur dicendum iuxta hæc posteriora, cœlestia corpora nullatenus corrumpenda aut destruenda iri quò ad substantiam: iuxta priora autẽ, mutanda fore quò ad imaginem, sive figuram. Quæ interpretatio est expressa S. P. N. Gregorij Magni *lib.* 17. *Moral cap.* 5. vbi hanc difficultatem ex professo versat, & collatis invicem Scripturæ testimonijs inquit de Cœlo & terrà: *Vtraque hæc per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam subsistunt.* Et paucis interiectis: *Cœlum igitur & terra transit, & erit: quia & ab eà, quam nunc habet, specie per ignem tergitur, & tamen in suà semper naturà servatur.* Idẽque docet Damascenus *lib.* 2. *de Fide c.* 6. adiũctis quæ *ibid.* affert doctissimus eius Interpres Billius, vbi communem opinionem vocat. Quin & novos Cœlos, quos in sacris litteris

teris expectare iubemur, eſſe ſolum æreos, non autem ſublimes illas ſphœras, exiſtimat N. Venerabilis Beda in locum Petri relatum, allegaturque à D. Thomà *in 4. diſt. 42. q. 2.* & a Bonaventura *diſt. 47.* vbi cenſet, iuxta ipſius mentem, nè elementa quidem quò ad ſubſtantiam fore ex toto corrumpenda, ſed ſolùm accidentaliter immutanda; præſertim verò ignē & aquàm, de quorum alteratione expreſſus in ſacris litteris habetur ſermo. Quod ipſum, præſertim quò ad Cœlos, eruditè vt aſſolet, expendit & probat Pererius *lib. 2. in Geneſ. q. 1.* præſertim *à num. 7.* ac Tirinus in relata Scripturæ teſtimonia, complureſque alij Interprētes, tum Veteres & Recentiores.

17 Itaque, vt accedamus ſpeciatim ad locum illum D. Petri, omnium difficillimum, & quaſi cœterorum compendium, Celi (tam ſiderei, quàm aerij, iuxta Caietanum, Cornelium à Lapide *ibid.* ac Vigeas *Apocal. 21.* & Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 58. ſect. 3.*) *magno impetu tranſient*: ſeu vt in Græco habetur ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, *ſtridenter* præteribunt: quia Cœli ſiderei tunc velociùs agitādi ſunt, & ſubinde aèrei vapore pingui & habitu pleni, atque ab ijs rapti, ad celeriorem accenſionem ignis, quo cœtera elementa purganda ſunt. Quod verò in poſtremà teſtimonij parte, alijſque locis, Cœli dicantur *immutandi, diſſolvendi, arſuri, interituri*; intelligendum eſt quo ad innovationem, ſeu mutationem Cœlorum ſidereorum quantùm ad ſuperiorem ſui partem, quà maiorem lucem & claritatem accipient: quo ad diſſolutionem verò, combuſtionē, & interitum, accipiendum eſt de ijs ab inferiori parte conſideratis, ſeu quantùm ad cœlos aereos; tam denſis nubibus obſcurādos, & commovendos adeò horrendis tonitruis, fulgetris, cometis, globiſque flammarum ex æthere cadentibus, vt etiam ipſi Cœli ſiderei videantur ardere, è cardinibus convelli, & in terram ruere; quanquam reipſa & quo ad ſubſtantiam ijdem manentes, ac antea.

18 Ex quà doctrinà occurri poteſt ad teſtimonia SS. Patrum, ab Adverſarijs proferri ſolita: quæ de Cœlis, non ſidereis, ſed aèrijs accipi poſſunt. Si quando autem de ſidereis loquuntur, accipiendi ſunt de innovatione illorum tantùm penes accidentia maioris lucis, & rapidioris motus tempore Iudicij vniverſalis; aut etiam nullius, poſt illud; quia de cœtero quieſcent. Quòd ſi verò aliqui loquantur de ijs quò ad ſubſtantiam, occurrendum eſt priori ſolutione; aut etiam dicendum eos ſic locutos, ſuppoſità opinione Platonis, conſtituentis Cœlum ex materià elementari, ac proinde ab intrinſeco corruptibile; vt cum D. Thomà notavimus *diſp. præced. num. 27.*

SECTIO TERTIA.

Alia præcipua argumenta opinionis adverſæ ſoluta. Vbi an recentes ſtellæ in ipſo Cœlo generentur.

19 *SECVNDO* Adverſarij probant ſuam exiſtimationem: Quia experimento & tubis opticis, ſeu cōſpicilijs Aſtronomorum inſignium, tum Veterum, tum & Recentium, compertæ ſunt quandoque in Cœlo ſubſtantiales immutationes: quæ planè nullum haberent locum, niſi Cœlum naturà ſuà corruptibile eſſet. Aſſumptum ſuadetur: quia anno 1572. in ſigno Caſſiopeæ apparuit nova ſtella, initio Venerem magnitudine ſuperans, deinde poſt aliquos mēſes longè minor, ac tandem poſt bienniū ita imminuta, aut in nihilum redacta, vt penitus diſparuerit. Idemque quoddammodo accidiſſe refert anno 1604. Doctor Zamora, in hac Academiā Medicinæ & Aſtronomiæ Profeſſor, libro de eà re edito, vbi latè ſuadere conatur, in vtroque caſu novam ac ſubſtantialem generationem fuiſſe. Similia quoque ex Marco Varrone refert S. Auguſtinus *lib. 20. de Civit. cap. 8.* & ex alijs Nierembergius *vbi ſuprà.*

20 *RESPONDET* Clavius, & alij, lumen illud in Caſſiopeà viſum, non fuiſſe ſtellam aliquam, aut ſidus cœleſte; ſed cometam in ſupremà aeris regione generatum: ideoque nullam in Cœlo ipſo colligi mutationem. *SED Contrà.* Adhuc enim ſuppoſito quòd cometæ regulariter generentur infra Cœlum, & non tranſcendant ſummam regionē aeris (de quo inſtituenda eſt difficilis cōtroverſia *tract. de Meteor.*) iubar illud in Caſſiopeà viſum, & quædam alia, negari non poſſe videtur, in ipſo Cœlo ſedem habuiſſe. Quidquid enim æquali velocitate & eodē ordine, ac Cœlum ipſum, movetur, nequit eſſe in regione aeris longè tardiori, ſed in

ipſo

ipso Cœlo. At iubar in Cassiopeâ existens eâdem velocitate & ordine, ac Cœlum ipsum, movebatur: quod omnes ferè Astronomi eius temporis observarunt. Ergo iubar illud non erat in regione aëris, sed in ipso Cœlo. *Præterea.* Impossibile est aliquid in summo aëre existens simul videri è distantissimis locis: quia suprema aëris regio non nimiùm à terrâ distat, seu non vsque adeò, vt aliqua eius particula videri simul possit ab his qui Salmanticæ & Romam habitant. Atqui iubar illud simul visum fuit ab incolis locorum incõparabiliter remotiorum: nam quibus horis observabatur in Daniâ à Ticho, Romæque ab alijs, eisdem quoque notabatur à Iesuitis commorantibus Goæ in Orientali Indiâ, vt ex Camillo Glorioso, alijsq; refert Nierembergius. Ergo iubar illud nõ in summo aëre existebat, sed longè superiùs; imò & suprà nonnullos saltem Cœlorum orbes, ac prope ipsum firmamentum. Neque enim aliter potuisset simul è tam disitis plagis notari.

21 *QVARE* Resp. aliter, si quãdo lumina recentia in ipso Cœlo sedem habent, id non, nisi rarò, accidere. Cuius signum evidens est admiratio doctorum ac prudentium Astronomorum, tunc oriri solita quasi ad novum & inusitatum spectaculum. Quoties verò id accidit, nulla substantialis mutatio est. Neque enim Deus novum illud iubar creat in Cœlo quantùm ad materiam & formam: quia communis ac recepta doctrina est, nihil à Deo fuisse creatum ab ipsâ mundi conditione, præter animum rationalem. Nec etiam placet solutio quorundam aientiũ, Deum in ijs casibus destruere partem aliquam formæ cœlestis, & in eius locum substituere aliam, ex præexistente materiâ eductam. nam quanquam id sit absolutè possibile, vt *num.* 16. *fine* dictum est, adhuc importat substantialem mutationem, quæ non nisi evidenti ratione cogẽte admittenda est de facto in corpore incorruptibili. Vnde neque in ipsâ mundi catastrophe & vniversali excidio, admissimus substantialem Cœlorum innovationem. Superest itaque dicendum, in relatis eventibus accidere Cœlo solùm mutationem perfectivam accidẽtalemque, quatenus Deus partem aliquam lucis intendit in Cœlo, vt oculis appareat, in ostentum alicuius rei notabilis futuræ: prout communiter ab Historicis notatum est. Sic in sententiâ multorum ex Patribus, Cœlum quarto die ex formatione Solis nullam subijt mutationem substãtialem: sed eadem lux, quæ primo die facta fuerat, quarto die novam intensionem recepit, & plenum iam ac perfectum Solis vultum representabit. De quo legendus præ alijs Benedictus Pererius *lib. 1. in Genes. in Opere primæ diei num. 76. ad cap. 1. vers. 3.* vbi hunc dicendi modum amplectitur, & probat ex Dionysio & D. Tho. Vide etiam ipsum *eodem lib. in Opus quartæ diei, num. 125.* vbi Hieronymus Vielmium refellit, quòd asseruerit quarto die partes Cœli aliquas fuisse condensatas, vt sic in formâ Solis & stellarum apparerent; cùm tamen omnes à primâ die essent æqualiter raræ. Refellit, inquam, illum: tum ex incorruptibilitate Cœli, cui opponitur condensatio & rarefactio: tum quia sic oporteret Cœlum, præsertim octavũ, quarto die factum fuisse longè minus, seu strictius, quàm antea, propter innumerabilium partium condensationem, vt ex eâ resultarent innumerabiles & immensæ propemodum stellæ. Quare & nos solam lucis intensionem novam statuimus in relatis casibus, absque rarefactione, aut condensatione: illamque asserimus solũ afferre mutationem perfectivam, qualis & post mundi finem in toto Cœlo erit. Sic etiam quoties Luna ex integro ecclypsim patitur, propter interpositionem terræ ex diametro inter ipsam & Solem; postea paulatim ab obscuritate in lucem redit; non mutatione aliquâ substantiali; sed accidentali & perfectivâ tantùm.

22 *TERTIO* Probant, tum à priori, tum & à posteriori. A priori quidẽ: nam Cœlum est virtutis finitæ: omne autem quod virtute finitâ constat, naturaliter finem habere potest, proindeque ex se defectibile & corruptibile est. A posteriori autem: Tum quia Cœlum est alterabile ex accessione novæ lucis, vt modò fatebamur; omnis autem res alterabilis, eo ipso est corruptibilis: Tum etiam, quia movetur motibus contrarijs; cùm Luna motu diurno circumagatur ab Oriente in Occidentem; motu autem proprio ab Occidente in Orientem. Atqui diversitas & contrarietas motuum soli corpori corruptibili convenire potest; vtpote inde violentiam aliquam aut læsionem subeunti. Tum denique, quia quæ secundùm substãtiam mensurantur tempore, sunt corruptibilia,

tibilia, vt dici ſolet *lib.4. Phyſicorum.* At Cœlum ſecundùm ſubſtantiam menſuratur tẽpore. Ergo corruptibile eſt. Probatur minor. Eàdem namque menſura durationis menſurantur ſubſtantia rei & motus atque operatio connaturalis ipſius, vt cõſtat in Angelis, quorum cognitio, ſicut & ſubſtantia, menſuratur ævo. At operatio & motus Cœli menſurantur tempore, cũ hoc ſit propria menſura motus. Ergo & Cœlum ſecundum ſubſtantiam tempore menſuratur.

23 *RESP.* Probationem à priori præiactam nullius roboris eſſe: quia quod Cœlum virtutis ſit finitæ, non evincit corruptibilitatem naturalem ipſius; ſicut neque finitudo Angeli aut animæ rationalis illam probat. Solùm exinde infertur finem habere poſſe ex defectu concurſus conſervativi; non autem per corruptionem ſtrictè dictam; quia hæc oritur ex diſſidio qualitatum contrariarum, quibus Cœlum caret, ſicut & Angelus, & rationalis anima; vt probatum eſt *à num.6.* Ad primam probationem à poſteriori, ſicut nuper diximus mutationem illam Cœli ex acceſsione novæ lucis non eſſe corruptivam, ſed ſimplicem & purè perfectivã; ita etiam de alteratione dicendum eſt. Vnde nulla infertur corruptio. Ad ſecundam reſpõdetur, motus illos, quamquam oppoſito appareant, nullum Cœlo nocumentum, aut violentiam inferre; quia fiunt ſupra polos diverſos. Ad vltimam negatur minor: quia cùm motus Cœli ſit ſucceſsivus, & cuius vna pars perit ſuccedente alia, debet menſurari tempore ſucceſsivo. Idemque eſt de ipſius operatione in inferiora hæc, quã præſtat medio motu. Subſtantia verò Cœli ſucceſsiva non eſt, ſed permanens & æviterna: ideoque ævo menſuratur, ſicut & omnes ſtabiles Cœli proprietates. Quà eàdem ratione menſuratur ævo cognitio, quà Angelus intuetur ſeipſum, quoniam proprietas eius eſt, & ſimiliter æviterna; non tamen cognitiones aliarum rerum ab Angelo elicitæ. Hæ namque menſurantur tempore diſcreto, ſi diſcretæ ſint; continuo autem, ſi continuæ, vt dictum eſt *diſp.* 30. *ſect.* 3. prope finem.

SECTIO QVARTA.

Occurritur quarto & quinto argumento. Vbi an Cœlum ſit grave, aut leve? an etiam habeat ſupra ſe aquas, quibus alteretur? an Sol igneus?

24 QVARTO *Argument.* Cœlum naturâ ſua grave aut leve eſt. Ergo conſtat natura elementari, quia propria huius eſt gravitas & levitas, iuxta conditionem propriam cuiuſlibet elemẽti. Atqui omnia & ſingula elementa ſunt intrinſecè corruptibilia. Ergo Cœlum ab intrinſeco corruptibile eſt. Aſſumptum verò probatur: quia Cœlum conſtat verâ quantitate molis. Nequit autem eſſe vera quantitas molis, niſi grauis aut levis ſit.

25 *RESP.* negando antecedens: quod minimè extorquet probatio. Quantitas enim molis ex ratione ſuâ communi abſtrahit à gravitate & levitate, tam diſiunctivè, quàm copulativè, quia nec cum vtràque, nec cum alterutrà connexionem neceſſariam habet, niſi tantùm ex adiũcto, prout invenitur in aliquo ex quatuor elementis, quibus longè ſupereminet Cœlum. Quare illud nec grave nec leve eſſe tradit probatque Ariſtot. *hoc libr. capit.* 3. *textu* 17. & 18. vbi & D. Thomas *lect.5.* Albertus magnus *tract.1. cap.6.* Pererius *lib.2. in Geneſ. q.7.* Conimbricenſes in præſenti *cap.3. quæſt.1. art.2.* vbi teſtantur eſſe doctrinam communẽ Patrũ ac Theologorum. Ratio eſt quam *ſuprà num. 6.* inſinuavimus ex eodem Philoſopho: Quia omne corpus grave aut leve movetur ad medium mundi, vel à medio; grave, ad medium, ſeu cẽtrum mundi, ideoque naturaliter fertur deorſum, & violenter ſurſum; leve autem, à medio, ſeu centro naturaliter fertur ſurſum, & violenter deorſum. At Cœlum nec movetur ad medium mundi, nec à medio; nec deorſum, nec ſurſum; ſed circulariter tantùm. Ergo nec grave, nec leve eſt. Præterea. Ferri naturaliter ſurſum aut deorſum, eſt proprium elementorum, & mixtorum, quia ex eis ortum ducunt, vt ibidem ſtatuimus. Ergo cum diſputatione præcedenti *ſect.* 2. probatum ſit, Cœlum eſſe quintam ſubſtantiam à quatuor elementis & omnibus mixtis diſtinctam, ac longè ſuperiorem; probatũ etiã manet, naturaliter nec deorsũ, nec ſurſum fer-

ferti. *Vlteriùs.* Vni eidemque corpori naturali nequit esse connaturalis, nisi vnicus localis motus: quia inclinatio naturalis semper est ad vnum; & potissimũ in corporibus simplicibus, id est, non compositis nec formaliter, nec virtualiter, ex naturis specie diversis; & adhuc maximè in Cœlo, quod omnium corporum simplicissimum, ac perfectissimum est. Ergo cũ hanc ob causam Cœlo sit connaturalis motus circularis, qui est omnium perfectissimus; nequit ipsi cõnaturalis esse motus sursum, ac deorsum, qui gravium & levium corporum proprius est. Cœlum igitur, neque est grave nec leve.

26 *INSTANT* Recentiores. *Primò*: Quia Christus D. Lucæ 21. ait: *Stellæ de cœlo cadent.* At cadere proprium est corporum gravium. Ergo stellæ cœlestes corpora gravia sunt. *Secundò*: quia iuxta Arist. 4. *Physic. c.* 9. rarum & densum idem est ac leve & grave. At iuxta eundem in Cœlo datur rarum & densum, siquidem stellæ densiores sunt orbe, sive sphæra, in quà sunt, vt ait *lib.* 2 *seq. cap.* 7. Ergo & in Cœlo datur grave ac leve. Accedit iuxta eundem *l.b.* 1. *Meteor.* aliquas esse stellas cadentes, quod & oculis percipimus. *Denique*, cùm ascensus sit proprius levium, descensus verò gravium, videtur negari non posse, Solem quotidie ascendentem ab ortu, & descendentem in occasum, esse gravem, aut levem.

27 *RESP.* Christum D. relatis verbis non loqui de stellis firmamenti, quarum vel quælibet mediocris totum terrarum orbem obrueret; sed de stellis, sive cometis cœli aërij, casuris circa finẽ mũdi, vt communiter exponunt sacri Interpretes. Ad secundum ex Arist. dico rarum & densum ortum ex primis qualitatibus esse leve aut grave; non verò quod ex alia superiori naturâ procedit, qualis est cœlestis. Quippe raritas & densitas sunt accidentia communia corporum cœlestium ac terrestrium, vt *suprà num.* 9. dictum est. Quâ doctrinâ facilè conciliatur vterque Philosophi locus. Quod verò ex illo additur; circa stellas cadentes, de exhalationibus in aëre accensis intelligitur, & oculis ferè comprobatur. Ad vltimum dicimus, non omnem ascensum & descẽsum arguere levitatem & gravitatem, sed rectum tantùm, qui fit de vno loco ad aliũ. Motus autem Cœli, non rectus, sed circularis est, quamvis modò ascendat, modo descendat: ideoq; nec levitatem, nec gravitatem probat.

28 *QVINTO* Arguunt. Iuxta Scripturam aquæ super Cœlos sunt. Ergo infrigidant, ac proinde alterant Cœlum, ipsumque consequẽter ad corruptionem substantialem disponũt? *RESP.* Sicuti Cœlum Lunæ contiguum igni elementari nullam ab eo calefactivam alterationem patitur, quia sublimioris naturæ est, & ab inferiori naturaliter pati nequit; ita etiam dato quod à superiori parte contiguas habeat veras aquas, ab ijs nec infrigidari, nec alterari potest ob eandem rationem. Verum aquas illas nihil aliud esse, quàm Cœlum chrystallinum, existimant multi ex PP. quos allegat Pererius *lib.* 1. *in Genes. cap.* 1. *v.* 1. *n.* 95. Alij (omissâ & reiecta interpretatione Origenis, per aquas illas intelligentis Angelos) volunt aquas naturales supra Cœlorum orbes non esse vllas: illas verò quæ in sacris litteris *super cœlos* esse dicuntur, non alias existimari debere, quàm quæ in media aëris regione generantur, *Cœlum* appellari solita. Quod ex professo docet ac probat idem Pererius *à n.* 96. vbi & obiter affert notabilem Aristot. doctrinam *lib. Meteor. cap.* 5. vbi docet inter Cœlum & terram fluere per aëra ingens quoddam flmen sursum ascendens, & deorsum descendens perpetua vicissitudine, quod sanè difficilimum creditu est. Quacumque vero earum opinionũ statuta, neque apparens ratio est, vt ab aquis naturalibus infrigidetur altereturq; sphera cœlestis; quoniam supra illam nullæ sunt, sed longè inferius in media aëris regione, quæ sæpe in sacris & profanis litteris *cœlum* appellatur.

29 Possent quoque plura alia opponi argumenta, quibus Recentiores Astronomi, & cum ijs Sancta-Crucius in præsenti *à n.* 955. probare conãtur Solem formaliter esse igneum, ac proinde naturæ elementalis & corruptibilis. Summa eorũ hæc est. Quòd in sacris litteris *Psalm.* 118. de illo dicatur: *Nec est qui se abscõdat à calore eius.* Et Ecclesiastici 43. v. 2. *Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi. In meridiano exurit terram: & in conspectu ardoris eius, quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, &c.* Quibus nihil expressius esse posse videtur, vt Sol censeatur verè igneus, ardens, & flammeus. Eoque respicit

Ec-

Eccleſia in hymno illo: *Quartò die qui flãmeam Solis rotam cõſtituens, &c.* Et in alio: *Iam Sol recedit igneus.* Conformius ergo ſalteni eſt Scripturæ, & modo loquendi Eccleſiæ, quòd Sol igneæ naturæ ſit. *Secũdò*: Quia omne id quod ignitum apparet, illuminat, & calefacit; verè & formaliter igneum eſt: alioqui nec de ipſo igne, quẽ ob oculos habemus, conſtabit certò, eſſe naturæ formaliter igneæ. At Sol igneæ naturę apparet, quando tubo conſpicitur; & in eo videntur faculæ, & fuligines, & partes diſſimilares ex intrinſeco & ferè immenſo pabulo ſulphureo, aut ſimili, quaſi perenni, & duraturo vſque ad finem mundi ſaltem: ac præterea illuminat & calefaçit, vt ad ſenſum patet. Ergo Sol verè & formaliter igneus eſt.

30 *RESP.* ex ijs Scripturæ teſtimonijs, & modo loquendi Eccleſiæ, tantùm colligi Solem eſſe igneum virtualiter, ſeu eminenter, ſicut & calidum: quia lux formaliter in eo exiſtẽs, & quà in hæc inferiora influit, eminenter continet calorem ac ſiccitatem. Id enim cõgruit naturæ agentis vniverſalis & ſuperioris, vt virtus, quà in inferiora influit, qualitates illorum contineat eminenter aut virtualiter ſaltem. *Ad ſecundùm* negatur minor quò ad primam partem: quia nec vtentes tubo verè vident flammam aliquam in Sole, vti neque illam videre potuit S. Auguſtinus eodem inſtrumento vtens, vt ipſe ait *ſerm. 3. de Tempore.* Solùm vident lucem intenſiùs propter vnionem maiorẽ & vehementiorem radiorum viſualium, ideoque imaginantur ſe videre flammam ignis, aut carbonem accenſum. Illud autẽ quod de pabulo quaſi ſulphureo additur, duraturo vſque in finem mundi, videtur prorſus commentitium, & præſtigijs oculorum tribuendum, ob ſummam Solis diſtantiam à terra: tum quia nulla eiuſmodi materia in Cœlo eſt: tũ, & maximè, quia inde colligeretur, Angelos naturaliter & certò ſcire diem & horam Iudicij vniverſalis: quia agnoſcent plane quouſque duraturum ſit pabulum illud, & quando tãdem a Sole omnino abſumẽdum ſit; cùm totum id intra naturæ terminos coèrceatur, cuilibet Angelo comprehenſivè perſpectos. Ignem vero, quem ob oculos habemus, eſſe naturę formaliter igneæ, non ſcimus à priori, cum hoc modo nulla eſſentia a nobis cognoſcatur; ſed ab experimento, conſenſu omnium hominum, & cauſalitate aliorum ſimilium ſibi vnivocè in calefaciendo & illuminando. Non eſt autem vnde noſcamus Solem eſſe igneũ, neque ab experimento; neque à conſenſu omnium hominum; neque ex eo quòd videatur produxiſſe aliquid vnivocè ſimile ſibi in calefaciendo & illuminando: id enim nunquam præſtitit. Videmus enim vnum ignem ab alio productum, eſſe ipſi per omnia ſimilem: at nunquam videmus aliquem effectum à Sole productum eſſe omnino ſimilem Soli, ſed potiùs conditionis longè inferioris.

DENIQVE obijci poſſent ea argumenta, quibus Aſtronomi Recentiores probant plura meteora in Cœlo generari. Sed de ijs commodiùs agetur *tract. de Meteoris.* Vide aliud argumentum ex diviſibilitate, atque adeò & corruptibilitate quantitatis cœleſtis infrà *diſp. 66. num. 8.*

ILLVSTRISSIMO ET ERVDITISSIMO HEROI,

D. D. LAVRENTIO SANTOS DE SAN PEDRO,

IACOBEÆ MILITIÆ EQVITI, AC REGIO CONSILIARIO IN SVPREMO IVSTITIÆ SENATV, &c.

OPTAVI Iam diu exhibere publicum aliquod gratitudinis & obſervantiæ meæ teſtimonium, Ampliſsime & Litteratiſsime Vir: nec tamen hucuſque potui. Id exigebant tot beneficentiæ & comitatis Tuæ in me argumenta, & non obſcura ſigna humanitatis illius, quâ cunctorum animos rapis. illorum præcipuè, qui melioribus auris afflati, videntur ſupra vulgus litteratorum aſſurgere. Neque enim aliter fieri deceret, quàm vt amanter exciperes eos, qui Tecum aliqualem mentis cognationem habent, & ſcintillas quaſdam eius reconditæ eruditionis, quâ olim Maximum Tuum Ovetenſe Collegium, & hanc Salmanticenſem Academiam illuſtrasti. Teſtabantur id publicæ diſſertationes: ſive dum è cathedrâ, quaſi Achillis clypeo, irruentium Antagoniſtarum ſpicula hebetares: ſive dum è media aula, ſubtilitatis fulmine, ac vocis tonitru, Adverſarium impeteres, ac penè obrueres, & Tuæ ſpeculationi immolares. Teſtabãtur Prælectiones ſortitiæ, ſubitarijque animæ fœtus; verùm adeò expoliti, ac numeris omnibus abſoluti, vt non diurno, ſed diuturno tempore viderẽtur concepti. Teſtantur & hodie manuſcripta, nullo vnquam ævo interitura, quibus Profeſſores ac Petitores Academici, codices ſuos exornant, prælectiones illuſtrãt, & quaſi gẽmis auro intextis ditare ſtudent. Idem ipſe, qui olim è ſuggeſto dicturus ad clepſydram non invitabas, ſed rapiebas nominis fama confluentium hominum chiliadas; qui in floridiſsimo Hiſpanæ iuventutis viridario intentè auſcultabaris, & *VICTOR* audiebas; qui ſublimen Digeſti Veteris cathedram illuſtrabas: idem ipſe modò, ac quotidie ferè audiris. *TE* paſsim è cathedrâ appellant, ac ſuarum aſſertionum Vindicẽ volunt, quotquot ferè in vtroque Iure cathedris promerendis inſudant. Quippe id *TIBI* præ alijs commune eſt cum magnis ijs Tui Maximi Collegij Sodalibus, toto Orbe notiſsimis, Navarro & Covarrubia: vt quibus doctrinæ & ingenij præſtantiâ diſsimilis non es, nec celebritate inferior exiſtas. Addo inſuper, iuſtum etiam eſſe, vt quorum probitatem, iuſtitiam, modeſtiam, & *MORES ANTIQVOS*, ab ipſa adoleſcentia vſque modò expreſsiſti; ipſorum bonæ exiſtimationi ac famæ aliam ſimilem nactus ſis. Sed cur non ita accideret Viro adeò illuſtris ac cœlo probati Generis, re ſimul ac nomine *SANCTORVM*? Generis, inquam, tot Præſulibus Eccleſiæ, Regiorum Senatuum Præſidibus, Cõſiliarijs, ac Togatis, doctiſsimis & virtutum opinione clariſsimis, glorioſi. Generis, cuius *tot probati, quot geniti*, vel dum in terra ſunt, iam aſtris videntur accẽſi, & electorum Faſtis adſcripti. Quippe nihil aliud præſeferunt, honeſtiſsimâ vitæ periodo, atque irreprehenſibili morum progreſſu, *SICVT DECET SANCTOS*, vt Apoſtoli verbis loquar. Et ſanè non aliam, quàm *SANCTORVM*, viam inceſsiſſe hucuſque videris: quam ſacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres monent, non eſſe caducis hiſce & fluxis felicitatibus plenam; ſed plerunque calamitatibus & infortunijs obnoxiam. Quam enim aliam denotet, quòd poſt tot exantlatos labores, & inſignia erga R. P. merita, tum Salmanticæ, tum in Vallit Oletano Senatu, tum in Principatu Aſturicenſi, tum in ipſa Regis Catholici Curia, dein Hiſpali, poſtea in Canariẽſibus, alias Fortunatis Inſulis (nunquam conſque fortunatioribus) poſt hæc, inquam, omnia, communi bonorum luctu, atque Hiſpaniæ dolore, incideres medio mari, pluſquam in *infames ſcopulos Acroceraunia*? Scilicet, in crudeles Barbarorum manus: qui violato iure Gentium, vt aſſolent, *TE*, Tucſque indignæ captivitati addixerunt. Gemuiſti ſub Mauritaniæ iugo, abſque vlla antiqui ornamenti ſpecie, pallio ac prætextâ exutus, & tantùm ſervorum ſtigmate non inuſtus in fronte. Quiſquis *TE* videret ſub eâ quaſi dedititiorum peſsimâ conditione, & interea memoraretur præcedentem dicendi præcipiendique ſub ſolio maieſtatem, quâ rerum potiebaris; appoſitè ingeminaret vetus illud *Hei mihi qualis erat, quantùm mutatus ab illo!* Sola in *TE* permanſit *CONSTANTIA* antiqua, & magnitudo animi, ac vultus ſerenitas, atque erecta in Deum ſpes; qualiter decuit Chriſtianum Philoſophum, egregiamque animam, rebus hiſce temporaneis, ac fortunæ caſibus ſuperiorem. Neque enim hæc li-

ber-

bertas, omni altero pretiosior, *TIBI* erepta est, vel in arctâ custodia, & squallore carceris. Potuit Barbarorum perfidia captivum facere corpus: non mentē. Potuit separare *TE* à Tuis, sive consanguineis, sive amicis: verùm non à Teipso. Habebas quippe intra penitiora cordis proximius & charius aliquid, in quo requiescerēs; Deum ipsum. Et ne, adhuc inter Agarenos, exuiares omnino ab Academijs; captivitas *TIBI* fuit Schola patientiæ. Ipsæ miseri status ærumnæ, totidem volumina fuere, quibus Tua illa bibliotheca constabat. Nulla littera, nullus apex, non aptus ac vividus ad discendum *PATI ET MORI*. quod summæ sophiæ est. Verùm quemadmodum olim Marium captivitas in Consulē evexit, & pyratarum custodia Iulium Cæsarem Romano Imperio servavit: sic vtraque *TE* Summo Hispaniæ Consulatui restituit postliminio reversum, non minori omnium gaudio, quàm eripuerat luctu. Supereſt, vt quemadmodum in alios iustitiam simul & pietatem exerces, sic etiam vtrāque erga res Tuas exequaris. Iniustum erit tot scripta cedro ac cypresso digna, & vivido spirantia acumine, sepelire. Impium, negata lucis, quàm mentur, vsura, oblivioni temporum, quasi Cimmerijs tenebris, testamento legare. Enitere igitur, Clarissime Vir, quantùm succisivæ horæ permiserint, vt omnia illa quam primùm committantur prælo: vt nova Consultis affulgente luce sis, quemadmodū Hispaniæ, ita & Exterarum Regionum Oraculum. *VALE*, & perenna in ævum.

DISP. SEXAG. QVINTA.

DE PERFECTIONE CORPORIS COELESTIS.

Quanta & qualis sit?

Num. 1. *COELVM Materiâ & formâ constare diversæ rationis à nostrâ sublunari, & incorruptibile esse, ostensum fuit præcedentibus. Nunc alias illius perfectiones vestigamus, & vnicâ disputatione comprehendimus. Cùm verò iliæ variæ sint, & quædam veluti radices, seu rationes à priori aliarum, placet de ijs ordine quodam procedere; ac primò quærere, quanta sit Cœli perfectio præ alijs corporibus. Si autem maxima & prima omnium, an ideo figuram sphæricam, vel aliam potiùs exigat? Quæ omnia locum habent apud Aristotelem in præsenti* lib. 1. cap. 2. textu 5. 13. ac 16. & cap. 9. textu 100. & lib. 2. cap. 4. & 7. & 8. & 11. *vt legenti palam erit.*

SECTIO PRIMA.

An Cœlum excedat perfectione quælibet sublunaria?

2 *CVM* Perfectio cuiuslibet creaturæ sit duplex, vna essentialis, accidentalis altera; prior ex quiditate, posterior ex accidentibus ipsius æstimanda est. Manifestum est autē Cœlum, vt rovis modo consideratum, inferius esse homine absolutè loquendo: cùm hic ratione animę rationalis & spiritualis, quà essentialiter constat, & ratione potētiarum accidentalium, vt intellectus & voluntatis, operationumque nobilissimarum, quas ijs mediantibus elicit, omnino præmineat Cœlo, quod prorsus inanimatū & purè corporeum est, vt *disp. 63. sect. vlt.* vidimus. Quare controversia solùm est inter Cœlum ex vna parte, & cœteras res sublunares ex alia, sive inanimatæ sint, sive etiam animatæ quocumque vitæ genere infra rationale.

3 *SIT Assertio I.* Cœlum simpliciter perfectius est quibuslibet compositis sublunaribus inanimatis; non tamen animatis. *PRIOR* pars est communis, & illam vt minimùm tradit in præsenti Aristot. *lib. 2. cap. 4. initio*, vbi probat figuram Cœli debere esse primam, seu maximè perfectam, quia debet esse σχῆμα οἰκειότατον τῇ οὐσίᾳ αὐτῆ: *schema accommodatissimū substantiæ ipsius.* quo planè supponit substantiam Cœli esse primam omnium, & summè perfectam inter corporeas. Et postea *textu* 26. id ipsum exprimit dum ait: *Cùm autem prima figura primi sit corporis, &c.* Quod etiam ratione patet: Quia intra genus corporis inanimati de prædicamento substantiæ illud, cæteris paribus, censendum est perfectissimum omnium, quod est simplicissimum, incorruptibile,

ac lucidissimum. At solùm corpus cœleste est eiusmodi, vt præcedentibus probatum est, & ampliùs constabit ex progressu huius tractatus; aliundeque cœtera sunt paria in reliquis compositis inanimatis. Ergo corpus cœleste perfectissimum eorum omnium est.

4 *POSTERIOR* Pars, in quà maior apparet difficultas, expressa est S. Augustini *lib. 21. de Civit. cap. 16. & lib. de duabus animabus cap. 4.* vbi muscam anteponit Soli. *Et lib. de Vera Relig. cap. 9.* cùm Cœlorum perfectionem ac pulchritudinem varijs elogijs celebrasset, subdit: *Non qualiscunque moles, quamquam ista visibili luce præfulgeat, si vita careat, magni æstimanda est: QVÆLIBET NAMQVE VIVA SVBSTANTIA CVILIBET NON VIVÆ SVBSTANTIÆ NATVRÆ LEGE PRÆPONITVR.* Idem tradit S. Thomas 1. *contra Gent. cap. 20. & q. 6. de Potentia art. 6. ad 13.* ac denique 1. *p. q. 3. art. 1. corp. ratione tertiâ*, vbi probat Deum non esse corpus hoc discursu: *Deus est id quod est nobilissimum in entibus, vt ex dictis patet. Impossibile autem est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus: quia corpus, aut est vivum, aut non vivum. Corpus autem vivum manifestum est quòd est nobilius corpore non vivo. Corpus autem vivum non vivit in quantùm corpus, quia sic omne corpus viveret. Oportet igitur quòd vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem per quod vivit corpus, est nobilius quàm corpus. Impossibile est igitur Deum esse corpus.* Hæc S. Doctor: ex quibus patet, corpus vivum nobilius ac perfectius esse corpore non vivo; & quidem perfectius simpliciter; quia eiusmodi excessum in Deo supponit D. Thomas relatè ad omnia entia, vt inde assūptum probet. Cùm ergo Cœlum nō sit corpus vivum, sed inanime prorsus, vt idem S. Doctor ex professo docet 1. *p. q. 70. art. 3.* planè sequitur, iuxta ipsius sententiam, quælibet corpora animata esse simpliciter perfectiora Cœlo. Quare hanc sententiam amplexantur Caietanus & Bañez ac Ferrara *in prædicta loca*, Conimbricenses *in præsenti cap. 1. q. 2. art. 2.* Rubio *q. 2.* Philippus à SS. Trinit. *q. 4. art. 4.* Lalemãdet *disput. 8. part. 2. clypeo 2. ad 9.* Pontius *disp. 22. q. vlt. concl. 3. num. 109.* & novi simè Ioannes ab Annuntiatione, observantissimi, ac multis nominibus venerandi Collegij S. Eliæ, Carmelitarum Excalceatorum huius vrbis Salmanticensis Lector Primarius, in subtili ac dilucido tractatu de Cœlo *disp. 1. q. 8.*

5 *RATIO* Assertionis quò ad eandem posteriorem partem est: Quoniã omne compositum forma simpliciter perfectiore constans, est simpliciter perfecti⁹. At omne compositum animatum constat formà perfectiore simpliciter, quam Cœlum. Ergo est simpliciter perfectius Cœlo. Consequētia est in *Barbara*, & maior certa, quia omne compositum desumit suam præcipuam perfectionem à forma, quà constat: ideoque & ipsi Adversarij *n. 12.* allegandi concedunt Cœlum esse simpliciter imperfectius animalibus perfectis, vt leone, & equo. Minor autē suadetur ratione illa generali, quà Philosophi frequenter vtūtur in libris de Animâ, vt probent animam rationalem esse simpliciter perfectiorem purè sentiente; & hanc, vegetante. Scilicet, omne compositum constans formâ elevatiore supra conditionem materiæ, eo ipso costat forma simpliciter perfectiore; quia perfectio maior formæ consistit in maiori elevatione supra conditionem materiæ. Atqui omne compositum animatum constat formà elevatiore supra conditionem materiæ, quam sit forma Cœli. Ergo cōstat forma simpliciter perfectiore, quam Cœlum. Probatur minor: Quia forma cuiuslibet compositi animati, vltra gradū corporis, addit gradum aliquem vitæ, per quem elevatur supra materiam & quælibet inanimata: Cœlum autem constat formà prorsus inanimi, vt *disp. 63. sect. vlt.* probatum est, ac proinde ex gradu specifico nihil addit quo elevetur supra conditionem materiæ, vel inanimatorum. Ergo omne compositum animatū constat formà elevatiore supra conditionem materiæ, quàm sit forma Cœli.

6 *CONFIRM.* Omnis perfectio creaturarum tantò maior vel minor est simpliciter, quantò magis vel minùs accedit ad participandam & imitandā naturam sui primi principij, quod est Deus. Ideoque Theologi communiter cum D. Th. 1. *p. q. 93. art. 2.* probant creaturas rationales præferri quibuslibet alijs ratione carentibus, quia præ ijs participant & imitantur naturam Dei consistentem in gradu vitæ intellectualis; & adhuc intra hunc Angelus perfectior est anima rationali, quia magis participat & imitatur naturam

turam Dei, quò ad gradum vitæ intellectualis. At quælibet composita animata magis quàm Cœlum accedunt ad participandam & imitandam naturam Dei. Ergo sunt perfectiora simpliciter Cœlo. Probatur minor. Natura Dei iuxta frequẽtem sententiam (de quà latè egi *tom.2. Theologiæ Florulentæ Lud. x1.*) importat metaphysicè vitam intellectualem, ita vt ratio *vitæ* sit quasi generica; ratio autem *intellectualis*, sit quasi differentia specifica, vt loco allegato loquitur S. Thomas. At quælibet composita animata accedũt magis, quàm Cœlum, ad participandã, & imitandam vitam intellectualem Dei; quia saltem participant & imitantur illã, quatenus vita est, licèt non quatenus intellectualis est; cum tamen neutrum horum Cœlo conveniat. Magis ergo accedunt ad participandam & imitandam naturam Dei.

7 *DICES*, excessum hunc animatorum supra Cœlum abunde compẽsari, imò & superari simpliciter excessu alio Cœli maiore supra animata quælibet, penes simplicitatem, & incorruptibilitatem, quibus animata carent. *SED Cõtrà I.* Etiam materia prima excedit quodlibet vivens, & sentiens, imò & quodlibet animal rationale, penes simplicitatẽ, & incorruptibilitatem, vt patet. Et tamẽ absolutè & simpliciter imperfectior est, quia solùm accedit ad participandum & imitandum Deum penes gradus communissimos entis & substantiæ; viventia autem, & præsertim rationalia, ad specialiores gradus vitæ & intellectualitatis. Ergo similiter licèt Cœlum excedat quælibet animata penes simplicitatem & incorruptibilitatem, erit absolutè & simpliciter imperfectius; quia solùm participat & imitatur Deum penes gradus communissimos entis & substantiæ; animata autem vlterius penes gradum specialiorem vitæ. *CONTRA II.* & redditur ratio à priori. Excessus solùm quò ad accidentia est simpliciter minor, quàm excessus quò ad gradum substantialem vitæ. At excessus Cœli penes simplicitatem & incorruptibilitatem, est solùm penes accidentia, excessus autem animatorum est quò ad gradum vitæ substantialem. Ergo excessus Cœli penes simplicitatem & incorruptibilitatem est simpliciter minor, quã animatorum. Maior ex terminis liquet, & minor similiter quò ad posteriorem partem. Quò ad priorem verò suadetur facilè: quia Cœlũ non dicitur simplex, quasi careàt compositione substantiali ex materià & formà, vt probatum est *disp. 63. sect. 1.* & fatentur Aduersarij; sed quia caret compositione primarum qualitatum, quibus constant elementa, & mixta: vnde etiam oritur vt incorruptibile sit: quod satis *disp. 64. sect. 1.* probatum est. Ergo tã simplicitas, quam incorruptibilitas formalis, est penes accidentia, aut carentiã determinatorum accidentium: quia, nimirum, primæ qualitates accidẽtia sunt. Ergo excessus Cœli penes simplicitatem & incorruptibilitatem, solùm est accidentalis. *CONTRA III.* Carentia accidentium & incorruptibilitas in Deo, seu æternitas, non constituunt metaphysicè naturam, sed illam præsupponunt constitutam gradu vitæ intellectualis; ideoque sunt quasi accidentia lògica, aut metaphàsica ipsius. Ergo excessus Cœli penes carentiã accidentium prædictorum & incorruptibilitatem, ad summum accedit magis ad quædam quasi accidentia logica Dei; excessus verò animatorum magis appropinquat ad ipsam Dei naturam. Ergo excessus Cœli simpliciter minor est, quàm animatorum. Quà etiam ratione, licèt duratio, & relatio, & volitio creata, magis accedant ad durationem, relationem, & volitionem diuinam, quas expressè imitantur, quàm substantia Angeli, & animæ rationalis; adhuc ab his simpliciter exceduntur; vtpotè participantibus substantialiter naturam Dei, non autem sola ipsius quasi accidentia.

8 *SECVNDO* Probatur: Quia cùm natura ex suà ratione formali sit principium primum ac per se operandi, illa erit simpliciter perfectior, quæ fuerit radix operationum simpliciter perfectiorum. At natura cuiuslibet animati, tum in genere, tum & in specie, est radix operationum simpliciter perfectiorum, quàm sint operationes naturæ cœlestis. In genere quidem: quia operatio vitalis genericè sumpta est motus à principio intrinseco se mouente; operatio autem Cœlorum, solùm est motus ab alio, vt principio extrinseco: manifestum est autem moueri à se ipso vt principio intrinseco, esse quid simpliciter perfectius, quã solùm extrinsecè moueri ab alio. In specie autem idẽ constat, loquendo de animatis sensitivis: habent enim cognitionem aliquam, &

ca-

capiunt veram delectationem in appetitu, quantumvis imperfecta animalia sint. Palam verò est operationes eiusmodi esse perfectiores & longè appetibiliores, quàm cœlestes, quarum nulla ad cognitionem, vel delectionē assurgit. Ergo naturā cuiuslibet animati, tum in genere, tum & in specie, est radix operationum simpliciter perfectiorum, quàm cœlestium; ideoque & perfectior simpliciter est.

9 *CONFIRMATVR* speciàtim contra Aversam, cuius opinione animalia perfecta, scilicet, quæ generantur medio semine, sunt perfectiora Cœlo; secus verò imperfecta. Hoc autem inconsequenter dictum videtur. Quod enim generentur hoc vel illo modo, nihil attinet ad maiorem perfectionem, vel minorem simpliciter; quæ tantum diiudicanda est ex eo quòd natura aliqua sit radix perfectiorum aut imperfectiorum operationum, quàm alia. quà ratione ostensum est iam naturam cuiuslibet abiectissimi & despicabilis animalculi præeminere cœlesti. Quin etiam, cùm eorumdem animalium perfectorum alia alijs perfectiora & imperfectiora sint possibilia in infinitum syncathegorematicè, & tamen omnia asserantur præeminere Cœlo; ita etiam quamvis reptilia, & alia eiusmodi, sint minùs perfecta, quia tamen conveniunt in perfectione cognoscendi & appetendi, erunt Cœlo perfectiora simpliciter.

10 *PRÆIACTO*, Et sic confirmato discursu, corruit evasio Adversariorum aientium, animata præeminere Cœlo ex capite rationis genericæ, quia perfectior est gradus viventis, quàm inanimati; excedi autem ab ipso simpliciter ex capite rationis specificæ: sicut virtutes intellectuales ex genere suo sunt perfectiores affectivis; & tamen in specie aliqua virtus affectiva, vt charitas, supereminet omnibus virtutibus intellectualibus. Idque proportionaliter habere locū in præsenti sibi persuadent: quia licèt nutritio vilissimæ plantulæ, quatenus vitalis, excedat operationem, quà Cœlum influit in omnia sublunaria genericè solùm consideratam; aliunde nequit non excedi ab illa simpliciter, veluti à longè nobiliore & excellentiore secundùm speciem; vtpote afferente bonum commune.

CORRVIT, Inquam, præiacta evasio: cùm probatum iam sit animata, non modò in genere, sed in specie, esse principia per se operationum simpliciter perfectiorum, quàm cœlestium. Quare motus ille nutritionis & augmentationis specialis, quà quælibet plantula intra propriam speciem alitur & crescit, cùm sit à principio se movente per propriam & intrinsecam formam, physicè & metaphysicè excedit specialem Cœli motū, quanquam in omnia sublunaria influentem. *VRGETVR* hæc consideratio. Maior enim perfectio physica & metaphysica operationum, non est æstimanda ex bono communi, sive vtilitate, quam affert; sed tantùm ex ratione quidditativà & essentiali. Quod, vel ipsi Adversarij fateri tenentur, tum in operationibus animalium perfectorum, quas nonnulli eam ob causam aiunt præeminere cœlestibus, licèt longè minorem vtilitatem bono communi, aut nullam afferant: tum & in operationibus Theandricis Christi intrinsecè naturalibus intelligendi & volendi; quæ licèt maiorem convenientiam mundo attulerint, quam intellectio & volitio naturalis Angeli omnium infimi; adhuc physicè & metaphysicè ab his simpliciter exceduntur. Ergo pariter, licèt operatio Cœli influentis in omnia sublunaria afferat communem vtilitatem, quā nō affert nutritio vilissimæ plantulæ, aut motus progressivus formicæ; adhuc physicè & metaphysicè excedetur ab his simpliciter, quia exceditur penes quidditatem, seu prædicata essentialia. Sic etiam margarita ingentis pretij, aut talentum auri, magnam tibi, aut etiam Reipublicæ vtilitatem afferet; cùm tamē formica, prorsus inutilis, ex ratione essentiali, tam genericà, quàm specificà, præmineat simpliciter. Sic denique quælibet intellectualis cognitio hominis, quanquam sæpe inutilis sit, etiam iuxta Adversarios, physicè & metaphysicè superat operationē & influxum cœlestem. De quo audire par est S. Augustinum *lib. 21. de Civit. cap. 16.* vbi inquit: *Est autem alius pro suo cuiusque æstimationis modus. quo fit vt sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus. Quis enim domi suæ panem habere, quàm mures; nummos, quàm pulices, malit? Sed quid mirum, cùm plerumque cariùs comparetur equus, quàm servus; gemma, quàm fabula?*

11 Quod verò additur de virtutibus intellectualibus relatè ad affectivas, retor-

retorquetur in Adversarios: quia quod virtus aliqua intellectualis perfectior ex genere suo possit esse imperfectior secundū speciem aliquà virtute affectivà, potest provenire ex duplici capite: primò, quòd hæc præ illà sit in ordine supernaturali: secundò ex eo quòd licèt vtraque sit in supernaturali ordine, affectiva tamen sit formalis participatio voluntatis divinæ, & intellectualis non sit participatio formalis divini intellectus, nisi virtualiter tantùm. Ratione primi prudentia adquisita ex specie suà est inferior quolibet habitu affectivo supernaturali, licèt sit superior ex genere habitus, seu virtutis intellectualis. Ratione secundi, habitus fidei ex specie suà inferior est habitu charitatis, quem alioqui genericè superat. Idemque proportionaliter est de actibus pravis & oppositis eisdem virtutibus, si inter se cōparentur: quia, iuxta Aristotelem, illud est melius, cuius oppositum est peius. Neutra autem prædictarum rationum vrget, aut invenitur in operationibus animatorum relatè ad cœlestes; tum quia vtræque sunt intra naturæ ordinem; tum quia posteriores præ prioribus no sūt participationes formales intellectus aut voluntatis divinæ, aut alicuius actus earum; cùm non habeant rationem actuum vitalium, & multò minùs intellectionis ac volitionis. Ergo operationes Cœli ex omni capite, id est, tam generico, quàm specifico, exceduntur ab operationibus proprijs animatorum.

12 *OPINIONEM* Contrariam tuentur, præter nonnullos Antiquorum, Canus & Victoria apud Bañez *vbi suprà*, Zumel 1.*p.q.* 3.*ar.* 1.*concl.*4. Pererius *lib.* 2.*de Rebus Natur.cap.*6. vbi præponit simpliciter Cœlum omni animali, etiam perfecto, præter hominem, quatenus constātem rationali animo: in quo dissidet ab Aversa, qui, vt diximus, solis imperfectis animalibus præfert Cœlum.

13 *PROBANT I.* ex Aristotele, qui in *lib.*1. *huius tract. cap.* 2. *textu* 13. vbi loquens de Cœlo ait, *aliam quamdam in ratione rerum corporis substantiam esse, præter eas corporum constitutiones, quæ hic sunt, diviniorem his vniversis, atque priorem.* Vbi omnibus substantijs sublunaribus præfert Cœlum. Et fine eiusdem capitis textu 16. concludit: *Quapropter ex his omnibus rationibus quispiam crediderit, aliud quoddam esse corpus, præter ea corpora, quæ hic, & circa nos sunt, separatim, tantò præstabiliorem habens naturam, quantò plus ab istis corporibus distat.* Quod non, nisi de excessu Cœli simpliciter vltra omnia sublunaria, accipi potest. Et *cap.* 9. *eiusdem libri textu* 100. docet Cœlum esse corpus immortale & divinum, à quo cæterorum corporum pendet esse. Ac tandem *lib.*1. *de Partibus Animalium cap.*5. ait res naturales æternas, quales sunt Cœli, tantùm præstare alijs rebus naturalibus, vt cognitio illarum, vel exigua, excellentior sit & æstimabilior, quàm istarum exactissima scientia. Ergo quia cœlestis natura cæteris quibuslibet rerum sublunarium est sublimior ac perfectior incomparabiliter.

14 *RESP.* Aduersarios debere etiam se expedire ab eodem argumento: nam si quidquam probat, evincit sanè Cœlum simpliciter perfectius esse quibuslibet animalibus, etiam perfectis; cùm Aristoteles vniversim loquatur de corporibus omnibus infra Cœlum, eaque ipsi postponat. Imo & de ipso homine eodem stylo loquitur *lib.*6. *Ethic. ad Nicomachum cap.*7. in scripto περὶ σοφίας, *de sapientia*: vbi cùm præmisisset, hominem esse omniū animalium quàm optimum, sive perfectissimum, subdit statim: καὶ γὰρ ἄνθρωπος ἄλλα πολὺ θειότερα τὴν φύσιν, οἷον τὰ φανερώτατά γε, ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν. *Sunt enim & alia homine multo diviniora secundū naturam: vt ea, quæ omnibus maximè sunt in conspectu, ex quibus hic mundus conflatus & coagmentatus est.* Vbi planè naturam Cœlorum, quos in prospectu habemus, præfert humanæ, veluti multò diviniorē; & certè eodem stylo, ac hominem cæteris animalibus, & sapientiam quibuslibet scientijs, vt ex contextu patet. Videant ergo Aduersarij qualiter inoffenso Aristotele tueantur hominis naturam esse simpliciter perfectiorem cœlesti.

Nos certè sic prædicta omnia testimonia accipimus, vt in ijs loquatur Aristoteles de Cœlo, non penes naturam secundùm essentialia cōsideratam, sed quò ad modum essendi incorruptibiliter. quà ratione Cœlum est quid longè divinius omnibus naturis corporeis, & ipso homine; licet sub priori consideratione ab illo, & quibuslibet animantibus excedatur. Aut cum alijs dici potest, Aristotelem locutum de Cœlo, non seorsim ab intelligentia motrice; sed prout eidem coniuncto. quo sensu excellit sine dubio omnia ani-

animantia & ipsum hominem; licet seorsim ab jis excedatur. Quanquam hæc solutio, minùs conformis appareat eidem Philosopho: qui in præiactis locis ait Cœlum habere præstabiliorem, diviniorẽque naturam. Nomine autem naturæ, nisi improprijssimè loquamur, non accipitur extrinsecus rei motor, sed quod rei intrinsecum est; sive sit ipsa quidditas, sive modus habendi illam, sive tandem illa prout subest tali modo.

15 *PROBANT II.* Præstantior materia exigit formam præstantiorem, & subinde cùm eâ constituit totum simpliciter excellentius. At materia cœlestis est perfectior sublunari, & alterius ac superioris rationis, vt *disp. 63. sect. 2.* traditum est. Exigit ergo formam præstãtiorem, & proinde cum ea constituit totum simpliciter excellẽtius. *Confirm.* Quia accidentia nobiliora non conveniũt, nisi naturæ excellentiori. Cùm ergo ad sensum pateat Cœlo convenire accidentia nobiliora, quàm animantibus, etiam naturæ simpliciter perfectioris censendum est.

16 *RESP.* Retorquendo obiectionem, veluti nimiùm probantem, & ex quà inferri pariter possit, formam rationalem esse simpliciter inferiorem cœlesti, quia exigitur ab ignobiliori materiâ. Deinde dico, vt materia cœlestis sit perfectior sublunari, non esse opus receptione formæ perfectioris quò ad quidditatẽ, sed solùm quò ad modum informandi inamissibiliter ab intrinseco. Quà posteriori ratione fatemur Cœlorum formas præeminere quibuslibet sublunaribus, quanquam hæ, si viventium propriæ sint, excedant priori sensu. Perfectio autem quidditativa compositi, non ex inamissibili vnione, sed ex ratione essentiali partium æstimanda est. Sic flos exiguæ durationis, & vermiculus nullius ferè consistentiæ, excedit perfectione quidditativà chalibẽ, & adamantem, longè diuturniores. *Ad Confirm.* concesso antecedente negatur suppositum consequentis: cùm apertè cõstet animata quælibet, & viventia, etiam infra hominem, constare accidẽtibus quibusdam longè perfectioribus; nimirum, potentijs vitalibus; quamvis in alijs accidentibus, vt claritate, & perennitate, excedantur. Sic etiam chrystallus claritate & duratione superat animalia quæque, cùm tamen in alijs accidentibus proprijs, seu potentijs operativis, longo excedatur intervallo.

17 *PROBANT III.* Omnis causa æquivoca superat perfectione essentiali effectum. At Cœlum est causa æquivoca animantium, saltem imperfectorum. Ergo ijs saltem perfectius simpliciter est. Maior videtur certa: quia omnis causa æquivoca differt essentialiter ab vnoquoque effectuum seorsim accepto, & præter illius perfectionem continet plures alias diversorum, omne autem quod ita continet perfectionem vnius, vt prætetea aliorum perfectiones diversas cõtineat, nequit non esse perfectius essentialiter. Minor autem suadetur. Nam animalia quædam imperfecta, vt pulices, cimices, & vermes, à nullo agente particulari producuntur, quàm à Cœlo, cùm non procedant alia ab alijs per seminalem propagationem. Ergo cùm aliunde diferant specie inter se, Cœlum non est causa vnivoca, sed æquivoca respectu illorum: siquidem ratio causæ æquivocæ cõsistit in extensione ad producendum effectus specie diversos. *CONFIRM.* Omne enim quod efficienter principaliter causat aliud, debet esse vt minimùm æqualis perfectionis, aut superioris. At Cœlum efficienter principaliter causat animata quælibet, & ipsum hominem, iuxta illud, *Sol & homo generant hominem.* Ergo Cœlum est vt minimùm æqualis, aut etiam superioris perfectionis.

18 Etiam hoc argumentum, eiusque confirmatio, retorqueri possunt, quia verè præferũt Cœlum homini, cuius causa æquivoca est, & principalis, si etiam alia viventia principaliter causat. At revera nihil extorquent: quia Cœlum est causa æquivoca, non tamen principalis, sed instrumentalis viventium; quoniam ea non producit virtute propriâ, sed alicuius substantiæ separatæ, cui in agendo subordinatur: atque adeò non debet continere, nec formaliter, nec eminenter perfectionem viventium. Quæ doctrina delumitur ex D. Thomâ 1. p. q. 70. ar. 3. ad 3. dicente: *Corpus cœleste, cùm sit movens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis. Et ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia viva, potest causare vitam.* Neque obstat quod idem S. Doctor postea q. 115. ar. 3. ad 9. addit: nẽpe, cœlestia corpora suâ vniversali virtute continere quidquid in inferioribus genera-

neratur. Non, inquam, obstat: quia posteriori hoc testimonio loquitur de corpore cœlesti non seorsim & nudè sumpto, sed prout coniuncto motori extrinseco; quà ratione continet, imò & superat perfectionem animalium omnium. Ex quibus patet ad confirmationem. Vide plura alia *infra disp.69.*

SECTIO SECVNDA.

An Cœlum sit perfectæ, ac proinde sphæricæ figuræ?

19 SIT II. *Assertio.* Eo ipso quòd Cœlum sit perfectius quibuslibet alijs corporibus, debet constare, & reipsa constat figurâ sphæricâ. Hanc etiam assertionem expressè tradit Arist. *hoc lib.2.cap.4.init.*; vbi D. Thomas *lect.5.* Idem ex antiquis docuere Cicero *lib.2.de Nat.Deorum*, Ptolemeus *lib.1.Editionis magnæ cap.3.* S. Dionysius *cap.4.de Divin. nomin. §.4.* prout exponitur à S. Maximo, & Georgio Pachymerio; alijque quam plurimi, quos allegat Martinẽgus *in Glos à Magna litter. ad s.1.Genes. pag.* 612. Alb. Magnus *in præsenti tract.2.c.1.* & tandem ex Recentioribus Nierembergius *lib.4.Hist.Nat.c.5.* Thyræus *de iudiciariâ Christi aparit.c.26.n.104.* Noster Illustrils. Zerda *in Mariâ Effigie Trin. Acad. 19.sect.4.num.* 42. Omnibusque vberius eruditils. Henao *exercit. 13.sect.3.suæ amœnissimæ Empyreologiæ*; quibus consentiunt cœteri Recentiores Philosophi, Astronomi, ac S. Scripturæ Interpretes. Et colligitur ex sacris litteris: quoniam Ecclesiastes 1.v.5. dicitur: *Oritur Sol & occidit, & in locum suum revertitur: ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniversa in circuitu, pergit spiritus, & in circulos suos revertitur.* Et Ecclesiastici 24.v.8. nomine diuinæ sapientiæ dicitur: *GYRVM COELI GIRCVIVI SOLA.* Atqui manifestum est, si Cœlum sphæricæ figuræ non esset, sed alterius cuiuslibet, nec locum fore vt Sol gyraret per Meridiem, flecteretur que ad Aquilonem; nec vt reverteretur in circulos suos; nec tandem vt sapiẽtia Dei circuiret Cœli gyrum. Vnde & pervulgatum inter omnes doctos & indoctos est, vt Cœli, ac sphæræ cœlestes, pro eodem habeantur.

20 *RATIO* Aristotelis pro hac verà & communi sententiâ est, quam attingit initio capitis quarti, iam allegati, dum ait: Σχῆμα δ' ἀνάγκη σφαιροειδὲς ἔχειν τὸν οὐρανόν. *Figuram autem rotundam habere Cœlum necesse est*, &c. vt suprà num.3. retulimus. Vnde sic proponi potest. Figura est quoddam accidens corporis quanti, ac proinde debet esse ipsi proportionata & conformis. Ergo figura corporis quanti primi, simplicissimi, perfectissimi, & capacissimi, debet esse pariter prima, simplicissima, perfectissima, & capacissima. At tale est corpus cœleste, & talis figura sphærica. Ergo corpus cœleste, sphæricæ figuræ est. Probatur minor enthymemati subiuncta, in quâ solâ potest esse dissidium. Etenim in vnoquoque genere vnitas est prior multitudine, atque adeò in genere figuræ planæ illa est omnium prima, quæ maximè vna est. Hæc nulla alia esse potest, quàm sphærica, quæ vnicâ linea constat; cùm tamen aliæ ex pluribus componantur. Similiter & in genere figuræ solidæ, sphærica est prima, & maximè vna: nam qualiter se habet circulus in figuris planis, ita & in solidis sphæra. Ergo figura sphærica omnium prima est. Iam verò quòd sit omnium simplicissima, patet: quia simplicius est vnum, quàm multa, intra quodlibet genus. Si igitur sphærica figura vnitatem habet in suo genere, & cœteræ omnes multitudinem; illa certè omnium simplicissima est. Esse verò pariter perfectissimam, suadetur: quia illud dicitur perfectissimum in quolibet genere, cui neque quidquam deest, neque aliquid addi potest. At eiusmodi est figura sphærica præ alijs: nam neque aliquid ipsi deest, vt circulum perfectum, seu rotundum efficiat; neque in eo additamentum recipere potest, retentâ propriâ ratione; cùm habeat finem indiuisibiliter coniunctum principio; quod tamen locum non habet in cœteris figuris, quibus semper fieri potest additio in infinitum, quoniam rectis lineis constant, semper ad aliud terminatis. Patet igitur sphæricam figuram esse perfectissimam omnium. Denique quòd etiam sit omnium capacissima, inde conuincitur, quia nullis angulis impeditur, quominus plura intra se contineat; cùm ijs prorsus careat: cœteræ autẽ modò pluribus, modò paucioribus angulis constant. Igitur omnium capacissima est quo ad continentiam aliorum, quæ Cœli propria est. Vnde & minorem occupat lo-

locum, quam aliæ, vt Archimedes lib. περὶ ἰσοπεριμέτρων demonstrat; quia & hoc est figuræ perfectissimæ cõsentaneũ: idemque probat Arist. in præsenti ex summa celeritate motus cœlestis: qui eo ipso fieri debet per minimam lineam, qualis est corporis sphærici, seu rotundi, Quare meritò Cicero vbi suprà elegantissimà periodo illam celebrat, dum ait: *Quid pulchrius figurâ, quæ sola omnes alias figuras complexa continet; quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest; nihil incisum angulis, nihil confractibus, nihil eminẽs, nihil lacunosum?* Vbi & Platonem pro eodem placito accersit. Imò & de peripherijs, seu circuitibus Græcæ linguæ conqueritur Macrobius *Saturn. l.7.c.5.* dum ait: *Nihil tam indignum toleratu, quàm quòd aures nostras Græca lingua captivas tenet, & verborum rotunditati assentiwe cogimur, circumventi volubilitate sermonis, qui ad extorquendam fidem agit in audiẽtes tyranum.* Quasi non solùm figura mathematica, sed & rhetorica, si rotunda sit, omnia vincat, & nullum non superet intellectũ. Et Philippus Abbas *tom. 2. in Cantica* Vniversim loquens, *Quidquid est rotundum*, inquid, *videtur esse perfectum.* Vide etiam plura variæ eruditionis apud N. Zerdam *tom. 1. in Iudith. cap. 8 sect. 54. morali.*

21 *CONFIRMAT* Aristoteles: Quia cùm motus Cœli sit velocissimus, debet ipsi competere figura omniũ maximè apta ad motum eiusmodi. Hæc autem sphærica est: quia motus qui fit per lineam sphæricam, cæteris paribus, est minimus, ac proinde velocissimus inter omnes motus, quibus aliqua res ab eodẽ puncto ad idem punctum redit, eò quòd linea circularis sit minima earum omnium, quæ revertuntur ad eundem terminum, à quo exeunt. *Præterea.* Cœli inferiores moventur motu oppositio motui primi mobilis super diversos polos. Ergo oportet vt omnes sphęrici, seu rotũdi sint. Alioquì enim mutuò se colliderent, & necessariò disrumperentur, aut penetrarentur. quæ omnia naturaliter repugnant. *Denique.* Stellæ omnes fixæ eandem semper distantiam servant relatè ad terram, vt Astronomi observant, & ad sensum patere videtur. Si autem Cœlum non esset sphæricum, sed alterius figuræ, stella in eo fixæ non semper & vbique eandem à terrà distantiam servarent, sed modò maiorem, modò minorem. Ergo Cœlũ stellatum est sphæricum.

22 Quæ quidem rationes Aristotelis, æque probant de quibuslibet sphæris cœlestibus rotundas esse, cum in ijs omnibus militent considerationes præiactæ; & præterea quam ipse subdit *textu 26. eiusdem libri & capitis 4.* dum, probatà rotunditate vltimæ sphæræ, ait: *Et id ergo, quod illi hæret*; scilicet, rotundæ figuræ esse debet: *quod enim hæret rotundo, id rotundum esse necesse est.* Cùm igitur supremam sphæram (scilicet, primũ mobile ex mente Arist.) probatum sit rotundam esse; idẽ de aliâ inferiori, atque ipsi immediatâ, & subindè de alijs omnibus, vsque ad sphæram Lunæ inclusivè, existimãdum est. Indidem verò pari consequentiæ filo deducit, *ea quæ in medio collocantur*, scilicet, regiones ignis, aèris, aquæ, & terræ, esse rotundas, quoniam prima illarum immediatè hæret, seu cõtigua est vndique Cœlo Lunæ, ac proinde rotunda est instar illius; similiterque, ac proportione servatà, regiones cæteræ. Vnde & generatim concludit: *Quare ipsum Vniversum rotundũ erit: omnia namque tangunt, hærẽt que sphæris.* Quòd verò ipsa vltima sphæra debeat esse rotunda, & non rectilinea, seu figuræ lenticularis, seu ovalis, seu alterius cuiuslibet, probat speciatim aliâ ratione: quia cùm illa perpetuò moveatur, necessum foret dari de facto & naturaliter vacuum, si alterius figuræ, quàm sphæricæ, esset. cuius consequentis absurditatem supponit ex 4. *Physic.* Sequelam efficaciter probat: Quia hoc ipso quòd Cœlum alterius figuræ sit, quam sphæricæ, oportet, quoties movetur, relinqui ab eo spatium aliquod inane, seu non repletum corpore, quo antea replebatur, & replebitur postea. Cùm enim omnis figura, præter sphæricam, constet angulis, necessum est, vt quoties convertitur, anguli extendantur ad replẽdum locum distantiorem à medio, ipsumque statim deserant, vt vlteriùs moveantur, & post aliquam moram intret angulus alius ad replendum spatium illud, immediatè antea nullo repletum corpore. Ergo dabitur de facto & naturaliter vàcuum, scilicet, locus non repletus corpore, aptus tamen repleri. Hoc autem incõveniens non sequitur, si vltima sphæra sit perfectè sphærica seu rotunda: quia cùm constet vnicà linea, omni angulo carente, semper idem spatium occupat, nihilque implet, quod semper non impleat,

quo-

quoties in circulo agitur. Cœlum igitur vltimum, non alterius figuræ, quàm ſphæricæ, eſt. Quidem conſideratio intra metas luminis naturalis eſt optima: nam alioqui, ſupoſita ex ſacris litteris exiſtentia Empyrei, aut aquarum ſupra primum mobile, non inferretur vacuum: quia reſponderi poſſet ſpatium illud relictum inter angulum & angulum repleri ſtatim, ſive ab empyrei parte, ſive ab aquis prædictis.

23 *CONTRARIAM* Opinionẽ inſinuant nonnulli ex Patribus, vt Baſilius *hom. 1. & 3. in Hexaemeron*, Cyrillus Hieroſolym. *catechęſi 9. myſtagog.* Chryſoſtomus *hom. 14. in epiſt. ad Hebræos cap. 8. v. 2.* vbi & Theophylactus, & Theodoretus, & Primaſius, & Noſter Haymo; Lactantius *lib. 2. de Falsâ Sap. cap. 14.* pluresque alij. Veterum, quorum ſententiam ita certam exiſtimat Procopius Gazæus *in cap. 1. & 7. Geneſis*, vt noſtra ſine errore in fide defendi nequeat. Atqui cenſuram hanc rigidam fuiſſe, & fundamento carentem, ex dictis *num. 19.* & dicendis modò, apertè conſtabit.

24 *PROBANT I.* ex illo Iſaiæ 40. v. 22. *Expandit cœlos ſicut tabernaculum ad habitandum.* Et Pſalmo 103. v. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem.* Hæc autem denotant figuram Cœli eſſe extenſam in planum, aut inſtar cameræ, vel fornicis terram operientis; non autem ſphæricam. *CONFIRMATVR.* Nam de Empyreo legitur Apocal. 21. v. 16. *Civitas in quadro poſita eſt.* Ergo Cœlum Empyreum eſt figuræ quadratæ; id quippe convenit civitatibus pulchrioribus ac fortioribus, & habitationibus vndequaque perfectis. Quare & videtur evaneſcere ratio præcipua a nobis pròpoſita *numer. 20.* quoniam Cœlum Empyreum debet exiſtimari omnium corporum perfectiſsimum, etiam relatè ad inferiores Cœlos. Ergo ſi hoc non obſtante quadratum eſt, & non ſphæricum, multò minùs ex perfectione aliorum colligetur ſphæricos eſſe.

25 *RESP.* Ex duobus primis teſtimonijs nihil evinci pro contraria opinione: quia non opponitur extenſioni Cœlorum, quòd inſtar pellium extenti fuerint, cùm extenſio ſit indifferens ad figurã rotundam pariter, ſicut ad quadratam, & triangularẽ, & alias plures. Quæ ſolutio, vt notat Pererius, expreſſa eſt S. Auguſtini *lib. 2. de Geneſi ad litt. cap. 9.* aientis: *Non enim cœlum eſſe rotundum pugnat cum eo, quod eſt ipſum habere ſimilitudinem tabernaculi, vel cameræ: cœlum enim ſecundùm eam partem, quæ ſuprà nos eſt, de quà propriè loquitur Scriptura, habet ſimilitudinem cameræ ſupervacuæ, continens, & tegens hoc noſtrum hemiſphærium. Quare ſi cœlum non eſt ſphæricum; ex eà parte camera eſt, quæ terrã tegit. Sin autem totum eſt ſphæricum, vtràq; ex parte camera eſt: nam ſicut hæc pars cœli, quæ nos tegit, eſt quaſi camera reſpectu noſtri hemiſphærij: ita cœli altera medietas quæ tegit Antipodas reſpectu adverſi nobis hemiſphærij camera eſt. Nec obſtat, quod ait David cœlum extenſum eſſe ſicut pellem: nãque pellis poteſt diſtendi & in planum, & in orbem, vti cernimus in vtre, pilâ, veſicâ, &c.*

26 *AD Confirm.* Reſpondeo cum Tirino *ibidem*, quadraturam illam civitatis cœleſtis, ſive Empyrei, non materialẽ, ſed ſymbolicam eſſe vt ſignificetur, figuram illam eſſe quaqua verſus æqualem, pulcherrimam, fortiſsimam. quæ omnia licèt locum habeant in figura quadrata alicuius civitatis; perfectiùs tamẽ in ſphærica, ſeu rotunda. Quod idem Author vberiùs proſequitur & confirmat. Addendum, ſiquid probatur ex eo teſtimonio, probari etiam, non modò ſuperficiem convexam Empyrei quadratam eſſe, ſed etiam ſuperficiem concavam. quod tamen nec Authores oppoſitæ ſententiæ volunt. *Secundò* reſponderi poteſt, ſermonem ibi eſſe, non de toto Empyreo, ſed de quadam eius parte, in quà, velut civitate, degunt Beati, & ſe mutuò ac ſimul aſpiciunt. Etenim non omnia quæ loco illo Apocalypſis de cœleſti civitate leguntur, toti Empyreo adaptari poſſunt, vt ex S. Bernardino Senenſi obſervat Henão *vbi ſuprà num. 14.* quare ſatis eſt, vt de quadam eius parte accipiantur. *Tertiò* denique occurri poteſt, concedendo id de Empyreo penes ſuperficiem convexam, dummodo concava ſphærica ſit. Quo poſito conciliari poſſunt teſtimonia Patrũ, quorũdam aſſerentium, quorundã negantium, Cœlũ eſſe figuræ ſphæricæ, vt qui id affirmant, loquãtur de omnibus Cœlis inferioribus Empyreo, & de hoc ſolùm penes concavam ſuperficiẽ: qui autẽ negant, intelligãtur ſolùm de Empyreo penes ſuperficiem convexam. Neque inde enervatur vis rationis propoſitæ à nobis *num. 20.* quoniam licet figura rotunda

per se loquendo sit perfectior & nobilior, potest ratione alicuius finis esse accomodatior figura quadrata: v. g. vt Beati se invicem simul ac naturaliter videant. Cœteros autem orbes cœlestes oportuit sphæricos esse, tum ratione perfectionis, tum vt æqualiter circundent & influant in inferiora hæc.

26 *PROBAT II.* Lactantius *vbi suprà*. Si enim Cœlum esset sphæricum, etiam terra esset sphærica, sicut & aèr, & ignis, quoniam hic in orbem circumdatur à Cœlo, & ipse circumdat aèra, & aèr inferius elementum, sibique proximum; vt *num.* 21. probabimus cum Aristotele. At qui terra rotunda non est. Ergo nec Cœlum. Probatur minor. Si enim terra rotunda esset daretur alterum hemisphærium huic nostro oppositũ: & proinde omnia in eo pendula essent, atque propendentia in Cœlum; non autem in terram. Homines enim essent nobis antipodes, similiter & arboribus arbores, & brutis bruta: atque adeò quemadmodum si duo homines statuantur, alter à parte supremà ingentis globi, alter ab infimà, solus prior gravitat circa centrum globi, posterior autem pendulus est, & gravitat circa aliquid inferius ac diversum à globo; ita etiam contingeret si terra esset instar globi; nobis enim grabitantibus circa centrum terræ, antipodes à parte contraria non circa terram gravitarent, sed inferiùs, ac proinde circa ipsum Cœlum.

27 *HOC* Argumentum non modò Lactantium, sed & alios Ecclesiæ Patres, in oppositam sententiam traxit, vt Nostrum Isidorum *in suo Etymologico*, & Augustinum *lib. 16. de Civitat. capit. 9.* Quare & communis hominum existimatio olim fuit, nullos esse Antipodas, nec transitum ab hoc hemisphærio nostro ad alterum: ideoque in proverbium abijt illud Pindari, τὰ πείρατα γαδείρων ἄβατα: *quæ vltra Gades, inaccessa.* quasi ne quidem à Gaditano Occeano vlla esset vlteriùs via. Atqui oppositum experimento compertum fuit ab eo tempore, quo Christophorus Columbus Novum Orbem detexit, alijque postea varias Americæ regiones, nostris ex diametro oppositas; in quibus homines æquè naturaliter gravitant, ac nos ipsi, circa idem terræ centrum. Quare concessa sequela, nego minorem. Ad probationem concessa priori parte sequelæ, nego posteriorem. Cùm enim idem terræ cẽtrũ vtriusque hemisphærij habitatoribus commune sit, æquè naturaliter & deorsum propendent in ipsum Antipodes, ac nos ipsi: ideoque tam ijs, quàm nobis, terra vbique est locus inferior, & superior Cœlum. Diversa autem ratio esset in globo alio in aère posito: quia tam homo in superna parte, quàm in infima existens, naturaliter propenderent, non in mediam illius globi partem, sed in idem centrum terræ inferius existens, quod respectu omnium corporum gravium idem est, sive à terra leventur, sive non.

28 *PROBANT III.* Si enim Cœlum esset figuræ sphæricæ idem dicendũ esset de Sole & Luna, quia etiam debent habere corpus Cœlo proportionatum, & perfectissimũ; quale iuxta nos, solùm est quod sphæræ figuram refert. Atqui Sol & Luna non constant sphæricà figurà, sed plana, vt videtur patere ad sensum. Ergo idem de Cœlo existimandum est. *Confirm.* Si Sol & Luna, cœterique Planetę, essent in aliquo Cœlo sphærico, & simul sphæricam figuram haberent, semper æqualiter distarent à terra, ac proinde semper eandem magnitudinem oculis exhiberent. At consequens falsum esse, experimento convincitur: quia Sol & Luna prope Horizontem maiores apparent, quàm in summo Cœlo.

29 *RESP.* concessa sequela, negando minorem: quæ malè probatur solo experimento visus, patientis magnam deceptionem circa obiecta distantia. qua ratione stellæ inerrantes, toto terrarum orbe centies maiores, exiguæ instar apicum apparent. Similiter ergo sphærica Solis & Lunæ figura, licèt rotunda sit, penes profunditatem (quo sensu procedit obiectio) quasi plana conspicitur, minimè discernente visu inter partes illius distantiores ac proximiores: vt etiam contingit in alijs rebus vndequaque rotundis, quas à longè conspicimus. Aliam rationẽ assignat Arist. in Problem. *sect. 12. quæst. 7.* quia *quod partes obtinet, nisi color varius adsit, partes omnes ex æquo collocatas habere videri necesse est. quod autem ex æquo aspectu obviam fit, idem æquabile, compositum & planum esse, necesse est.* Idque supponit contingere in Sole & Luna, quamquam rotundi sint. *AD Confirm.* negatur sequela. Licèt enim tam Cœlum, quàm Sol & Luna (idemque est de cœteris Plane-

netis & ſtellis) figuram ſphæricam habeant, non ſemper diſtant à nobis æqualiter. Quoties namque Sol aut Luna per Horizontem aſcendunt, magis diſtant à nobis, quàm cùm in ſummo Cœlo apparent. Tunc enim inter nos ac Solem, & Lunam, partem ve Cœli Orientalem, mediant duo elementa, videlicet, aèr & ignis, ac præterea ſemidiameter terræ; quando autem in ſummo Cœlo ſunt, ſolùm mediant duo prædicta elementa; ac proinde minùs à nobis diſtant. Vnde potiùs ab arguente videbatur inferendum, Solem & Lunam apparituros nobis maiores in ſummo Cœlo propter minorem diſtantiam, quàm in Horizonte: & ita eſſet proculdubiò, niſi vapores & exhalationes vicinæ toti ſemidiametro terræ rederent medium magis craſſum, ac proinde repræſentarent ſtellas & Planetas corpulentiores; quamquam alioqui per medium omnino purum deberent minores apparerere. Lege Ioannem à Boſco *Sphæræ cap.* 1. & Clavium *ibidem*. Hac etiam ratione, quæ per aquam cernuntur, maiora apparent. Verùm de hoc iterum *ſectione ſequenti*.

30 *PROBANT* vltimò. Cœlo enim debetur figura omnium firmiſsima, cum incorruptibile ſit. Hæc autem non ſphærica, ſed quadrata eſt: vnde ſapientia ſupra quadrum depingitur, in ſignum conſiſtentiæ; fortuna autem ſupra rotam, in inconſtantiæ notam. Ergo Cœlo debetur figura, non ſphærica, ſed quadrata. *RESP.* Cœlo deberi figuram omnium firmiſsimam, non vt ſtet (excepto Empyreo) ſed vt vniformiter, & velociſſimè moveatur: ad quod planè conducit magis ſphærica figura, quàm alia quælibet; quia verſus extimam ſuperficiem occupat minorem locum, vt ſuprà dictũ eſt. Adde & maiorem firmitatem eſſe per ſe loquendo ædificijs, & vrbibus rotundis ſi magnæ ſint, quàm quadratis, vt Tirinus *loco alleg.* probat: quia faciliùs defenſionẽ accipere poſſunt à medio, propter minorem diſtantiam, quàm ſi anguliis præditæ eſſent. Firmitas autem ſapientiæ eſt immobilis, ideoque ſupra quadrum pingitur, ſicut & fortuna ſupra rotam, quia volubilis eſt. Lege Alciatum *Emblem.* 98. & 121. atqui ibidẽ plura apud Minoem & Morellum.

SECTIO TERTIA.

An etiam aſtra omnia ſint ſphæricæ figuræ?

31 *SIT III. Aſſertio.* Omnia Cœli luminaria, tam fixa, quàm errantia, rotundæ, ſeu ſphæricę figurę cenſeri debent. Ita Ariſtoteles in præſenti *lib. 2. cap.* 11. vbi id ex profeſſo docet, & in fine concludit: ὥσθ' εἴπερ ἐστὶν ἓν τοιοῦτον, ἁπλοῦν τι καὶ τἆλλα ἂν εἴη σφαιροειδῆ. *Quare ſi vna ſtella eſt talis, patet & cæteras omnes rotundas eſſe.* Idemque præmiſerat *cap. 8. præced. textu* 48. veluti commune placitum Authorum, ac propriæ doctrinæ cohærens, illis verbis: ἔτι δὲ, ἐπεὶ σφαιροειδῆ τἀστέρια, καθάπερ εἴ τε ἄλλοι φασὶ καὶ ἡμῖν ὁμολογούμενον εἰπεῖν, &c. *Præterea, cùm ſtellæ ſint rotundæ, quemadmodum & cæteri dicunt, & nos etiam, vt in noſtris conſonum ſententijs, dicimus, &c.* Quare eandem doctrinam ſequitur D. Thomas *ibidem lect.* 25. & Albertus Magnus *tract.* 3. *cap.* 12. ac cæteri, tum Veteres, tum & Recentiores, paucis exceptis, quos *infrà num.* 34. allegabimus.

32 *RATIO* autem eadem eſt ac præcedentis aſſerti. Cùm enim aſtra omnia ſint corpora ſimplicia, & perfectiſſima, & proinde præſtantiora ex genere ſuo quibuslibet ſublunaribus inferioribuſque; conſtare debent figura maximè vna, ſimplici, & omnium perfectiſsimà: qualem eſſe ſphæricam, ibidem probatũ eſt. Deinde id ipſum evincitur ab exemplo Solis, quem rotundum experimur ad ſenſum; & Lunæ ſimiliter, quam ſphæricam videmus, maximè in plenilunio. Imò & cùm plena non eſt, ſed vel curvata in cornua, vel æqua proportione diviſa, vel ecclypſim patiens, in orbem ſinuata deprehenditur, quamquam ex parte obſcurum. Si autem rotunda non eſſet, ſecus contingeret. Appareret enim plana, aliquando ſaltem, & tota ſimul illuminaretur. Semel autem ſtatutà rotunditate in Sole & Lunà, idem colligitur de cæteris luminaribus Cœli, ob rationem paulò ante propoſitam, quæ in omnibus æqualiter militat, vt notavit Ariſtot. verbis iam exſcriptis, & ex ipſo Albertus, inquiens: *Cùm vna natura communis ſit ſtellis, attribuens eis in genere motum, & figuram; oportet quòd omnes ſtellæ ſint circulares, ex quo Sol & Luna eſſe circulares ſunt demonſtratæ.* Denique

cùm omnia luminaria moveantur simul cũ suo orbe cœlesti velocissimè, & huic motui convenientissima sit figura sphærica, vt Aristoteles probat, planè sequitur omnia astra eiusmodi figurę cẽsenda esse.

34 *CONTRARIAM* Opinionẽ tuetur Nierembergius, pluresque alij suppresso nomine allegati ab ipso *lib. de Sympathia Naturæ cap.* 49. *&* 50. vbi asserit stellas non esse perfectè sphæricas, sed asperas, monticulosas; & prominentijs, seu protuberationibus inæquales. Quod & in Luna apparet ad sensum, quoniam videtur referre vultum hominis, aut leonis; &, si tubo optico inspiciatur, apparent in ea montes, & valles. Id Recẽtiores Astronomi testãtur, & sæpe comprobavit Illustriss. D. Didacus Trasmiera, olim Senatus Navarræ Regens, postea Zamorẽsis Præsul; qui, vt erat eidem disciplinę addictus, attulit ex Italia longissimum tubum, admiranda industria, & varietate instrumẽtorum dispositum, quo notabat eiusmodi cavitates, & prominentias in Luna, earumque certiores faciebat Professores Academię Hyrachensis, męæ olim Scholæ, in qua ille ad tempus deliciabatur. Maximè verò vbi Luna eclipsim patitur eæ protuberationes dicuntur apertiùs videri.

35 *RESPONDENT* aliqui, maculas Lunæ non esse aliquid verè in eà existens; sed species intentionales à globo terræ marisque ad eam transmissas, veluti ad speculum, & inde reflectẽtes ad pupillam oculi. Cùm enim inæquales sint orbis terrarum partes, & quædam eminentes, vt montium culmina; quædam demissæ, vt valles; quædam lucidiores, vt maria; quædam obscuriores, vt cavernæ & hiatus; hinc est quòd inæquales species sibique consimiles in Lunam mittant, vnde illæ dissimilibus qualitatibus præditæ ad nos reflectãt. Porrò Lunam esse instar speculi, è quo species ad nos possint reflectere, suadetur ex illo Nostri Anselmi: *Luna proprium lumen non habet, sed instar speculi à Sole illuminatur: & ideo Lucina, quasi à luce nata dicitur.*

36 *SED Contrà I.* Si enim maculæ illæ orirentur à speciebus ex orbe terrarum in Lunam transmissis, passim apparerent varię ac dissimiles, nec vel solo visu, vel etiam tubo optico, eadem omnino lineamenta in Luna apparent. Consequens autem falsum esse constat experimento, quo idem vultus, eædem maculæ semper in Luna deteguntur, præsertim plena. Sequelam probo: quia orbis sublunaris ex terra marique conflatus, varijs ac dissimilibus vbique partibus constat: & modò illuminatur à Luna quà parte terra excedit aquã; modò quà aqua terram: modò quo ad regiones inæqualiores propter multitudinem ferè assiduam mõtium ac vallium; modò quoad planiores, & in latitudine positas. Ergo quemadmodum species ab ijs missæ debent esse variæ ac dissimiles, sic etiam essent maculæ in Luna apparentes, si ex ijs orirentur. *CONTRA II.* Luna enim est longè minor quàm orbis terræ marisque, & solum trigesimam nonam partem ipsius adæquat, vt constabit *disput.* 68. Ergo si orbis terræ marisque mittit species sui ad Cœlum Lunæ, longè maiores seu extensiores debent esse, quàm quæ à Lunà in nos emittuntur. Id quippe evidens est: quia duorum corporum ex adverso positorum, quod maius longè est, longe ampliorem speciem mittit ad alterum. Ergo quemadmodum vnusquisque diameter nostri orbis vndique varius & inæqualis est à planitie camporum, ab eminentia montum, à demissione vallium, & circumflexione maris vertentis in circulum, sic etiam species ab eo in Lunam missæ, totam illam perfundere debent, variãque ex omni ferè parte atque inæqualem reddere, vt inde ad nos reflectãt. Atqui non ita fit: quin potiùs Lunam ex omni ferè parte æqualiter lucidam videmus, exceptis cavitatibus exiguis, quæ in ea apparent. Ergo cavitates illę non oriũtur ex speciebus orbis terræ marisque in Lunam missis. *CONTRA III.* Quidquid enim sit, an orbis noster possit diurno tẽpore mittere naturaliter species distinctas suarum partium in Cœlum, id tamen noctu fieri nequit propter illuminationem terræ & maris valde remissam, etiam vbi Luna plena est, maximè cùm aqua maris sit subobscura, & minùs apta emittendis speciebus. Quin & montes & valles, si remoti sint, eo tempore, vix nisi confusam sui similitudinem oculis exhibent. Non ergo cavitates Lunæ oriuntur ex emissione specierum nostri orbis, ad nos reflectentium.

37 *QVARE* Aliter occurrendũ cum D. Thom. in præsenti *lib.* 2. *lect.* 12. dicendumque, maculas illas Lunæ nihil aliud esse

esse, quam partes quasdam rariores eiusdem Planetæ, quæ proinde pervaduntur à Solis radijs vlteriùs transeuntibus quodammodo, ideoque non mittunt ad nos speciem lucidam instar partium densiorum. Scilicet, inter corpora diaphana, seu rariora, & densa, hoc discrimen est, inter alia, quòd priora quasi resistunt, & reflectunt lumen ab extrinseco receptũ, ideoque obstant vt vlteriùs progrediatur, & in seipsis splendidiora apparent: posteriora verò introrsus pervaduntur à lumine, aditumque ipsi præstãt vt vlteriùs se diffundat, & propterea nõ apparent vsque adeò splendida. Hac igitur ex causa videntur apparere in Luna quasi montes, & cavitates, & anfractus. Nimirum partes rariores quæ pervaduntur a lumine Solis, sive existentis in eodẽ hemisphærio, sive in opposito, non resistunt, nec reflectunt æqualiter ac cæteræ densiores: ideoq; similitudinẽ exhibẽt alicuius corporis obscurioris, quod vtentibus tubo optico propter summã distantiã, & variam confractionẽ specierum, apparet instar prædictarũ rerũ.

38 *DICES.* Si partes Lunæ rariores finerent radios Solis vlteriùs progredi, per ipsas Lunæ cavitates videretur Sol vbi eclypsim patitur. Ideo enim quotidie cernitur, quia corpora cœlestia interiecta sunt diaphana & rara, ideoq; non obstãt transmissioni radiorum Solis. Atqui Sol dum eclypsim patitur, non videtur per cavitates Lunæ, vt patet experimento: ideoque aliquando obtenebratur aër, toto Sole deliquium subeunte. Ergo nullæ sunt in Lunã partes rariores, quæ sinant radios Solis vlteriùs progredi. *RESP.* raritatem illam partium, quibus Luna cavitates præfert, non esse tantam, quãta sphæræ ipsi est; sed longè minorem, & magis accedentem ad densitatem. Cuius signũ manifestum est, quòd cavitates videntur, speciemque sui directam ad nos emittũt; cùm tamen neutrum conveniat cæteris partibus sphæræ. Itaque solùm sequitur quod Sole eclypsim subeunte ex interpositione cavitatum illarum, vtcumque transeant radij solares ad oculum intuentis, & confuso quodam modo, nec sufficiente ad discernendum inter corpus Lunæ ac Solis ex illa parte; non autem quòd in offenso cursu ad nos perveniant. Ad primũ enim sufficit aliqualis illa raritas, seu diaphaneitas maior, quàm in densioribus Lunæ partibus: secundùm verò prohibetur ex qualicumque densitate, in quà excedit corpus cœleste. Quòd si verò ne quidem illo confuso modo percipitur corpus Solis per cavitates Lunæ interpositas, dicendum est id procedere ex infirmitate nostri visus, qui maximè perstringitur vbi Solem laborantem intuetur, vt Senecæ verbis desinam.

SECTIO QVARTA.

Cœlos Planetarum non ita esse rotundos, vt epicyclis & excentricis careant.

39 *QVAMQVAM* Hucusque dictũ & probatum sit Cœlos omnes rotundos esse, addendum præterea, id nõ obstare vt sphæræ omnes Planetarum constent epicyclis & excentricis. Pro cuius intellectu observandum est. Astronomos omnes, qui Cœlos solidos arbitrantur, divisisse quodlibet Cœlũ totale in tres orbes, sive sphæras partiales non continuas, sed cõtiguas; vt sic varios Planetarum congressus & digressus, diversaque & sæpe contraria illorũ phænomena, seu apparitiones, cum Cœli soliditate infracta & minimè penetrata, cõponerent. Ex ijs tribus sphæris partialibus cuiusque Cœli, prima, quæ nobis proximior est, & vltima, quæ remotior, grossiores sunt penes vnam partem, quàm secundùm aliam: ita vero dispositæ, vt parti grossiori vnius respondeat debilior alterius pars, & è contra. Quæ verò media trium est, æqualem vndique grossitiem habet: & quò ad vtramque superficiem, scilicet, convexam & concavam, mundo simpliciter excentrica est; quia secũdùm vtramque æqualiter distat à centro Vniversi, scilicet, à terrà; & aliud centrum diversum respicit: duæ verò aliæ excentricæ secundùm quid solùm, eò quòd superior quò ad superficiem convexam habet idem centrũ cum centro Vniversi, quò ad concavam autẽ longè aliud: inferior verò, sive nobis vicinior, oppositò modo se habet. Cœlum tamen ex tribus sphæris prædictis consurgens, est simpliciter concentricum: quia tam secundùm vltimam superficiem superiorem & convexam, quàm secundùm primam cõcavam nobis proximiorem, æqualiter respicit centrum Vniversi, quod est terra. Pars illa sphæræ mediæ, quæ longissimè à nobis distat, appellatur aux: quæ autem proximior *oppositum augis*. In eadem media sphærà,

quæ defert Planetam, statuitur quædam rota, sive sphærula, affixum gerens Planetam, vt cum ea simul peculiari motu cieatur; & hæc sphærula *epicyclus* dicitur, à propositione ἐπί, & nomine κύκλος, quod circulum significat, definiturque à Platone Epist. 7. τὸ ἐκ τῶν ἐσχάτων ἐπὶ τὸ μέσον ἴσον ἀπέχον πάντῃ: *quod ab extremis ad medium æqualiter distat*. Vnde epicyclus pro eodem accipitur, ac circulus in circulo ex frequenti Astronomorum vsu.

40 *RATIO* verò præiactæ doctrinę à Ptolomæo assignata *m* 5. *distinct. Almagesti cap.* 14. & ab alijs communiter admissa hæc est: Quòd eadem magnitudo procul visa, absque vlla medij alteratione modò maior, modò minor appareat, inde solùm provenire potest, quòd modò propinquior, modò remotior sit. At eadem magnitudo Solis (idemque est de cœteris Planetis proportionaliter) procul visa, absque vllà medij alteratione, id est, æqualiter sereno Cœlo, modò apparet maior, vt in signis australibus; modò minor, vt in borealibus: eiusque visualis diameter in Capricorno maxima, in Cancro verò minima est: quod Astronomi demonstrâsse supponuntur. Ergo Sol, ac cœteri Planetæ, modò viciniores terrę, modò remotiores sunt. At si in orbe prorsus concentrico terræ circumagerentur, semper essent in eadem distantia, vt evidens cuique est. Ergo non circumaguntur in orbe prorsus concentrico terræ, sed excętrico. Qui quidem orbis excentricus & medius habere debet motum specialem ac distinctum à motu duorum crassitie inæqualium, quos interiacet: ideoque Sol debet maximè à terris distare, quando est inter partem magis crassam orbis inferioris, & minùs crassam superioris; id est, in auge: è contra verò, quando existit inter partem magis crassam orbis superioris & minùs crassam inferioris, id est, in opposito augis, necesse est vt proximior terris sit: ac denique, & consequenter, quò magis vel minùs ab auge & ipsius opposito recedit vel accedit, eò magis vel minus à terra distat.

41 *QVOD* verò præter orbes partiales & excentricos exigantur epicycli, inde suadetur: Quia idem Planeta, & existens in eodem puncto augis, vbi maximè à terra distat, modò apparet maior, modò minor, vt Astronomis compertum est. Hæc autem inæqualitas distantiæ nõ accidit ex maiori vel minori distantià orbis excentrici, deferentis; cùm vtrobique punctum idem augis attingat. Ergo solùm oritur ex eo quod Planeta præterea in proprio epicyclo movetur circulariter, modò superiùs, modò inferiùs; ac proinde cùm superiùs movetur, magis à terra distat; cùm verò inferiùs, minùs. Nec tamẽ soli epicycli sufficere censendi sunt: siquidem Planetà existente in eodem epicycli puncto observatum est ab Astronomis, eum modò magis, modò minùs à terra distare. Ergo ad eiusmodi inæqualitatem salvandam, non sufficiunt epicycli sine excentricis, sicut neque excentrici sine epicyclis; sed vtrique statuendi sunt.

Verùm hęc vberiùs examinanda relinquimus Astronomis, quibus præsertim curæ sunt.

ILLVSTRISSIMO AC LITERATISSIMO D.

D. ANTONIO MONSALVE,

REGII AC SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

COELORVM Quantitatem ſolidam, non fluxam, vt aliqui volunt, ſub vmbrà nominis Tui aſſerendam cenſui, Sapientiſsime Vir. Qui totus Cœlo natus es, *ſolidumque crepas*, vt ille cecinit; meritò ſuperſcriberis *ſolidit ati cœleſti*. Neque aliud indigitant origo, inſtituta, mores. Origo ſanè inſtar Cœli clariſsima, & in ſplendore ſuo neſciens temporis inſtabilitatem, ſed cum ipſo ævo de duratione contendens. Quatuor iam ſæcula numerantur ab expugnatione Hiſpalenſi: in quà *MONSALVES* Heroes, Maiores Tui, vrbem Hiſpaniarum celeberrimā eripuere Barbaris, & *FERDINANDO* Regi, appellatione *SANCTO*, quotidieque in Eccleſiā celebriori, aſſeruere. Ducentorum nobilium Equitum, quibus ea obſidio labori primum, dein gloriæ fuit, vnus erat *GVILLELMVS MONSALVE*. Is, poſtquam ſub patrio Cataloniæ ſeu Laletaniæ Cœlo Hiſpaniam Citeriorem illuſtravit; ad Vlteriorem perrexit, in ingentem Chriſtiani nominis atque Imperij amplitudinem. Merito exinde vſque ad diem hanc in eàdem vrbe protulit nobiliſsimum germen; adiuncto etiam cognomine de *TOVS*, ob inſignem illum Heorem Moſen *PETRVM DE TOVS*, Patriā Aragonium, Henrico III. Caſtellæ Regi Domeſticum, atque in primis charum. Indidē Maiores Tui ſub vtroque cognomine *TOVS* & *MONSALVE* Hiſpalim illuſtrarunt, diuturnā nepotum ſerie, ac ſæculorum periodo. Mitto complura alia clariſsimi *MONSALVIVM* generis monimenta ab anno Salutis DCCCC. & deinceps, in quibus Maiores Tui Regum Hiſpaniæ privilegijs ſubſcribunt, more Magnatum, ac veterum ſæculorum ritu. Mitto & Aquilam illam Gentilitijs inſignibus exaratam, & coronā ſub pedibus, quàm in capite glorioſiorem, Hæc *TIBI* origo: hoc initium gloriæ fuit, ſi traditioni inconcuſſæ, ſi Hiſtoricis, ſi Genealogicis fides. Pietas porrò quanta ſit, ac ſubinde virtutum omnium in *TE* decor; vtrique Orbi, Novo ac Veteri, perſpectū eſt. Inſigni enim morum integritate, iuſtitiæ zelo, miſericordiæ ſuavitate, religionis cultu, & totius honeſtatis decore effulſiſti vbique; ac maximè in Supremis Senatibus Indiarum & Caſtellæ: quorum ſublime faſtigium in cauſa eſt, vt virtutes Tuæ excelſiùs & latiùs ſplendeant. Idem pietatis ardor *TE* in Sacerdotij pyrā, impollutiſque aris, holocauſtorum more, totum divino honori immolavit. Quantus, o quantus, Senatorio muneri decor! Quā nō laude dignum, poſt ſolutas Deo preces, poſt cœleſte ſacrificium, poſt ardentia in obſequium Numinis vota, Prætorium adire, examinare cauſas, dirimere lites, & vnicuique quod ſuum eſt reddere! Cœli ſubſidijs eget, qui Conſulem agit: & mirum ſi non erret in tot tantiſque rebus, quiſquis non ſeriò & frequenter divinum lumen implorat. Verùm & obiter non poſſum ſilentio præterire ſingularem illam animi Tui devotionem in *DEIPAREM VIRGINEM*, præſertim ſub appellatione *MONTIS SERRATI*: quam in recenti Monaſterio Noſtri Ordinis, Regia *PHILIPPI IV.* pietate, potiùs quā magnificentiā erecto, frequenter adis, celebras, ac largis, aſſiduiſque muneribus *TIBI* devincis. Apage Phœnicum, Arcadum, Græcorum, aliorumque ex Ethnicis morem, qui Vraniæ cœleſti, id eſt, Lunæ, quolibet menſe litabant, & dona ferebant. *TV* meliori *LVNÆ*, Cœlorum Reginæ, vnoquoque menſe, ampla munera offers. His, aliiſque pietatis operibus, adeò effuſum *TE* exhibes, vt vix appareat quomodo aliquid ſumptibus neceſſarijs domus Tuæ ſuperſit. Verùm, vt Philoſophus Cordubēſis aiebat, *magnus redditus pærſimonia*. Quiſquis ſibi detrahit, quo exorbitet ac redundet; inveniet planè, quo alijs opituletur. Parum id. Qui ſibi parcus eſt, vt alijs effuſus ſit, quaſi quotidiano miraculo cenſum auget; & non modò præcludit aditum vitijs, ſed & antiquis virtutibus augmentum ac firmitatem parat. E contrà accidit ijs, qui nimium genio ſuo indulgent, & ſi-

bi-

bi ipſis plus iuſto largi ſunt. Parciſſimi enim erga alios eſſe ſolent; imò & plerumque ære alieno obſtricti. Quin & vitia quamplura devorant, virtutum antiquarum immemores, iuxta illud Menandri:

ὑπερήφανον γίνεθ' ἡλίαν τρυφὴ, — *immodicus luxus gignit arrogantiam:*
Ὃς τὸ πλῆθος ἐξώκειλε τὴν κεκλημένον — *Opeſque faciunt, vt ipſarum adquiſitor*
Εἰς ἕτερον ἦθος, ὃν ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν. — *Eat in mores ab antiquis diſſimiles.*

Denique, quod ad doctrinam attinet, quanta *TIBI* ſit, tum ſacra, tum & humanior, ac politica, *ij* pleniùs norunt, quibus fauſta ſors fuit *TE* frequenter conveniendi, auſcultandique. Ab eo enim tempore, quo Hiſpalenſem academiam præſtanti ingenio ac litteris nobilita ſti, nunquam manum à tabula amoviſti.

Immerſus ſtudijs, dicendo & iure peritus,
Et maximus libellio.

Ideo tãquam eximius ſapientiæ cultor, Scholæ Noſtræ Salmanticenſis decus præ oculis habes, & abſque vllo privato affectu curas, vt cathedræ (potiſſimùm *TIBI* commiſſæ) expeditione celeri, non, niſi dignioribus conferantur. Procul iam ſera illa expectatio, quam aliquandiu ingemuimus. Procul technæ illæ, artes illæ Academicis exoſæ, & Vatiniano odio dignæ. Reſpiramus planè ſub meliori aurà, & communi deſiderio optamus *TIBI* beatam ac longævam canitiem, *ILLVSTRISSIME D.* in cõmune Regni bonum, & litterarum decus.

DISP. SEXAGESIMA SEXTA:

DE QVANTITATE COELORVM:

An ſit ſolida, vel potiùs fluida?

Num. 1 *DISPVTATIONEM Aggredimur, ſi quando aliàs, hoc potiſſimùm ſæculo celeberrimam, quà inquiritur, ſintne ſolida cœleſtia corpora, an potiùs fluida? Dicitur verò ſolidum, quod firmitate ſuà diviſioni reſiſtit, vt adamas, & æs: fluidum autem, quod diviſioni & alteri corpori facile cedit, vt aër, & aqua. Difficultas itaque eſt vtrius conditionis prædictarum ſit corpus cœleſte. De quo ſæpiſſimè agit Ariſtoteles in præſenti tractatu; ſed maximè libro 2. cap. 8. per totum, vbi ex profeſſo docet aſtra moveri ad motum orbis, ſeu ſphæræ cœleſtis cui ſunt infixa. Similiter & cap. 9. ſequenti, vbi diſſerit an corpora cœleſtia rotatu ſuo ſonum aliquem, vel harmoniam edant: in quo ſupponitur Cœlum ordinatè vniformiterque moveri, veluti corpus ſolidum, & minimè fluitans.*

SECTIO PRIMA.

Quinam cenſuerint cœleſtia corpora fluida eſſe; quinam verò ſolida?

2 *PRIMA* Sententia vniversè docet cœleſte corpus, non ſolidum, ſed fluidum eſſe. Ita cõmuniter Recentiores Aſtronomi, Copernicus *l.1. Revol. c.10.* & præſertim Tichus Brahe *lib.1. de mundi æther. rec. Phænom.* Kircher *Artis Magnæ Lucis p.1. lib.8. cap.2.* quos ſequuntur Mendoza *in Quodlib. q.6. ſchol.* Torniellus *die Mundi primâ*, Cornelius à Lapide *in Geneſi capit. 1. v.6.* Libertus Formondus *in Veſtà tract. 2. c.1.* Martinonus *tom.1. diſp. Theolog. diſp. 33. ſect.4. num.26.* Salas *1.2. tract.2. diſp. & ſect.14.* Nierembergius *lib.6. cœleſtis Philoſophiæ à cap.4.* Oviedo *in præſenti cõtrov. vnicà num.25.* Tellez *diſp.40. à num. 16.* allegans Paulum Areſium, Schomberium, Cyſatum, & Sempilium; Camerarius *q.24.* Sancta Crucius *in præſenti num. 916.* Arriaga *diſput.1. ſect.4.* Mariana *in c. 1. Geneſis v.12.* Idem olim tradiderãt multi iuxta Ariſt. & Cicero *lib.2. de Nat. Deorùm*, Seneca *lib.7. QQ. Natur.* Lactantius *lib.3. de falsâ ſap. c.24.* Faventque ex Patribus Iuſtinus *ad q.39. Orthodox.* Gregorius Nyſsæ Antiſtes *in Hexaem.* Baſilius *ibid. hom.6. c.6.* Diodorus Tarſenſis relatus in

Cate-

Catenà Lipomani, Philaſtrius in *Catalogo hæreſeon*, Chryſoſtomus *homil. 9. in Geneſim*, quatenus docet ſolas ſtellas moveri, Cœlo immobili manente: quod nequit eſſe, niſi Cœlum, in quo ſunt, fluxum ac permeabile ſit.

3 *SECVNDA* diſtinguit inter Cœlum ſidereum, ſeu ſtellatum, à Græcis *Aplanes* dictum, quòd inerrans, ſive fixum ſit; & Cœlos alios inferiores Planetarum errantium: ac de priori quidē concedit ſolidum eſſe; de poſterioribus verò negat, aſſeritque Planetas in ijs liberè vagari, ſicuti piſces in aquà. Ita Marinus Merſerinus *in cap. 1. Geneſis v. 8. q. 7.* quòd & probabile iudicat Naclantus *in Medullà Scripturæ Sacræ pag. 481.* & in idem inclinat Torniellus *die mundi primà*.

4 *TERTIA* denique omnes Cœlorum orbes ſolidos cenſet, Ita Ariſtoteles *locis allegatis*, Ioſephus *lib. 1. Antiquit. cap. 1.* Philo *lib. 1. de Gigantibus*, Euſebius Cæſarienſis *lib. 11. de præpar. cap. 16.* vbi pro eodem placito ſtetiſſe vult Moyſem & Platonem; Clemens Papa *libro Recognit. cap. 9.* Origenes *homil. 1. in Geneſ*, pluresque alij Patres, quos referunt Salianus *tom. 1. Annalium, die ſecundà Mundi*, & Tannerus *tract. 1. diſp. 6. q. 3. dub. 2.* licèt aliqui non ſatis ad rem afferri videātur. Idem docet S. Thomas *1. p. q. 68. ar. 2.* Scotus *in 4. diſt. 49. q. 16.* Abulenſis *Paradox 5. cap. 190.* Martinus Delrio *in cap. 1. Geneſ. num. 36.* Suarez *lib. 1. de Opere ſex dierum cap. 5. & tom. 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 3.* Conimbricenſes *lib. 2. de Anima cap. 8. q. 9.* Pontius *diſp. 22. q. 5. concl. 3.* Lynce *lib. 9. Phyſicæ tract. 1. cap. 4.* Pereira *lib. 2. in Geneſim q. 9.* vbi teſtatur de communi ſenſu Philoſophorum & Mathematicorū pro eàdem ſententià: illamque ſaltem quò ad Cœlum ſtellarum inerrantium (quod à Recentioribus firmamentum dicitur) abſque temeritate negari non poſſe, exiſtimat Tannerus *vbi ſuprà*. Conſentiunt alij plures, cum Averſa, Lezàna, & Giattino apud Sācta-Crucium, & recentiùs Ioannes ab Annuntiatione *in præſenti diſp. 1. q. 4.*

SECTIO SECVNDA.

Statuitur Cœlorum omnium ſoliditas ex ſacris litteris. Rationes aliquorum in idem probandum reiectæ. Vbi an Cœli motu ſuo ſonitum & harmoniam edant?

5 IN Tantà opinionum varietàte vix aliquid certi ſtatui poteſt. Cœterùm placet, veluti probabilior quæ docet omnes Cœlos ſolidos eſſe; maximè cùm illa ſit Sacræ Scripturæ valde conformis; & receptior àpud Patres, vt & Arriaga, nobis alioqui contrarius, fatetur.

COLLIGITVR Communiter ex illo Iob 37. v. 18. *Tu forſitam cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære, fuſi ſunt.* Vbi Cœli vniverſim ſolidiſſimi appellantur, addito etiam exemplo æris, quod ſoliditatis firmiſſimæ in ſacris & profanis litteris ſymbolum eſt. Nec ſatisfacit Pineda *ibidem*, dum ait *cœlorum* nomine aèrem intelligi. Quidquid enim ſit de alijs locis, in præſenti ea interpretatio locum non habet: tum, quia, atteſtante Iacobo Boulduc, omnes Interpretes linguæ Hebraicæ, & Patres Eccleſiæ, tam Latini, quàm Græci, relata verba de orbibus cœleſtibus interpretantur: tum præterea, quia ſi de Cœlis ſolùm aèreis ſermo eſſet, non appellarentur ſolidiſſimi, ſed è contra fluidiſſimi, cum nihil aère fluidius ſit; nec compararentur æri, quod firmitatis inſigne eſt, ſed fumo, aut aquæ, aut alteri materiæ fluenti. Nec etiam ſufficienter occurrunt Oviedo & alij, qui ibidem apud Gaſparem Sanctium legunt *quaſi ſpeculum fuſum*: tum quia Vulgata interpretatio cæteris præferri debet: tum etiam quia ſpeculum fuſum ex ære ſolidiſſimum eſt, quamvis referat imaginem circumſtantium; & nulli alij, quàm æreo ſpeculo, comparantur Cœli quatenus ſolidiſſimi in ſacro Textu. Nec denique locum habet frequentior evaſio, quà afferitur, verba illa nō eſſe Iobi, ſed garruli Eliu, cuius ſtultitiam poſtea Dominus reprehendit. In oppoſitum enim eſt, quòd illa verba communiter à Patribus & Interpretibus accipiuntur, veluti pars ſacri Textus, & à Spiritu Sancto dictatà; ſicuti & alia, quibus Eliu Iobum alloquitur, eiuſdem authoritatis habentur ab omnibus. Immeritò igitur hæc ſola ab Adverſarijs deſpiciū-

tur,

tur, quoniam ipsorum opinioni repugnant; alioqui æqualiter cum cæteris æstimãda. Quòd verò Eliu postea à Domino reprehendatur, solùm probat illum sinistrà intentione locutum fuisse, & ex fine conviciandi Iobo; non verò protulisse aliquid falsum.

6 *CONFIRM.* ex illo Isaiæ 51. v. 6. loquentis de fine mundi & aientis: *Cœli sicut fumus liquescent.* Quæ verba à plerisque Adversariorum de orbibus cœlestibus quò ad substantiam accipiuntur, vt exinde probent illos corruptibiles esse, & substantialiter corrumpendos in die Iudicij. Eà verò interpretatione admissà nunc, colligitur planè Cœlos modò non esse liquidos, sed solidos. Id enim quod tãdem aliquando liquescet, modò liquidum non est, sed erit; neque aquà vnquam dicitur liquescere, nisi quando de solida seu congelatà transit in liquidam: idemque est de alijs liquoribus, & fluidis rebus. Si igitur Cœli in Iudicio liquescent, ante illud, ac proinde & nunc, non liquidi, aut fluidi, sed solidi sunt. Consonant & alia Scripturæ loca: nam 2. Paralip. 6. v. 33. & 39. Cœlum appellatur *firmissimum habitaculum Dei.* Et Psalmo 32. v. 6 *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et proverb. 3. v. 19. *Dominus sapientiâ fundavit terram, stabiliuit Cœlos prudentiâ.* Vbi sinceriùs & conformiùs sacro Textui intelligitur firmissimum esse, & firmari à Deo, ac stabiliri Cœlum, si solidum sit, quàm si fluidum. Denique & Cœlum ipsum, præsertim stellatum, appellari *firmamentum*, tam in sacris litteris, quàm communi omnium stilo, satis denotat illud esse solidum; cùm solidis quibusque rebus, præ fluidis, firmitas & permanentia, cohæreat, atque eò maior, quò solidiores sunt.

7 *CONFIRM. II.* ex Apostolo ad Hebræos 4. v. 14. dicente: *Habemus Pontificẽ qui penetravit cœlos, Iesum.* Quæ verba de strictà penetratione intelligunt communiter Philosophi ac Theologi, vt exinde contra Durandum probent esse possibilem duorum corporum miraculosam penetrationem, sive coëxistentiam in eodẽ loco. Si autem Cœlum solidum non esset, sed fluidum, nullà ratio vrgeret, vt præiactum testimonium acciperetur de strictà & miraculosa penetratione. Potuisset enim Christus Cœlos penetrasse eo sensu largo, & minùs proprio, quo aves dicuntur penetrare aëra, & pisces aquam, cedente facilè elemento fluido corporì permeanti. Video quidem respõderi posse, ea verba ab Interpretibus sacris non accipi de strictà penetratione, seu de ingressu ad interiores partes corporis, quod dicitur penetratum vt constabit legenti Cornelium, Marianam, & Tirinum, alios que, qui nihil mysterij in illà penetratione invenerunt. Video etiam, adhuc strictà penetratione admissà, occurri posse asserendo Christum de facto fuisse penetratum cum substantià & quantitate fluidà Cœli, quamvis facile posset illam permeare absque strictà penetratione: sicut pisces possunt supernaturaliter penetrari cum aquà, & aves cum aëre, quanquam neutrum sit corpus solidum, nec resistat divisioni, aut ingressui alterius corporis. Attamen licèt vtravis solutione occurratur satis confirmationi præiactæ, negari non potest, illam cum præcedentibus testimonijs coniunctam, & frequenti Patrũ expositione magnam inferre vim, vt nostra sententia valde conformis censeatur sacris litteris; maximè, cùm Adversarij nullum ex ijs testimoniũ proferant, quod, vel leviter, ipsorum opinioni faveat. Difficultas præcipua est in assignanda ratione efficaci pro nostrà ac veriore sententià.

8 *PROBANT I.* Aliqui, ex eo, quòd omne corpus fluidum sit corruptibile, quia naturaliter divisibile est per iteratam sectionem in partes adeò minores & minores, vt tandem sub ijs conservari nequeat, & substantialiter corrumpatur. At Cœlum non est corruptibile, vt probatum supponitur. Ergo neque fluidum est. Respõderi tamen potest ab Adversarijs negando maiorem: quia ad corruptibilitatem per accidens sit quòd corpus sit solidum vel fluidum; nam si possibile est corpus solidum naturaliter corruptiònis expers, cur non etiam fluidum? Si autem hoc semel est possibile, cur Cœlo non adscribatur? Deinde probatio ipsa maioris videtur retorqueri posse. Ideo enim colligitur Cœlum, si fluidum sit, corruptibile fore, quia erit naturaliter divisibile in partes minores & minores. At quamvis solidum sit, etiam naturaliter divisibile erit in partes minores & minores. Ergo quamvis solidum asseratur, corruptibile erit. Probatur minor: Quamvis Cœlum asseratur solidum, adhuc verè quantum est. At omne corpus quantum naturaliter

est

eſt diviſibile; cùm diviſibilitas ſit, aut eſſentia, aut proprietas quantitatis. Ergo quamvis Cœlum ſit ſolidum, adhuc naturaliter diviſibile erit. Si autem diviſibile, cur non in partes minores & minores, ſicut omne aliud corpus quantum? *Confirm.* Hoc ipſo quòd Cœlū coſtet quātitate molis, ſive ſolidà, ſive fluidà, illud certè participat rationem eſſentialē quanti in communi, definiti ab Ariſt. cap. de Quantit. per *diviſibile in ea quæ inſunt, quorum vnūquodque vnum quid aptum eſt eſſe.* Ergo eo ipſo Cœlum eſt diviſibile, non ſolùm ſupernaturaliter, ſed naturaliter; quia diviſibilitas quæ ponitur in definitione rei naturalis, non eſt in ordine ad ſupernaturalem potentiam dividentem, ſed naturalē tantùm. Vnicuique enim potentiæ paſſivæ naturali debet reſpondere potentia naturalis activa, per quam poſſit reduci in actum. Cœlum igitur naturaliter diviſibile eſt. Si autem dicas definitionem illā non convenire quanto cœleſti, ſed ſublunari; id voluntariè aſſeritur. Et præterea dicent Adverſarij, quanquam fluidum ſit, non ideo diviſibile fore, quia definitio fluidi non convenit fluido cœleſti, ſed ſublunari. Et certè ſuppoſitā diſtinctione actuali ac reali inter partes quātitatis cœleſtis, quarum vnaquæque poſſit ſeorſim exiſtere (vti neceſſariū eſt ad rationē rei quantæ) nulla apparet, vel levis ratio, cur non exiſtat, aut ſaltem exiſtere poſſit virtus activa naturalis ad eam dividendam. Neque ideo infertur Cœlum corruptibile fore. nam, vt vidimus *diſp.* 64. præſertim *à num.* 6. corruptio rerum oritur ex primis qualitatibus inter ſe pugnantibus. Cùm ergo Cœlum (eſto dividatur naturaliter in partes minores & minores) nunquam ſit capax primarum qualitatum, aut diſſidij inter illas, ſed alijs quàlitatibus longè ſuperioribus conſtet; adhuc incorruptibile permanebit ſub qualibet particulà minore ac minore. Quæ ratio non militat in elemētis ac mixtis: tum quia primis qualitatibus prædita ſunt: tum etiam, quia medià diviſione ita poſſunt imminui, vt in eis non maneat temperamentum requiſitum, aut diſpoſitiones in gradu neceſſario ad ipſorum conſervationē, præſertim ſubintrantibus contrarijs diſpoſitionibus ab agente extrinſeco introductis: quod tamen in Cœlo locum non habet.

9 *PROBANT II.* Tannèrus, & Lynce ſimiliter, ab abſurdo. Si enim Cœlum liquidum eſſet, ſtellæ ingentes, & toto terrarum orbe incōparabiliter maiores, non niſi cum magno ſtrepitu moverentur, ipſarum magnitudini proportionato: qualiter experimur aves per liquidum aērē volantes non levem ſonitū edere, & eò maiorē, quò grandiores ſunt. At ſtellæ nullum eiuſmodi ſonitum edunt, neque ille vnquam ab hominibus perceptus fuit. Ergo non moventur per liquidum Cœlum.

10 Hæc etiam ratio multipliciter peccat. *Primò*, quia reſponderi poſſet negando maiorem, ſive ſequelā, eò quod Cœli non ſunt medium aptum ad ſonum recipiendum; ſicut multi affirmant de aquà elementari, aſſerentes motu piſciū intra illam nullum fieri ſonitum, neſaxorum percuſsione, niſi aliqua ex parte ſit aditus aēri: quare ſtellarum motu nullum in Cœlo ſonitum edi. *Secundò*, conceſsà ſequela, poſſet minor negari, vti illam concedunt, & iſtam negant non pauci. Etenim, præter Pythagoricos ab Ariſtotele relatos *hoc libro 2. cap. 9.* aſſerenteſque Cœlum rotatu ſuo ſonitum & harmoniam efficere, multi ex Patribus & Philoſophis idem tradidiſſe videntur. Ita S. Ambroſius *præfatione in Pſalmos*, vbi ait: *Ipſum axem Cœli fert expreſsior ſermo cum quadam perpetui concentus ſuavitate verſari: vt ſonus eius extremis terrarum partibus audiretur, vbi ſunt quædam ſecreta naturæ.* vbi alludere videtur ad illud Iob. 38. v. 37. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concētum cœli quis dormire faciet?* Et præterea ad illud Pſalmi 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Rurſus *lib. de Iſac & Anima cap. 7.* aſſeverat, eàndem opinionem placuiſſe quibuſdam ex noſtris, ſcilicet, Catholicis Doctoribus, licèt ſe ab illà expediat, veluti non ſpectante ad doctrinam fidei; ſicuti *& cap. 2. in Hexaèmeron* Eadem doctrina placuit S. P. N. Iſidoro Hiſpalenſi *lib. 3 Originum, cap. 17.* S. Sidonio Apollinari *in Epithalamio Polemij*, Boetio *lib. 1. de Muſica, cap. 2.* Tertulliano *cap. 2. de Palio*, aiēti, *Lunam modulationibus menſtruis vocare.* Idem tradunt ex Antiquis Philoſophis Philo Iudæus *lib. de Somnijs*, Leo Iudæus *Dialog. 2. de Amore.* Plato *lib. de Republicà* Martianus Capella *lib. 1. & 9. de Nuptijs Philologiæ & Mercurij*, Plinius *lib. 2. Hiſtoriæ Naturalis cap. 3.* Neque doctrina hæc improbata fuit inter Marcoſiorum dogmā-

mata à SS. Irenæo & Epiphanio, vt immeritò ait Sixtus Senensis *lib. 5. Biblioth. annotat.* 150. Nam, vt constat ex eodem Epiphanio *Hæresi 34.* vbi exscribit Irenæi verba, longè alia fuit existimatio Marcosiorum, fingentium septem Cœlos proferre totidem litteras. Et ex eodem Prædicatorum Ordine, ac Sixtus, relatam doctrinam tuetur doctissimus Araujo 10. *Metaph. q. 3. a. 2. in solutione ad 4. argum.* vbi ait opinionem hanc PP. & Philosophorũ testimonijs roborari. Non igitur ex hoc capite omnino efficaciter reijcitur à Tannero sententia aduersa.

11 *FATEOR* Longè probabiliorem, & fortè certam esse sententiam quæ negat Cœlos suo motu efficere sonum, vel concentum aliquem: quod expressè docet, non solùm Aristoteles vbi nuper, & D. Thom. *ibidem, lect.* 14. sed etiã S. Dionysius *lib. de Diuinis Nominibus cap. & §. 4.* ac Basilius *homil. 1. in Hexaëmeron*, vbi doctrinam relatam appellat *impostura veteratoriam, & ruinosa carie perstaccidam.* In idemque ferè conspirant Philosophi Recentiores in prædictum locum Aristotelis. Et ratio est: quia sonus est *qualitas resultans ex percussione corporum sonorum, & resilientia medij*, vt communiter traditur cum eodem Philosopho *lib. 2. de Anima text.* 58. & D. Thomà *ibidem lect.* 17. At hoc minimè intervenit in motu corporum cœlestium. Ergo neque aliquis sonus. Suadetur minor quò ad singulas partes. Quò ad primam quidem: nam Cœli, quanquam sint invicem contigui, neutiquam se percutiunt, aut comprimunt, vel collidunt; sed absque omni compressione, aut collisione motus suos efficiunt, & in circulo aguntur. Etenim percussio aut collisio solùm fit, quoties vnum corpus movetur aduersus aliud, quod ipsius motui obsistit. Nullum autem Cœlum movetur aduersus aliud, quod ei obsistere possit, magis quàm si Cœli contigui non essent, & separatim existerent. Nulla ergo in Cœlis est qualitas resultans ex percussione, seu collisione corporum. Indidem verò probata manet secunda pars: cùm in Cœlo non detur aliquid ex parte medij, quod resiliat; siquidem ibi non datur aër, aut aliud æquivalens ad resiliẽdum; præsertim nullo Cœlo in locum alterius tendente.

12 Mitto rationem aliam ab Aristotele propositam, & in ipsà Tãneri probatione clausam, quà colligitur Cœli sonitum audiendum iri à nobis, si reverà aliquis fieret. Neque enim maxima distantia id impediret: tum quia immensa propemodum magnitudo corporum sonantium æquali proportione & actiuitate mitteret species ad nos, vinceretque ingentem distantiam: sicut illam vincit in ordine ad influendũ in inferiora hæc. Mittò, inquam, rationem hanc: quoniam, licèt efficax sit, retorqueri potest contra ipsum Tannerum. Multò enim magis & longiùs sonant corpora solida, quoties in circulo moventur, quàm fluida: vt patet in rotis curruum, & lapidibus molaribus: imò & in motu recto pilæ plumbeæ grãdis ab igneo tormento emissæ, quæ dum transit ingentem sonitum & stridorem edit. Maximè verò vbi duo corpora solida invicem se collidunt, longè maiorem sonitum efficiunt, cæteris paribus, quàm duo liquida: vt patet in sonitu cymbali, & cuiuscumque æris alio ære percussi. Ergo si ex eo quod Cœli sint liquidi licet inferre, edituros ingentem sonum; multò magis inferri debet ex eo quòd solidi sint, vt Tannerus tuetur. At reverà nihil tale colligitur, sive solidi asserantur, sive liquidi: quoniam, vt nuper probauimus, nulla inter illos est percussio, aut resilientia medij, sine quibus nullus efficitur sonus.

13 *PROBANT III.* idem Tannerus, & alij, saltem Cœlum stellatum debere esse solidum, vt contineat aquas, quæ super Cœlos esse asseruntur in sacris litteris. Etenim Cœlo liquido sustentari minimè possent, sed propriâ gravitate vergerent ac pervenirent in proprium centrum. Verùm nec ratio hæc efficax est. Vt enim dixi *disp. 64. num. 26.* nomine aquarum super Cœlos existentium, multi Interpretum intelligunt, non aquas naturales, sed Cœlum chrystallinum, quod ob nimiam claritatem aqueum appellatur; alij verò, quamvis aquas naturales esse velint, asserunt Cœlũ, supra quod sunt, esse mediam aëris regionem, quæ sæpe in sacris litteris Cœlum vocatur, & diuidit aquas ab aquis; scilicet, superiores circa summum mediæ regionis generatas, ab his quæ iuxta terram sunt. Quam doctrinam suffragio suo probant S. Augustinus 2. *de Genesi ad litt. cap. 4.* S. Thomas 1. *p. q. 68. ar. 2. & 3.* Durandus *in 2. dist. 14. q. 1.* Tostatus *in Postill à super Genesim*, Caietanus *in 1. eiusdem Genes. caput*, & Pererius

ibid

ibid. v. 1. num. 95. Quare ſuppoſitum huius obiectionis non vſque adeò firmum eſt, vt negari non poſsit; ideoque minimè infertur abſurdum ruituræ circa nos aquæ ſupercœleſtis. Tantùm infertur veras aquas in medio Cœlo aèreo exiſtentes gravitare, atque in terram cadere, quod paſsim experimur.

SECTIO TERTIA.

Veroſimiliores rationes pro ſoliditate Cœlorum breviter proponuntur.

14 *ALIVNDE* Igitur probanda eſt omnium Cœlorum ſoliditas; & quidem rationibus fortaſſe non vſque adeò ſolidis, vt ſeorſim acceptæ frangi nequeant; ijs tamen, quæ ſimul magnam inferant vim pro antiqua & receptiſsima doctrina Ariſtotelis. Illas curſim proponere placuit, vt brevitati conſulerem.

15 *PRIMA* Eſt huiuſmodi. Nullum corpus naturaliter, ſive per ſe moveri poteſt ſimul verſus diverſas partes, v. g. in Orientem & Occidentem: ſed ſi ſimul in vtrũque movetur, debet moveri in alterum per ſe, in alterum vero ratione alicuius corporis, cui eſt affixum inſeparabiliter. Atqui omnes Planetæ & ſtellæ moventur ſimul in Orientem & Occidentem. Ergo non moventur vtroque motu per ſe & naturaliter, ſed altero per ſe, & altero ratione alicuius corporis, ſcilicet, cœleſtis, cui ſunt affixæ inſeparabiliter. At nequeunt eſſe ipſi affixæ, ſi Cœlum ſit corpus fluidum, & non ſolidum. Omne ergo Cœlum, ſive Planetarum, ſive ſtellarum, ſolidum, & minimè fluxum eſt. Vtraque conſequentia patet, & minor ſubſumpta ſimiliter: quia ſi Cœlum eſſet fluidum, ſtellæ & Planetæ nullam haberent in eo fixam ſtabilitatem, ſed verſarentur in eo vt piſces in flumine, & aves in aère; quo ſtylo & ipſi Adverſarij loquuntur, dum ſuam opinionẽ explicant. Maior verò præcipui ſyllogiſmi ſuadetur; tum ratione, quia vnico corpori, & præſertim ſimplici, quale eſt Cœlum, vnus tantùm motus eſt connaturalis: tum præterea ab experimento, quia vel illa mixta, quæ ratione oppoſitarum qualitatum connaturaliter poſſunt habere duos motus contrarios, vt aves volando ſurſum ratione levitatis, & cadẽdo deorſum ratione gravitatis, adhuc nequeunt illos per ſe ſimul habere; ſed alterum per ſe, & alterum ratione alicuius corporis, cui affiguntur. Sic aquila longo funẽ alligata rhedæ Oriẽtem verſus currenti, volat connaturali curſu in Occidẽtem; non tamen in vtrumque ſimul: idẽque eſt ferè de formicâ, quæ connaturaliter deſcendit à ſuprema rotæ currentis parte in poſteriorem ſibique inferiorem locum. Alter enim motus convenit ipſi per ſe alter verò ratione corporis, cui inhæret. Iam minor illa eiuſdem præcipui ſyllogiſmi ab omnibus Aſtronomis demonſtrata ſupponitur, & conſtabit infrà *diſp. 67.* vbi oſtendemus Planetas & ſtellas ſimul vtroque illo motu cieri.

16 *CONFIRM.* Ratio eadẽ. Niſi enim ſtellæ ſidereo Cœlo affixæ eſſent inſeparabiliter, & ſolida quadam coniunctione, paſsim per ipſum fluitarent, modò huc, modo illuc: ac proinde non ſemper, imo nec regulariter, ſervarent eundẽ ſitum, & proximitatẽ ac diſtantiã inter ſe; ſed perpetua viciſſitudine modò diſtarẽt, modò vicinæ eſſent, ſicut piſces in flumine, & volucres in aère. At conſequẽs toti Aſtronomiç repugnat, & ipſi oculorũ experimento, quo ſemper dignoſcimus eaſdẽ in Cœlo ſidereo ſtellas æqualẽ diſtantiã aut indiſtantiam quotidie habentes. Igitur quia eidem Cœlo ſunt affixæ inſeparabiliter, & ſolida quadam coniunctione.

17 *CONFIRM. II.* Poſitâ enim Cœlorũ ſoliditate faciliùs ac meliùs ſtabilitur vniformitas in motu luminarium Cœleſtium, quorũ coniunctiones, & oppoſitiones longè antea ac certiſsimè prævidentur; vt riſui habeatur inter Aſtronomos, qui vel latum vnguẽ errat circa tẽpus, aut quantitatem, aut qualitatem illarum. At enimverò ſi tam Cœlũ, quàm eadẽ luminaria, fluida eſſent, nihil foret inſtabilius, aut eludendis prædictionibus opportunius; maximè cùm in tam immẽſa Cœli mole quaſi libera eſſet luminaribus huc illucque fluitandi ac vagandi facultas. Quin & aſtra moveri poſſent, coniungi, & opponi, Cœlo interim manente immoto, & è contrà: ſicuti quieſcente ſtagno aquarum moventur piſces, & moto ſtare ſolent.

18 *VNDE* & retorquere licet, ac labefactare præcipuum Adverſariorum fundamentum deſumptum ex eo, quod quandoque tubo optico deprehenſi fuerint Planetæ ſuperiores poſiti ſub inferioribus,

ribus, & è contrà. quod tamen foret naturaliter impossibile, si affixi essent alicui solido cœlo. Retorquetur, inquam. Si enim affixi non sunt Planetæ alicui Cœlo solido, sed vagantur per liquidum; quomodò non quotidie, aut frequenter saltem, ea situum variatio accidit? Cur Luna nunquam supra Solem, aut Saturnum visa; nec Sol supra Saturnum? Cur etiam in *ipso* Cœlo stellato non accidunt vnquam stellarum ecclypses, ex interpositione vnius infra aliam, sicut accidunt Soli ab interpositione Lunæ? Ideo ergo est, quia omnes Planetæ, omnesque stellæ proprio Cœlo affiguntur, & cum eo inseparabiliter rotant. Quod si aliquando quidam existimarunt se vidisse Mercurium infra Lunam, aut supra Venerem, cēsendi sunt præstigias oculorū passi, tum ob nimiam Planetarum distantiam à terra, tū ob infidelitatē instrumenti optici. Alioqui non rarò, sed quotidie idem observare licuisset. Ex prædictis oritur.

19 *SECVNDA* Ratio, eaque quasi à priori. Inter soliditatem enim & fluxibilitatem illa tātùm debuit dari Cœlo, & concedi de facto, quæ convenientior est motui ipsius vniformi, & ordinatissimo. At solùm prima est eiusmodi, nō verò secunda, vt nuper ostensum est. Cœlo igitur debuit dari, & de facto concessa est soliditas tantùm. Quòd si Cœlū illam habet; idem quoque de stellis & Planetis existimandum ob eandem rationem. Accedit, quòd cùm Cœlum præmineat in perfectione substantiali quibuslibet corporibus, vt vidimus *disp.* 63. ita etiam in qualitatibus præeminere putandum est. Atqui, instituta comparatione inter prædictas qualitates, soliditas præeminet; vtpotè denotans proprij subiecti constantiā firmitatem, & perpetuitatem; cùm tamē in fluxibilitate omnia è converso sint. Ergo Cœlum potiùs solidum, quàm fluidum existimandum est.

20 *DICES I.* Potiùs Cœlo convenire fluxibilitatem, quia nobilius est omni corpore. Etenim corpora simplicia, quanto superiora & nobiliora sunt, tantò etiam magis fluida existunt: ideoque & ignis est fluidior aère, & aër, aquâ, & hæc quam terra. Ergo quia Cœlum ijs omnibus sublimius est, ac nobilius, ideo etiam magis fluidum. *SED Contrà.* Licèt enim inter corpora simplicia eiusdē generis fluidius sit quod superius & nobilius est, quia habet naturam longè leviorem, ac proinde elevatiorem; non tamen facta comparatione inter corpora simplicia diversi generis, qualia sunt cœleste & elementare, quibus communis non est levitas, nec gravitas; cùm Cœlum nec leve, nec grave sit, vt ostensum est *disputat.* 64. *præsertim à numer.* 6. Vnde semper evincitur ex duabus qualitatibus soliditatis & fluxibilitatis illam solùm debere convenire Cœlo, quæ convenientior est vniformi & ordinatissimo ipsius motui, stabilique naturæ; qualem constat esse soliditatem tantùm. Imò & permissio, ac non concessio, fluxibilitatem secundùm se esse nobiliorem soliditate, adhuc hæc ob rationem assignatam debet convenire Cœlo, alioqui simpliciter perfectiori: sicuti cuilibet animali potius convenit soliditas, quàm fluxibilitas partium, licèt sit nobilius simpliciter aère & igne, quia eius naturæ & operationibus conformior & aptior est illa prior, quàm hæc posterior.

21 *DICES II.* Adhuc relatè ad naturam propriam Cœli videtur convenientior fluxibilitas, quàm soliditas; quia Cœlum naturâ sua est subtilius ac tenuius quolibet elemento: quare & in tanta mole à concava ad convexam superficiem diaphanum est, sive transparens oculis. Subtilitati autem ac tenuitati diaphanæ potiùs congruit fluxibilitas, quàm soliditas. *SED Contrà.* Subtile enim, sive tenue duplex est. Primum quod ab Aristot. definitur lib. 2. de Generat. *capit.* 2. *textu* 10. illis verbis: τὸ δὲ λεπτὸν ἀναπληρωτικὸν, &c. *tenue verò est repletivum: nam parvarum est partium; & quod est eiusmodi, repletivum est; totum enim totum tangit.* Et hanc subtilitatem fatemur propriam esse corporum fluidorum, quæ propterea facilè se insinuant, & intromittunt quocumquè aditus patet, quia difficilè se continent intra proprium terminum, & facilè alieno terminantur: vt constat in aquâ & aère, & quibuslibet liquoribus. Secundò autem subtile vel tenuè dicitur id, cuius forma perfectè dominatur materiæ, seu habet sibi plenè subiectam, ne possit seiungi, sed debeat illam comitari quocumque perrexerit, & vbicūque fuerit, qua ratione in hominib⁹ glorificatis erit subtilitatis dos, & in corporibus cœlestib⁹ est subtilitas, quatenus for-

forma ipſorum habet materiam inamiſſibiliter ſibi ſubiectam. Hæc autem ſubtilitas non opponitur ſoliditati, ſed potiùs ipſi amica eſt. Vnde Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam, præditus iam ſubtilitatis dote, adhuc ſe præbuit ſolidum & palpabilem diſcipulis ſuis, iuxta illud Lucæ 24. *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa nõ habet, ſicut me videtis habere.* Idemque erit in corporibus glorificatis poſt reſurrectionem. Quare licèt Cœlum careat priori ſubtilitate, habet hanc poſteriorem, in nullo oppoſitam ſoliditati veræ. Eſt tamen diſcrimen inter ſubtilitatem corporum cœleſtium, & glorificatorum; quod priorum ſit naturalis, & impotens ad penetrationem ſtrictam cum alio corpore; poſteriorum verò ſupernaturalis, & ſtrictæ penetrationi deſerviẽs; ſive id fiat per qualitatem ſuperadditam eidẽ ſubtilitati, vt vult Ioannes à S. Thomà 1.2. *diſp.* 2. *art.* 9. ſive per eandem ſubtilitatis dotem, vt ex profeſſo probat Henao *in Empyreol. exercit.* 32. *ſect.* 5. *præſertim à num.* 76.

SECTIO QVARTA.

Argumenta opinionis adverſæ, præſertim ex obſervationibus Aſtronomorum recentium, ſoluta.

22 PRÆCIPVVM Argumentum opinionis adverſæ detumitur ex obſervationibus mathematicis quorundam Planetarum, qui modò infra, modò ſupra Solem viſi ſunt. Id enim de Mercurio & Venere ac Marte teſtantur peritiſsimi Aſtronomi, vt Tichus Brahe, Ioãnes Baptiſta Cyſatus, Nierembergius, & alij; à quibus tubo optico aliquoties viſi Mercurius & Venus ſupra Solem, infra quem tamen communiter ſunt; Mars quoque infra ipſum, cum tamen ſuperiori ſphærę aſcribatur. Quod ipſum & multi ex Veteribus Philoſophis adnotaſſe videntur, vt Anaximander, Metrodorus, & Chius, pluresque Pythagorici & Academici, ac Peripatetici a Nierembergio relati; quorum aliqui propterea Solem in quinto Cœlo & Martem in quarto; aliqui potiùs Solem in ſecundo & Lunæ immediato ſtatuerunt, vt eos deſcenſus & aſcenſus Planetarum componerent. Hinc autem conficitur difficile, imo &, vt Adverſarij exiſtimant, ineluctabile argumẽtum. Mercurius, ſedem infra Solem habens (id enim ex communi ſententia ſupponitur) quandoque aſcendit ſupra ipſum Solem. Ergo tranſgreditur ſpatium illud Cœli, in quo movetur Sol. Aut igitur pars illa Cœli, in quo Sol movetur ſponte ſuâ cedit loco aſcendenti Mercurio; aut non cedit, ſed reſiſtit? Si primum; erit fluida, cùm proprium fluidorum corporum ſit ſponte ſua loco cedere corpori ſubintranti. Si autem reſiſtit, & tamen vincitur à Mercurio; planè hîc de facto ac naturaliter penetrabitur cum Cœlo, in quo Sol movetur; aut certe diſrumpet illud, vt ſuperius aſcendat: quorum primũ eſt contra omnem Philoſophiam; ſecundum verò contrà Cœli firmitatem, & incorruptibilitatem. Ne igitur alterum ex his abſurdis devoretur aſſerendum eſt partem Cœli, in quo movetur Sol, fluidã eſſe, vt proinde libera pateat via Mercurio aſcendendi & deſcendendi. Idem argumẽtum fieri poteſt de Venere ac Marte, vt conſideranti palam erit.

23 CONFIRMATVR multipliciter. *Primò*, quia eiſdem tubis opticis quandoque deteguntur in Sole eclypſim ſubeunte quædam maculæ, quas Tannerus, alioqui noſtræ opinionis defenſor, ſe cum ingente animi voluptate percepiſſe fatetur. Hæ autem inde ſolùm provenire poſſunt, quòd aliquæ ſtellulæ, ſeu corpuſcula minori luce ornata, aut propemodum nulla, aliquoties accedãt prope Solem, ijs loco cedentem à parte inferiori. Igitur Sol & Cœlum ipſum permeari poteſt, ac proinde fluidum quid eſt. *Secundò*, in quatuor ſtellis, quas Ioviales vocant, & Planetas minoris magnitudinis cenſent. Deprehenduntur enim Iovẽ ipſum circumire proprio motu. quod fieri nequit ſi Cœlum illud ſolidum ſit. aut enim oportebit ab ijs diſrumpi Cœlum, aut penetrari. Huc etiam ſpectat, quòd duæ ſtellulæ appareant quandoque circa Saturnum, eundem circunſtantes. *Tertiò*. Compertum enim eſt Planetas ſuis motibus retrogradis ſcindere cœleſtes ſphæras; ſiquidem inæqualiter diſtant à terrâ, modo magis, & modò minùs. Hoc autem nequit eſſe, niſi per eaſdem ſphæras modò aſcendant, & modò deſcendant: ad quod planè exigitur vt illæ fluxæ ac permeabiles ſint. alioqui enim reſiſterent aſcenſui & deſcẽſui. Vrgetur hoc ipſum. Vt Planetæ mo-

veantur intra suam sphæram immotam manentem, necessum est illam scindere & intersecare, qualiter pisces intersecant stagnum immotum, quoties intra illud moventur. At Planetæ sæpe moventur intra suam sphæram immotam manentem; siquidem, iuxta Astronomos, plerumque moventur, & non ad motum suę sphæræ. Ergo necessum est vt illam scindant, sicut pisces stagnum immotũ, quoties per illud moventur.

24 *RESPONDET* Tannerus præcipuo argumento, admittendo hypothesim; scilicet, ascensum & descensum, tam Mercurij, quàm Veneris, supra & infra Solem. Inde verò minimè convinci alterum ex duobus absurdis, aut diruptionis, aut penetrationis Cœli: quia possunt assignari Mercurio & Veneri distincti epicycli in ipso Solis Cœlo inclusi, ratione quorum Solem ipsum circumeant, & modò infrà, modò autem supra sint. Circa Martem verò negat vnquam verè fuisse infra Solem, quidquid Mathematici affirment; ideoque censet nullum ex illo capi experimentum ad fluiditatem Cœli probandam. *Verùm* displicet hæc solutio ex duplici capite. *Primò*, quia evertit numerum orbium cœlestium communiter admissum, speciatim verò ab Authoribus statuentibus Cœlos omnes solidos esse; inter quos ipse Tannerus est. Hoc enim ipso quòd Mercurius & Venus epicyclis contineantur intra ipsum Cœlum Solis, iam non habebunt proprias ac distinctas sphæras cœlestes, contra prædictam sententiam. Quo posito etiam posset assignare Marti epicyclum alium in eodem Solis Cœlo, sicut Mercurio ac Veneri, ac proinde ex quatuor orbibus cœlestibus communiter admissis, vnicum constituere, quod tamen non facit. *Secundò* displicet: Quia summa ferè difficultas huius sententiæ, quam cum ipso tuemur reducitur ad cõmune & oculare experimẽtum insignium Astronomorum, eâdem certitudine asseverantium se vidisse Martẽ infra Solem, ac Mercurium & Venerem supra ipsum. Videtur autem temerarium non credere peritissimis in sua arte, vbi ad affirmandum aliquid vna nimiter conspirant. Si ergo ijs creditur quò ad existentiam Mercurij & Veneris supra Solem, cur non & circa demissionẽ Martis infra eundem?

25 *ALITER* itaque occurrendũ est argumento præiacto, negando hypothesim præcipuã & maiorẽ illius, ex qua cœtera omnia pendent. Et ne videamur temerè contradicere testimonio experimentali peritissimorũ in Astronomia, notandum est cum aliquibus Recentiorum, oculos humanos facillimè præstigias pati & illudi, quoties obiecta longiùs dissita intuentur: quia in medio quolibet magnæ distantiæ facillimè accidit aliqua aut multiplex alteratio specierum sentibilium, ratione cuius obiectum aliter repræsentetur, ac in seipso est. Cuius doctrinæ plura exempla, eaque lectu non iniucunda, exhibemus in libris de Anima, agentes de speciebus sensuum. Inde oritur quòd Sol in Horizonte positus, & à nobis distãtior, quam in auge, aut summo Cœlo, adhuc maior appareat. Nimirum, vt *disp. præced. num.* 29. dictum est, maioritas Solis apparens oritur ex alteratione medij per crassiores & corpulentiores exhalationes, quæ proinde crassiores & maiores species reddunt. Similiter & ex ingenti distãtia provenit quòd stellæ primæ magnitudinis appareant oculis minimæ; cùm tamen Luna longè minor, & vix quandam ipsarum particulam æquans, maior appareat, &, vt Plinius loquitur, *insana orbe pleno*, quoniam nobis propinquior est. Inde etiam quòd stellæ in Cœlo fixæ atque inerrantes, scintillare & quasi tremere videantur; non autem Planetæ; quia, nimirùm, stellæ longè magis distant, ac proinde visus trepidat, & minùs firmiter intuetur obiectum remotius. De quo lege Aristotelem *hoc lib. 2. cap. 8. textu* 48. Indidem demum, quòd eadem Luna & Sol oculis referant figuram planam, cùm tamen non nisi sphæricam seu rotundam habeant iuxta communem sententiam à nobis firmatam loco allegato: similiterque quod vtentibus tubo optico, aut conspicilijs, vulgò *largo-miras*, appareant in Luna montes, & valles, & alia eiusmodi; quæ tamen verè non sunt, nisi partes ipsius minus densæ, aut rariores. Nimirum prædictorum instrumentorum vsus non tollit, sed quoddammodo auget causam deceptionis subeundæ; tum, quia addit medium aliquod inter potentiam & obiectum, ne illud immediatè & prorsus limpidè species transmittat; tum quia in ijs varia specierum confractio, illusionem oculorum ingenerat: ideoque sæpe in vitro triangulari

ri tam variam eārundem rerum replicationem, & colorum reipſa non præſentium multitudinem ſolemus percipere, propter variam refractionem ſpecierum. Quare per ſe loquendo viſus multò melius ac fideliùs percipit obiecta ſeipſo immediatè, quam opticis inſtrumentis. Ex quibus omnibus conſtat, non temerè, ſed cum ſufficienti fundamento à nobis negari verum aſcenſum ac deſcenſum Planetarum prædictorum ſupra & infra Solem, licèt aliter aliquibus Mathematicis apparuerit. Potiùs debet corrigi viſus à ratione, quàm è contrà; maximè, quia ſi id quandoque accideret, ſæpiſſimè etiã accideret in eodem pervio ac fluido Cœlo, vt Adverſarij autumant. Vnde nec ſequitur Cœlorum penetratio, nec diſruptio.

26 *AD I. Confirm.* negari etiam poteſt veras maculas in Sole ipſo eſſe, quamvis aliquæ apparere videantur: quia præter rationes deceptionis ſubeundæ nuper aſſignatas, poteſt eſſe alia ex interpoſitione quarundam craſſarum exhalationum inter viſum & Solem; vi quarum appareat maculoſus ipſe Sol. Quod maximè in eclypſi locum habet: quia tunc maximè, ſi quando alias, Sol perſtringit & offendit infuentium oculos, vt experimento cõſtat; ideoque facilliorem aditum illuſioni præſtat. Poteſt etiam addi, ſiquæ maculæ in Sole ſunt, illas ſolum eſſe partes quaſdam rariores, ſeu minùs denſas, aut diaphanas; quæ proinde minorem lucem oculis referunt: vti etiam dici ſolet de maculis Lunæ. *AD II.* Stellæ illæ Ioviales, ſeu Planetę minoris magnitudinis, ſi circum Iovem apparent motum proprium habentes, non ideo interſecant Cœlum ipſius. Ad ſummum colligitur intra eandem Iovis ſphæram in aliquo epicyclo contineri, cuius motu ipſum Iovem circumeunt. Similiter dicendum de duabus ſtellulis Saturnum comitantibus. Neque hinc tollitur receptus Cœlorum numerus, vti ſupra ex Tanneri ſolutione colligebamus; quia ſive Iovialibus, ſive Saturnalibus ſtellis, nemo Veterum aut gravium Aſtronomorum proprium Cœlum aſſignat, ſed ad ſummum commune cum aliquo ex Planetis prædictis. *AD III.* Negatur maior. Quamvis enim Planetæ moveantur illo motu retrogrado ac ſibi proprio, & quandoque magis, quandoque minùs à terra diſtent, non ideo ſcindunt aut dividunt Cœlum: ſed deferuntur in epicyclis, ſeu circulis quibuſdam diſcontinuis, & affixis eidem Cœlo, in quo continentur. Hac ratione, ſi rota minor affigatur cuidam parti rotæ maioris, ab eaque deferatur, poterit proprio aliquo motu intra ſuum receptaculum moveri, & magis vel minùs diſtare à centro rotæ maioris, quin propterea illam ſcindat; & ſimiliter à centro terræ. Vnde corruit inſtantia piſcium in ſtagno immoto ſe moventium, & illud interſecantium. Id enim eſt quoniam non ſunt poſiti intra receptaculum aliud diſcontinuatum ab aquâ. quod tamen ſi haberẽt, & intra amphoram clauſam v.g. continerentur, moveri poſſent intra illam ſpeciali ac proprio motu, ſive ſtagnum flueret, ſive quieſceret.

27 *SECVNDO* Arguunt ex inæqualitate Lunæ, quæ apparet multis montibus ſete attollens, qui ex profundis vallibus aſſurgunt, vt etiam tubis opticis deprehendatur. Ergo Luna movetur per corpus fluidum, quod eo ipſo ſit repletivum earum cavitatum. Alioquì enim remanerent naturaliter vacuæ, cùm non adãt ibi corpus aliud ſolidum, à quo repleri poſſint. *RESP.* cavitates illas Lunæ apparentes inſtar montium, & vallium, perpetuò repleras eſſe corpore aliquo diaphano, non impediente videri partes Lunæ dictas, ſuis cavitatibus & protuberationibus diſtinctas; ſolido tamen, inſtar ipſius Lunæ, quamquam minùs denſo. Quin & quemadmodum Adverſarij cẽſent cavitates prædictas repleri vndique à Cœlo fluido citra periculum vacui, cur etiam dici non poſſet repleri ab igne contiguo, aut etiam ab aère, ſi hic Cœlo Lunæ immediatè proximus eſt iuxta aliquorum opinionẽ? Vtrovis autem ſtatuto ceſſat periculum vacui.

28 *VLTIMO* Arguitur ab aſcenſu Cometarum ex vaporibus terræ vſque ad Cœlum Lunæ, & aliorum Planetarum ſuperiorum, imo & vſque ad Cœlum ſtellarum; quod ſæpe attentè notaſſe, deprehendiſſe, ac demonſtraſſe Tichum Brahe, Cyſatum, & alios, teſtantur Nierembergius, & plerique Authores opinionis adverſæ. Idem ex profeſſo quatuor libris eâ de re editis circa Cometam viſum anno 1604. ſuadere ac demonſtrare conatur multipliciter D.

Zamora, tũc temporis in hac Academiâ Medicinę Doct. & Astronomię Anteceſſor. Hoc autem eſſe non poteſt, niſi Cœlum ſit fluxum ac permeabile; quia aliter vapores aſcendere non poterunt à terrâ vſque ad Cœlum Mercurij, Veneris, aut Solis, &c. niſi diſrupto priùs aut penetrato Cœlo Lunæ; quoniam ſolùm alterutro ex *iis* modis corpus ſolidum permeari poteſt.

29 *HÆC* obiectio inſignem controverſiam nobis excitabit in libris Meteoron, vbi examinandum eſt an Cometæ ex vaporibus terrę orti vſque ad ipſum Cœlum aſcendant, an potiùs in ſupremâ aèris regione permaneant, ibique à vicino igne elementari accedantur. Quod quidem in præſenti diſcutere non oportet. Cœterùm ex ibidem dicendis, & iam dictis *ſuprà diſp. 64. à num. 21.* obiter nunc argumento occurrendum eſt negando Cometas vſque ad ipſum Cœlum pervenire quoties è terrâ ortum ducunt, aut etiam in ipſo Cœlo generari, ſaltem regulariter; cùm Cœlum ſit prorſus ingenerabile. Quod non prohibet, vt ſemel aut iterum in ipſo Cœlo apparuerint, intendente Deo lucem in aliqua Cœli parte, eoque oſtento ſignificare volẽte aliquid notabile in terrâ imminens, aut etiam futurum; qualiter de iubare extraordinario in Caſsiopæâ viſo diximus loco relato, & de pluribus alijs dicemus, multiplici hiſtoriarum obſervatione.

IL-

ILLVSTRISSIMO, ET CLARISSIMO HEROI, D.

D. SEBASTIANO INFANTI

REGIO CONSILIARIO IN SVPREMO IVSTITIÆ SENATV, &c.

ANIMVM Meum, ære alieno gravatum, id est, pondere, beneficentiæ Tuæ obstrictum, nihil est quod exonerare vtcumque possit, nisi nobilis propensio, & antidorum cordis, hisce litteris, quasi sanguine, consignatum. Fortasis perennabit nomen Tuum (quamvis alia monumenta deessent) his phylluris, veluti cedri corticibus, exaratum, *ILLVSTRISSIME D.* Neque enim sat est doctrinam, eruditionē, æquitatem, ac probitatem Tuam, tot præcones habere, quot testes; nisi & publico aliquo, ac minime obscuro testimonio, posteritati commendarentur. Vt maris fluctus, alij alijs succedentes, evanescunt; ita & res humanæ; etiam illæ, quæ ad opinionem, sive famam spectant. Fluunt, ac refluunt, & pro ratione temporum, ac locorum, varias subeunt vices. Quare oportuit illustrium Virorum gesta, virtutem, doctrinam, firmioribus columnis insistere. Nullæ autem firmiores ijs, quæ in scriptis alicuius nominis, nec facilè fluxis, instar hortorum Adonidis, continentur, extruunturque. Porrò sublimem illam, ac minimè vulgarem, Cæsarei iuris intelligentiam, penitioremque notitiam, quibus tandiu & toties è cathedris Maximum Tuum Collegium Conchense, & Salmanticensem Academiam, quà voce, quà scripto, illustrasti; nulla facilè delebit oblivio. Verùm & hæc mera fuere exordia, & florum manipuli, quibus auspicabaris vtrique Orbi, Veteri ac Novo, felices progressus, ac maturos fructus. Mundum ipsum initio conditionis suæ *INFANTEM* Philo Hebræus appellat. Ait namque diserens de prima rerum genesi. εἰ γέγονεν ὁ κόσμος, ἦν μὲν παῦ (ἵνα καγὼ χρήσομαι τοῖς ἁλικιῶν ὀνόμασι) κομιδῇ ΝΗΠΙΟΣ. *Si mundus est conditus, fuit aliquando (vtar ætatum nominibus) admodum INFANS.* Et certè non Infantem, sed Virum perfectum diceret, si Moysem attenderet palàm aientem: *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Aut Linum, Orphei magistrum, mutuatis ferè ex Moyse verbis, accinentem:

Ἑβδομάτῃ δὴ οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται.

Septimo verò die cuncta opera perfecta sunt.

Verum *INFANTEM* appellare voluit, non Virum: quoniam Infans, si in ipsis exordijs perfectus est, eo ipso est Vir, & pro ratione temporum semper fert opportunos progressus, seu florum, seu fructuum, in vnaquaque ætate. Tulisti, *SEBASTIANE INFANS*, in adolescentia àc iuventute lectissimos eruditionis & Iurisprudentiæ flores, in eà ætate perfectos. Tulisti & postea in alijs atque alijs Senatibus, & nunc in supremo Castellæ, opimos iustitiæ ac prudentiæ fructus: in omnibus, verè *VIR*, quamvis semper *INFANS*. His præconijs *TE* cohonestat crebra populi vox, & severior Academicorum censura. Ideo *TIBI* iam diu è suprema specula Regij Prætorij excubanti publico bono, ac maximis semper rebus intentò, gratulatur. Ideo & dignum fuit, vt clarissimæ Domui Tuæ, id est, *INFANTVM*, matrimonij vinculo annecteretur Illustrissima Heroina, ex Regio *SYLVARVM*, seu potiùs *SYLVIORVM* genere. Aiebat Maro:

Si canimus SYLVAS, SYLVÆ sunt Consule dignæ.

An id poetico œstro tribuendum? Vatesne, an Poeta Virgilius? Videtur quippe vaticinium direxisse in *TE*, quo Consule in Supremo Senatu digna fuit *SYLVA*, id est, Sylvia vxor, Sylvarum decus, flos, ornamentum. Verùm pauca hæc indigitasse sufficerit, quæ alij profusiori calamo prosequantur, & ventura sœcula celebrēt. Ego certè in hoc Opere non Philologum ago, sed Philosophum: ideoque magnam rerum Tuarum ac laudum molem paucis lineis perstringo; sicut *brebi quasi tabellà*, id est, dissertationibus de Cœlo, *totum Orbem amplector*, vt cum Floro desinam.

DIS-

DISP. SEXAGE SEPTIMA.

DE NVMERO ORBIVM COELESTIVM.

Quot sint Cœli, & quinam?

Num. 1 *Etiam Controversia hæc, sicut præcedens, celeberrima est à priscis sæculis, propter varietatem opinionum circa numerum orbium cœlestium, nulli mortalium plenè notum, neque ex sacris litteris, neque ex lumine rationis naturalis. Quare immeritò aliqui ex doctrinâ revelatâ id definiendum putant; cùm in ijs nihil expressè habeatur circa cœlorum numerum; ideoque disputatio hæc sit de numero illarum, quæ citra periculum hæresis aut erroris possunt diversimode definiri, vt docet S. Augustinus lib. 2. de Pecc. Origin. contra Pelag. cap. 23. & ex ipso alij. Et adhuc inter Philosophos rem inexploratam esse, ac scitu difficilem, fatetur Arist. lib. 12. Metaph. cap. 8. à textu 47. Ne autem dissertatio præsens de nomine tantùm sit, prænotandum est, Cœli nomine in præsenti accipi corpus sphæricum quatuor elementis præeminens, ijsque nobilius, & quintam essentiam. sic enim appellatur ab Aristot. lib. 1. huius tract. sive vt loquitur D. Tho. 1. p. q. 68. ar. 4. corpus aliquod sublime & luminosum actu, vel potentiâ, & incorruptibile per naturam. Porrò distinctio Cœlorum quænam & qualis sit maximè pendet ex multitudine ac diverso motu astrorum: quorum aliqua dicuntur Erratica, sive, quod perinde est, Planetæ; sic dicti απο τ πλανᾶ ab errando: vnde & Nigidius, atque ex eo alij, Errones vocant: alia verò* inerrantia, *sive* fixa, *à quibus & Cœlum stellatum Græcè* Aplanes *Latinè* Inerrans, *sive* Firmamentum *dicitur. Sunt autem Planetæ septem; primus* Luna, *omnium vicinior nobis; secundus* Mercurius, *tertius* Venus, *quartus* Sol, *quintus* Mars, *sextus* Iupiter, *septimus* Saturnus; *comprehensi illo disticho:*

Luna, & Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Iovis astrum,
Saturnique errant: cætera fixa manent.

Habet locum disputatio lib. 2. c. 10. & 12.

SECTIO PRIMA.

Referantur & refelluntur variæ Philosophorum opiniones circa numerum Cœlorum, vndecimo maiorem.

2 *PLACET* in referendis & confutandis aliorum opinionibus initium sumere ab ijs, quæ maiorem Cœlorum numerum assignârunt; easque, quæ prorsus à ratione exorbitant, aut iam obsoletæ sunt, levi manu reijcere, vt locus sit postea attentius examinandi verosimiliores, & his temporibus celebriores.

PRIMA Opinio fuit quorundam hæreticorum existimantium Cœlos esse infinitos, vt legere est apud Philastrium *in Catalogo hæreseon*, & Augustinum *lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum hæresi* 4. Cùique quodlibet Cœlum constituat actu numerum cum alio veluti adæquatè distincto, imò & discontinuo; oportet iuxta hanc opinionem Cœlos, si infiniti sunt, esse actu infinitos. Hoc tamen non solùm absque vllo fundamento asseritur, sed erroneum est in Philosophiâ, saltem loquendò de facto: vt constat ex dictis *circa lib. 3. Physic.* Reijcitur etiam à Patribus veluti adversum sacris litteris: quoniam licèt in ijs non exprimatur certus aliquis & determinatus numerus Cœlorum, est tamen sermo de ijs, veluti non infinitis secundùm multitudinem; vniversimque dicitur, Deum omnia in numero, & pondere, & mensurâ fecisse.

3 *SECVNDA* plurium Philosophorum, & inter eos Moysi cuiusdam Ægyptij, affirmantium tot esse Cœlos quot sunt stellæ. Illam ex professo refutat Albertus Magnus *hoc 2. lib. tract. 2. cap.* 19. Summa impugnationum hæc est, quod nullum appareat fundamentum tam prodigiosæ multiplicationis Cœlorum, neque ex diversitate superficierum, cùm semper in vnâ eademque appareant omnes stellæ fixæ; neque ex varietate motuum, quoniam vno atque vniformi cientur omnes. Ergo nullum est caput, ex quo inferri possit numerum Cœlorum adæquare multitudinem stellarum. Neque etiam ex

sa-

ſacris litteris, vbi numerus ſtellarum ſœpe commendatur à multitudine, quaſi ſoli Deo exploratus, & hominibus inacceſſus, nunquam verò Cœlorum numerus. Ex eodem diſcurſu reijcitur alia affinis exiſtimatio Baſilidianorũ, qui teſte Auguſtino *vbi nuper*, ſtatuebant trecentos ſexaginta quinque Cœlos, iuxta numerũ dierum anni. *Vnde*, ſubdit ipſe, *quaſi ſanctũ nomen commendabant, quod eſt ἀβραξας: cuius nominis litteræ ſecundum Græcam ſupputationem eundem numerum complent* Scilicet, triplex α denotat totidẽ vnitates, β. duas; & cum ijs conſtituit quinque: ξ vero ſexaginta, ρ centum, σ ducentas: ex quibus omnibus reſultant 365. vnitates. Reijcitur, inquam eiſdem fere rationibus: quoniam in Cœlo non apparent totidem ſuperficies, aut motus; ſed longè pauciores; quibus non multiplicatis, abſque fundamento aliquo multiplicantur Cœli.

4 *TERTIA* Galilæi de Galilæis, & Columbi cuiuſdam, recentium Aſtronomorum, qui aſsignant ſeptemdecim Cœlos, ſcilicet, vndecim traditos ex communi ſententia vltimo loco a nobis eligendã, & præterea ſex alios, ratione totidem Planetarum, ſeu ſtellarum errantiũ noviter detectarum, quæ proprijs motibus, diſtinctiſque a motu aliorum ſeptem Planetarum, cientur. Videntur autem eſſe quatuor ſtellulæ Ioviales, & duæ aliæ Saturnales, circa vtrumque Planetam apparere ſolitæ, de quibus nonnihil dictum eſt *diſput. præcedenti num.* 23. & 26. At exiſtimatio hæc contradicit communi & receptæ omnium Aſtronomorum ſententiæ, qui nunquam hactenus niſi ſeptem Planetas in Cœlo obſervarunt, detexeruntve, etiam tubo optico; ideoque fundamento carere videtur. Deinde, eſto apparuerint, abſque vllis oculorum præſtigijs, reſtat probandum eiuſmodi ſtellulas proprio motu cieri, ac prorſus diſtincto à motibus Iovis & Saturni. Denique eſto illum habere ſinamus gratis, adhuc poſsẽt contineri in aliquibus epicyclis Cœlorum Iovis & Saturni. Neque inde inferre licet pariter omnes Planetas eodem Cœlo ſub diverſis epicyclis cõprehendi: tum quia Planetæ quilibet maiores, ac præcipui, videntur exigere propriã cuiuſque ſphæram, præ alijs longè minoris notæ: tùm præterea quia in motu illorum eſt ſpecialis ratio multiplicãdi cœleſtes orbes, quæ non invenitur in Planetulis, præſertim confictis, aut ſine ſolido fundamento aſſignatis: de quo *infrà*.

5 *QVARTA* Antonij Magini, & Chriſtophori Clavij, ſtatuentium duodecim Cœlos: quia præter decèm mobiles communitet traditos ab Aſtronomis, ratione diverſorum motuum, & Empyreum à ſacris Doctoribus aſsignatum, debet exiſtere Cœlum aliud ratione motus librationis ab Oriente in Occidentem, & rurſus ab Occidente in Orientem, qui nõ eſt perfecta circumvolutio, ſicut alij motus, ſed agitatio quædam. Cumque iuxta numerum motuum per ſe debeant multiplicari cœleſtes orbes, conſequens eſt, vt ſicut motus eiuſmodi ſunt vndecim, ita & Cœli totidem ſint, præter Empyreũ. Ita relati Authores. At reſtat ijs plenè probanda exiſtentia motus librationis diverſi à decem alijs, & Antiquioribus nõdum cogniti, neque a Recentioribus admitsi. quo ſemel ſtatuto, concedendum erit neceſſario iuxta communia ac noſtra principia, exiſtere duodecim Cœlos. Certe ſi quemadmodum Ptolemæi & Alphõſi Sapientis Hiſpaniæ Regis obſervationes circa alios Cœli motus pervulgata eſt & communiter admiſſa, ſic etiam Clavij, Aſtronomi celeberrimi, exiſtimatio confirmata fuiſſet; iure ac merito illam ſequeremur. At cùm ea neque à priſcis tradita ſit, neque à Recentioribus probetur, nobis quoque præferenda non eſt, qui in diſciplina extranea, qualis eſt Aſtronomia, potiùs ab authoritate aliorum, quàm ex privata obſervatione, debemus ferre iudicium, circa motus & numerum orbium cœleſtium. Quippe legimus apud Ariſtotelem lib. 12. Metaph. cap. 8. textu 47. τὸ δὲ πλῆθος ἤδη τῶν φορῶν ἐκ τῆς οἰκειοτάτης φιλοσοφίας τῶν μαθημάτικῶν ἐπισκέπτεσθαι δεῖ σκοπεῖν, ἐκ τῆς ἀστρολογίας. *Pluralitatem verò lationum ex peculiariſimâ philoſophiâ mathematicarum ſcientiarum, videlicet, ex Aſtrologia conſiderare oportet.* Ex pluralitate autem lationum definiri debet numerus ſphærarum Cœleſtium, vt infra conſtabit.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Aliorum opiniones circa numerum Cælorum vndecimo minorem, recensentur & improbantur.

6 NVNC inverso ordine oportet referre & reijcere aliorum opiniones, quæ nimirùm, aut plus iusto, Cœlorum numerum imminuerunt, ne vndenarium attingat; easque continuatà serie adiungere præcedentibus.

QVINTA igitur opinio vnicum Cœlum statuit. Hanc videtur docere S. Ioannes Chrysostomus *hom. 4. in Genesim*, illis verbis: *Quomodo dicunt aliqui factos multos cœlos? Non ex divinâ Scripturâ hoc didicerunt: sed ex suis opinionibus, vt ita dicam, impelluntur.* Idque *hom. 6. ac 13. ibiæ* confirmare videtur, & *homil. 12. ad Populum Antiochenum.* Consentiunt Acacius *in cap. 1. Genes.* Andræas Cisalpinus *lib. 2. Peripatetic. QQ. q. 4.* & Camerarius *in præsti*, qui præcipuè motus testimonijs Chrysostomi huic sententiæ subscripsit, sicut & nonnulli alij; addentes, id vnicum Cœlum habere quasdam cavitates canalibus simi les, quibus claudantur Planetæ, vt sic habeant proprios motus distinctosque à motibus stellarum fixarum eiusdem Cœli ab Oriente in Occidentem.

7 *VERVM* Opinio hæc reijcitur multipliciter. *Primò* ex S. Scripturâ, quæ sæpe loquitur de Cœlo in numero plurali, vt 2. Paralipom 6. v. 18. vbi Salomon Deum sic alloquitur: *Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quantò magis domus ista, quàm ædificavi?* Insuper & David Psalmo 148. v. 4. *Laudate eum cœli Cœlorũ.* Sunt & alia his similia, quæ Cælorum pluralitatem evincunt; maximè cùm nulla adsit ratio ne testimonia prædicta de multitudine Cœlorum, vt sonant ad litteram, accipiantur. Quin & verba illa Pauli 2. Corinth. 12. *raptum huiusmodi vsque ad tertium Cœlum*; videntur extorquere multitudinem Cœlorum, qualiscunque ea sit. Quod verò additur in hac opinione circa cavitates, aut canales, per quos moveantur Planetæ, infrà *à num.* 11. reijciemus: vbi & rationes à nobis proponendæ contra asserentes Cœlum vnicum esse in quo sunt omnes Planetæ, ac stellæ, fortiùs exturbabunt opinionem præiactam; & quæ afferentur pro vltimâ ac veriore sententiâ, evincent planè Cœlum multiplex esse.

8 Neque obstant fundamenta præiactæ opinionis: quorum alterum est, quòd in principio asseratur Deum fecisse Cœlum, & terram; ac proinde Cœlum vnicum & singulare; non multiplex, sicut & terra vnica facta est: alterum verò, quia quod constat ex omni suâ materiâ, est vnum tantùm, vtpotè nullam admittens multiplicationem ratione distinctæ materiæ. Cùm igitur Cœlum iuxta Aristotelem in præsenti *lib. 1. textu 95.* constet ex omni suâ materia, sequitur vt vnicum & singulare sit, non verò multiplex. Non, inquam, obstat, nec etiam favere potest adversæ opinioni, quæ saltem admittere debet Cœlum Empyreum distinctum ab hoc stellato & visibili; ac proinde, sicut non obstante illo Geneseos testimonio locus est alteri Cœlo ab hoc, quod habemus præ oculis; ita & pluribus alijs. Deinde nõ est par ratio, vt sicut terra vnica fuit creata, sic etiam Cœlum vnicum fuerit conditum. Vt enim respondet huic ipsi argumento S. Thomas 1. p. q. 68. ar. 4. ad 1. *terra se habet ad Cœlum, sicut centrũ ad circumferentiam. Circa vnum autem centrum possunt esse plures circumferentiæ. Vnde, vnâ terrâ existente, multi Cœli ponuntur.* Quod verò in Sacra Scripturâ initio Geneseos nõ dicatur Deus Cœlos creasse, sed *Cœlum*; ideo est, quia Cœli nomine comprehenduntur quæcunque vniversaliter in hac ratione conveniunt, sive sint pauca, sive multa; maximè vbi compendio vtitur Moyses in scribendâ primâ conditione Vniversi, & vel ipsos Angelos, creaturas omnium nobilissimas, nõ exprimit à Deo conditos; sicut nec elementa præcipua ignis & aëris; nisi tantùm sub ratione aliquâ vniversali, ad Cœlum, vel terram, aut lucem spectante. Sive etiam dicitur Deus creasse Cœlùm, id est, extimum totius Vniversi ambitum, seu orbem, quem vocamus Cœlum Empyreum, vt exponunt Basil. Augustin. & ex nostris Alcuinus, Beda, ac Rabanus apud Tirinum *ibidem.* Sub Empyreo autem, vt principaliore comprehenduntur reliqui Cœli. Neque etiam obstat quòd Cœlũ dicatur ab Aristotele constans ex omni suâ materiâ, vt possit esse, ac sit de facto multiplex numero, imò & specie. Licèt enim Cœlum non expectet novam materiam, quæ sit à Deo creanda, sed totam quantam habiturum

turum est in æternùm, habeat ab initio temporis, hæc potest esse, ac de facto est multiplex numero, proindeque & Cœlum ipsum. Chrysostomus verò exponi potest, iuxta D. Thomam, quasi locutus de Cœlo, vt importante vniversalitatem creaturarum corporalium superiorum ad elementa omnia: quà ratione est vnum Cœlum tantùm.

9 *SEXTA* duos Cœlos solùm admittit. Pro hac videtur stetisse Theodoretus *q.* 11. *in Genesim*, id probans: *quia Moyses duos tantum cœlos numerat, alterum factum ante lucem, alterum factum post lucem ex naturà aquarum.* Pro eodem placito allegari solet Damascenus *lib.* 2. *Fidei cap.* 6. Verùm præter rem cùm expressè asserat esse vt minimùm tres cœlos, & tertij nomine, ad quod Paulus est raptus, intelligat aèrem; nimirum, numerando à Cœlo Empyreo. Quin & statim subdit: *Quòd si septem illos orbes* (scilicet Planetarum) *septem cœlos interpretari libeat, nihil hoc veram doctrinam labefactabit.* Vbi & notanda est ipsius expositio circa aquas quæ super Cœlos dicuntur esse in sacris litteris, nec parùm opportuna illustrandis ijs, quæ dicta sunt præcedentibus disputationibus. Ait enim non procul à fine eiusdē capitis, *per aquas, quæ super cœlos sunt, vel aèrem, vel septem firmamenti orbes, vel denique firmamentum ipsum, quod de more Hebraicæ linguæ Cœlorum nomine plurali voce significatur, intelligi.* Quibus & confirmat numerum orbium cœlestium suprà duos, quod modò nostri instituti est, & præterea liberiori interpretationi aditum præstat circa aquas illas cœlestes, vt vel intelligantur quæ in mediâ regione cœli aèrij, sive aèris generantur; vel ipsi Planetarum orbes & firmamentum, quod claritate sua & christallinâ diaphaneitate aquarum similitudinem referant. Vnde ad argumentum Theodoreti facilè occurritur, vel asserendo Cœlum illud post lucem factum, fuisse regionem aèris, *firmamentum* & *Cœlum* dictam in sacris litteris, interiectumque aquas superiores & inferiores; quam expositionem probat Augustinus alibi allegatus: vel fuisse cœlū inferius Empyreo, multiplex tamē; cuius interpositione aquæ superiores, scilicet, Empyreum ipsum, divisæ fuerint ab inferioribus aquis, quibus terra circumvoluta erat. Porrò opinio hæc positivè impugnabitur & vrgentiùs ijsdem rationibus, quibus mox referenda.

10 *SEPTIMA*, & nostro sæculo receptissima inter Astronomos, & quosdam sacrorum Bibliorum Interpretes, tres Cœlos solùm statuit: scilicet, Empyreum, sidereum ex omnibus stellis fixis atque errantibus constans, & tandem aèreum. Ita plerique ex Authoribus allegatis *disp. præced. num.* 2. pro fluiditate Cœlorum: quà statuta facile est omnes Planetas esse in eodem orbe cum stellis fixis, & per illum versari contrarijs motibus, sicut pisces per aquam, absque disruptione aut penetratione Cœli. Imo & ex ijs, qui solidos Cœlos existimant, Hurtadus *disp.* 2. *sect.* 2. censet adhuc locum esse vt Planetæ in eodem Cœlo cum stellis fixis sint, & per illud moveantur contrarijs motibus, absque penetratione aut disruptione Cœli: quia sunt in eo canales, seu cavitates quædam, per quas Planetæ ipsi peculiari motu cièrtur, & distincto à motu stellarum inerrantium.

11 *VERVM* Opinio hæc, prout communiter accipitur, supponit doctrinam minùs probabilem de fluxibilitate Cœlorum, superioribus impugnatam ex professo. Habet præterea contra se argumenta desumpta ex multitudine motuū plurium, quam duorum, imo & septem, iuxta Planetarum numerum: qui omnes naturaliter nequeunt convenire vnico corpori simplici, quale est Cœlum vnicū, sed diversis, vt *sect. sequēti* constabit. Quatenus vero defenditur ab Hurtado, non obstanti soliditate Cœlorum, refellitur multipliciter. *Primò*: Quia eo ipso quòd Cœlum sit solidum, deferet suos omnes Planetas sibi affixos, sicut rota defert clavos: ac proinde sicut in hac semper clavi æqualiter distant, & non moventur contrarijs, aut inæqualibus motibus; sic neque Planetæ; quod experimento constat esse falsum. Si autem dicas Planetas non esse Cœlo affixos, sed vagari per canales intra ipsum Cœlum solidum, seu cavitates quasdam; contrà est: tum quia vel illæ cavitates sunt vacuæ, vel plenæ corpore aliquo fluido. Si secundum dicas, iam admittis magnam Cœli partem fluidam esse; imò & admittere debes totum, aut ferè totum Cœlum esse fluidum: quod contradicit relato Authori. Sequelam manifestè probo: Quia præterquam quòd Sol incomparabiliter maior sit quàm totus terrarum orbis, ac proinde ad motum vni-

vnicũ circulàrẽ egeret zonà fluidà latitudinis sibi æqualis totum Cœli circulum ambiente, aliæ & aliæ zonæ fluidæ exigerẽtur pro singùlis ferè diebus. Sol enim non semper movetur per Cœli spatium, sed passim per aliud atque aliud. Cùm enim à lineà æquinoctiali declinet ad vtrumque Solstitium Vernum & Autumnale, tota intercapedo vtriusque Solstitij deberet esse canalis fluidus, per quem Sol posset moveri. Similiter cùm Luna vnoquoque mense variet tot Cœli spatia, per quæ movetur assiduà inconstantià, oporteret maximam Cœli partem excavatã esse, sive omni solido corpore destitutã, & solùm fluido plenam, vt Luna toto quolibet mense Cœlum circumageretur. Quæ ratio magnà ex parte vrget etiam in cæteris Planetis. Inconsequenter ergo Hurtadus asserit Cœlum esse solidum, si aliunde statuit canales Planetarum esse plenos corpore aliquo fluido. Vt omittã difficilem assignatu esse substãtiam illam fluidam cavitates replentem: non enim est substantia cœlestis, seu quinta substantia, cui iuxta Hurtadum repugnat fluidã esse: nec præterea ignea, aërea, aut aquea. àlioqui aliquod horum trium elementorum verè & formaliter occuparet maximam Cœli partem ab ipso spatio Lunæ vsque ad Saturnum, omnium Planetarum elevatissimum. quod nemo dixit. Nulla ergo substantia fluida est, quæ repleat illos canales.

12 *SVPEREST* igitur dicendum canales illos Cœli solui, per quos mõventur Planetæ, esse prorsus vacuos, idque naturaliter & de facto. At vacuum naturaliter non existere, cum communi Philosophorum sententià probatum est *lib. 4. Physicæ disp. 27. per totam*. Non ergo sunt in Cœlo canales Planetarum vacui. *Dices* cum eodem Hurtado, cavitates illas non esse vacuas, quia vacuum est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri: cavitates autem illas esse quidem locum non repletum corpore, ineptum tamen repleri: ideoque propriè loquendo non esse vacuas. *SED Contrà I.* Vacuum stricte dictum est locus non repletus corpore, aptus tamen repleri. At cavitates illæ, etiam dum habent rationem loci nõ repleti corpore, sunt aptæ repleri. Ergo propriè habent rationem vacui. Probatur minor. Quælibet particula illarum cavitatum modò repletur, modò non repletur à proprio Planetà gyrante per illam. Cum enim modò per hoc, modò per illud spatium eius cavitatis circumagatur, necesse est vt successivo quodam ordine omnes cavitatis partes impleat, & dum relinquit vnam, occupet aliam. Ergo, cũ ab actu ad potentiam valeat consequentia, si quælibet cavitatis pars aliquando repletur, quælibet etiam repleri apta est. Ergo dum non repletur corpore Planetæ, est propriè locus vacuus.

13 Si autem cavitates illæ sint verè vacuæ (quod tandem non abhorret Hurtadus) cùm aliunde extendantur per adeò ingentem Cœli latitudinem, ac *numero* 11. demonstratum est, impedietur planè influxus stellarum inerrantium in sublunaria hæc; quippe qui transmitti nõ poterit per spatium vacuum. Nec sufficiet influxus lateralis, quem iam reiecimus contra Arriagam disputatione illà iã allegatà: præsertim cùm cavitas adeò pateat, & influxus deberet in nos transmitti per tot ambages atque obliquas vias. Impediretur etiam visio stellarum inerrantium, & Planetarum superiorum: quià cũ spatium interiectum sit vacuum, non poterunt species visibiles per illud ad nos transmitti. Atqui experimento assiduo constat stellas inerrantes & Planetas superiores transmittere ad nos species visibiles sui ipsorum. Ergo nullum est spatiũ interiectum, quod verè sit vacuum. Denique, quòd caput est, impediretur coniunctio hæc, sive colligatio intima partium omnium Vniversi, quam tota natura deperit, & miris modis quærit, vt *ibidem à num. 8.* multipliciter demonstravimus, si in Cœlo aliqua vacuitas esset vera ac propria.

14 *DENIQVE*, quamvis totum Cœlum fluidum supponatur, vt cõmuniter supponitur ab Authoribus cæteris contrariæ opinionis, finamusque gratis omnes Planetas & stellas per illud vagari, sicut pisces in aquà; restat Adversarijs respondendum, quomodo Planetæ, frequẽter invariatum ordinem servent in suis motibus, & Luna nunquam appareat supra Solem, neque hic supra Saturnum, neque Iupiter infra Mercuriũ; & sic de alijs. Si enim omnes Planetæ in eodem Cœlo fluitarent, modò supra, modò infra, dubio quodam & incerto ordine, aut sine lege vagarentur, vt *disp. præced. sect. 3.* latiùs ostensum est. Quin, & oporteret vt Ange-

lus

lus movens Solem v.g. aſsiduè illum comitaretur, vt deferret de loco in locum aſsidua viciſsitudine: quia cùm ſupponatur Sol non affixus alicui Cœli parti, exigit aſsiduum & continuarum impulſum intelligentiæ motricis quocumque deferendus eſſet. Hoc autem abſurdum non imminet, ſi Sol, & vnuſquiſque Planetarũ proprio Cœlo, ac ſolido, affixus aſſeratur. Angelus enim in vnica Cœli parte movens, facilè totum illud Cœlũ, & Planetam in eo exiſtentem, movebit, ſicuti quiſquis mouet axem rotæ, movet illam totam, & clavos quoslibet eidem affixos.

15 *OPPONIT* Nierembergius teſtimonium illud 2. *Corinth.* 12. *v.* 2. vbi Paulus de ſeipſo aſſerit raptum fuiſſe *vſq; ad tertium Cœlum.* At raptus fuit vſque ad Empyreum ipſum, vt expreſsè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 3. Ergo Empyreum eſt tertium Cœlum. Quare ſupereſt vt tres tantum ſint orbes cœleſtes, primus, & vicinior nobis, aèreus; ſecundus ſidereus, ſtellis errantibus & inerrantibus conſtans; tertiꝰ atque vltimus, & remotior a nobis, Empyreus.

16 *RESP.* Admiſſa libenter prædicta interpretatione, & intellecto raptu Apoſtoli vſque ad tertium Cœlum materiale, id eſt, Empyreum, & omnium vltimum, (quod Cornelius, & aliqui PP. ab eo relati docent) adhuc locum eſſe, vt ſinguli Planetæ habeant proprios orbes cœleſtes in quibus moveantur. Triplex enim ordo cœleſtis corporis eſt: ſupremus, medius, atque infimus nobis vicinior. Supremus ad ſolum Empyreum attinet, quod eſt vicinum & nobiliſsimum, tanquã Dei & Beatorum ſedes. Medius comprehendit omnes Cœlos ſtellatos, & poſitos inter Empyreum atque elementa, quotcũque illi ſint. Habent enim inferiorem naturam incomparabiliter relatè ad Empyreum, & longe ſuperiorem relatè ad elementa: ideóque ſeorſim mediũ aliquod Cœlum conſtituunt, & vnum quodammodo, ſcilicet, vnitatè ordinis. Denique infimum omniũ eſt, quod igneà & aèrea regione conflatur, *Cœlum* in ſacris litteris, & communi vſu, appellari ſolita: quam Noſter Rabanus apud D. Th. 1. *p. q.* 68. *ar.* 4. diſtinguit in quatuor partes, quarum ſuperiorem vocat Cœlum igneum, quòd ignis Cœlo proximus ſit; inferiorem verò, *Cœlum Olympium*, ob altitudinem inacceſſam montis Olympi: rurſuſque ſuperiorem regionẽ aèris vocat *Cœlum atherium*, propter inflammationem a vicino igne; inferiorem verò *Cœlum aèreum*, in quo ſcilicet, nubes ſunt, & alites volant. Vndè quemadmodum, etiam in contraria opinione, & intellecto ad litterã Apoſtolo, Cœlum primum, ſcilicet, aèreum, ſolùm eſt vnicum ordine, non verò ſpecie aut numero, quia conflatur ex duplici regione, quarum vna eſt aèris, & alia ignis; ita etiam Cœlum ſecundum, id eſt, idereum, ſeu medium, non eſt vnicum ſpecie, aut numero, ſed ordine; conflaturque ex orbibus interiectis vtrunque Cœlum extremum, quotcumque ij ſint. Quare S. Th. eodem loco *corp. art.* ex propria mente, & attento Scripturæ ſtylo inquit de Cœlo ſidereo: *Dividitur in octo ſphæras: ſcilicet, in ſphæram ſtellarum fixarum, & ſeptem ſphæras Planetarũ, quæ poſſunt dici ſeptem cœli.* Septem, ſcilicet, numero, & ſpecie; quamquam vnum vnitate ordinis, vt indicat *ſolut. ad* 2. Vide præterea quę diximus *ſupra num.* 8. adnotantes ſæpe in Scriptura nomine *Cœli* in ſingulari intelligi Cœlos pluraliter.

17 *NOTANDA* verò ſunt verba Pererij *lib.* 2. *in Geneſ. capit.* 1 *q.* 4. *n.* 19. quibus oſtendit, quam incerta ſit in ſacris litteris multitudo Cœlorum, vt proinde ex ijs nemo opinioni ſuæ nimiũm adhæreat. Ait enim: *Hæc omnia cò commemoravimus, vt palam eſſet, nunquam in ſacris litteris numerum certum Cœlorum eſſe proditum, nec eos qui plures cœlos tribus ponunt, videlicet, vel novem, vel decem, vel vndecim ſacris litteris contradicere. Quapropter cùm Philoſophi & Mathematici manifeſtis & neceſſarijs rationibus concludant eſſe octo, aut novem, aut etiam plures cœlos; inſcienter admodum profectò, ne dicam ſtultè, nunc faceret Theologus, & ſacrarum litterarum Interpres, ſi eorum opinionem, tanquam divinæ Scripturæ cõtrariam, vel alienam, reijceret, atque damnaret.*

Sunt & aliæ Philoſophorum atque Aſtronomorum opiniones, aliquanto liberaliores, ſed non vſque adeò largæ, ac oporteret; quas obiter impugnabimus ſtatim, inter exponendum & probandũ noſtrã ſententiam.

(.)

SECTIO TERTIA.

Statuitur verior & communior Philosophorum atque Astronomorum sententia, eiusque processus ad hæc vsque tempora.

18 EXPLOSIS iam aliorum opinionibus, vt ad stabiliendam veriorem accedamus, oportet prænonere circa ea, quæ nostræ disciplinæ non vsque adeo sunt, sed pendent maximè à principijs & obseruationibus facultatis alienæ, qualis est Astronomia, par esse credere probatissimis ipsius Professoribus, qui cùm magna sui nominis celebritate, & communi cœterorum plausu, eam illustrarunt. Inter omnes verò, qui Astronomiæ laude insigniter floruerunt, recensentur Babylonij, siue Chaldæi, & Ægyptij, quorum meminit Arist. in præsenti *lib. 2. cap. 12. textu 60.* ijs maximè verbis: ὁμοίως δὲ περὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων λέγουσιν οἱ πάλαι τετηρηκότες ἐκ πλείστων ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Βαβυλῶνι παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων. *Similiter & de cæteris stellis Ægyptij & Babylonij dicunt, qui plurimis iam annis antè hæc obseruauerunt, & à quibus multa fidedigna de singulis stellis accepimus.* Ijs igitur credendum existimauit Aristoteles circa numerum octo Cœlorum vt minimùm; quorum supremum sit stellarum inerrantium, *Aplanes* dictum; septimum, ipsique proximum, Saturni; sextum, Iouis; quintum, Martis; quartum, Solis; tertium, Veneris; secundum, Mercurij; ac tandem primum, & nobis proximum, Lunæ. Quã doctrinam idem Aristoteles eodem loco approbat, sicut & D. Thomas *1. p. q. 68. art. 4.* & longè antea Plato *lib. 10. de Republ.* pluresque alij Veterum Philosophorum. Ratio verò, quà moti, id asseruerunt, fuit experimentalis & accurata obseruatio octo motuum distinctorum, quibus mouentur stellæ fixæ, ac Planetæ, nullo inter se ordine seruato: nam priores vniformiter cientur, seruata inter se eàdem vbique distantia; posteriores verò longè aliter & modò congredientes inter se, modò vicinitatem seruantes, modò distantiam; iam sub hac Cœli constellatione, iam sub illa. Vnde & iure ac meritò intulerunt, tum stellas omnes fixas seorsim, tum & singulos septem Planetas, distinctis orbibus vehi: quod & postea vberiùs cõfirmabitur.

19 *STATVTO* semel ab Antiquioribus octonario numero cœlestium sphærarum, floruit Claudius Ptolemæus, natione Ægyptius, Alexandriæ Professor Mathematicarum disciplinarum, ac Græcæ linguæ præstantia excellens, & in Astronomia facilè Princeps: qui circa annum Christi CXXX. ac tempore Antonini Cæsaris, vt idem scribit, omnium cœlestium corporum rationem & motus diligentissimè obseruauit; & instrumentis, iam antea ab Hipparcho inventis, deprehendit octauum Cœlum stellarum inerrantium, præter motum omnibus manifestum ab Oriente in Occidentem, habere alium ab Occidẽte in Oriẽtem, quamvis tardissimum, & non nisi ab Astronomis præstantibus perceptibilem. Quare cùm alte omnibus intellexisset Philosophis, non posse conuenire per se ac naturaliter duos motus oppositos eidem Cœlo, tam ipse Ptolemæus, quà cæteri communiter post ipsum, assignarunt nonam sphæram, eamque *primum mobile* appellarunt, quòd cæteros orbes moueret, ac raperet ab Occidente in Orientem. Quæ opinio vsque ad tempus D. Th. communis fuit, ipsique vt receptissimæ subscribit S. Doctor loco nuper allegato.

20 *DENIQVE* ipso D. Thomæ tempore, scilicet, circa annum Christi M. CC. L. floruit Alphonsus X. Castellæ Rex, cognomento Sapiens, insignis benefactor Academiæ Nostræ Salmanticensis, qui sublimi animo, pertinaci obseruatione, & acscitis ingenti sumptu ex toto ferè Orbe peritissimis Astronomis, in quo CCCC. aureorum millia impendisse legitur, detexit novum alium motum trepidationis, siue accessus, & recessus, in firmamento, quod vi illius deflectit modò ad hunc, modò ad oppositũ polum. Quare sicuti ob duplicem motum Ptolemæus antea coniecerat aliam sphæram à firmamento distinctam, sic & Alphonsus tertiam aliquam ab ea diversam. Quę opinio statim ab eo tẽpore pervulgata est, eiusque, veluti iam celebris meminit S. Thom. *in 2. distinct. 14. art. 1. corp.* vbi inquit: *Hoc autem cœlum aqueum est nona sphæra ad quam primò reducunt Astrologi motum orbis signorum communem omnibus stellis, qui est de Occidente ad Orientem; & iterum sphæram decimam,*

ad

ad quam reducunt motum diurnum, qui eſt de Oriente in Occidentem. Quare & ferè ex tunc cõmuniter recepta fuit inter Aſtronomos, eamque præcipuè illuſtrarunt Georgius Purbarchius, Ioannes à Monte-Regio, ac recentiùs P. Chriſtophorus Clavius; niſi quod hic novum alium motum, ac proinde & ſphæram aliam obſervavit, vt *n.* 5. dictum eſt. Quare hucuſque receptiſſima ſententia fuit, & eſt, quæ exiſtentiam decem Cœlorum mobilium ſtatuit: eamque amplexantur Recentiores, quos referunt & ſequuntur Conimbricẽſes, Amicus, & alij quã plures *in præſenti.*

21 Mobilium inquam, nam præter illos neceſſariò ſtatuendus eſt orbis vndecimus, quem Empyreum appellamus, quòd claritate ac ſplendore ſuo quaſi igneus ſit; & præterea immobilem dicimus, quia decuit honorificentiſsimam Dei & Beatorum omnium ſedem ſtabilem eſſe, & nullis motuum viciſsitudinibus ſubiacere. Quod denſiſsima Patrum omnium acies teſtatur apud Conimbricenſes *in præſenti lib. 2. cap. 5. q. 1.* & Henaum in amœniſsimo Opere ſuæ Empyreologiæ *lib. 1. exercit. 2.* per totam, vbi contra Caietanum, (quem tamen aliquipiè ac verosimiliter exponunt) latè oſtẽdit & concludit, eam doctrinam nõ modò ex ſacris litteris colligi, ſed etiam à Patribus, continuata ſæculorum omniũ ſerie à Chriſto nato, expreſsè traditam. Imò & Martinengus *in cap. 1. Geneſ. pag. 244. Gloſſæ Magnæ*, appellat traditionem totius Eccleſiæ ab Apoſtolis ad nos vſque manuductam. Quare illa firmiſsimè ſuppoſitâ, dum decem Cœlis nuper aſsignatis accedit Empyreus orbis, vndecim Cœli, & non plures, nec pauciores, iure ac meritò enumerantur.

22 *HANC* ipſam opinionem eſſe conformem Ariſtoteli, videtur certum. Cùm enim ille iuxta numerum motuum cœleſtium ſtatuat Cœlorum numerum, idque ex obſervatione Aſtronomorum inſignium, quibus deferendum in hoc cenſuit, vt ſuprà ex ipſo vidimus; planè iudicari debet conforme & cohærens eius opinioni, decem Cœlos mobiles aſsignare, quoniam proceſſu temporis totidem diverſi motus cœleſtium corporum deprehenſi ſunt. Idemque dicendum de D. Thomà: cuius tempore, etſi iam celebris, recens tamen, & non vſque adeò recepta erat opinio Alphonſi Regis; quam apertiùs probaſſet, ſi vidiſſet aliquantò pòſt communem Aſtronomorum in eà cõſenſum: a quo etiam nos recedendum minimè putavimus: tũ quia maioris authoritatis ſunt Aſtronomi & Philoſophi hanc opinionem ſecuti, quàm cæteras: tum etiam, quia hæc rationi cõfirmior eſt, vt ſtatim oſtendam.

SECTIO QVARTA.

Suadetur eadem ſententia ratione, & præcluduntur Adverſariorum effugia.

23 *RATIO* eiuſdem communis ac verioris ſententiæ deſumitur ex Ariſtotele, toto ferè hoc tractatu probante, eidem ſimplici corpori non poſſe convenire per ſe & naturaliter duplicem motum diverſum, aut oppoſitũ, ſed vnicũ. Quare elementa ſingula vnico eiuſmodi motu contenta ſunt, levia quidem ſurſum, & gravia deorſum, quoniã ſunt corpora ſimplicia, ſive quatuor primarum qualitatũ temperamento, & cõpoſitione carentia. At Cœlũ longè ſimplicius eſt elementis: quippe quod neq; omnes, neq; aliquã primarũ qualitatum in ſe admittit, vt ſuperioribus probatũ manet. Igitur multò minùs Cœlo convenire poteſt per ſe & naturaliter duplex aut multiplex motus oppoſitus, aut diverſus, ſed vnicus. Igitur tot Cœli mobiles aſsignari debent, quot motus diverſi, & contrarij, in Cœlo deprehenduntur, vt proinde quilibet eorum per ſe ac naturaliter reſpondeat vnicuique propriæ ſphæræ. Atqui in Cœlo deprehenduntur decem motus diverſi, & interſe contrarij quoddammodo. Ergo & totidẽ Cœli mobiles aſſerẽdi ſunt. Quibus dũ adiungitur Cœlũ aliud immobile, quod Empyreũ appellamus, tandem habetur vndenarius numerus Cœlorum. Diſcurſus præiactus eſt optim^a, in quo ſolius minoris ſubſumptæ videtur deſiderari probatio, quam exhibeo. Primo enim manifeſtũ eſt in ſeptẽ Planetis, Lunà, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Iove, ac Saturno, totidẽ deprehendi motus diverſos; & inter ſe contrarios. Ad ſenſum quippe patet, prædicta luminaria modò invicẽ vicina, modò diſsita eſſe; modò mutuò approximari & accedere ad conſtellationem aliquam, modò diſiungi & ab eà recedere. Id autem ſine diverſis motibus,

& quoddammodo contrarios, nec esse, nec intelligi potest. Igitur septem Planetæ habent totidem motus diversos, & quoddammodo contrarios. Præterea in Cœlo stellarum fixarum tres alij motus inveniuntur. Primus diurnus, sic appellatus, quoniam spatio vnius diei, sive viginti quatuor horarum, tam ipsum octavum Cœlum, quàm septem orbes prædicti, rapidissimè cientur ab Oriente in Occidentem. Secundus tardissimus ab Occidente in Oriētem, quo omnes octo orbes regrediuntur, à Ptolemæo observatur. Tertius denique trepidationis & titubationis, ab Alphonso Rege detectus, quo Cœlum stellarū inerrantiū movetur ab vno ad alterū polū mundi per accessū & recessum. Ergo de primo ad vltimum ex his tribus motibus, inter se diversis, contrarijsque, & alijs septem Planetarū, consurgit denarius numerus motuum in Cœlo deprehensus, quibus proinde assignari debent totidem sphæræ mobiles.

24 *OCCVRRES I.* cum Oviedo *controv. vnicâ de Cœlo puncto 4. num. 5.* & Pontio *infrà*, negando ex varietate motuum Cœli stellati colligi varietatem orbium cœlestium: quia posset illa varietas motuum oriri ab intelligentia distinctis impulsibus movente idem Cœlum, ac proinde in eo causante distinctos motus. Quod si vnica Intelligentia fingatur non sufficere, assignētur plures, & ita vnicum Cœlum stellatū sufficiet tribus, imò & pluribus diversis motibus. *SED Contrà I.* Magis enim Philosophicum est, & conforme naturis rerum, assignare subiecta connaturalia cuilibet motui de facto existenti, quàm recurrere ad solum agēs extrinsecum, præternaturaliter movens. Ergo magis Philosophicum & cōformius naturis rerum est, quòd trium illorum motuum assignetur subiectum connaturale, quàm quòd recurratur ad pluralitatem solam Intelligentiarum, præternaturaliter idem Cœlum moventium. At subiectum connaturale triplicis motus diversi & oppositi, nequit esse vnicum & idem Cœlum, quia simplex omnino est; sed triplex, iuxta motuum diversitatem & numerum. Ergo magis Philosophicum est, & conformius naturis rerum, esse tres Cœlos iuxta numerum motuum, quàm vnicum Cœlum & triplicem impulsum ab vna aut triplici Intelligentia movente præternaturaliter.

CONTRA II. Nullus enim motus localis existit, qui alicui subiecto existenti in rerum natura connaturalis non sit. id quippe commune est omni accidenti ordinis naturalis, vt de facto habeat subiectum aliquod sibi connaturale. alioqui semper esset in statu præternaturali, aut etiam violento. Ergo trium illorum motuum Cœli stellati existit in rerum naturà connaturale subiectum. Cumque hoc nequeat esse idem Cœlum simplex, cui nequit esse connaturalis duplex aut multiplex motus diversus; consequens est, vt existere debeant tres Cœli, quibus conveniant connaturaliter. Nihil igitur prodest recursus ad vnam, aut plures Intelligentias moventes.

25 *OCCVRRES II.* cum Rubio *in præsenti lib. 2. cap. 5. q. 2.* negando eos tres motus in Cœlo stellato inveniri: tum quia si in eo essent, deprehensi vtique fuissēt à Babylonijs & Ægyptijs Astronomis, quos Aristoteles sequitur; vtpotè peritissimis in notitia rerum cœlestium: tum etiam quia visus facillimè præstigias patitur circa obiecta valde distantia, & præsertim circa sensibilia communia, qualis est motus cœlestis; ideoque verosimile est Ptolemæum & Alphonsum deceptionem similem passos, maximè vtētes instrumentis opticis, quæ alibi diximus parum fida esse: tum præterea quia motus tardissimus Cœlo nono attributus, ratione summæ morositatis suæ nequit sensibiliter percipi; maximè cum eius assertores dicant vnicam circulationem non fieri, nisi triginta sex, aut etiam quadraginta novem annorum millibus. Nulla igitur ratio efficax cogit ad asserendos tres illos motus, ac proinde & tres Cœlos, supra septem Planetarum orbes. Quare sufficiunt octo Cœli mobiles, quorum septem sint Planetarum, octavum verò stellarum inerrātium, qualiter asseruit Aristoteles.

26 *HÆC* Solutio, & sententia Rubij absque dubio probabilis est: illamque tuentur ex Antiquis quotquot solum octo Cœlorum mobilium meminerunt, vt Damascenus *libr. 2. de Fide capit. 6.* Scotus, & alij, quos ex Recentioribus sequuntur Arriaga *in præsenti*, & Pontius *disputat. 22. quæst. 6. num. 65.* Adhuc tamen vt minùs probabilis reijcitur dupliciter. *Primò*: Quia cùm naturæ humanæ non omnia explorata

sint

sint à principio, sed progressu temporis & labore pertinaci ingeniorum magis ac magis detegantur, vt experimento in omnibus disciplinis liquet, nunquam vsque adeo provectis, vt novum incremẽtum non accipiant; fieri potuit Babylonios, & Ægyptios Astronomos, licèt multum laboraverint, non ideo omnes Cœlorũ motus detexisse: donec Ptolemæus, ijs præstantior, & omnibus celebrior, invenit motum ab Occidente in Orientẽ, postea communiter admissum, & ab alijs peritissimis confirmatum: quibus deferre par est, quemadmodum & Aristoteles plurimùm detulit Babylonijs ab ipso allegatis. Porrò & eadem ratio est de Alphonso Rege, inventore motus trepidationis: cui Mariana *lib.* 13. *cap.* 9. ait: *Tantam fuisse astrorum, Philosophiæ, rerumque gestarum cognitionem, quantam vix otiosi homines in vmbra assequuntur. Extant de astrorum conversione, & de Hispanica historia, edita ab Alphonso volumina, magno ingenio, mirabili studio.* Quidni ergo sapientissimus Rex aliquid noviter in Cœlo deprehenderit, præsertim adiutus ab insignibus Mathematicis totius Orbis, quos ad se impensis maximis evocavit, vt cum ijs exploraret rationem omnẽ motuum cœlestium? *Secundò* reijcitur: quia licèt optica instrumenta parùm fida sint, vt nos etiam observavimus *disp. præced. num.* 25. potuérunt Ptolemæus & Alphõsus alijs præterea subsidijs, observationibus, & rationibus deprehendere prædictos motus, & de facto deprehendisse putandi sunt, propter insignem præstantiam in Astronomia. Quare etiamsi motus ille Cœli ab Occidente in Orientem tardissimus sit, & vnicam circumvolutionem non, nisi post 36. vel 49. annorum millia, conficere supponatur; potuit assidua longi temporis observatione deprehendi à Ptolemæo, sicut & motus trepidationis ab Alphonso. Quod si motus aliꝰ à Clavio observatus confirmetur de cætero ab Astronomis peritissimis, & communi consensu recipiatur (quod hucusq; factum non est) licebit cuilibet statuere aliam sphæram cœlestem, vt vnicuique motui per se correspondeat naturale subiectum. Videtur tamẽ omnino acquiescendum sententiæ communi à tempore Alphonsi Regis & D. Th. nec facilè ab eà deflectendum propter solam authoritatẽ quorundam Recentiorum.

27 Itaque iuxta nostram sententiam, vltra septem orbes Planetarum, datur octavus stellarum fixarum. Vltra hunc nonus, quem S. Thomas *loco allegato ex* 1. *p.* appellat totaliter diaphanum, aqueum, & chrystallinum. Vltra hũc decimus, scilicet, primum mobile, quod cæteros novem orbes inferiores, & contentos intra proprium ambitum, proprio motu circumagit & rapit. Porrò prædictum ordinem esse inter Cœlos omnes ab infimo Lunæ vsque ad primum mobile, suadetur: Quia quò magis Cœlum aliquod à natura & conditione primi mobilis est diversum, magisque velociter contra eius impetum agitur ab Occidẽte in Orientem, eò magis à primo mobili distare debet. Atqui Cœlum Lunæ omniũ velocissimè agitatur ab Occidẽte in Orientẽ, contra impetum primi mobilis: deinde Mercurius, postea Venus, mox Mars, dein Iupiter, & sic de alijs iuxta ordinẽ suprà statutũ. Ergo Cœlũ Lunæ magis omnibus alijs à primo mobili distat, deindeq; cæteri Planetæ, iuxta eundem ordinẽ. *Confirm.* Astrũ illud quod interpositione sua ecclypsat aliud, distantius est à primo mobili, & terræ vicinius. Luna autem interpositione sua omnia luminaria ecclypsat: Mercuriꝰ Venerẽ, & sic de alijs præter Solẽ: qui ab ijs duobus non ecclypsatur; non quia inferiores non sint, sed quoniam, iuxta Clavium & alios, circulus visualis Mercurij adhuc minor est circulo visuali Veneris: ideoque neuter potest Solem occultare. Ergo &c.

SECTIO QVINTA.

Quædam argumenta Recentiorum soluta. Nonnulla obiter de contiguitate, & specifica distinctione Cœlorum.

28 OPPONVNT *I.* Recentiores contra doctrinam præcedentis Assertı, varietatemq́ motuũ deprehensam in Cœlo stellato, quasi hæc ficticia & repugnans sit. Nullum corpus cœleste potest ſimul moveri duplici motu. Ergo repugnat duplex aut multiplex motꝰ in Cœlo stellato; ac proinde corruit fundamẽtum nostræ sententiæ. Probatur antecedens. Motus enim est causalitas, sive actio, ex vi cuius existat vbicatio, ad quam terminatur. At nullum corpus cœleste potest simul habere duplicem

causalitatem, sive actionē, vi cuius existat duplex vbicatio; sicut nec simul potest esse in duplici loco. Ergo nullum corpus cœleste potest simul moveri duplici motu. *RESP.* obiectionem hanc, si quidquam probat, pariter probare de corpore sublunari, quod sicut nequit esse in duplici loco, sic neque potest simul habere duplicem causalitatem vbicationum. Atqui evidens est posse idem sublunare corpus duplici simul motu moveri, vt patet in navigantibus, qui intra navim sæpe ambulant motu opposito motui eiusdem navis, & tamen ab ea movētur: similiterque in formica, quæ defertur motu rhedæ currentis in Orientem, & tamen progreditur versus Occidentem. Imò & in ipso Cœlo idem dicere tenentur quotquot ex Adversarijs epicyclos statuunt, vt plures Planetæ intra idē Cœlum diversis & oppositis motibus cieantur. Denique ad argumentum respondeo, non posse duplicem motum per se convenire eidem simplici corpori, quale est Cœlum; posse tamen convenire vnum per se & alium per accidens, vt in exemplis præiactis. Ad probationem concessa maiore, distinguo minorem: nullum corpus cœleste potest habere simul causalitatem vi cuius existat duplex vbicatio per se; concedo: vna per se & alia per accidens; nego minorem, & consequētiam sub eadem distinctione.

29 *INSTABIS.* Nequit idē corpus esse in vno loco per se, & in alio per accidens: quia hoc esset simul existere in pluribus locis propriè ac verè, quod repugnat, vt *lib. 4. Physic.* ostensum est. Alioqui posset Titius existere Salmanticæ per se, & Romæ per accidens. Ergo nequit idem corpus cœleste habere simul duplicem vbicationem, alteram per se, & per accidens alteram: ac proinde neque duplicem motum, alterum per accidens, & alterum per se. *RESP.* repugnare, tam per se, quàm per accidens, existentiam eiusdē corporis in pluribus locis adæquatè diversis; non tamen in pluribus, quorum vnum inadæquatè solùm distinguitur ab alio, & in eo continetur vt pars in toto. Sic enim contingit in exemplis nuper adductis, & similiter in Cœlo nono, sive chrystallino, quod per se movetur ab Occidente in Orientem; per accidens verò, seu ratione decimi Cœli, vt superioris, & continentis, ac primi mobilis, cietur ab Ortu in Occasum. Quare solùm infertur Cœlū nonum (idemque est de octavo) occupare perse locū illum, ad quem tēdit motu sibi proprio; per accidens verò locum alium superiorem, in quo prior continetur, vt pars in toto. Verùm de hoc, & alijs eòdem spectantibus, infra latiùs *disp.* 69. & 70. Vnde non est par ratio de duplici præsentia locali, altera Salmāticæ, & Romæ alterà, quoniam vnaquæque ab altera distinguitur adæquatè, & neutra in alia includitur. Opportunior è converso est instantia nostra de nauclero deambulante ex opposito navis ipsum moventis: per se enim adquirit proprio motu vnam præsentiam, & per accidēs atque alieno motu alteram superiorē intra puppim eandem, in quà prior illa continetur.

30 *OPPONVNT II.* Ad hoc poneretur supra Cœlum stellatum aliud primum mobile, vt moveret inferiores orbes contentos intra se, illosque raperet. Hoc autem esse non potest. Si enim daretur aliud primum mobile, semper moveretur per distinctum spatium ab eo, per quod moventur inferiores orbes. alioqui enim oporteret cum ijs penetrari, aut illos à suo loco pellere, quorū neutrum in corporibus cœlestibus locum habet. At eo ipso quòd per distinctum spatium moveretur, non posset movere inferiores orbes. Tunc enim solùm corpus se movens proprio motu, movet aliud contiguum, cùm tendit ad occupandum eius spatium; ideoque illud movet, vt in spatiū ipsius succedat; cùm ambo in vno eodemque simul esse non possint. Si igitur primum mobile non tendit ad ocupādum spatium aliorum orbium cœlestium, neutiquam illos movet. *Cōfirmatur.* Quoties enim infra Solem corpus aliquod movetur versus Orientem, quantumvis rapidè, non intendit versus illam partem movere terram, neque illi impulsum imprimit, vt simul cum illa moveatur circa Orientem: sed tantùm removet aèrem occupantem id spatium, quod percurrere conatur. Atqui nullum Cœlum superius stellato intendit ocupare locum inferioris, vt probatum est. Ergo neque intendit movere aliquod Cœlum inferius, sed solùm percurrere proprium ac distinctum spatium.

31 *RESP.* concessà maiore, negando minorem. Ad probationem concessà maiore, nego minorem. Cuius pro-

probatio ſolùm habet locum in eo corpore quod proprio motu tendit ad occupandum locum alterius corporis non cõtenti intra circumferentiam ipſius: non enim movetur niſi ad occupandum locum alterius, expellendo illud à ſpatio in quo erat. Primũ autẽ mobile continet intra proprium ſpatium, ſive circumferentiam, alios orbes inferiores ſibi cõtiguos; atque adeo non tendit ad occupandum proprium locum ipſorum; ſed ſolùm imprimit eis impulſum, quo præternaturaliter cieantur motu alio diſtincto a proprio & connaturali ipſorum. Sic navis in Oriẽtem deferẽs hominem intra puppim ambulantem verſus Occidentem, non tendit ad occupandum locum ipſius, quem iam antea proprio ac maiori ambitu comprehendit: ſed ſolùm ad quærendũ in Oriente portum; quo fit, vt hominem intra ſe contentum rapiat ſecum illo præternaturali motu. Ex quo patet ad confirmationem.

32 *OPPONVNT III.* Non videntur multiplicandi Cœli inferiores iuxta numerum Planetarum: idque duplici ex cauſa. Prima eſt, quia, vt arguit Arriaga, apparet alienum a prudentiſsima Providentia Dei condidiſſe ſingulos & ingẽtes orbes cœleſtes, vt in quolibet eorum moveretur vnus Planeta, longè ipſo minor, quam ſit guttula roris comparatione totius Oceani. Secũda, quam vrget Averſa, quia vt moveantur ſeptem Planetæ in Cœlo, non eſt opus multiplicare integros orbes, ſed ſolùm faſcias diverſas, in quibus circumagantur diverſis motibus intra orbem eumdem. *RESP.* Negando antecedens. Ad primam probationem dicẽdum, non eſſe alienum à ſapientia providentiſsimà Dei quod motum ſingulorum orbium cœleſtium, quãtumvis grandiũ, ordinaverit ad motum ſingulorum Planetarum; quoniam hic mundo inferiori valde vtilis eſt; & aliunde ſalvari non poterat connaturalitas eius motus, niſi in ſingulis orbibus, vt probatum eſt. Præterea, forſitam ſinguli orbes, præter motũ proprij Planetæ, alias mũdo inferiori vtilitates afferunt, quanquam nobis ignotas, ratione quarum decuit in eum finem inſtitui. Ad ſecundam probationem retorquetur obiectio: nam & faſciæ illæ incõparabiliter excederent ſingulos Planetas; maximè, cùm demonſtratum à nobis ſit *num.* 11. Planetas occupare ſucceſsivè maximam Cœli partem circulationibus ſuis quotidie diverſis: proindeque oporteret faſcias illas per maiorem Cœli partẽ extendi. Si autem eæ faſciæ adeò longè lateque patentes in Cœlo ſtatuuntur; cur non & integri orbes? Tales igitur aſſerẽdi ſunt, in quibus Planetæ circumaguntur; idque ex communi doctrina Aſtronomorum, quorum iudicio ſtare oportet in re adeò ignotà, & ſenſibus minimè manifeſtà.

33 *LICET* autem quilibet Planeta integrum orbem ſibi vendicet, omnes orbes contigui ſunt inter ſe, vt communiter Aſtronomi ac Philoſophi docẽt: quia contigua ſunt, quorum vltima ſunt ſimul, ſeu quorum ſuperficies ſe tangunt immediatè. Orbes autem cœleſtes hoc modo ſe habent. Primò enim inter illos non mediat vacuum, quod ne in Cœlo quidem habet locum, vt probatũ eſt *num.* 13. Deinde nec mediat corpus aliquod mixtum, aut elementare: quippe quod naturà ſuà exigit eſſe loco inferiori, ſicut & naturà inferiori conſtat. Vt autem obſervat S. Auguſtinus *lib.* 2. *ſuper Geneſim cap.* 1. Cœli ſunt diſpoſiti iuxta ordinem exactum à naturà Vniverſi, quæ ſanè exigit, vt corpora omnia inferiora, qualia ſunt elementaria & mixta, ſub cœleſtibus & ſuperioribus ſint. Igitur inter orbes cœleſtes nullum corpus elementare, aut mixtum, mediat. Cunque aliunde nec vacuum interſit, planè ſequitur vltima eorum, eſſe ſimul, ſive, quod perinde eſt, ſuperficies eorum ſe tangere immediatè. Quare idem orbis decimus, ſive primum mobile, poteſt cæteros orbes inferiores movere: ſicut & circulus maximus rotæ motu ſuo raptare poteſt circulos minores, ſi ponantur contigui.

34 *VNDE* obiter infertur inter orbem & orbem cœleſtẽ nullas naturales aquas mediare: quod iam ſæpe oſtendimus in hoc tractatu non repugnare divinis litteris præſertim *diſp.* 64. *num.* 29. Nunc addendum, nomine aquarum, *quæ ſuper cœlos ſunt*, commodè intelligi poſſe Cœlum nonum, id eſt, *chryſtallinum & aqueum* à D. Thomà & alijs appellatum. Quod dicendum, ſi nomine *firmamenti*, ſupra quod aquæ dicuntur eſſe in S. Scripturà, accipiendum ſit cœlum ſidereum, ſive ſtellatum. Alioqui enim, & intellecto *firmamenti* nomine aëre nubiloſo, nihil prohibet eſſe aquas naturales & veras quę

ſupra

supra Cœlos statuuntur. Quæ omnia, præter Authores alibi à nobis allegatos, expresse tradit S. Thomas 1. *p. q.* 68. *ar.* 9. *ad* 1. his verbis: *Dicendum, quòd si per firmamentum intelligatur cœlum sidereum, aquæ superiores non sunt eiusdem speciei cum inferioribus. Si autem per firmamentum intelligatur nubilosus aër; tunc vtræque aquæ sunt eiusdem speciei: & deputantur tunc duo loca aquæ, non eàdem ratione: sed locus superior est locus generationis aquarum; locus autem inferior est locus quietis earum.* Ratio autē est, quam nuper assignavimus ex contiguitate Cœlorum, & innaturalitate, vt aqua vera, quæ naturæ inferioris Cœlo est, sedem habeat stabilem supra Cœlum, ac proinde violenta ibi sit; imo & inutilis, vtpotè ad nullum finem naturæ deserviens. Nam quod aliqui dixère, positam ibi ad refrigerandum siderum calorem, ne ardeant, alienum est à Cœlorum incorruptibilitate superioribus stàtutà, & carentià primarum qualitatum in eo; simileque prorsus figmento illi, quo Poetæ accinebant Deum dissidentes ventos ac turbines atris recluisse speluncis; hanc addentes causam,

Ni faciat, maria, ac terras, Cœlumque profundum,
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

35 QVÆ verò hucusque diximus de numero orbium cœlestium, ita accipienda sunt, vt ij non solùm numero, sed & specie distinguantur. Quæ est frequens Philosophorum sentētia cum Ptolemæo *in quadripart.* Alberto Magno *in præsenti lib. 2. tract. 3. cap. 4.* ac D. Thoma *lect.* 16. vbi inquit: *Corpora Cœlestia sunt vnius naturæ secundùm genus; diversarum autem naturarum secundùm speciem.* Ratio est: quia Cœli sunt incorruptibiles ab intrinseco, vt *disput.* 64. ex professo ostensum est. Incorruptibilia autem non multiplicantur solo numero, sed specie. Cœli ergo non solo numero, sed specie multiplicantur. Probatur minor: quia multitudo solùm numerica, non inspicitur per se à naturà, sed tantùm ob conservationem naturæ specificæ, vt deficiente vno individuo aliud in eius locum subrrogetur, vt in ipso permaneat species. Hæc autem ratio cessat in rebus ab intrinseco incorruptibilibus, quia vnicum ipsarum individuum ex se tan incorruptibile est, ac ipsa natura; ac proinde non est cur à natura quæratur individuorum multiplicatio ex fine suæ conservationis. Igitur quæ incorruptibilia sunt, non multiplicantur numero, sed specie tantum. Sunt & aliæ rationes videndæ apud Conimbricenses in præsenti *lib. 2. cap. 5. q. 3.* præter eam quā *supra disp. 63. num.* 30. assignavimus. Ex quibus planè colligitur omnes Planetas & stellas inter se differre specie, & non solùm numero, quoniam & incorruptibiles sunt.

36 *OBIICIES.* Corpora diversarum specierum exigunt naturaliter diversos specie motus. At omnes Cœli, & Planetæ, non exigunt diversos specie motus, sed omnino eundem, scilicet, circularem. Ergo nō sunt corpora diversa specie. Idque videtur tradidisse Arist. *lib. 1. huius tract. cap. 2.* dum dixit, præter quatuor corpora simplicia, scilicet, elementa, esse aliam quintam substantiam, sive essentiā simplicem, quæ est Cœlum. Quibus planè indicat non esse plures Cœlorum species, sed vnicam: alioqui enim non vnica, sed plures quintæ essentiæ essent. *RESP.* negando minorem. Licèt enim omnes Cœli & Planetæ exigant motum circularem, non tamē eumdem specie, sed diversum, propter diversitatem specificam & formalem terminorum, ad quos tendit. Etenim motus infimi Cœli v.g. ac Lunæ in eo existentis, habet pro formali termino vbicationem positam inter regionem ignis elementaris & sphæram Mercurij: motus Solis vbicationem interiectam Cœlo Martis superiori ac Veneris inferiori, & sic de alijs. Aristoteles autem eo loco non definit an illa quinta substantia sit vna in specie atomà, vel subalternà: quare locus est vt plures Cœlorum species sint. maximè cum expressè doceat esse substantias incorruptibiles, quibus aut naturaliter repugnat, aut saltem præternaturalis est multiplicatio purè numerica.

DIS-

DISP. SEXAGESI. OCTAVA.

De numero & magnitudine cœleſtium corporum.

Num. 1. *VIDIMVS Diſputatione præcedenti, quanta ſit difficultas in veſtigandâ multitudine Cœlorum, tum ob eorum diſtantiam, tum propter varias diſſentium Aſtronomorum Philoſophorumque opiniones. Nunc de multitudine ſtellarum inerrantium, ſeu fixarum, & univerſè loquendo de omnium cœleſtium corporum magnitudine differendum eſt; idque non privatâ ſpeculatione, quam perexiguam impendimus Aſtronomi; ſed diſciplinâ emendicatâ ab ijs, qui in eâ apprimè verſati. Quo etiam modo ſe geſſiſſe vel ipſum Ariſtotelem, cui nemo non aſſurgit, diſputatione præcedenti num. 18. ipſius verbis compertum fecimus. Habet verò locum diſputatio hæc apud illum in hoc tractatu* lib. 2. cap. 10. *& opportuniùs adhuc cap.* 12.

SECTIO PRIMA.

An ſtellæ inerrantes, ſeu fixæ numerari poſſint? Quot fuerint ab Aſtronomis obſervatæ, earumque triplex ordo in varia ſigna diviſus. Vbi de origine ſidereum nominum.

2 PRÆTER Planetas ſeptem, in ſphæris totidem inferioribus exiſtentes, ſunt in Aplane, ſive Cœlo ſidereo, innumerabiles ſtellæ: obſervatæ verò ab Aſtronomis, & magis conſpicuæ cæteris, mille viginti duæ.

PRIOR Aſſerti pars expreſsè traditur ab Ariſt. dicto cap. 12. textu 61. ijs verbis: ἐν τῇ πρώτῃ φορᾷ τοσοῦτόν ἐστιν ἀστέρων πλῆθος, ὡς τε ἀναρίθμητον εἶναι δοκεῖν τὴν πᾶσαν τάξιν. *In prima converſione tanta eſt multitudo ſtellarum, vt univerſus ordo ſubire non poſſe numerum videatur.* Idem quoque tradit lib. de Mundo ad Alexandrum, & ante ipſum Plato *in Timæo*, & poſtea Seneca *lib. 6. Natura. QQ. cap.* 16 illis verbis: *totum hoc cœlum, quod igneus æther, mundi ſumma pars, claudit; omnes hæ ſtellæ, quarum iniri non poteſt numerus* &c. Conſentiunt frequenter Aſtronomi & Philoſophi, paucis exceptis, quos *infrà num.* 4. allegabimus.

3 *PROBATVR* ex ſacris litteris ſæpe docentibus ſtellas Cœli ab homine numerari non poſſe. Etenim Geneſis 15. v. 5. promiſit Deus Abrahæ multiplicaturum ſe poſteritatem eius, veluti ſtellas Cœli, innuens eas numerari non poſſe. Verba ſunt: *Eduxit que eum foras, & ait illi: Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes. Sic erit ſemen tuum.* Notant verò Ioſephus & Euſebius Cæſarienſis apud Pererium *lib. 2. in Geneſ. q.* 8. Abrahamum tunc temporis iam peritiſsimum Aſtronomiæ, quam a Chaldæis, eius diſciplinæ peritiſsimis, didicerat; vtpote inter quos natus, educatus, & diu verſatus fuerat: ideoque ſubdit Ioſephus, eundem poſtea Ægyptios inſtruxiſſe in eadem ſcientiâ. Igitur ſtellæ Cœli innumerabiles ſunt, nō modò inſcijs Aſtronomiæ, ſed etiam peritiſsimis, quorū numero cenſebatur Abrahamus. Vnde refellitur aliquorum ſolutio, ea Dei verba interpretantium, quaſi locutus fuerit ex ſenſu vulgi. Etenim virum Aſtronomiæ peritum non eo ſtylo Deus allocutus fuiſſe putandus eſt. Quin & adimpletio eiuſdem oraculi conteſtatur id: quoniā poſtea Moyſes Deuteronomij 10. dixit Hebræorum populo, id eſt, poſteris ipſius Abrahæ *Multiplicavit te Dominus Deus tuus, ſicut aſtra cœli.* Conſtat autem ex libro Numerorum, numerum Hebræorum, eorum dumtaxat, qui annum vigeſimum prætergreſsi ad capiēda arma idonei erant, exceſsiſſe ſexcenta millia. Quid, ſi addamus pueros & fœminas omnes eiuſdem populi? Nec etiam locus eſt referendi ea verba ad ſtellas, quę ſunt penes antarcticū: tum quia eæ pauciſsimæ apparent, ideoque comparatio minueret magnitudinem promiſsionis: tum etiam, quia Abraham tunc exiſtens in terrâ Chanaam videre nō poterat ſtellas poſitas in antarctico; vtpote in hemiſphærio oppoſito. Nec denique locus confugiendi ad lacteum circulum: tum, quia is nōn conſtitit ex ipſisa multitudine ſtellarum, iuxta plures; tum, & maximè, quia vel exinde habetur ſtellas ſaltem circuli lactei innumerabiles eſſe. Vide Tirinum, & alios Interpretes in eundem Geneſis lo-

locum, vnanimiter conspirantes in eam expositionem, vt germanam, & in quà nulli rationabile dubium esse possit. Consonat & illud Ieremiæ 33. v. 22. *Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos.*

4 *CONFIRMATVR* ex Psalmo 136. v. 4. vbi commendatur sapientia Dei ex numeratione multitudinis stellarum, quasi ea nulli mortalium pervia sit. *Qui numerat*, inquit Vates sacer, *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Vnde ex hoc testimonio colligit Eusebius Cæsariensis 7. *de præpar. cap.* 5. stellarum numerum naturæ mortali prorsus ignotum esse: Basilius *hom.* 6. *in Hexaèm.* esse multitudine infinitas: Chrysostomus *hom.* 6. *in Genesim*, comparabiles innumeræ multitudini florum: Ambrosius 4. *Hexaèm. c.* 6. esse innumera lumina obtexẽtia & intexentia Cœli axem: Augustinus denique *lib.* 16. *de Civit. cap.* 23. numerari non posse, sicut nec arena maris potest; quia neque omnes, quæ ad nostrum hemisphærium attinent, videri possunt; sed quantò quis intentiùs cernit, tantò plures videt. Vnde ait: *Stellæ dinumerari non possunt, quia nec omnes eas videri posse credendum est: nam quantò quis acutiùs intuetur, tantò plures videt. Vnde & acerrimè cernentibus aliquas occultas esse meritò existimatur: exceptis ijs sideribus, quæ in aliquâ parte orbis à nobis remotissimâ oriri & occidere perhibentur.* Vnde contra aliquos oppositum docentes, concludit: *Postremò, quicũque universum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse iactantur, sicut Aratus, vel Eudoxus, vel siqui alij sunt, eos libri huius contemnit authoritas.* Vnde & Abulensis *in Deuteron. cap.* 1. *q.* 6. refert ex Lucâ Tudensi, Aratum irrisum fuisse, cùm se omnium stellarum numerum comprehẽdisse gloriaretur.

5 Porrò doctrina Augustini de numero stellarum eo maiori apparente, quo quis acutiùs Cœlũ intuetur, nõ parũillustratur miro experimento Galilæi à Galilæis, Florentini Patricij, & in Patavinâ Academiâ Mathesium Professoris: qui circa initium huius sœculi construxit insigne organum, sive perspicillum, exquisitâ & admirandâ industriâ, quo res dissitissimas intuebatur in maiori longè quantitate, quàm alij: & præsentibus Ioanne Lorino (vt ipse refert in locum Psalmi allegati) Christophoro Clavio, Odone Maleoro, ac Christophoro Gramberger, insignibus Astronomiæ Professoribus, primus omnium videndas exhibuit plures stellas sextæ magnitudinis, in ingenti numero, easque maiores & clariores repræsentatas suo illo tubo, quam appareant stellæ secundæ magnitudinis naturali acie visæ. Vnde & in libro, quem edidit, ac *Sidereum Nuntium* appellavit, numerat octoginta stellas à se detectas in asterismo cinguli & ensis Orionis, omissis plus quingentis, quę in totâ constellatione sunt: item triginta sex in constellatione Pleiadum: præterea plures & satis magnas ac cõspicuas in Galaxiâ, seu circulo lacteo: ad hæc viginti & vnã in asterismo Nebulosæ, capitis Orionis; ac tringinta sex in Nebulosâ Præsepis. Si autem id experimentum fallax nõ fuit, confirmat planè dictum Augustini, & plurium observationem, qui quò attentiùs stellas inspiciunt, eò plures deprehendunt. Ergo si attentiùs ac perspicaciori visu Cœlum spectarent, plures ac plures stellas detegerent. quo planè evincitur eas omnes à nullo mortaliũ oculatissimo detegi posse, quia si alius esset perspicaciori visu præditus, vt reverà potest, adhuc plures deprehenderet in eâ innumerabili multitudine.

6 *POSTERIOR* Asserti pars, quâ dicimus stellas magis conspicuas & ab Astronomis observatas communiter, esse solùm mille viginti duas, receptissima etiam est: licèt Plinius *lib.* 2. *cap.* 41. recènsuerit mille sexcentas: fortè quia vsus est perspicillo aliquo, instar prædicti à Galilæo cõstructi, quo plures detegeret. Nostra autem resolutio explorata habetur communi ferè suffragio Astronomorum: qui, deserta existimatione Plinij assignãtis septuaginta duas constellationes, asterismos, seu imagines, solas quadraginta octo statuunt, easque diversis nominibus indicant, significantibus aliquod animal, vel cuiuspiam rei effigiem, cuius similitudinem aliqualem exhibeat asterismus. Porrò multa eorum nominum ex fabulis primò orta sunt: vt ex mythologis, Poetis, ac genethliacis observant Damascenus *lib.* 2. *de Fide cap.* 7. S. Isidorus 3. *Etymol. cap.* 70. Beda *lib. de Naturâ rerum cap.* 17. Et Seneca *lib.* 7. *Natur. QQ.* ait nondum elapsos fuisse ante ipsum mille quingentos annos, ex quo Græcia stellis numeros & nomina fecerat. Quò & Seneca Tragi-

cus,

eus, ſive idem, ſive alius, in Medea reſpexiſſe videtur ijs verſibus:

Nondum quiſquam ſidera nòrat:
Stellaſque, quibus pingitur æther.
Non erat vſus, &c. Nondum &c.
Nomen habebant.

7 Verùm quidquid ſit de hoc, certùm eſt multa nomina ex ijs, quibus antiquiſſimi indigitãtur, paulò inferius ſubijcienda, inveniri in S. Scripturâ, idque ante tempora Moyſis, qui Senecam pluſquam mille quingentis annis præcelsit: nam in libro Iob (qui vel fuit primò ſcriptus à Moyſe, iuxta frequẽtiorem opinionem, vel ſaltem translatus in Hebraicam linguam ab illo, vt alij probabiliter volunt) nominantur Arcturus, Orion, Hyades, Pleiades, Lucifer, ac Veſper: quo planè denotatur, tum ea nomina antiquiora fuiſſe, tum & in ſacris litteris expreſſa, in ipſo autographo libri Iob, ſive eiſdem nominibus iam prolatis, quibus Græcè & Latinè vtimur, vt opinatur Philaſtrius *hæreſi* 55. ſive alijs Hebraicis & proprijs earundem conſtellationum, vt Hieronymus Author eſt *in cap.* 24. *Iſaiæ*. Vbi & monet, Deum ſingulas ſtellas ſingulis appellaſſe nominibus, quorum proprietatem lingua noſtra non exprimit; ſicut in Geneſi *vocavit lucem diem, & firmamentum cœlum, & aridam terram, & congregationes aquarum maria*. Et multa eorum nominum, quibus exprimuntur conſtellationes Græcè pariter ac Latinè, fatetur ex fabulis Poetarum eſſe translata in noſtram linguam; quia aliter, quam per eiuſmodi vocabula vſu recepta, intelligi non poſſent. Afferque varia exẽpla in ſacris litteris: vt Titanum 2. *Reg* 23. & *Iudicum* 16. *v* 8. Syrenarum *Iſaiæ* 13. *v.* 22. Onocentaurorum *ibidem cap.* 34. *v.* 14. atque Arcturi, Orionis, & Pleiadum, qualiter apud Iob leguntur. Quod idem tradit *in cap. Iſaiæ* 13. *v.* 10. dicens, Aſtrorum nomina fuiſſe excogitata vſu & more Gentilium: addítque S. Cyrillus Alexandrinus *in eundem Iſaiæ locum*, S. Scripturæ Interpretes in eius verſione vſos quidẽ Orionis & aſtrorum nominibus, quibus Græci fabulosè vſi fuerant; non quidem eodem fine ſuperſtitionis pleno, ſed religioſo ac decenti: vt, nimirum, trita ac communi appellatione ſenſum ſacrarum litterarum exprimerent, aliter minimè percipiendũ.

8 Legendi eà de re Salmeron *tom.* 1. *prolog.* 9 *quinquag.* 1. *can.* 46. & noſtræ olim Academiæ Profeſſor Primarius Orientalium linguarum Martinus Cantapretenſis 6 *Hypotyp. cap.* 1. *col.* 433. & recentiùs adhuc eruditiſſimus pariter ac obſervãtiſſimus P. Fr. Antonius à Matre Dei in Præludijs Iſagog. *Prælud.* 1. *à num.* 273. vbi plura profert, eaque ſelecta, circa nomina conſtellationum à nominibus hominum deſumpta, ex imperitia plebis; nẽ à nominibus illuſtrium fœminarum. Quibus addere poſſemus alia plura, & minimè obvia, quæ congeſſit Elias Schedius *de Dijs Germaniæ cap.* 4. & 5. niſi ab hoc Opere, quod Philoſophicum eſt, videretur alienum. Vnum tamen non omitto, nomen Orionis, quo Iob vtitur, & ſimiliter Amos *cap.* 5. *v.* 8. opinione Georgij Monachi apud Bouiouc. *lib.* 2. *de Veteri Eccl. cap.* 18. deſumptum fuiſſe à Nembrot, quem Magusæi apud Perſas adſcripſerunt inter ſidera, & coluerunt Orionis nomine. Verba Georgij inter alia hæc ſunt: οἱ τὸν Νεμβρωτ λέγοντες ἀποθεωθέντα, καὶ γενόμενον ἀστρον τὸν οὐρανὸν Ὡρίωνα καλεῖσθαι *Nembrot dicunt Deum factum fuiſſe, & additum ſtellis cœl. Orionem vocant.*

9 *IGITVR* prædictæ quadraginta octo conſtellationes, ſive, quod perinde eſt, multitudines ſtellarum, alicuius rei figuram ſuo ordine & ſitu confusè exprimentes, dividuntur in duodecim Zodiacales, viginti & vnam Septentrionales, & quindecim Meridionales. Primæ denominantur à Zodiaco, cui etymon à nomine ζῴδιον quod Græcè ſignificat animal parvum, ſicut & ζῶον generatim ſignificat animal. Et *cùm* illud *dividatur* (inquit Sacroboſcus cap. 2. Sphæræ) *in duodecim partes æquales, quælibet pars appellatur ſignum; & nomen habet ſpeciale alicuius animalis, propter proprietatem alicui convenientem, tam ipſi, quàm animali; vel propter diſpoſitionem ſtellarum fixarum in illis partibus admodum huiuſmodi animalium.* Porrò illæ ob ſplendorem & dignitatem ſitus cæteris præferuntur, & ſunt, *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces.*

10 *DICITVR*. Prima prædictarum conſtellationum *Aries*, & reſpondet menſi Martio: appellaturque eo nomine, quia quemadmodum aries eſt animal calidum; ſic etiam Sol exiſtens in eo Cœli par-

parte, cui nomen *Aries*, incipit speciatim calefacere: seu quia tunc *Sol* incipit mutare tempus, sicut aries lanam. *Secunda* est *Taurus*; & respondet Aprili: dicitur sic, quia taurus ariete fortior est, & calor in eà Cœli parte est activior; sive quia tunc taurorū labores, scilicet, segetes ad messem properant. Tertia est *Geminorum* respondentium Maio denominatà à gumellis, quia cùm Sol per illam transit, calor in sublunaribus geminatur. Quarta respondens Iunio dicitur *Cancer*; quia cum Sol adipsam accedit, incipit retrogradi more cancrorum, & à nobis recedit. Quinta respondens Iulio appellatur *Leo*, quia sicut hic est animalium fortissimus, ita & Sol in eodem signo vehemētissimè vrit. Sexta Augusto respondens dicitur *Virgo*, quia in ea Sol sterilis est, & nihil producit, sed iam Producta perducit ad maturitatem. Septima respondens *Septembri* vocatur *Libra*, quia *Sol* in eà, quasi in staterà adæquat dies & noctes. Octava respondens Octobri dicitur *Scorpius*: nam quemadmodum hic suà caudà pungit, ita etiam *Sol* tunc incautos lædere solet. Nona respondens Novembri vocatur *Sagittarius*, quia *Sol* in eà imbres & grandines iaculatur velut sagittas. Decima respondens Decembri appellatur *Capricornus*: quia sicut caper sese erigit ad frondes & arbores, ita & *Sol* in eo signo incipit sese erigere, & virtutem arborum à radice ad ramos ascendere facit. Vndecima *Aquarius*, & respondens Ianuario, quia in eo *Sol* passim pluvias emittit. Duodecima tandem *Pisces*, & respondet Februario, quoniam in eà omnia piscium more natare videntur propter abundantiam aquarum. Prædictæ autem duodecim cōstellationes, sive signa Zodiaci, constant trecentis quadraginta sex stellis: & vt gradatim ac memoriter comprehendantur, subiungit Sacro Busto *vbi supra* versus illos satis tritos: *Sūt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*

11 Quodlibet ex prædictis signis dividitur in triginta, gradus. Vnde patet quòd in toto Zodiaco sunt trecenti sexaginta gradus. *Secundum* Astronomos iterum quilibet gradus dividitur in sexaginta minuta: quodlibet autem minutum vlterius subdividitur in particulas minores ac minores.

12 *CONSTELLATIONES Septentrionales*, sive signa secundi ordinis, sun viginti & vnum: scilicet, *Vrsa minor* (quæ & Cynosura, Hispanicè el Norte) *Vrsa maior*, *Draco*, *Cephæus*, *Bootes*, *Corona Borealis*, *Hercules*, *Lyra*, *Olor*, *Cassiopœa*, *Perseus*, *Auriga*, *Serpentarius*, *Serpens*, *Sagitta aquila*, *Delphinus*, *Equiculus*, *equus alatus*, *Andromeda*, & *Triangulus*. Quæ omnia constant trecentis sexaginta stellis. Meridionales denique sunt quindecim, videlicet, *Cetus*, *Orion*, *Eridanus*, *Lepus*, *Canis*, *Canicula*, *Argus*, *Hydra*, *Crater*, *Corvus*, *Centaurus*, *Lupus*, *Corona Australis*, *Notius*. Hæ constellationes constant trecentis sexdecim stellis: quæ coniunctæ præcedentibus constituunt mille viginti duas, speciatim, vt suprà diximus, ab Astronomis obseruatas. Sunt & aliæ duodecim constellationes ab Antiquis prorsus ignotæ, à Recentioribus obseruatæ in Novo Orbe, dum navigant versus Austrū; & ab eis cognominatæ sūt, *Phaniæ*, *Crux*, *Induæ*, *Giphias*, *Pavo*, *Anser*, *Hydrus*, *Passer*, *Apus*, *Triquetrum*, *Musca*, *Chamæleon*.

13 *QVÆ* vero stellæ singillatim componant singulas prædictarum constellationum, res prolixa explicatu est, addiscendaque ab his qui ex professo Astronomiam elucidandam acceperunt: præsertim a Christophoro Clavio *in cap. 1 Sphæræ* Ioannis à Sacro Bosco, sive Busto, & Paulo Gallucio in Theatro Mundi à pag. 263. *vsque ad* 337. vbi affixis schematibus adaptat singulas stellas partibus singularum constellationum, easque vberrime exponit.

SECTIO SECVNDA.

Demonstratione morali præcedentis doctrinæ fit gradus ad demonstrationes mathematicas circa luminum cœlestium magnitudinem, quæ generatim exponitur.

14 PRÆCEDENTI Sectione abstinuimus argumentis à ratione petitis, quoniam numerus stellarum solùm deduci potest ex doctrinà reuelata, aut experimento oculorum detegentium in cœlestibus sphæris multitudinē siderum innumerabilem. Neutrum autem ex prædictis fundamentis seorsim, neque vtrumque collectim, parit assensum scientificum: sed vel fidei, vel

vel experimenti. Ad ſummũ fieri poſſet demonſtratio moralis in hunc modum. Omnis multitudo, quam nemo hactenus mortaliũ ad certum aliquem numerum coègit, homini innumerabilis cenſeri debet: ideoque talis habetur multitudo ſegetũ, arborum, brutorũ, hominũ, aliorũque eiuſmodi, in quibus tamen longè maior ratio erat vt numerari poſſent, cùm quodlibet eorũ in individuo clarè diſcerni poſsit; quod tamen non habent plerique ſtellæ relatè ad oculos noſtros. At multitudo ſtellarũ fixarum, coaleſcens ex obſervatis & non obſervatis ſpeciatim, tanta eſt, vt eam nemo hactenus mortalium coègerit ad certum numerum: quãvis enim Aratus & Eudoxus id ſe feciſſe gloriati ſint, reiecti ad deriſi ſunt ab omnibus alijs. Ergo multitudo prædicta ſtellarũ fixarũ ab homine innumerabilis cẽſeri debet. Ab homine, inquã; non ab Angelo, qui iuxta D. Th. & Scholaſticos, cõprehendit quidquid naturale eſt, inferioris naturę ſaltem; ac proinde & ſtellarum omniũ naturam, proprietates, magnitudinem, & multitudinẽ; ſicut & quarumlibet ſi bonatiũ rerum, etiam minimarum quoniam omnium habet ſpecies inditas à principio creationis. Quæ etiã ſpecies, aut ijs ſimiles, ſive naturales, ſive ſupernaturales, ſi alicui homini viatori, aut extra ſtatũ viæ poſito, infundantur à Deo, cõprehendet planè ſtellarum numerum ac magnitudinem, ſicut & Angelus. Huicque verò locuti ſumus de homine mortali, & carente eiuſmodi illuſtratione.

15 *HINC* gradus fit ad demonſtrationes mathematicas circa inæqualitatẽ luminariũ cœleſtiũ, & comparationẽ ipſorum variã ac multiplicem cum terra & inter ſe. Ac primò quidẽ demonſtremus Solẽ eſſe multò maiorẽ terra, deinde Lunã multò minorẽ: vnde & credibile fiet multa alia, quæ ab Aſtronomis tradi ſolent circa magnitudinẽ Cœlorũ & ſiderum, & quorum nonnulla inferiùs ſubijciemus, vera eſſe, atque ab ijs cõprobata.

16 *PRIMVM* Autẽ, ſcilicet, magnitudinem Solis eſſe multo excellentiorem, quam totius orbis terrarum, ſic oſtẽditur. Si Solem adęquaret magnitudo terræ, huius vmbra extenderetur æquabiliter in infinitũ per modum columnæ rotalis, ſeu cylindri, nec tenuaretur, quantumvis porrigeretur in longum. Si autẽ Solem excederet, vmbra terræ quo magis porrigeretur, eò maior in infinitum eſſet, latiorque fieret. Vtraque propoſitio evidens fit experimento duorum corporum, quorũ alterum ſit opacum, alterum luminoſum. Si enim hoc ęquale ſit alteri, vmbra ſemper æqualis erit; ſi autẽ inęquale, vmbra ſemper erit maior ac maior. Lege Vitellionem *lib. 2. Perſpectivæ propoſ.* 26. & 22. vbi vtrãque propoſitionem aſſumptam demonſtrat. Atqui vmbra terræ nec ſemper porrigitur æquabiliter in infinitũ, nec fit maior & maior; ſed potiùs minor ac minor, & tandem nulla. Ergo magnitudo totius terræ, nec eſt æqualis magnitudini Solis, nec maior, ſed longè minor. Conſequentia eſt evidens, & minor ſubſumpta, quæ ſola probatione eget, apertiſsimè demõſtratur ſic. Si enim vmbra terræ aut ſemper porrigeretur æquabiliter, aut fieret maior & maior, qualibet nocte ſerena, magna pars ſtellarũ fixarum occultaretur viſui ex interpoſitione terræ cauſantis in Cœlo ſidereo æqualẽ ſibi aut maiorem vmbrã: eademq; ratione Mars, Iupiter, & Saturnus, oppoſiti ex diametro Soli, occultarentur. At conſequens falſum eſt, & omniũ doctorum, atque indoctorũ experimento reijcitur. Nũquam enim viſa eſt aliqua ſtellarũ inerrãtium, aut quiſpiã trium dictorũ Planetarũ, eclypſim pati. Igitur terra nec æqualis eſt Soli, nec maior, ſed longè minor. Vnde & prædictũ diſcurſum ſic poſſumus proponere ſub ſeueriori demonſtrationis methodo. Omne corpus opacũ cauſans minorẽ ac minorẽ vmbrã, eſt minus corpore Solis illuminãte. Atqui terra eſt corpus opacũ cauſans minorẽ ac minorẽ vmbrã. Ergo eſt minor corpore Solis illuminãte.

17 *SECVNDVM* verò, ſcilicet, terram eſſe multò maiorẽ, quàm Lunã, non minùs apertè ſuadetur, ſuppoſito diſcurſu præcedente. Eo namque ipſo quòd terrã ſit minor Sole, & proinde vmbra ipſius quò magis in longũ proijcitur, fiat minor ac minor; neceſſum eſt, vt vmbra ipſa conica ſit, ſive, quod perinde eſt, sẽper anguſtior evadat. Ergo & neceſſum eſt diametrum eiuſdem vmbræ eſſe ſemper minorem ac minorẽ diametro terræ. Atqui intra diametrũ vmbræ cauſatæ ex interpoſitione terræ, quamquam minorẽ ac minorẽ toties abſconditur tota Luna, quoties eclypſim totalem patitur. Ergo diameter Lunæ minor eſt, quã diameter terræ; ac proinde & tota terra excedit

magnitudinem totius Lunæ. Imò & tãto maior existimanda est, quantò Luna in magnà distantia a terra, & diuturniori tẽporis interstitio, deliquium patitur. inde enim conuincitur terram esse tanto maiorem, quantò vmbra ipsius circa Lunæ circulũ angustior est. Vnde & obiter redditur ratio, cur nunquam stella aliqua fixa aut errans, præter Lunã, patiatur ecclypsim. Cùm enim vmbra terræ, vt dictũ est, conica, sive pyramidalis sit, quo magis in longum porrigitur, eò minor ac tenuior fit. Vnde antequam perueniat ad secundum Cœlum, quod est Mercurij, tota desinit in pũcto aliquo indiuiũbili ad modũ pyramidis: quà propter, licèt ex diametro obijciatur inter Solem & Mercuriũ, nullum in hoc causat defectũ luminis, multò autem minùs in cæteris Planetis, qui altiorem sedem habent, & in stellis inerrãtibus, quæ adhuc elevatiores sunt.

18 *COLLIGITVR* ex dictis Solem, non vtcumque esse maiorem terrà, sed incõparabili excessũ. Cùm enim vmbra terræ totius adeò minor & minor fiat, vt tandem omnino desinat in modũ pyramidalis cuspidis in ipso Lunæ Cœlo, è quo ad quartam Solis sphærã tam ingens distantia est; planè conuincitur, terrã esse incõparabiliter minorẽ Sole; vtpotè cuius radij totam ipsius vmbram extenuãt, absorbent, & prætergrediuntur inoffensè per adeò longè lateque patentem distantiam trium Cœlorum. Quòd verò Luna sit etiam minor Sole incomparabiliter, patet ex dictis: cũ enim longè minor per hibeatur, quã terra, si hæc adeò excedatur à Sole, quãto magis superabitur Luna.

19 *COLLIGITVR II.* Quàm inẽnarrabili excessũ superet Cœlũ quodlibet sũa magnitudine terrã. Si enim hæc interposita ex diametro solùm causat vmbram ad breve tempus in corpore Lunæ millies ac millies minori Cœlo suo; quãtùm excedetur ab eodem Cœlo? Quantò autem magis ab alijs Cœlis maioribus ac maioribus, in quorum secundo, comparatione aliorum exiguo, ne minimam quidem vmbrã efficit? Quantò denique minor erit Aplane, seu Cœlo stellarũ inerrãtium, quod octavum est, & reliquos inferiores longè supergreditur, vt nihil dicam de glaciali, primo mobili, atq; Empyreo, cuius magnitudo soli Deo & Cœlicolis nota. P. Christophorus Clavius *in capit.* 1. *Sphæræ* demonstrat tantum esse spatium transmissum à quolibet æquatoris puncto in spatio cuiuslibet horæ intra conuexam superficiem firmamenti, seu Cœli stellati, quantum vix conficeret viator spatio decem mille nonaginta quatuor annorũ, licèt quotidie quadraginta milliaria absq; vlla mora aut intermissione pertransiret. Vnde & infertur, quòd sagitta æquè velox, ac illud mediatoris punctum, plusquã septies totum terrarum orbem circumiret spatio vnius Salutationis Angelicæ. Quippe quælibet stellarũ in æquinoctiali existentiũ, singulis horis conficit quadraginta duos milliones milliarium, & insuper tertiam partẽm millionis. Si autẽ spatium illud adeò exiguũ est, & quasi nihil comparatione totius ambitus Cœli siderei, quantæ hoc & quam immensæ magnitudinis existimandum est? Alia quoque demonstratione ostendit, stellam polarẽ, quæ est in extremo caudæ Vrsæ minoris, sive cynosurę, distatque a polo arctico solùm tribus gradibus & dimidio; tam ingẽtem efficere circulũ, vt intra ipsum posset collocari totum Solis Cœlum, quantumvis ingens, quin lineã eius circuli tangeret. Cùm verò circulꝰ ipse sit minimus comparatione aliorum, quos conficit sidereum Cœlum, tum propter maiorem proximitatem ad polum, tum quoniam stella polaris vix mutare locum videtur; planè colligitur penè immensam esse magnitudinem eiusdem Cœli stellati.

SECTIO TERTIA.

Refelluntur ex dictis placita quorundam Veterum: & singillatim exponitur Cœlorum ac siderum magnitudo, tam errantium, quàm inerrantium.

20 EX Dictis superiori sectione corruunt opiniones absurdæ quorũdam Veterũ Philosophorũ, quas refert Plutarchus *lib.* 2. *de Placitis c.* 2. & Theodoretus *lib. de Materiâ & Mũdo* alijque. Stoici enim Lunam terra maiorem censuerunt: Anaximãder decies & novies ampliorem arbitratus est. Idem verò & Anaxagoras Solem terræ omnino æqualem docuerunt, imò & Heraclitus atque Epicurus ita eundem Planetam extenuarũt, vt prior diceret pedalis tantùm magnitudinis esse, posterior verò eiusdẽ, in quà apparet, paulò plus minusve. Corruũt, inquã, ex demonstrationibus præiactis, quę probant Solẽ esse multò maioris magnitudinis, quàm terram; & terrã, quàm Lunam.

IAM

21 *IAM* verò deveniendo ad magnitudinem stellarum in specie, opportet eam assignare cum Laurentio Beyerlinck *in Theatro Magno Vitæ Humanæ litt. S. verbo Stella pag. mihi* 340. vbi ex Astronomis ac Mathematicis, præcipuè verò ex Ptolemæo, & Alphragano, asserit stellas omnes dividi in sex magnitudinum differentias. Stellæ primæ & summæ magnitudinis sunt septemdecim (alij enumerant solas quindecim) quarum quælibet maior est, quam terra, centies & septies: alij aiunt centies quinquagies quinquies. Stellæ secundæ magnitudinis sunt numero quadraginta quinque, quārū quælibet est maior quam terra nonagies. Alij aiunt octuagies sexies. Stellæ tertiæ magnitudinis sunt ducentæ octo: quarum quælibet terram excedit septuagies & bis. Stellæ quartæ magnitudinis sunt ducentæ sexaginta quatuor, & singulæ maiores terrà quinquagies quatuor. Alij insigni, vt par est credere, Typographorū mendo, assignant quadringentas septuaginta quatuor, vnāquamque terrà quinquagies maiorē. Stellæ quintæ magnitudinis sunt ducentæ decem & septem, quarum quælibet maior terra est trigesies quinquies. Alij aiūt trigesies sexies. Stellæ sextæ & infimæ magnitudinis sunt ducentæ quadraginta novem, quarum quælibet terram superat decies & octies. Alij aiunt esse quadraginta novem solùm, & vigesies maiores terrà. Fortè etiam prædictæ varietates non procedunt ex vitio Typographorum, qui maximè circa numeros Arabicos peccare solent, vt experimento didicimus; sed ex opinionum diversitate. Addunt aliqui huic sextæ classi quinque stellas nebulosas, & novem obscuras, quarum magnitudo certo deprehendi nequit.

22 *EX* adeo vasta tot stellarum mole, & innumerabilium aliarum, quæ ignotæ sunt nobis in ipso firmamento, seu Cœlo sidereo, conijcere fas est quanta sit illius vastitas & ambitio. Pater Christophorus Clavius, alter sui sæculi Euclides, *vbi suprà*, cum alijs docet tantam esse illius circunferentiam, vt si tota eius superficies concava esset plena stellis primæ magnitudinis, hæ numero constituerent vnum & septuaginta milliones, ac præterea ducentas novem mille & sexcentas. Cumque quælibet illarum, secundum eiusdem Clavij sententiam, excedat magnitudine terram centum quinquagies quinquies, necessariò concluditur Cœlum stellatum esse immensæ propemodum circunferentiæ: quam Conimbricenses *in præsenti l. b. 2. c. 12.* volunt efficere octingentos viginti & vnum milliones milliarium, insuperque milliaria sexcenta triginta septem mille, centum quadraginta tria: crassitudinē verò eiusdem Cœli sexaginta novem milliones milliarium, & horū insuper trecenta quinquaginta septē millia & quingenta. Quāquam Clavius *vbi supra*, amplius velit, asseratque crassitudinem illius esse octoginta millionum milliarium, insuperque distantiam à concava superficie ad terram vsque, esse totidem millionum cum dimidio. Addit ipse cum alijs, hominem duobus millibus annorum viventem, & quotidie directè in altum ascendentem per spatium centum milliarium, necdum perventurum ad superficiem cōvexam eiusdem Cœli stellati: quin & post quatuor annorum millia tantundem ascendentem singulis diebus, minimè perventurum exinde vsque ad Cœlum Empyreum.

23 *NVNC* Cœlorum aliorum circunferētias breviter indicare oportet, mutuatis ferè verbis ex Conimbricēsib⁹ *loco allegato q. 1. art. 3.* Circunferentia Cœli septimi, & stellato contigui, id est, Cœli Saturni, est quadraginta decē millionum milliarium, & horum insuper octoginta decem & octo milliū quingentorū cum septuaginta duob⁹. Crassitudo autē octodecim millionū milliarum, & horum insuper quingentorū quadraginta & vnius mille trecentorū & quinquaginta. Circūferentia Cœli sexti, scilicet, Iovis, est ducentorū nonaginta quatuor millionum milliariū, & horū insuper ducentorū septuaginta triū mille, quingentorū septuaginta duorū: crassitudo autē (vt iam de cætero numeris Arabicis vtamur brevitatis causa) 1769250. Circunferētia Cœli quinti, scilicet, Martis, est 18134000. milliariū: crassitudo autē 14882000. Circunferētia quarti Cœli, nimirū, Solis, est 24922857. milliarium: crassitudo autem 325000. Circūferētia Cœli tertij, scilicet, Veneris, est 22880000. milliariū: crassitudo autē 3097250. Circūferentia Cœli secundi, nimirū, Mercurij, est 3411572. milliarium: crassitudo autē 334209 Circunferentia denique primi Cœli, ac nobis proximioris, scilicet, Lunæ, est 1310829. milliarium: crassitudo autem 99504.

24 *VT* tandem ſingulorum Planetarum magnitudo dignoſcatur relate ad terram, notandum eſt, circa huius ambitum non eſſe exploratum vſque modò propter diſcordiã Geographorum, ac Philoſophorũ, quos refert Beyerlinck *in Theatro Magno v. Terra, pag. mihi* 91. Ariſtoteles aſsignat circunferentiæ ipſius 50000. milliaria. Eratoſtenes 31500. Hipparchus 34625. Similiter & diametro eiuſdẽ terræ adſcribit Ariſtoteles 15909. milliaria: Eratoſthenes 10022. Hipparchus 11017. Ptolemæus 22500. Alphagranus 20400. Recentiores 19080. Licèt etiã circa ſenſum eorundem Authorum diſſenſio ſit, vel propter diſſimilitudinẽ menſurarum quibus vſi ſunt, vel propter deceptionem in numeris exſcribendis. Nam, vt alios omittam, quidã volũt Eratoſthenẽ aſsignaſſe terræ circunferentiam 31260. milliarium. Plinius tamen *lib. 2. Natural Hiſt. c.* 108. Macrobius *lib. 1. in Somn. Scipionis*, & Noſter Beda *lib. de Ratione Temp.* ex ipſius ſententia non, niſi 31500. milliaria, vt ſupra, aſsignant. Quo autẽ modo Geometræ deprehẽdant magnitudinem terræ expoſitum habes à Maurolyco ex Ptolemæo *dial. 5 ſuæ Coſmographiæ*, & Ioanne à Sacro-Boſco *c. 1 ſuæ Sphæræ*. Sed tamen iã ſcitu impoſsibile eſſe monet Sancta-Crucius *diſp. 2. de Gener. n.* 246. Ille tamen generatim noſcet cuiuslibet globi profunditatem, qui ipſius circũferentiam menſus fuerit; animadvertendo circũferentiam conſtare diametris tribus.

25 *HIS* poſitis, cũ incerta ſit, & ſub opinionibus poſita circunferentia terræ, nõ poſſumus per milliaria exponere circunferentiã Planetarũ relatè ad ipſam, ſed quaſi per replicationes eiuſdẽ terræ. Hac ratione Aſtronomi apud relatũ Beyerlinck *pag.* 340. *alleg.* aiunt Saturnum continere magnitudinem terræ nonagies & ſemel: Iovẽ nonagies quinquies: Martem ſemel tantùm: Solẽ centies ſexagies ſexies. Cæteri autẽ Planetæ inferiores à terra exceduntur in magnitudine: Venus quidẽ ſeptuagies ter: Mercurius ducẽties decies & novies: ac denique Luna tricies novies. Particulas & minuta eorũ exceſſuũ non curo, quòd parùm è re noſtra ſint, nec facilè à Typographo meo exprimi poſsint. Eandẽ ob cauſam minimè infero in præſenti ſchema totius circunferẽtiæ Cœlorum, à Lunâ ad Empyreum, per vndecim ſphæras diſtinctas, & in medio quatuor elementa proprijs locis diſpoſita: vt alij præſtiterũt, & noviſsimè Ioannes ab Annuntiatione *tom. 4. Curſus Complutenſium abbreviati, tract. de Cœlo, poſt pag.* 90. Lugduni edito apud Petrum Chevalier anno proximè elapſo 1670. Quod ideo ſingillatim monui, vt ſi fortè opus hoc Philoſophicum recudatur in Gallia, aut Germania, vbi Typographi longè noſtris ſupereminent; dignentur hoc loco eandem figuram exprimere.

26 *PORRO* quæcũque hactenus diximus ex Aſtronomorũ ſenſu circa ſtupendã Cœlorũ, ſtellarũ, Planetarũque magnitudinẽ, digna ſunt, non ſolùm conſideratione philoſophica, ſed etiam myſtica: vt quicumque cœleſtium corporum amplitudinẽ immenſam habemus cõpertã, deſpiciamus terram, quę ipſius comparatione quaſi punctũ indiviſibile eſt. Deſpiciemus, inquam, fluxa & caduca hæc, ac perexigua: quæ tamen miſeri filij Adæ tã inſatiabiliter appetunt, & frequenter non ſine ſanguine inter ſe dividunt, obliti longè maiorũ, & immortaliũ bonorum. O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius! Beati qui habitant in domo tuà, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

SECTIO QVARTA.

Celebris controverſia de dextra & ſiniſtra Cœlorum parte indicata, & in alium locum remiſſa.

27 HOC Loci, poſt expenſam Cœli magnitudinem, differendum erat de dextra & ſiniſtra parte, an in Cœlo inveniãtur, ſicut & in animalibus, & vtra illarum potior ſit, ac initiativa motus cœleſtis. De quo ex profeſſo differit Ariſt. *in præſenti lib. 2. c. 2.* reſolvẽs Orientalem partem eſſe dextrã, & vnde initiũ accipit Cœli motus; Occidentalem verò ſiniſtram, vbi motus intelligitur deſinere; & priorem quidem illam potiorẽ eſſe. Vbi inquirẽdũ ſeſe offert, an vera ſit hæc Philoſophi doctrina, exiſtimarique debeat melior dextra, quã ſiniſtra pars, tã in rebus naturalibus, quàm politicis, & ſacris. Verũ hanc controverſiã latè ac multiplici eruditione exagitavi *tom. 1. Theologiæ Florulentæ Ludo* 3. ideoque ne verbum quidẽ illius modo repetendum duxi. Vide circa idem nonnulla alia *diſp. ſequenti num.* 54.

IL-

ILLVSTRISSIMO D.

D. ALPHONSO DE LLANO ET VALDES,

CALATRAVENSIS MILITIÆ EQVITI, REGIO CONSILIARIO IN SVPREMIS SENATIBVS IVSTITIÆ AC FIDEI, &c.

COELORVM Motus, & irrequietam circumvolutionum vicissitudinem, examini Tuo subijcio. Litteratissime, & Nobilissime Vir. Motus, videlicet, illos, quibus crebrò in gyrum agitur Cœlum, inter vtrũque polum, Arcticum & Antarcticum: quorum prior Orbi Veteri, posterior Novo, in prospectu est. Nulli vero aptiùs id committi poterat disquirendum, quàm *TIBI*: cui tandiu curæ fuerunt res vtriusque Orbis & axis. Postquam enim clarissimis incunabulis Domus Tuæ, apud Asturos præstantissimæ, & tot retro sęculis in Hispania celebris, addidisti purpureum decus Maximi Collegij S. CRVCIS apud Vallisoletum, & in eiusdem vrbis Academia Iurisprudentiæ cathedris novum adiecisti splendorem, insigni, qua polles, eruditione, ac mentis subtilitate; postquam alios atque alios Senatus, ac Supremum Navarræ Præses decorasti; commissa *TIBI* est Summi Indiarum Prætorij speculatè qua, veluti Herculea pharo, immensam illam aquæ ac terræ molem attenderes, quæ Novi Orbis meruit appellationem. Tota illa, quanta est, *TIBI* curæ fuit, veluti Atlantæis viribus prædito ad immane pondus sustinendum. Ea vero doctrinæ ac iudicij dexteritate effulsisti, vt propemodum impedimento *TIBI* fuerit ad sublimiorem ascensum. Adeo enim necessarius visus es Nobo Orbi regendo, vt Præses Supremi ipsius Senatus censuerit, non sine ingenti eius iactura, atque authoritatis dispendio, futuram iri translationem Tui ad summum Castellæ regimẽ, cui iam diu invigilas. Magna sane laus, & mira, in lectissimo insignium Senatorum numero vnum aliquem vsque adeò non videri superfluum, vt absque illo apparuerit impar subeundo oneri. Hoc nimirum crimen *TIBI* obiectum fuit, ne altius præmium obtineres, *MAIORA MERVISSE*. Obtinuisti tamen, & sublimiorem speculã ascendisti. Exinde rebus Hispaniæ, quotquot ad *IVSTITIAM* attinent, intentus es, veluti *servantissimus æqui*. Neque id novum in Domo Tuà: quæ tot Senatores, Magistratusque, ac Præsides dedit, ijs exercitationibus delectatos. Et verè amplissimæ capacitati mentis Tuæ oblectamenta sunt, vel ea ipsa importabilia onera, quibus alij fatiscunt. Insanam molem, aliorum viribus superiorem, quasi talitro vno in circulum agis; & veluti, apud Martialem, ille, *cui pila taurus erat*. Hinc est, quòd *TE*, tot tantisque rebus intentum, pluribus adhuc, & gravioribus, id est, Fidei Religionisque simul præfecerit nuper Hispaniarum Augusta; idque, adhortante, ac suadente Excellentissimo Principe *D. D. DIDACO SARMIENTO ET VALLADARES*, Summo Senatui, olim Iustitiæ, nunc Fidei Præfecto, ac tot Regnorum Gubernatore Se-viro. Quippe maximus ille, atque incomparabilis Vir, ac pene miraculum nostri, quamvis aurei, ævi, pro eà, quam Tecum inijt, veteri ac singulari amicitia, pro penitiori capacissimæ mentis Tuæ conscientia, non censuit *TE* plus iusto distrahendum in alias atq; alias curas, quamvis

tot sustineas, & tanta negotia solus.

Ausus est Satyricus quidam huius sæculi insultare imperio alicuius Monarchæ, tãquam eo minus sit, ac levioris ponderis, quò plura amplectitur Regna. Atqui fortè non auderet simile quid obijcere *TIBI*. Quo enim plures gravioresque curarum sarcinæ humeris Tuis superimponuntur, eo maior appares: vt vaticimo affine videatur, *TE* fore publico Regni bono quam maximè vtilem, si maxima omnium, si summa cures tandem aliquando, ex editiori omnium culmine. *VALE*, & post recentes Hymenæos vberrimam natorum enumera sobolem, quæ clarissimam vtriusque Parentis imaginem, quà animo, quà vultu, referat, & posteris in seras ætates transmittat.

DISP. SEXAGESIMA NONA:

DE MOTV COELORVM.

An Cœlum moveatur, & quomodo?

Num. 1. *QVAMQVAM Hucusque multa sparsim de Cœlorum motu pro rei opportunitate dicta sint superioribus, placet modò de illo aliquantò attentiùs agere, eiusque existentiam, qualitatem, multiplicitatemque statuere. ab Antiquis suppositam vt certam, à quibusdam Recentiorum immerito negatam. Vel ipsum ætheræ regionis etymon hanc Veterum communem existimationem probat. Nam, vt inquit Aristot. lib. de Mũdo ad Alexandrum cap. 2. aliquantò ante medium,* Cœli siderumque substantiam appellamus ÆTHEREM: non quidem ideo quòd ignita flagret ipsa, vt aliqui censuerunt, plurimùm quidem aberrantes circa potentiam illam, maximè ab igneâ natura abhorrentem. Origo verò huius vocabuli inde ducta, διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν κυκλοφορουμένην, στοιχεῖον ὂν ἕτερον τῶν τεττάρων, ἀεὶ θοῦν ὄντα καὶ θεῖον: quòd semper æther currat motu circunductili: cùm sit illud elementum a quatuor illis diversum, tum divinum, tum & interitus expers. *Hæc Philosophus: & meritò quidem. nam ætheri nullum aliud etymon est, quàm ab ἀεὶ, id est* semper; *& à verbo* θέω, *scilicet*, curro. *Vnde illud Plutarchi in Pub.* ἐκείνους εἰς στρατόπεδον θέοντες: illos in castra currentes. *Sic & Xenophon, & Thucydides & alij. Habet verò locum disputatio hæc apud eundem Arist. in hoc tractatu de Cœlo ferè passim: sed præsertim* libr. 1. cap. 2. 3. 4. 5. & lib. 2. cap. 3. 4. 5. 6. 8. 9. imò & 13. ac 14. *vbi improbat plurium opiniones de mobilitate terræ, & immobilitate Cœli, quasi ex ipsorum mente hoc quiescat, & illa moveatur.*

SECTIO PRIMA.

Cœlum non quiescere, sed moveri. Evasiones aliquorum præclusæ impugnationibus ad propria loca remissis.

2 *SIT I. Assertio.* Cœlum non quiescit, sed movetur. Ita Aristoteles locis allegatis, & omnes ferè Philosophi cum ipso, vt propterea singulos allegare otiosum videatur.

RATIO Desumitur ex diutino oculorum experimento, quo videmus Solem manè exurgere in Oriente, & rotare in Occidentem; similiterque Planetas omnes, & stellas; idque perpetuo & nunquam variato ordine. Ergo Cœlum non quiescit, sed movetur.

3 *RESPONDET I.* Nierembergius *lib. 6. Philos. cœlestis cap. 23.* alijque; plures, quos allegavimus *suprà disput. 66. num. 2.* Solem, ac reliquos Planetas, & stellas, non moveri ad motum sphæræ cœlestis; sed proprio ipsarum motu. Existimant enim Cœlum esse fluidum, & sidera omnia in eo vagari, qualiter pisces intra aquam stagni immoti & quiescentis, aut aves in aëre. Verùm hæc solutio ibidem satis refutata est, ostensumque multipliciter, & reiectis aliorum probationibus, Cœlum solidum esse. Videatur tota sectio tertia, cuius doctrinam hic frustrà repeteremus.

4 *RESPONDEBIS II.* ex Hurtado *in præsenti disp. 2. sect. 2.* adhuc quamquam Cœlum sit solidum, locum esse vt illud quiescat, & Planetæ moveãtur: quia, scilicet, hi non sunt affixi quantitati solidæ ipsius Cœli, qualiter clavus rotæ infigitur; sed cientur intra quosdam canales, sive cavitates, quasi aquæductus ipsorum. Vnde circumagi & huc atque illuc rotare possunt, Cœlo interim quiescente. Cœterum & hanc evasionem ac dicendi modum latè & efficaciter reiecimus *disp. 67. sect. 2. à num. 11.* Videbis ibidem quam fictitiæ & absurdæ sint illæ cavitates.

5 *RESPONDEBIS III.* cum Pythagoricis, alijsque priscis Philosophis relatis ab Aristotele *in præsenti lib. 2. capit. 13. & 14.* quorum opinionem exornularunt Copernicus, Kleperus, Galilæus à Galilæis, & alij Recentiores allegati à Blancano *de Mundi machinà part. 3. cap. 2.* Cœlo, Sole, astrisque immotis, terram circulariter ac velocissimè moveri circũ Solem, quem aiunt esse Vniversi centrũ. Verùm hic dicendi modus, quam absurdus

dus sit, quam periculosus in fide, aut etiam erroneus, nolumus modo perstringere, sed id speciatim & ex professo ostendere *infrà* disputando de immobilitate terræ, & centro mundi. Vbi plures demonstrationes veteres ac recentes afferemus pro immobilitate terræ.

6 *CONFIRMATVR:* Quia ad sensum experimur Planetas non servare eundem ordinem distantiæ & indistantiæ inter se, & relatè ad stellas; sed modò invicem apropinquare, modò recedere; iam sub hac fixarũ stellarum constellatione, iam sub illâ. Igitur non quiescunt, sed moventur. Patet consequentia: quia duorum existentium in aliquâ certâ distantiâ, nequit alterum magis aut minùs distare ab altero, nisi alterum saltem moveatur à loco, in quo antea erat. alias enim vtroque immoto, & locum suum retinente, non poterit esse distãtia maior, aut minor, sed omnino eadem, ac priùs.

7 *CONFIRM. II.* Quoniam pariter, & non minùs ad sensum, experimur varietatem temporum, serenitatem, pluvias, grandines, procellas, totamque temperiem terræ in assiduâ vicissitudine per quatuor anni tempora; itemque ortus, & interitus plantarum, arborum, atque animaliumque omnia à Cœlo, vt causa secunda vniversali proveniunt: vt *infrà disp.* 71. demonstrabitur, & neque ipsi Adversarij negant. At nisi Cœlũ moveretur, minimè posset eiusmodi varietatem vicissitudinemque effectuum præstare, vt causa secunda vniversalis: quia ab eâdem causâ creata semper immotâ, & in eadem distãtia, nequit circa idem omnino passum varietas & diversitas effectuũ alijs atque alijs temporibus provenire. Ergo Cœlum movetur, Cœlum, inquam, omne, præter Empyreum, iuxta dicta *suprà disp.* 67. *sect.* 3. vbi ex varietate decem motuum in Cœlo deprehẽsorum, & repugnantia vt plures motus diversi conveniant eidem corpori simplici, quale est Cœlum, collegimus existentiam decem sphærarum cœlestium mobilium, præter Empyreum, quod immobile est. Et fulcitur adhuc id ipsum: Quia quoties plura conveniunt in vnâ aliqua ratione communi, illa debet ijs convenire ex participatione & dependentiâ ab aliquo superiore, cui conveniat primò ac per se. Atqui octo sphæræ inferiores, præter proprios singularum motus, in quibus dissident, conveniunt in alijs duobus motibus simplicibus, quorum alter est diurnus ac velocissimus ab Oriente in Occidentem, alter verò ab occidente in Orientem per signa Zodiaci valde tardus. Ergo vterque hic motus debet convenire octo sphæris inferioribus per participationem & dependentiam ab aliquo superiore Cœlo, cui per se primò conveniat. Cumq; nequeant ambo per se primò convenire vnico Cœlo, sed duobus; restat, vt chrystallino, sive glaciali cõveniat per se primo motus tardus ab Occasu in Ortum per signa Zodiaci; primò autem mobili, quod est decimum, & cæteris novem perfectione superius, vniformior ac præcipuus motus diurnus ab Oriente in Occidentem. Patet igitur omnes, ac singulos Cœlos, præter Empyreũ, moveri. Obiectiones verò Adversariorum, præsertim Copernici, pro immobilitate Cœli ac mobilitate terræ, leves sunt, & diluentur *allegatà disput.*

SECTIO SECVNDA.

Motum localem Cœlo naturalem esse, quid-quid alij velint. Obiectiones difficiles, recentibus instantijs confirmatæ, extricantur.

8 SIT II. *Assertio.* Motus Cœli est ipsi naturalis. Ita Aristot. *in præsenti lib.* 1. *c.* 2. *textu* 8. illis præsertim verbis: ἀναγκαῖον εἶναι τι σῶμα ἁπλοῦν, ὃ φέρεται φορὰν τὴν κύκλῳ κίνησιν ἀϊδίου καὶ συνεχοῦς φύσιν. *Simplex quippiã corpus* (nempe, Cœlum, de quo loquitur) *necessarium esse in ratione rerum: quod quidem sit aptum circulari motu naturâ suâ ferri.* Idem habet alijs locis ex allegatis *num.* 1. & D. Thomas ibidem, atque *in* 1. *dist.* 22. *q.* 3. *ar.* 2. *quæstiunc.* 1. *corp. & 3. contra Gent. c.* 23. vbi docet, motum Cœli esse ipsi naturalem ratione materiæ, quia ad rationem naturæ sufficit esse principium passivum motus primò ac per se; & quidãmodo etiam naturalem ratione formæ, quatenus hæc apta est, vt ab extrinseco moveatur & motum recipiat. Quo sensu exponit Aristotelem indefinite aientem, Cœlo esse naturalem motum. S. Doctorem sequuntur Flandria 9. *Metaph. q.* 10. *ar.* 1. Araujo *lib.* 10. *q.* 3. *ar.* 2. Conimbricẽses, Rubius, Aversa, Oviedo, Giattinus, Marchio Sfortia, Comes Alvergatus, Castelvi,

ſtelvi, Bagotius, Lalemandet, ac Lezana *in præſenti*, Suarez *diſp.* 23. *Metaph. ſect.* 5. & *de Opere ſex dierum cap.* 8. Valentia, Molina, Vazquez, & Granado allegans pro eodem placito S. Dionyſium, Auguſtinum, & Gregorium, apud Sanct Crucium *in Compendio librorum de Cœlo num.* 930.

9 *PROBANT* Aliqui præiactum Aſſertum ex eo quòd Cœlum ſit corpus ſphæricum, vt iam oſtenſum eſt ſuperioribus; ideoque naturaliter exigat motum circularem. Verùm hæc ratio, niſi aliud addatur, debilis eſt: quoniam inſtantiam patitur in Cœlo Empyreo, quod, licet ſphæricum ſit, nullum motum exigit circularem. Similiter & in terrâ, quæ rotunda eſt, vt Aſtronomi docent: & tamen non movetur naturâ ſuâ in circulum. Imò cùm elementa ſuperiora ſint rotunda, ſive ſphærica, vt probat Ariſtoteles *in præſenti lib.* 2. *cap.* 4. *à textu* 26. omnia illa naturaliter moverentur in circulum. quod tamen conſtat eſſe falſum.

10 *RATIO* Itaque germana eſt: Quia omnis motus conſentaneus naturali inclinationi ſubiecti, cui inhæret, eſt ipſi naturalis. At motus localis eſt conſentaneus naturali inclinationi Cœli, cui inhæret. Ergo ipſi naturalis eſt. Maior patet: quia omnis motus conſentaneus inclinationi ſubiecti, cui inhæret, eſt iuxta ipſius naturam. Ergo naturalis. Minor ſuadetur: nam Cœlum habet inclinationem naturalem vt ſuam virtutem activã & intrinſecam communicet rebus inferioribus, ac proinde ad exercitium medio quo illã communicat: ſicuti omne agens naturale propendet ex ſe ad exercitium propriæ virtutis activæ. At Cœlum communicat ſuam virtutem activam & intrinſecam rebus inferioribus, medio motu locali vt conſtabit ex dicendis *diſp.* 71. Ergo motus localis eſt conſentaneus naturali ipſius inclinationi.

11 *RESP.* Adverſarij *infrà nu.* 15. allegandi, non omnem motum conſentaneum naturali inclinationi ſui ſubiecti eſſe ipſi naturalem, niſi præterea effectivè proſluat ab ipſo, vt principio ſe movente. quod ſecundum deeſt Cœlo, qui à ſolo Deo, vel etiam ab Intelligentijs effectivè movetur. *SED Contrà I.* Vt enim motus ſit ſubiecto ſtrictè naturalis, non requiritur proceſſus ab illo, vt principio efficiente: quod patet, tum in motu gravium & levium, quibus naturalis eſt motus deorſum ac ſurſum, licèt ab ijs efficienter non proſluat, ſed à generante, vt dictum eſt in Phyſica, præſertim *lib.* 7. *diſp.* 39. *ſect.* 4. tum etiam in motu fluxus & refluxus, qui eſt mari connaturalis, iuxta plures, quanquam non proſluat activè ab ipſo, ſed à Luna: tum denique in motu, quo ferrum attrahitur prorſus naturaliter à magnete, nihil efficiens, ſed ſolùm patiens iuxtà ſuam naturalem inclinationẽ influxum magnetis activum, ſicut & gravia ac levia impulſum agentis, & mare actionem Lunæ. Ergo vt motus localis Cœli ſit naturalis, non exigitur effectivus influxus in illum, ſed ſufficit quod ſit iuxta ipſius inclinationem paſsivam & naturalem. Nimirum, licet vix Cœli ad influendum in inferiora, ſit activa, pendet naturaliter quo ad exercitium à prævia receptione eiuſdem motus. *CONTRA II.* & à priori. Quidquid ſufficit ex parte principij vt habeat rationẽ naturæ propriè loquendo, ſufficit etiã ex parte actus, ſive motus vt ſit propriè naturalis: ſiquidẽ natura definitur principium per ſe motus. At vt principium habeat rationem naturæ propriè loquendo, ſufficit eſſe per ſe principium paſsivum motus: ideoque in Phyſicâ *diſp.* 12. probavimus materiam habere rationem naturæ. Ergo etiam vt motus ſit propriè naturalis alicui ſubiecto, ſufficit quòd per ſe ab illo proveniat, vt principio paſsivo: qua ratione localis motus provenit à Cœlo.

12 *SECUNDO* Reſpondent alij, ex eo quòd Cœlum habeat vim activam & operatricem in inferiora hæc, minimè colligi exigentiam motus localis, ac circularis, quo ſingula luſtret: quia de ratione cauſæ activæ non eſt quòd exigat naturaliter applicationem ad paſſum, vel vicinitatem ad ipſum ſecundùm locum; ſed ſolùm quòd ſuppoſitâ ab extrinſeco eâ applicatione operetur. Sic etiam medicamenta, ſalutares lapides, & plantarum ſemina proficua, vim activam & intrinſecam habent ad cauſandam ſalutem infirmi: & tamen non ideo exigunt naturaliter applicationem, neque delatio localis ipſorũ ad ægrotũ curandum eſt ijs naturalis, ſed potius præternaturalis. Idem ergo dicendum de motu Cœlorum, quo luſtrant in circuitu hæc inferiora.

13 *SED Contrà.* Virtus enim activa Cœlorum in inferiora hæc, non

eſt

eſt particularis, ſed vniverſalis in cauſando: cùm ab eà pendeant naturaliter inferiora omnia, tanquam à cauſà ſecundà vniverſali: & aliunde nec gravis, nec levis eſt; vt probatum manet *diſp. 64. præſertim num. 6.* Ergo naturaliter exigit circularem motum, ratione cuius influat in omnia inferiora. Probatur conſequentia, & ſimul retorquetur inſtantia in obiectione adducta. Ideo medicamētum aliquòd, potio amara, v.g. non exigit naturaliter delationem ad ægrotum, quia licet habeat vim effectivam ſanitatis in illo, aliūde & privatim eſt grave; ac proinde ratione propriæ inclinationis exigit motū deorſum; nòn verò lateralem, aut obliquum, quo ad ægrotum feratur. Prævalet quippe inclinatio naturalis, quà propendet ad proprium centrum, inclinationi activæ ad cauſandam ſanitatē in alio. Idemque eſt, ſi ſupponas medicamentum eſſe leve, in ordine ad motum ſurſum. Ergo cùm Cœlum careat gravitate & levitate, quibus privatim inclinetur ad motū ſurſum ac deorſum, & aliunde habeat virtutem activam in omnia inferiora, naturaliter inclinatur ad motum circulārem, ſine quo talem virtutē exercere nequit. Omnis enim virtus activa naturaliter inclinatur ad exercitium cauſandi, ac proinde ad media neceſſaria vt cauſet, niſi aliunde obſit privata inclinatio in proprium bonum.

14 *CONTRA II.* Et permiſſo gratis Cœlum eſſe grave, aut etiam leve, eo ipſo quòd ſit cauſa ſecunda vniverſalis exigit naturaliter bonum totius Vniverſi, ac proinde & motum circularem eiuſmodi bono neceſſarium, etiam contra privatam inclinationem: ſicuti communi Philoſophorum iudicio, gravia quælibet cōtra privatā inclinatione exigerēt motum ſurſum ad replendum vacuum, quod communi naturæ bono adverſatur. Cùm igitur non minùs eidem bono communi adverſetur ceſſatio influxus cœleſtis in inferiora hæc, planè colligitur, Cœlum, etiā ſi foret grave ac leve, & proinde reſiſteret privatim circulari motui, appetiturū naturaliter motum circularem, ad vitandum commune malum. *Confirmatur.* Poſſibile eſt corpus naturaliter exigens circularem motum: quia in hoc nulla repugnantia apparet. Semel autem ſtatutà poſſibilitate, nulla eſt ratio cur eà exigentia non conveniat corpori cœleſti exiſtenti de facto. imò & id videtur maximè cōſentaneum cauſæ ſecundæ vniverſali, habenti perfectam vim operandi pluribus ac diverſiſsimis modis, etiam circa idem paſſum, iuxta varias temporum viciſſitudines: quod tamen ſine motu circulari per diverſas lineas facto, & quotidie inflexo, fieri nequit.

15 *OPPOSITAM* Sententiam tuētur Avicenna *lib. 9. Metaph.* Averroes *in præſenti lib. 2.* Scotus *in 2. dict. 2. q. 6. & in 4. diſt. 48. q. 2.* quem ſequuntur omnes diſcipuli, quos refert & comitatur Pōtius *diſp. 22. q. 9. concl. 2. num. 78.* Hurtadus *in præſenti diſp. 2. ſect. 4.* Arriaga *ſect. 5.* Barthoiomæus Amicus *tract. 5. dub. 7. ar. 2.* Conimbricenſes *lib. 1. huius tract. cap. 2. q. 3. ar. 2.* alijque plures, exiſtimantes motum Cœli non eſſe ipſi naturalem, nec violentum, ſed neutrum: id eſt, neque cōvenientem ipſi ſecundùm inclinationem naturalem, neque diſconvenientem; ita vt Cœlum medio quoddam & indifferēti modo ſe habeat circa illum.

16 *PROBANTI.* & præcipuè. Motum eſſe alicui ſubiecto naturalem, duplici tantùm ex capite provenire poteſt: ſcilicet, vel quia procedit à principio activo intrinſeco, vel quia eſt conformis naturali ipſius inclinationi. At localis motus Cœli non procedit ab ipſo, vt principio activo intrinſeco (quod palàm erit ſectione ſequenti) neque etiam eſt iuxta inclinationem naturalem ipſius. Ergo nullà ratione Cœlo naturalis eſt. Probatur ſecunda minoris pars, in qua ſolà eſt difficultas. Motus enim localis nihil aliud eſt, quàm via ad terminum, ſeu adquiſitio illius, ſcilicet, loci: vnde ſolùm poteſt eſſe iuxta naturalem inclinationem mobilis, quatenus locus, ſive terminus adquiſitus, eſt iuxta ipſius mobilis inclinationem naturalem. Atqui terminus, ſive locus adquiſitus à Cœlo, non eſt iuxta inclinationem ipſius Cœli naturalem. Ergo neque localis motus. Probatur minor. Locus enim, quem hodie occupat Sol, v.g. nullà ratione cedit in emolumentum ipſius: quia æque bene ſe haberet in alio loco ſuæ circumferentiæ. Non enim ex loco hodierno præ alio alequitur ſuam conſervationem, quam alioqui haberet; maximè cùm naturà ſuà incorruptibile ſit: neque etiam delectationem aliquam, cùm ſit inanimatum, ac proinde incapax delectationis. Ergo terminus, ſive locus adqui-

quisitus à Cœlo, non est iuxta inclinationem ipsius naturalem.

17 *RESP.* Concessa maiore, negando secundam minoris partem. Ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem. Ad huius probationem cōcedo Cœlum nullam capere delectationem ex adquisitione huius determinati loci præ alio, quia inanimatum est; nullā etiam sui conservationem, quia ab intrinseco est incorruptibile; nullam denique intrinsecam perfectionem, quia non mutatur intrinsecè per variationem loci. At nihilominus in qualibet Cœli parte existens exequitur, seu exercet inclinationē propriam, & sibi connaturalem, ad influendum per modum causæ vniversalis secundæ, tanquam in commune bonum. In quocunque enim Cœli loco sit, partialiter eam inclinationem exercet, quia præstat tunc influxum accommodatum communi rerum productioni & conservationi, potiùs quàm si eodem tempore in aliâ Cœli parte esset præter ordinem communem & stabilitum à Deo. Hoc enim proprium est agētis perfecti & vniversalis, vt sine aliquo emolumento intrinsecæ perfectionis, influat in commune bonum; & necessario quidem, si sit agens necessarium, vt Cœlum; liberè autem, si liberum, vt Deus, & intelligentiæ Cœlum moventes.

18 *INSTABIS.* Quòd motus Solis proprius sit conveniens communi bono Vniversi, non sufficit vt sit ipsi naturalis. Ergo cùm aliunde Sol nullum ex eo emolumentum capiat, nulla tandem ratione motus ille naturalis Soli est. Probatur antecedens. Etiam motus communis Soli & alijs septem Planetis ab Oriente in Occidentem, est conveniens bono communi Vniversi, non minus quā motus Solis & singulorum Planetarum proprius. Et tamen motus ille communis ab Oriente in Occidentem, nec Soli, nèc alijs Planetis est naturalis. Alioqui eidem corpori simplici cuiuscunque Planetæ esset naturalis duplex motus, alter communis, & alter proprius, quod sæpe superioribus improbatum est. Igitur quòd motus Solis proprius sit conveniens communi bono Vniversi, non sufficit vt sit ipsi naturalis.

19 *RESP.* negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, distinguo minorem. Motus ille communis ab Oriente in Occidentem, nec Soli, nec alijs Planetis est naturalis, quasi immediatè, & præcisâ per intellectum subordinatione ad aliud Cœlum superius; concedo: mediatè, & attentâ eiusmodi subordinatione, nego minorem, & consequentiam. Itaque verum quidem est eidem corpori simplici immediatè & secundùm se præcisè considerato naturalem non esse, nisi vnicum motum ipsius proprium. Cum hoc tamen cohæret quod ex subordinatione sibi naturali ad aliud agens superius recipiat impulsum, ac subinde motum alium, etiam naturalem, licèt mediatè, ex eodem fine communis conservationis rerum inferiorum. Quo sensu videntur loqui aliqui Authores ex allegatis pro nostrâ sententiâ, dum aiunt motum illū Cœlis Planetarum communem, non esse eis perfectè naturalem. Intelligendi enim sunt de naturalitate immediatâ, & ex proprijs conveniente ijsdem sphæris ac Planetis; non verò de mediata & communi. Omnia enim còrpora cœlestia naturaliter inclinantur ad motum, quo operantur in commune bonum rerum inferiorum: verùm aliter, & aliter: ad motum communem, ex ratione communi, ac mediatâ singulis; ad peculiarem verò ex ratione propriâ atque immediatâ singulorū. Verùm de eâ motuum varietate latiùs *disp. sequenti.*

20 *VRGEBIS.* Si Cœlum haberet inclinationem naturalem ad motū, præsertim sibi proprium, deberet producere illum in se ipso per virtutem intrinsecam, & sibi propriam. Consequens autē est absurdum, vt postea constabit. Ergo Cœlum non habet inclinationem naturalem ad motum, præsertim sibi propriū. Probatur sequela: Quia gravia & levia habent inclinationem ad motus deorsum ac sursum, tanquam sibi proprios, ideo etiam constant virtute intrinseca ad eos in se ipsis producendos: aut saltem non exigunt aliquam causam physicè & actu in se ipsà existentem, vt actu moveātur; ideoque etiam in opinione docentium moveri à generante, si hoc iam in se ipso non existat, exercent proprios motus. Ergo pariter, si Cœlum haberet inclinationem naturalem ad motum, præsertim sibi proprium, esset quoque præditum virtute connaturali ad eum in se producendum: aut saltem non exigeret causam aliquam physicè & actu existentem, à quâ mo-

moveretur, ſed ſufficeret à principio fuiſſe motum à generante.

21 *RESP.* Gravia & levia non moveri à ſe ipſis effectivè, ſed tantum à generãte, vt principio *quod* particulari & immediato; cuius actio, ſicut produxit formam ipſorũ, ſic etiã gravitatẽ & levitatem conſequentes formam, veluti eius proprietates: vt dictum eſt *in Phyſicâ diſp. 39 ſect. 4.* & multipliciter probatum. Quare etiam poſtquam illud abſens eſt, aut iam omnino non exiſtit in rerum naturâ, poſſunt habere motum in centrum ratione gravitatis, & levitatis cauſatæ à generante, cuius influxus virtualiter in ea permanet. Gravitas autem & levitas non influunt activè propriè in eum motum, ſive, quod perinde eſt, non cauſant illum per aliquam ſtrictam actionem; ſed per ſimplicem emanationem tantum. alioqui eſſent potentiæ vitales, quoniam ſe moverent, propriè ab intrinſeco. Quare ad impugnationem nego ſequelam. Ad illius probationem diſtinguo antecedens: Gravia & levia conſtant virtute intrinſeca ad motus ſurſum ac deorſum in ſe producendos per actionem ſtrictam, nego: per ſimplicem emanationem, concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia Cœlum ne hoc quidem modo habet virtutem intrinſecam, quâ ſe moveat.

22 *INSISTVNT* Recentiores Aſtronomi: Quia ſi gravia & levia virtutem habent, quâ vtcunque ſe moveant ſurſum & deorſum, ſaltem per emanationem; cur etiam Cœli non habebunt aliã proportionatam virtutem, quâ vtcunque ſe moveant in circulum, ſaltem per emanationem? Quare, ſicut poſitâ ſolùm à principio actione generantis gravia & levia moventur deorſum ac ſurſum, ſine novo impetu ipſius, aut actione; ſic etiam Cœlum poſitâ actione ſui productivâ, abſque novo impetu ipſius, aut actione Dei, Intelligentiarumve, movebitur in circulo naturaliter. Conſequens autem eſt contra noſtram doctrinam, & communem, de impulſu aſſiduo Angelorum ad circumagendum cœleſtia corpora. Ergo hæc nullo modo habent virtutem aliquã, quâ ſe circulariter moveant, adhuc eâ ratione quâ illam habent gravia & levia ad motus ſurſum & deorſum. Ergo de primo ad vltimum motus circularis Cœlo naturalis non eſt. Vnde inferunt Nierembergius *ſuprà*, & Tellez *infrà* allegandus, alijque, Cœlum vnico, vel leviſſimo, impetu, a principio actum, totâ æternitate rotaturum; cum careat impedimentis, & omni contrario, quin vel totam terram, ſi ſemel impellatur, gyraturam ſemper in circulum, abſque novo impulſu motoris extrinſeci; & ſimiliter trochum perfectè rotundum in plano perfecto, ſublatis impedimentis: quia impetus impreſſus mobili in ſpatio ab impedimentis libero, naturâ ſuâ eſt qualitas perpetua, ſeipſam propagans, conſervans, & intendens, dum alium velociorem & velociorem parit circa centrum, & maiorem in fine, quàm in principio.

23 *RESP.* Difficilè aſsignari poſſe, ſuppoſitâ naturalitate motus Cœlorum, rationẽ a priori ne conſtent qualitate aliqua propendente in eum motum activè, ſaltem per emanationem, inſtar gravium & levium. Cæterùm a poſteriori ſatis colligitur carentia eiuſmodi qualitatis in Cœlo ex impulſu Angelorum *ſect. ſequenti* ſtabiliendo, prælertim ex ſacris litteris, circa cœleſtia corpora: qui ſanè ſuperfluus eſſet, ſi Cœlum conſtaret eiuſmodi qualitate loco motiva: ſicuti in gravibus & levibus ſuperfluus eſt impulſus motoris extrinſeci, vt ferantur in propria loca, quoniam ſufficit virtus à generante recepta, vt, ſublatis impedimentis, gravitent & levitent circa proprium centrum. Et præterea conſtat aliis rationibus: Tum quia aliàs corpora cœleſtia in loco proprio manentia, ſe moverent ab intrinſeco; quod eſt proprium viventium: Tum quia non perficiuntur intrinſecè per motum, atque adeò carent potentia activa intrinſeca, qua moverẽtur: Tum denique quia in tali motu non acreſcit impetus, nec eſt vlla inæqualitas, ſicut in gravibus & levibus: ergo carent potentia intrinſecâ activa motus. Vnde motus Cœli non eſt ipſi tam naturalis, quam gravibus & levibvs motus deorſum ac ſurſum: quia licèt Cœlum habeat inclinationem naturalem ad ſuum motum, per modum potentiæ paſsivæ, ſicut gravia & levia ad ſuum ipſorum, & in hoc ijs æquiparetur; aliunde differt in carentia qualitatis activæ motus per emanationem, qua Cœlũ caret, & gravia ac levia conſtant. Quare cœleſtia corpora ex natura rei egent motore extrinſeco ſemper movente; nec ſufficit fuiſſe a principio acta impulſu aliquo, vel a Deo, vel ab Intelligentia, niſi

ille

ille continuetur, aut repetatur. Quod verò additur circa terram, & globum perfectum circa planum, perpetuò rotaturos; falsum est. Terra enim, si impresso vehementi impetu volvatur in orbem, paulatim tardiorem ac tardiorem motum habebit; non quidem ratione aëris retardãtis, quia hic licèt ex parte anteriori retardet, ex alijs lateribus adiuvat; sed ratione naturæ impetus defectibilis, retardati ab ipsâ terræ gravitate, obsistente, & appetente immobilem statum. Idemque est de globo supra planum perfectum agitato, vtrobique enim ad exigentiam gravitatis langueſcit impetus à motore impressus, & paulatim deficit, ac tandem omnino cessat. Cuius ratio à priori desumitur ex doctrinâ Aristotelis *l. 5. Physic. textu 61. & lib. 8. textu 67. & in præsenti lib. 2. c. 14.* vbi ostendit terræ, & cuicunque corpori gravi, violentum esse circularem motum. Cùm ergo nihil violẽtum sit perpetuum, sequitur motum orbis terræ in circulo, non fore naturâ suâ perpetuum: similiter nec motum lateralem supra planum, quia & ille globo gravi violentus est.

24 *PROBANT II.* Cœli motum non esse naturalem, idque ex multiplici capite. *Primò*: Quia omnis motus naturalis secundùm locum est, vt mobile adquirat proprium centrum, quo caret. At Cœlum proprio centro non caret, sed in eo semper est. Ergo motus Cœli secundùm locum non est naturalis. *Secundò*. Si motus esset Cœlo naturalis, carẽtia motus, sive quies, esset ipsi violenta. Ergo Cœlum post vniversale iudiciũ non quiesceret perpetuò; quia nihil violentum perpetuum. Atqui Cœlum ex tunc perpetuò quiescet, vt communiter traditur. Ergo quies non erit ipsi violenta, ac proinde nec modò motus est ipsi naturalis. *Tertiò*. Quoties motus est naturalis, cessatio ab illo, sive quies, est nociva, seu detrimentũ afferens mobili. At cessatio motus, sive quies, nec post diem Iudicij erit, nec modò esset nociva, seu detrimentum afferẽs Cœlo; vtpotè incorruptibili ex naturâ suâ: sicut neque illud attulit, quando Sol stetit ad vocem Iosue. Ergo motus Cœlo non est naturalis.

25 *RESP.* negando assumptum. *AD I. Probationem*, concedo maiorem de mobili imperfecto, quod tendit ad quærendam propriam perfectionem; qualia sunt gravia, & levia, atque vniversim omnia elementa, & mixta: nego autem de mobili perfecto, quale est Cœlum, quod motu suo solùm tendit ad perficiendum alia à se, & consulendum bono communi, per modum vniversalis causæ. Vnde concessâ minore, nego consequentiã. Quam doctrinã præ oculis habere oportet, propter plures obiectiones Adversariorum, alioqui difficiles, quæ ex illâ evanescunt; ideoque à nobis prætermittuntur, brevitatis causâ. *AD II.* admisso antecedente, nego consequẽtiam: quia post diem Iudicij cessabunt generationes, corruptiones, & omnes motus, omnisque conservatio rerum sublunarium, ex cuius fine modò Cœlum movetur: atque adeò, cessante hoc finè, quies non erit ipsi violenta. Cùm enim natura non solùm desiniatur principium motus, sed etiam quietis, sicut modò est ipsi naturalis motus, sic etiam quies postea; variato, nimirum, fine alterius in alterum. *AD III.* Doctrinâ maioris solùm habet locum in motu rei tendentis ad propriam perfectionem adquirendam in suo centro nondum possesso: non verò in motu rei iam perfectæ, & solùm tendentis intra proprium centrum ad perfectionem aliorum; qualis est motus Cœli. Quare licèt cessatio à motu nec allatura sit, nec afferret Cœlo detrimentum aliquod intrinsecum, adhuc motus est naturalis ipsi ex fine communis boni.

SECTIO TERTIA.

Cœlum non moveri à se, neque à substantia aliqua materiali vivente, neque ab vnâ aut pluribus animabus, neque à solo Deo, sed ab Angelo, vt causa particulari.

26 SIT III. *Assertio.* Cœlum quodlibet movetur ab Intelligentiâ, sive Angelo sibi præfecto; non autem per solam virtutem intrinsecam. Ita Aristoteles, non quidem 8. *Physic. textu 52.* vbi extra rem ab alijs allegatur, quia solùm exigit motorem immobilem, qui est prima causa. Quare ipsius opinione primum mobile, non ab Angelo, sed à solo Deo movetur; quem primum motorem appellat, & cuius existentiam probat ex motu primi mobilis. Iteque Assertio præiacta solùm ab illo traditur *lib. 12. Metaph. cap. 8. textu 43.* vbi de pluribus sub-

stan-

ſtantijs ſeparatis, natura immobilibus, ac perpetuis, docet neceſſarias eſſe ad motum Cœlorũ. quod de ſolis Angelis intelligi poteſt. Subditq; ſtatim text. 44. ὅτι μὲν οὖν εἰσὶν οὐσίαι, καὶ τούτων τὶς πρώτη καὶ δευτέρα, καὶ τὴν αὐτὴν τάξιν ταῖς φοραῖς ἔχουσῶν, φανερόν. *Quòd igitur ſubſtantiæ ſunt* (ſcilicet, ſeparatæ, de quibus agit) *& harum quædam prima, quædam ſecunda, ſecũdùm eum ordinem, quem & lationes ſiderum habent, patet.*

27 Eandem ſententiam, veluti fide divina certam, amplectitur S. Thomas *q. 6. de Pot. art. 3. in reſp.* dum ait: *Fidei autem ſententia eſt quòd non ſolùm corpora cœleſtia Angeli ſuo imperio moveant localiter, ſed etiam alia corpora, Deo ordinante & permittente.* Ratio autem cur eam fide certã exiſtimet, eſt, quia de Angelis dicitur Iob 9. v. 13. *Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curvantur qui portant orbẽ.* Vbi Magnus Noſter Gregorius, *Intelligendi ſunt autem*, inquit, *portare orbem cœleſtes ſpiritus, quorum miniſterio tota corporalis creatura divinitus procuratur, vt dicit Auguſtinus tertio de Trinitate.* Ita etiam exponit Lyra, & alij. Quare cenſura D. Tho. non temerè prolata eſt, ſed probabiliter, cùm probabile ſit verba illa Iobi de Angelis debere accipi. At verò probabile etiam eſt eam non eſſe de fide: quoniam plerique alij Interpretes graves, tũ Veteres, inter quos N. Venerabilis Beda, tum & Recentiores, ea verba de hominibus ſanctis intelligunt, quoniam curvantur in conſpectu Dei ad impetrandam veniam peccatorum mundo, quem quaſi humeris impoſitum geſtant. Quin & Caietanus ex radice Hebraica, vbi habetur, *adiutores fortitudinis*, cenſet ſermonem eſſe de dæmonibus, quibus curæ eſt adiuvare confidentes in proprijs viribus. Conſonatque Caietano multiplex aliorum Verſio: nã Regia legit *auxiliatores ſuperbiæ*, Tygurina: *Ei ſuccumbunt cõſpiratores potentiſſimi.* Vatablus: *Deprimuntur adiutores ſuperbiæ.* Pagninus: *Freti ſuperbia.* Denique idem S. Gregorius aliam interpretationem adhibet de Regibus, & principibus, qui clavũ Reipublicæ tenent, tãquam ij portent orbem humeris ſuis, & ſub eo humilientur: in eamque adaptat etymon Regis, qui Græcè βασιλεὺς dicitur, quaſi *baſis*, & fundamentum, in quo nititur populus. Vnde probabiliter à cenſura erroris vt minimũ excuſari poſſunt, qui Cœlos moveri ab Angelis negant, inferiùs allegandi *n. 33.*

28 *QVID QVID* tamen ſit de cenſura, ſententiam noſtram abſolutè tradiderunt omnes Platonici, Stoici, ac Peripatetici apud Pererium *lib. 2. in Geneſ. q. 5.* atque inter hos S. Th. *tum loco alleg. tũ & Opuſc. 10. ar. 3. & Opuſc. 11. ar. 2.* allegans pro eodem placito S. Auguſt. *lib. 83. q. 9.* dicentem: *Vnaquæque res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem angelicã ſibi præpoſitam, ſicut aliquot locis Scriptura teſtatur.* Origenes quoque tom. 6. in Hierem. *Omnibus rebus Angeli præſident, tam terræ & aquæ, quàm aëri & igni; id eſt, principalibus elementis: & hoc ordine perveniunt ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipſa quoq; aſtra cœli.* Lege etiam S. Dionyſium *c. 5. de Cœl. Hier. & cap. 8. de Div. nomin.* S. Bonav. *in 2. diſt. 14. art. 3. q. 2.* eam fidei & rationi conſentaneam cenſet: Scotus *ibid. q. 1.* Durandus *q. 5.* & communiter Recentiores, paucis exceptis, illam amplexantur.

29 *RATIO* Communis, & omnium efficacior, eſt: Quia ſuppoſito nunc motu locali cœlorũ, *ſect. 1.* ſtatuto, negari non poteſt eſſe aliquã cauſam effectivam ipſius. At hæc non eſt Cœlum ipſum, neque ſubſtãtia aliqua vivens materialis, neque etiam ſpiritualis incompleta, vt rationalis animus, neque tandem ſolus Deus ſine interventu creaturæ. Ergo à ſufficiẽti excluſione cæterorum debet eſſe ſubſtantia aliqua ſpiritualis creata & cõpleta, qualis eſt Angelus. Maior tum conſequentia patet. Minor ſuadetur quòd ad ſingulas partes: & quòd ad primam quidem ex dictis *num. 23.* Omne enim illud quod in proprio loco conſiſtens eſt cauſa effectiva ſui motus, ſeu movet ſe effective in proprio centro, eſt vivens. At Cœlum nullo genere vitæ eſt vivens, vt vidimus *diſp. 63.* & plerique Adverſariorum fatentur. Ergo Cœlũ, ſemper proprio loco conſiſtẽs, nõ eſt cauſa effectiva ſui motus, ſive, quod perinde eſt, non movetur à ſe effectivè. Quæ ratio etiam militat contra Lynceũ *lib. 9. Phyſ. tract. 1. c. 3.* ita aſſerentem Cœlum moveri ab Angelis, vt tamen tueatur, etiã movere ſe effectivè per propriã, & connaturalem virtutẽ. Hoc enim ſine vita Cœli, ab ipſo negata, ſubſiſtere nequit; & præterea refellitur: quia admiſſa virtute activa cõnaturali in Cœlo vt ſe moveat, fruſtra additur impulſus Angeli motoris, qualiter fruſtrà adderetur in gravib⁹ & levib⁹ vt ad centrũ ferantur, & in animali vt

vt progrediatur: quoniam hæc omnia intrinsecam virtutem activam habent, quà moveantur à seipsis; aut per dimanationem, vt gravia, & levia; aut per strictam actionem, vt animal. *CONFIRM.* eadē minoris probatio quo ad primam partē: Omne id, quod se movet activè, debet habere partem per se moventem, & partem per se motam; quia secundùm eandē partem nequit esse simul in actu & potētia, vt in Physica *disp. 40. sect. 2.* stratum est. Ergo omne id, quod se movet activè, debet habere partes dissimiles, quarum aliqua per se moveat, alia moveatur per se. At Cœlum nō habet partes dissimiles; cùm sit quoddam totum homogeneum. Ergo Cœlum non se movet activè.

30 Deinde probantur reliquæ eiusdem præcipuæ minoris partes. *Secunda*, quidem, quæ negat Cœlum moveri ab aliqua substantia materiali vivente, suadetur facilè: Quia motus Cœli vniformis continuus, & constans, exigit principium movens eadem vniformitate, perpetuitate, & constantia præditum, vt ex terminis patère videtur, & assumit Aristoteles loco illo Metaphysicæ iam allegato. Atqui nulla substantia vivens materialis est prædita eiusmodi vniformitate, perpetuitate, & constantià: quia omnis substantia vivens materialis movendo & agendo reparitur, defatigatur, & absumitur tandem. Ergo motus Cœli non respicit vt principium movens substantiam aliquam materialem viventem. *Præterea.* Omnis motus substantiæ materialis viuentis, quæcumque illa sit, adeò inconstans & parùm durabilis est, vt quovis tempore varietur, aut intermittatur; cùm tamen motus Cœli invariatus & perpetuus existat. Quare tam ridiculum est dicere Cœlum moveri ab aliquà substantià materiali vivente, quàm asserere velocissimam aquilam, aut falconem perpetuò agitari à tardà testudine vel formica.

31 *Tertia* pars de animà rationali, aut pluribus animabus coniunctis, patet ex sacris litteris *Gen. 1.* iuxta quas Cœlum conditum fuit, & plures eius motus, sicuti & plures dies, præcessere formationem Adæ; ac proinde & productionem animæ rationalis omniū primæ (idemque a fortiori constat de qualibet alia posteriore) quæ non, nisi intra corpus hominis creatur, neque existit ante infūs productionis illius, vt putarunt Origenistæ, Plato, Pythagoras, & aliqui Hebræorum, existimantes omnes animas ab ipso mūdi initio creatas à Deo, & postea in corpora detrusas. Quorum error confixus fuit à Patribus Concilij Bracharensis I. *can. 6.* & à S. Leone Papa *epist. ad Turibium Asturicensem*, illis verbis: *Eos Catholica Fides à corpore suæ veritatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum priusquam suis inspirarunt* (fortè legendū, inspirātur) *corporibus, non fuere.* Ergo motus Cœli præcessit tempore aliquot dierum creationem, existentiamque omnium animarum rationalium: ac proinde nec ab ijs omnibus, neque ab aliqua ipsarum, effectivè processit: quia nullus effectus antecedit tempore suum principium effectivum. *Præterea.* Isti dies illi creationis non fuerint realiter distincti, sed imaginarij solùm, & quorum nullus aliū duratione præcesserit, vt S. Augustin. opinatur; adhuc anima Adami, sicut & quælibet alia, propter suam incompletionem & imperfectionem, non potuit movere, nisi corpus sibi proprium, & substantialiter vnitum, saltem motu perfecto & stabili, qualis est Cœlorum, vt docet S. Th. *1. p. q. 77. art. 4.* Cùm igitur Cœli corpus non sit proprium animæ rationalis, neq; illi vnquam substantialiter vnitum, Cœlum non fuit motum ab anima rationali Adami, neque ab vlla alia.

32 *Quarta* denique pars, quà asserimus Cœlū non moveri à solo Deo, & sine intervētu alicuius creaturę, vt causæ particularis, præterquam quòd expressa est SS. Patrū, quos allegavimus *n. 28.* suadetur contra Abulensem *in c. 23 Exod. q. 5.* & Lessium *lib. de Prov. c. 8.* docentem, solum Deum immediatè Cœlos movere, sicut solus eos creavit, & conservat. Suadetur, inquā, ratione maximæ perfectionis, ac proinde ordinatæ colligationis partium, qua putandus est Deus creasse & cō servasse Vniversum hoc, in quo vidit cūcta quæ fecerat, & erant valde bona. At hæc perfectio, & ordinata partiū colligatio, quā optimè, & lōgè melius subsistit, si pendeāt corpora sublunaria & inferiora à cœlestib⁹ & superiorib⁹, hęc verò a substātijs spiritualib⁹ separatis Angelorū, & hæ tandē a solo Deo; quā si à solo illo corpora cœlestia dependeāt, vt ex se liquet. Ergo quemadmodū corpora inferiora, ob prædictā causā, in suis motibus & operationibus,

bus, non pendent à solo Deo, sed à Cœlis simul; sic etiam nec Cœli a solo Deo, sed simul a substantijs spiritualibus separatis Angelorum. Quã rationem optimè illustrat S. Th. 1. *p. q.* 103. *ar.* 6. his verbis: *Cùm per gubernationem res, quæ gubernantur, sint ad perfectionem perducendæ; tantò erit melior gubernatio, quantò maior perfectio à gubernãte rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio est quòd aliquid in se sit bonum, & etiam sit alijs causa bonitatis, quàm si esset solummodo in se bonum. Et ideo sic Deus gubernat res, vt quasdam aliarum in gubernando causas constituat: sicut si aliquis magister discipulos suos non solùm scientes faceret, sed etiam aliorum doctores.* Eundem discursum luculenter confirmat 3. *contra Gent. c.* 7. *ratione* 4. *& c.* 8. *rat.* 1. quia ad perfectionem summam Dei in operãdo magis conducit quòd suam Providentiam exerceat mediis causis secũdis, quã quòd se solo: ad exercendam verò suam Providentiam circa Cœlorũ motus nulla causa secunda æquè apta est, ac Angeli, ministerio suo Cœlum moventes.

SECTIO QVARTA.

Opinio contraria, eiusque præcipua argumenta soluta.

33 SENTENTIAM Oppositam nostræ Assertioni quò ad singulas partes, inter se dividunt aliqui. Primò Albertus de Saxonia 8. *Physic. q. vlt.* existimat Cœlum moveri à propria formâ, intervẽtu qualitatum activarum eidẽ muneri deservientium: eiusque sententiam probat Nierembergius *in suâ Cœlesti Philosophia c.* 4. 23. *&* 31. Fabri *tract. de motu Solis, &c.* apud Sancta Crucium *n.* 932. Tellez *disp.* 45 *sect.* 4. & Lynce *lib.* 9. *Physic. tract.* 1. *c.* 3. *n.* 14. nisi quòd hic postremus admittit etiam dependentiam motus Cœlorum ab Angelis, quem tres priores negant. Secundo alij, vt Abulensis & Lessius, allegati *n. præced.* tuentur Cœlũ, non ab intrinseco, neque etiam ab Angelis, sed à solo Deo moveri. Præcipua illorum argumenta breviter proponam & diluã, ne disputatio vltra modũ procedat.

34 *ARGVIT I.* Tellez pluribus coniecturis, vt probet Cœlum constare virtute intrinseca, quâ se moveat, indepẽdẽter ab Angelis. *Prima est:* Quia Iosue *c.* 10. *v.* 12. Soli & Lunæ imperavit, ne moverẽtur, iussu immediatè ad eos directo, quo stare compulsi sunt. *Sol*, inquit, *contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. Steruntque Sol & Luna.* Hæc autẽ indicant in vtroque vim activam, quâ se moveãt. Deinde *Eccl.* 1. dicitur Sol *gyrare*, & Psalm. 18. currere, seu exultare ad currendũ passibus gigantæis, quibus etiã denotatur vis Soli indita, vt se in circulo moveat. *Secunda.* Ideo censemus gravia & levia naturaliter moveri per propriam inclinationem, absque ope motoris creati, quia videmus ea semper tendere in proprium centrum. At etiam videmus Cœlum semper moveri in circulũ. Ergo censendum est pariter Cœlũ moveri per propriã inclinationẽ, absque ope creati motoris. *Tertia.* Soli inest naturalis virtus ad illuminandũ & influendũ activè in omnia inferiora. Ergo & inest mediũ necessariũ ad eam virtutem exercendam. Cumque tale mediũ sit virtus loco motiva, sine cuius exercitio non posset influere activè in inferiora omnia; consequens est vt Sol illã habeat. *Quarta.* Gravia & levia sunt prædita virtute intrinseca ad replendum vacuũ propter cõmune bonum Vniversi. Ergo & Cœli ad gyrandum in commune & non minùs necessarium bonum.

35 HÆC tamen non obstant. *AD I.* Verba illa Iosue, non tam ad Solem & Lunam, quàm ad Deum ipsum dirigebãtur: sicut & illa Isaiæ 1. *Audite cœli, & auribus percipe terra*, potius diriguntur ad habitatores Cœli & terræ, quam ad vtrumque. Similiter & vbi Deus inquit ad Moysem & Aaron Num. 10. *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Sũt & alia obvia in sacris litteris: ex quibus, sicut nõ probatur Cœlum & terram habere vim audiendi, nec petram auscultandi; sic neque Cœlum loco motivam vim. Et ipse textus Iosue planè indicat, voces ipsius ad ipsum Deũ fuisse directas: quoniã subditur vers. seq. *Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Quod verò Sol dicatur gyrare, & currere, nihil probat: quia etiam dicitur de ijs quæ solum passivè se habent ad motum, vt de curru, de nube, & cometis, alijsque pluribus. *AD II.* patet discrimen gravium & levium a Cœlo quò ad motum ex dictis *n.* 23. *AD III.* Vis activa Solis ad influendum in omnia inferiora est lux ipsũ intrinseca: pendet tamen in exercitio à motu, in quem habet Sol passivam inclinationem tantùm. Sic etiã pharmacum habet vim intrinsecam activam sanitatis; licèt quò ad exercitium il-

lius pendeat a delatione & applicatione ad infirmũ, in quam nõ habet inclinationem activam: quãquam & inter Cœlum ac pharmacũ ſit diſcrimen quò ad potentiam paſsivam, quæ in Cœlo eſt naturalis; & in pharmaco neutra, aut obedientialis ſolùm, ratione gravitatis, vt *ſuprà n.* 13. obſervatum eſt. *AD IV.* in primis nego gravia habere virtutem activã intrinſecam ad replendum vacuum exiſtens in ſuperiori parte. Tota enim vis activa graviũ in ordine ad motũ localem eſt gravitas, quę nunquã activè poteſt inclinare in motum ſurſum. Quare ſolùm videtur habere virtutẽ paſsivã naturalem in talem motũ, reducendam in actũ à motore extrinſeco; ſicuti Cœli illã tantùm habẽt in ordine ad motũ circularẽ. Deinde permiſſa gratis in gravibus & levibus virtute activa eius motus, adhuc negatur in Cœlo: quia Cœlũ proprio ſemper loco cõſiſtens movetur in circulo. Ergo nõ per virtutẽ activam propriã, quia hoc eſt viventiũ proprium, quod proprio loco conſiſtentia ſe moveant. Gravia autem & levia, eſtò habeant vim activam, non habent illam, vt in proprio loco conſiſtentia ſe moveant, ſed vt deſerẽtia locũ proprium ſe moveant ad alium locũ alienũ. quod nõ eſt certũ indiciũ vitæ vſq; adeo.

36 *INSTABIS.* Vnicuique potentiæ naturali paſsivæ reſpõdere debet virtus naturalis activa, per quã reducatur in exercitium, vt docet Ariſt. 3. *de Animà c.* 5. & ex illo alij. Igitur ſi in Cœlo eſt potentia naturalis paſsiva ad motũ circularem, etiã debet eſſe virtꝰ naturalis activa in eundem. Huiuſmodi autem virtus nequit eſſe extrinſeca & ſpiritualis, quæ nullam poteſt naturalitatẽ habere relatè ad potentiã intrinſecã & materialẽ ac paſsivam Cœli. Ergo debet eſſe virtus activa Cęlo intrinſeca & materialis. *Cõfirm.* Lyncę vbi ſuprà. Omnis natura eſt prædita vi activa intrinſeca vt efficiat ſuas proprietates, ſaltem per emanationẽ. At motus circularis eſt proprietas naturæ cœleſtis, cùm conveniat omni, ſoli, & ſemper; nec ſit aliud fundamentũ, quo colligamꝰ calorem in ſummo eſſe proprietatem ignis riſibilitatẽ hominis, &c. Ergo natura cęleſtis eſt prædita vi intrinſeca activa motus circularis. *Confirm. II.* Quoties naturà aliquod ſubſtantiale corpus ad certã operationẽ, vel motũ ſubeundũ adaptat, toties illi facultatẽ activam in ipſum cõcedit. Alioqui fruſtra eam aptitudinem indidiſſet. At qui natura adaptavit corpus cœleſte ad motũ circularẽ, præbendo ei potentiã naturalem paſsivã, formã ſphęricã, & locũ tali motui aptiſsimũ. Ergo & ipſi facultatẽ activã conceſsit in eum motũ. *Confirm. III.* Cœlũ efficiẽter movet corpora ſublunaria de loco in locũ: vt patet præſertim in heliotropio, magnete, & fluxu ac refluxu maris. Ergo & movet efficienter ſeipsũ. Alioqui quemadmodũ riſui haberetur qui diceret ſe poſſe alios velociter huc illuc transferre, cùm tamẽ ipſe ne latum quidem vnguem ſui corporis movere poſſet; ſic etiam videtur abſurdũ ponere virtutem activã in Cœlo, vt moveat localiter alia a ſe, & tamẽ illam negare vt ſeipſum effectivè moveat.

37 *Confirm. IV.* Pater Fabri. Quò aliquid eſt magis perfectũ, eò magis activũ eſt. At Cœli ſubſtantialiter ſunt perfectiores elemẽtis & mixtis quibus tamẽ ineſt vis activa intrinſeca ad motũ localẽ. Ergo multò magis Cœli eandẽ habere putandi ſunt. Imo adhuc ſi non eſſent quinta ſubſtantia, neque aliquid eſſentialiter diverſum ab elementis; deberent conſtare vi activa, ſaltem per emanationem, ad ſe movendũ localiter, quemadmodũ & illa. *Confirm. V.* Nierembergius. Ad varietatem & perfectionẽ Vniverſi ſpectat, vt quẽadmodum in eo ſunt naturæ exigentes ſemper quietẽ, ſic & alię inveniantur exigentes ſemper localem motũ, ac proinde moventes ſe in circulum abſque fine, quia ſolus circularis motꝰ natura ſua perpetuus eſt. At eiuſmodi naturæ, nullæ aptiùs quã Cœlorũ mobiliũ, aut Planetarũ: ſicuti ad primũ nulla aptior, quã natura Empyrei. Ergo naturæ Cœlorũ mobilium, aut ſaltem Planetarum, exigunt ſemper localem motum, ac proinde ſe movent activè in circulum abſque fine.

38 *RESP.* Inſtantiæ præcipuæ, cõceſſo primo enthymemate negando minorẽ ſubſumptam, & illius probationem: quia quæmadmodum capacitas paſsiva materiæ ad animam rationalem recipiẽdam eſt materialis, & tamen ipſi reſpondet actualitas ſpiritualis eiuſdem animæ, tanquam quid naturaliter exactum; ita & licèt capacitas naturalis paſsiva Cœli ad motum ſit materialis, non tollit exigentiam alicuius virtutis ſpiritualis activæ, per quam in actum reducatur. Similiter quoque materia quatenus vltimò præparata diſpoſitionibus purè materialibus ad eandem animam rationalem

recipiendam, exigit naturaliter reduci in actum ab Omnipotentia, seu virtute activa Dei, summè spirituali, quæ sola potest creare animam intra corpus. Præterea, cùm certum fide divina sit Angelos posse movere corpora, vt rectè probat Suarez *lib. 4. de Angelis c. 27.* certũ quoque debet esse, capacitati passivæ corporũ, quę absdubio materialis est, posse correspondere potentiam spiritualem activam. Ratio est: quia inter potentiam passivã, & activã ex nullo capite requiritur conveniẽtia secundùm entitatem in specie, aut genere, sed solùm subordinatio naturalis potentiæ passivæ ad activam in ijs, in quibus iuxta naturam suam ab ea perfici potest: vt patet in instantijs prædictis, & pluribus alijs: quod totum invenitur in Cœlo relatè ad motum.

39 *AD I. Confirm.* negatur minor. Quamvis enim potentia passiva naturalis ad motum sit proprietas Cœli, sicut gravitas est proprietas corporum graviũ, & levitas levium; attamen ipse motus non est proprietas, sed exercitium proprietatis. Neque obstat quòd ipsum exercitium motus circularis dicatur cõvenire omni Cœlo, soli, & semper: quia cõvenit ipsi solũ de facto, & ratione impulsus ab extrinseco impressi; nõ autẽ ab intrinseco; sicuti corpori gravi motus deorsum, & levi motus sursum, cõvenit quidẽ omni, & soli; & semper, quãdiu nullũ est impedimentũ motui; ab extrinseco tamen, quoniã non movẽtur a seipsis, sed a generante. Quare calor & risibilitas cõparãtur ad ignẽ & hominẽ, sicut potentia passiva motus ad Cœlũ, & gravitas ac levitas ad corp⁹ grave & leve, per modũ proprietatis. At quemadmodũ nec exercitiũ calefactionis, nec risus, nec motus sursum, aut deorsũ, est proprietas prædictorũ; sed sola facultas, seu virtus ad tale exercitium; sic neque motus circularis proprietas Cœlo est, sed sola potentia passiva naturalis ad motum. Hæc quippe est proprietas Cœli, sive distincta realiter, sive (quod absolutè affirmandum est) virtualiter solùm ab illius essentia. Quæ huic solutioni obstare possunt, præoccupata sunt *num. 23.*

40 *AD II. Conf.* Quoties natura aliquod substantiale corpus ad certã operationẽ vel motũ subeundũ adaptat, toties illi facultatem activã concedit, vel intrinsecã, vel extrinsecam: intrinsecam, si media tali operatione perficiatur in se; extrinsecã verò, si non perficiatur in se, sed solum tendat ad perficiendũ ãlia, vt contingit in Cœlo. *AD III.* Cœlũ non movet corpora sublunaria, nisi quatenus subordinatũ motori extrinseco, vt causæ efficienti sui motus; ideoque solùm exigit moveri ab eodẽ principio, iuxta exigentiã sui naturalẽ. Qua ratione ridiculũ non est, vt qui non potest activè movere seipsum, possit movere alia à se. Sic corp⁹ quatenus subordinatum animæ movet plura alia, cùm tamen seorsum nullam virtutẽ habeat activã motus. Sic etiam navis impotens movere se contra ventũ adversũ, vt subordinata nauclero movetur ab ipso & movet alia à se. Sic tandem horologiũ carens virtute activa vt se moveat, movetur ab artifice, & subinde movet rotas ac momenta, quibus componitur.

41 *AD IV. Cõfirm.* cõcessa maiori, & minori quò ad primã partem, negatur secũda huius pars. Nõ enim inest vis activa intrinseca elementis aut mixtis vt se moveant, nisi animata sint: cùm iam sit statutũ ea omnia solùm moveri à generãte. Cur verò concessa ijs virtute vt activè per emanationem concurrant ad propriũ motũ, adhuc ea negari debeat Cœlo, iam dixim⁹ *n. 23.* nuper allegato circa finem *AD V.* Non spectat ad perfectionẽ Vniversi, vt in eo sint creaturę exigentes se movere aliquo genere motus, nisi illæ viventes sint: quia vita est motus à se. Cũ igitur Cœlũ non sit vllo modo vivens, vt ostẽsum est *disput. 63.* planè deducitur ipsum non constare virtute quã se moueat; ac proinde non habere exigentiam activã naturalem ad motũ, sed passivã tantùm. Imò & postquã semel accipit impulsum à motore extrinseco, adhuc eget alio & alio impulsu, vt de cœtero moveatur, saltẽ perpetuò & ablq; fine: tum, quia prim⁹ ille impulsus solùm habuit finitã vim, ac proinde natura sua non potuit producere effectum divisibilem duratione infinitũ, nisi iterũ & iterum addatur alius. Primus enim paulatim languescet naturã suã, ac tandem deficiet, etiamsi nullũ sit contrarium positivè obsistẽs ex parte medij, vt reverã nullũ est relate ad motum Cœli: sicut motus per vacuũ non fieret in instãti, sed tẽpore, quia naturã sua est successivus, quãquam in vacuo nulla dari posset resistentia ex parte medij. Quã doctrina præoccupantur plures obiectiones, quas brevitatis causa omitto.

42 *ARGVVNT II.* alij, & contendunt Cœlum ab Angelis non moveri. Et enim motus Cœli eſt neceſſarius, vt docet Philoſophus in præſenti *lib. 2. textu* 27. At neceſſarius non eſſet, ſi Cœlum moveretur ab Angelis: quippe moverent ipſum liberè, & non neceſſariò. Ergo Cœlum non movetur ab Angelis. *Confirmatur.* Si enim Cœli inferiores moverentur ab Angelis, certè non à malis, ſed à bonis, & Deo fruentibus. Atqui ab his non moventur Cœli inferiores. Ergo neque ab Angelis. Probatur minor. Si enim ab Angelis bonis, & Deo fruentibus moverentur Cœli inferiores, ijdem Angeli eſſent ſimul in Empyreo videntes Deum, & in Cœlis inferioribus moventes ſphæras. Atqui repugnat exiſtentia Angeli in duplici loco ſimul. Ergo ab Angelis beatis non moventur Cœli inferiores.

43 *RESPONDEO* Motum Cœli eſſe neceſſarium relatè ad ipſum Cœlum, quod in ſe recipit motum per potentiam paſsivam naturàlem & neceſſariam: quod ſufficit ad ſalvandam doctrinam Philoſophi. Ex parte autem Angeli moventis, licet non ſit neceſſarius, quia liberè movet Cœlum, eſt tamen infallibilis, quia Angelus beatus infallibiliter exequitur diſpoſitionem divinam, & æternã de motu temporali Cœlorum vſque ad diem Iudicij. *AD Confirmationem* dicunt aliqui, nihil abſurdi eſſe in eo, quod eadẽ res ſit in pluribus locis, ſi multiplicentur rationes formales exiſtendi in loco: quare Chriſtus Dominus ſimul eſt in Cœlo Empyreo, & in pluribus hoſtijs conſecratis, quia in his multiplicatur ratio præſentiæ ex vi plurium converſionum panis in ipſum, præexiſtentis ſub ſpeciebus ijſdem. Et ſi poſſet idem corpus conſtare duplici quantitate, nihil abſurdi eſſet in eo quod poneretur circumſcriptive in duplici loco. Hac ratione aiunt, in Angelo multiplicari rationem præſentiæ: quia in Cœlo Empyreo ratio præſentiæ eſt potentia obedientialis elevata per lumen gloriæ ad videndum Deum: in Cœlis autem inferioribus ratio præſentiæ eſt potentia loco-motiva, quatenus actu impellens Cœlum. Vnde poteſt ſimul eſſe in Empyreo, & in inferiori Cœlo.

44 *COETERVM*, ſi obiectio aliquid probat, evincit tanè Angelos ſanctos non poſſe ſimul eſſe in Cœlo videntes Deum, & in terra cuſtodientes homines. Quod tamen falſum eſſe conſtat ex illo Chriſti teſtimonio Math. 18. *Angeli eorũ in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.* Vbi ſatis exprimitur Angelos in Cœlo eſſe, etiam dum cuſtodiunt in terra homines. Quidni igitur in Empyreo ſint, etiam dum movent inferiores Cœlos? An verò præſentia illa, quam habent in Cœlo Empyreo Angeli, dum movent Cœlos inferiòres, & cuſtodiunt homines in terrà, ſit phyſica, & penes ipſorum ſubſtantiam; non eſt huius loci examinare, ſed ad tractatum de Angelis ſpectat. Videtur autem dicendum, non eſſe præſentiam phyſicam, ſed ſolùm intẽtionalem; quatenus phyſicè exiſtentes extra Empyreum, vident medio lumine gloriæ, quidquid in ipſo eſt. Si enim Apoſtolo licuit dicere, *Converſatio noſtra in cœlis eſt* quia ſemper cœleſtia meditabatur Paulus in terra exiſtens; quàntò magis Angeli in Cœlo eſſe dicendi ſunt, dum omnia cœleſtia manifeſtè vident, etiam dum extra Cœlum ſunt? Quare diſplicet prior ſolutio, quatenus videtur ſupponere, Angelos phyſicè, ſive ſecundùm propriam ſubſtãtiam, eſſe præſentes Cœlo Empyreo, & ſimul inferiori Cœlo. Vide *infrà n. 94.*

SECTIO QVINTA.

Occurritur rationibus Leſſij, aſſerentis Cœlos à ſolo Deo moveri. Vbi an cuilibet ſphæræ movendæ deputetur ſingularis Angelus?

45 *ARGVIT III.* Leſsius, vt probet Cœlos à ſolo Deo moveri, idque multipliciter probare conatur. *Primò*, quia tot & tanti effectus, quot & quanti producuntur ſub Cœlo, nequeunt revocari in aliquam cauſam vniverſalem, niſi omnium primã & vnicam. Ergo & motus Cœlorum a quo illi omnes proveniunt, nullum aliud principium habet effectivum, quàm ipſum Deum. *Secundò*, quia tanta Cœlorum vaſtitas, præſertim cum tanta velocitate, æqualitate, & vniformitate, non videtur poſſe moveri ab vno, imò neque à pluribus Angelis; ſed ſolùm ab agente virtutis infinitæ. *Tertiò*: quia non decet Angelum ſemper eſſe affixum orbi ſuo cum aſsidua ſolicitudine, vt ipſum moveat æqualiter & vniformiter; ac proinde impotentem exiſte-

existere, vt aliò divertat, vel recedat pro libito. *Quartò*: quia opus foret Angelum quasi diffusum esse per totum Cœli orbē, vt totum illum moveret. *Quintò*: quia si Angeli movent Cœlos, ipsi poterunt eos pro arbitrio sistere. Hoc autem advertatur verbis Iobi *cap.* 38. aientis: *Concentum Cœli quis dormire faciet?* Quasi dicat Deus: Quis, præter me poterit sistere cœli motum? *Sexto*: Si in potestate Angeli esset movere Cœlos, possent turbare ordinē Vniversi sistendo Solem v.g. aut dirigendo aliter motū, quam oporteat, aut concitando Cœlum impulsu suo plus iusto, minusve. Atqui falsum est Angelos posse turbare ordinem Vniversi: quia hoc soli convenit Vniversi Authori. *Septimò* tandem: quia Apostolus *ad Hebreos* 1. enarrās munera Angelorum, solùm ait esse administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiūt salutis. Vnde videtur ipsis curæ esse tantùm, quod ad salutem hominum spectat, ipsorumque custodiæ, doctrinæ, & correptioni congruit; non vero movere Cœlum, quod quid prorsus diversum est.

46 *HÆC* Tamen non vrgent. *AD I.* Quemadmodum non est absurdum, vt tot & tanti effectus, quot & quāti producuntur in hoc mundo inferiori proveniant ex influxu Cœli; sic etiam neque in eo quod procedant ex impulsu Angeli moventis Cœlum, & simul cum illo subordinati Deo, veluti causæ primæ & vniversalissimæ. *AD II.* Qui docent Cœlum & astra esse corpora gravia, imò & Solem esse omnium gravissimum, & incomparabiliter magis, quàm terram, vt existimant Sancta Crucius *num.* 938. & alij plures cum illo; difficilè possunt exponere, quomodo tanta virtus insit vnico Angelo, vt moveat vnum Cœlum, aut Solem: siquidem nec posse vnum Angelum totum terrarum orbem movere, saltem de facto, exploratum habetur. In nostra autem sententia, qua Cœlum nec grave, nec leve est, sed quid vtroque sublimius, & præterea solidum, nulla est difficultas vt Cœlum totum moveatur ab vnico Angelo. Quæcumque enim sphæræ pars agitetur, tota sphæra in circulum agitabitur; maximè cùm in ea non sit aliquid ex parte medij resistens motui. Cūque Angelus quilibet omnia, quæ ad naturam spectant, explorata habeat, dignoscit planè quanto impetu, & quibus modis agitari debeat Cœlum, ad servandā æqualitatem & vniformitatem. *AD III.* Cùm quilibet Angelus, dum Cœlum movet, fruatur Dei, & totius curiæ cœlestis conspectu, nec indigeat descensu ad terram, aut diversione ad alium locū, vel ad perfectionem, vel ad oblectamentum comparandum; nihil absurdi est in eo quod affixus sit orbi, quē movet. Præsertim, quia vbi libuerit alio divertere, poterit demādare eandem curam alteri Angelo, quī æquè solicitè & vniformiter Cœlum moveat. *AD IV.* Non est opus Angelum per totum Cœlum diffundi, vt totum illud moveat, sed quacumque parte adsit, & impellat, movebit totum, quia solidum est, vt rectè probat Suarez *lib.* 4. *de Angelis c.* 31. Lege Arist. *in præsenti lib.* 2 *c.* 2 & 8. *Physic. c. vltimo*, ac D. Th. 1. *p. q.* 52 *ar.* 2. postea expendendum *num.* 53.

47 *AD V.* Fatemur Angelos ex natura rei posse Cœlum sistere, ac per se loquendo. Cæterùm stante Dei præcepto, aut saltem beneplacito, ijs perspecto, de assiduo & vniformi Cœlorum motu, non possunt in sensu composito desistere ab agitatione Cœlorum assidua & vniformi: quia impeccabiles sunt, & prorsus consummati in perfectione; ac propterea nequeunt, vel peccare, vel omittere executionem divini beneplaciti, etiam non obligantis ad culpam. Quomodo verò cum hac impotentia cohæreat ipsorum libertas ad movendum Cœlum, non est huius loci; sed spectat, tum ad 1. *p. q.* 63. *art.* 5. vbi quæritur, vtrùm Angelus in primo instanti peccare potuerit; tum & ad 3. *p. q.* 15. *art.* 1. vbi controvertitur, quomodo cum præcepto moriendi componatur in Christo impeccabili libertas ad non moriendum. Authoritas autem Iobi solùm probat, neminem, præter Deum, factutum vt cantus Cœli dormiat; id enim spectat ad factum: non vero, neminem alium id posse facere ex natura rei; quia hoc spectat solùm ad potētiam, quæ sicut Angelo est sufficiēs vt moveat Cœlum, sic etiam vt sistat. *AD VI.* Patet ex dictis posse Angelos ex natura rei sistere Cœli motum, proindeque & variare & inflectere quocumque velint: cæterùm non posse de facto, & stante præcepto, aut saltem beneplacito Dei de perpetua & vniformi agitatione Cœlorum. *AD VII.* Ex authoritate illa Pauli ad summùm colligi potest argumentum negativum.

Ve-

Verùm neque hoc ſatis elicitur: quia eo ipſo quod Angeli ſint adminiſtratorij ſpiritus circa eà quæ ad ſalutem hominum ſpectant, congruum eſt, vt & Cœlos moveant. Id enim ſpectat ad ſalutem hominum, non modò naturalem, cui etiam invigilant; ſed etiam ſupernaturalem, cum ex conſideratione perpetui atque vniformis Cœlorum motus, & admirabilis ordinis huius mundi ab eo provenientis, habeant homines aſſiduam materiam laudandi & glorificandi Deum, proindeque & comparandi ſibi æternam ſalutem.

48 *OBIICIES.* Non poteſt Angelus movere Cœlum vel Solem motu æquali, quo de facto moventur. Ergo ſolus Deus eo motu circumagit Cœlum. Probatur antecedens. Angelus ſolùm poſſet movere Cœlum, vel producendo in eo impètum, vel motum localem tãtùm. At neutro modo moveretur Cœlum motu æquali. Ergo &c. Probatur minor. Omnis impetus à motore productus, & cauſans motum localem, fit intenſior in medio & fine intra proprium centrum, ac proinde velociorem motum cauſat, quàm in principio. ſimiliter & motus cauſat novum ac maiorem impetum, vt patet in lapide ruente ex alto. At impetus in Cœlo non fit intenſior in progreſu aut fine, quàm in principio, neque vnquam maior ex motu: vt patet. Igitur Angeli neutro modo poſſunt movere Cœlum motu æquali; ideſt nec producendo impetum, nec motum localem tantùm. *RESP.* obiectionem hanc potiùs ſolvi debere à pleriſque Adverſàriorum, qui aſſerunt Cœlum naturà ſuà grave eſſe, & ſine interventu Angelorum moveri virtute proprià. Inde enim colligitur, motum Cœlorum eſſe inæqualem ac velociorem quotidie, quia motus gravium in medio & fine velocior eſt, quàm in principio; cumque tot ſæcula à principio mundi tranſierint, neceſſum foret dies nunc eſſe longè minores, quàm in principio mũdi; imo & ferè nullius durationis: quia maior velocitas motus tot ſæculis redegiſſet diurnas circulationes Cœlorum ad breviſsimam & penè nullam temporis moram, ſiquidem motus quò velocior eſt, eò minori tempore fit, vt *lib.* 7. *Phyſic.* dictũ eſt. Deinde dico, ſive Angeli poſsint producere ſolos motus locales, vt vult Suarez *vbi ſup. cap.* 31. ſive etiam poſsint producere qualitates & impetus, vtroque mòdo ſalvari æqualitatem motus cœleſtis: quia Angelus eſt movens rationale & liberum; ac proinde movere poteſt, & de facto movet tantùm, ac non ampliùs, quàm ipſe vult, & congruit ad ordinem Vniverſi. Cumque in Cœlo nulla ſit gravitas aut levitas, nullaque qualitas naturà ſuà propendens in circularem motum, ſed ſolùm capacitas naturalis paſsiva; cõſequens eſt, vt tota ratio motus activa cõſiſtat in impulſu Angeli: qui cum ſit ſemper æqualis, ſemper cauſat æqualem motum.

49 *ROGABIS,* an Cœlum ab vnico Angelo, vel à pluribus moveatur? *RESP.* vnunquodque Cœlum à proprio ac ſingulari Angelo moveri. Quòd ſatis indicat Ariſtoteles *lib.* 12. *Metaph. cap.* 8. & D. Thomas *Opuſc.* 10. *& quodlib.* 6. *a.* 2. quos cæteri Philoſophi communiter ſequuntur. Ratio eſt: quia Angeli ſunt in loco per operationem: cumque nequeant eſſe in duobus locis adæquatè diſtinctis, qualia ſunt loca omnium Cœlorum mobilium, nequeunt etiam in ijs ſimul operari; ac proinde nec movere omnes Cœlos ſimul. Ergo cuiuslibet Cœli motui deputari debuit vnus Angelus, quia vnus & idem non poteſt ſimul omnes Cœlos movere. Deinde; ſi poſſet idem Angelus eſſe præſens omnibus Cœlis præſentia virtutis & ſuppoſiti (quæ certè neceſſaria eſt motori, vt moveat corpus carens omni virtute activà motus, quale eſt Cœlũ) poſſet quoque eſſe præſens in toto mundo ſublunari ſimul, qui comparatione Cœli, quaſi nihil eſt: proindeque idẽ Angelus haberet præſentiam localem æquè vaſtam, ac Cœlũ omne mobile, & quidquid intra illud eſt. Indidem verò colligitur, alium Angelum perfectiorem habiturum vim naturà ſuà, vt præſens ſit in eodem ſpatio, ac præterea in Cœlo Empyreo, & per conſequens vbique, quod tamen ſolius Dei proprium eſt, & vt impoſsibile omni creaturæ reiectum fuit *lib.* 4. *Phyſic.* Denique, quemadmodum ſingulis hominibus deputantur ſinguli Angeli; ſic & congruum eſt, vt ſingulis Cœlis Angeli ſinguli deſignentur. Neque obſtat, quòd vnicus Angelus circumagens primum mobile, poſsit conſequenter movere inferiores Cœlos, quos illud ſecum rapit: nam licet hoc ita ſit, adhuc certum eſt, vnumquemque ex orbibus inferioribus vltra illum motum communem omnibus

nibus ſphæris, habere ſuum proprium & peculiarem motum. Ergo neceſſarius eſt cuilibet Cœlo proprius Angelus, qui illud ſingulari motu circumagat. Imò & fortaſſis cuilibet epicyclo adeſt proprius Angelus, & diſtinctus ab eo, qui movet ſphæram Planetæ præcipuam: tum ob diverſitatem motus, tum etiam ob diſtantiam epicycli, & diſcontinuationem ab eàdem ſphærà.

SECTIO SEXTA.

Expediuntur breviter aliqua dubia incidentia, & notatu digna.

50 QVÆRES I. Ad quam Hierarchiam ex tribus, vel ordinem ex novem ſpirituũ Cœleſtium, ſpectet motus cuiuslibet Cœli? *RESP.* ſuppoſitâ Hierarchiarum & Ordinum diſtinctione, communiter tradita (de quâ plura dedi *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 9. maximè notanda pro dubio præſenti) vñeri dicendum ſpiritus Cœlorum motores ſpectare ad ſecundam Hierarchiam & quintum Ordinem: ſcilicet, ad Virtutes, quæ ſunt quid medium inter Dominationes & Poteſtates. Quæ doctrina & reſolutio deſumitur ex D. Thomâ, tum *Opuſc.* 10. *c.* 17. tum & 3. *contra Gent. cap.* 8. vbi illam probat ex Dionyſio, & ex Evangelio Lucæ. Loquens enim de vniverſali diſtributione Providentiæ divinæ circa varia effecta, ſic ait: *Secundò ab operante & exequente diſtribuitur & multiplicatur ad varios effectus: quod quidem eſt per ordinem Virtutum, quarum ordo, vt dicit Dionyſius* cap. 8. Cœl. Hierarch. *ſignificat quandam fortem virilitatem in omnes deiformes operationes, non relinquentem, ob ſui imbecillitatem, aliquem deiformem motum. Et ſic patet quòd principium vniverſalis operationis ad hunc ordinem pertinet. Vnde videtur quòd ad hunc ordinem pertineat motus cœleſtium corporum: ex quibus, ſicut à quibuſdam cauſis vniverſalibus, conſequuntur peculiares effectus in naturâ: & ideo* CŒLORVM VIRTVTES *nominantur* Lucæ 21. *vbi dicitur, quòd Virtutes Cœlorum commovebuntur.* Idemque, adhuc breviùs, & diſtinctiùs docet 1. *p. q.* 108. *ar.* 5. *ad* 1.

51 Ex quibus efformare licet hunc diſcurſum pro reſolutione tradita. Cœlorum motus adſcribi debet illi cœleſtium ſpirituum ordini, qui ſpecialiorem cæteris fortitudinem habet ad movendum velociſsimè, vniformiter, & perpetuò, adeo ingentem & vaſtam Cœlorum molem. In hoc enim maxima & ſpecialis fortitudo reſplendet. At licèt omnes ordines cœleſtium ſpirituum fortiſsimi ſint, ordo tamen Virtutum ſpecialiorem cæteris fortitudinem habet ad eiuſmodi effectũ præſtandum. Etenim, vt Dionyſius docet loco à D. Thomâ allegato, nomen *Virtutis* ſignificat quandam virilem & inconcuſſam fortitudinem; quod tamen non contingit in alijs nominibus cæterorum ordinum. Ergo Cœlorum motus adſcribi debet ordini Virtutum. Quod & confirmare videtur Eccleſia, dum in præfatione Canonis quotidie accinit: *Cœli, cœlorũque Virtutes, &c.*

52 QVÆRES II. In quâ Cœli parte reſideat Angelus motor? *RESP.* Si partes Cœli ſumantur materialiter, & penes nudam entitatem, Angelum motorem nulli ipſarum præ alia determinatè eſſe præſentem, ſed omnibus ſucceſsivè fluentibus, modò huic, modò illi. Quemadmodum ſi roges ſub quâ Cœli parte ſit Salmantica, idem dicendum erit. Nunc enim exiſtit ſub parte A. deinde ſub B. poſtea ſub C. ſucceſsivè percurrentibus Cœli ſpatium ab Oriente in Occidentem. Si autem ſermo ſit de parte Cœli formaliter conſideratâ in ratione locabilis, & reſpondẽtis eidem puncto vero, aut imaginario, relatè ad centrum terræ & ad polos mundi; dicendum eſt Angelum motorem primi mobilis aſsiſtere ipſi à parte Orientis: motores verò aliorum orbium cœleſtium, à parte Occidentis.

53 PRIOR Pars traditur expreſsè à D. Thomâ 1. p. q. 51. ar. 3. ad 3. dicente: *Non determinatur ſpiritui moventi orbem locus ſecundùm aliquam determinatã partem ſubſtantiæ orbis, quæ nũc eſt in Oriẽte, nunc in Occidente; ſed ſecundùm determinatum ſitum: quia ſemper eſt in Oriente virtus movens, vt dicitur octavo Phyſic.* Idemque repetit *q.* 52. *ſequenti ar.* 2. vbi docet Angelum non debere eſſe diffuſum per totum Cœlum, eo quòd ipſum moveat: ſed ſat eſſe ſi adſit parti Orientis, vnde incipit motus. Vnde conficitur ratio Aſſerti. Angelus motor primi mobilis debet aſsiſtere eà parte, quâ incipit talis motus. Hoc enim ſemper contingit in omni motore relatè ad mobile: non enim aſsiſtit quâ parte continuatur motus, impul-

ſuvè,

ſuſvè, ſed quà primò tangit mobile, impellitque ad motum. Atqui motus primi mobilis incipit ab Oriente, & proſequitur in Occidentem: hoc enim proprium eſt primi mobilis, quatenus diſtincti à cœteris orbibus vt *diſp.* 68. dictum eſt, & *diſp. ſequenti* vberiùs conſtabit. Ergo Angelus motor primi mobilis aſsiſtit à parte Oriẽtis. Indidem verò ſuadetur poſterior pars: Quia motus aliorum Orbium incipiunt à parte Occidentis; cùm ſint quoddammodo oppoſiti mòtui primi mobilis. Ergo Angeli ipſorum motores à parte Occidentis impellere putandi ſunt, ac proinde & aſsiſtere.

54 *CONFIRMATVR* Vtraque pars ex Ariſt. in præſenti *lib.* 2. *cap.* 2. Quoniam omnes huius Vniverſi partes conſtituunt vnum quoddam vnitate ordinis, & colligationis illarum inter ſe, per analogiam ad vnitatem totius ſubſtantialis ſe moventis, & ſentientis, imò & intelligentis: ideoque homo à Græcis μικρὸς κοσμος, ſeu *mũdus brevis* appellatur. Ergo quemadmodum in homine, & quolibet animali, motus incipit à perfectiore illius parte, quæ eſt dextera; ità etiam in hoc mundo motus primus & perfectiſsimus omnium, qualis eſt primi mobilis, debuit incipere à nobiliore & dextera mundi parte, quæ eſt Oriens: reliqui autẽ motus Cœlorum, cùm ſint poſteriores primo, eidemque contrarij, initium acceperunt à ſiniſtrà & oppoſità parte, quæ eſt Occidens. Quare Philoſophus loco allegato, circa finem capitis inquit: τῶ δ' ὄρανοῦ ἀρχὴμ τ' περιφορᾶς ὑθεν αἱ ἀνατολαὶ τ ἀσ]ρων. ὥσ]ε τὸτ' ἂν εἴη δέξιον· ἃ δὲ αἱ δύσεις, ἀρισ]ερόν. *Converſionis verò Cœli principium id eſt, vnde oriuntur ſtellæ. Quare hoc erit dextrum: id verò, vbi ſunt occaſus, lævum.* Vnde dextrum natura ſuà melius eſſe ſiniſtro, ac longè fortiùs in homine, docet *lib. de Animalium inceſſu cap.* 4. *fine*: atque vniverſalius adhuc lib. 4 de Part. Animal. cap. 8. ait: τοῖς γὰρ δεξιοῖς πάντα πι φυκε τὰ ῥώμ ἀδρὰ μᾶλλον. *Parte enim dextrâ efficaciora ſuapte naturâ ſunt animalia omnia.* Vide quæ indicavimus *diſp. præced. n.* 27.

55 *COETERVM* apud Veteres augurijs deditos è contrà putatum de mundi partibus: nam pro ſiniſtris non habitæ Occidentales, vt cum Ariſtotele modo dicebamus, ſed Septentrionales, vt teſtatur Plinius lib. 2. dicens: *Siniſtras autem eſſe ſeptentrionales partes, augurum diſciplina conſentit.* De quo & pluribus alijs huc ſpectantibus, non tam ad præſcriptũ ſeverioris Philoſophiæ, quàm eruditionis ſacræ ac profanæ, plura diſſerui *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 3. per totum, vbi Lector amœnitatis ſtudioſus habebit fortè quo deſiderio ſuo faciat ſatis.

56 *QVÆRES III.* An Cœlum, dum ab Angelo circumagitur, recipiat ab eo impulſum aliquem, ſeu qualitatem illativam motus; an verò motum ipſum immediatè, & abſque prævio impulſu? *RESP.* ſub diſtinctione. Aut enim ſermo eſt de Cœlo illo, quod Angelus immediatè movet; aut de alio, quod ſolùm movetur mediatè ab Angelo. Priori ſenſu, Angelus nullum cauſat impulſum, ſed motum Cœli immediatè: tum, quia hũc ſufficienter continet in propria virtute locomotivà, quæcunque illa ſit, ac proinde poteſt ipſum efficere immediatè, & abſque interventu alicuius prævij impulſus: tum & maximè, quia Angelus immediatè proximus eſt proprio Cœlo, immediatione virtutis & ſuppoſiti, atque adeò poteſt immediatè cauſare in eo motum abſque neceſsitate aut interventu alicuius impulſus; quemadmodum eam ob cauſam poteſt quis immediatè movere rotã, & quodlibet vicinum corpus, ſuæ virtuti proportionatum. Poſteriori autem ſenſu opus eſt impulſu cauſato, propter oppoſitam rationem: nimirum, quia licèt contineat motum Cœlorum diſtantium ſufficienti modo, & immediate immediatione virtutis; non tamẽ immediatione ſuppoſiti, ratione diſtantiæ, & interpoſitionis Cœli ſibi proximioris. Ergo oportet vt præter motum, quem in Cœlo vicino cauſat, producat impulſum aliquem, quo cœteros diſtantes impellat. Eiuſmodi autem impulſum videtur producere medio motus vicini Cœli, ſicut & medio illo producit effectus ſublunares. Vniverſimque loquendo, quiſquis movendo vnum corpus ſibi proximum, movet alia eidem contigua, in his producit impulſum medio motu corporis prioris. Lege circa hæc omnia S. Tho. *q. vnica de ſpirit. creat. ar.* 6. *ad* 9. & 12. atque Eximium Suarez *lib.* 4. *de Angelis cap.* 31.

(*)

DIS-

ILLVSTRISSIMO DOMINO D.

BENEDICTO TRELLES VILLAAMIL,

MARCHIONI DE TORRALBA, IACOBÆO EQVITI, CONSILIARIO REGIO IN SVPREMO IVSTITIÆ SENATV, &c.



VM Negatum esset homini (inquit Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 1.) *vt cœlestem in locum se se conferret, & velut è terrâ peregrè proficiscens, locum illum perlustraret; eo factum est, vt animus humanus, huius viæ ducem nactus intellectum, peregrinabundus illuc importaretur per viam, quam lassitudinis vacuam, atque laboris, Philosophia invenit.* Verùm non vsque adeò vacuam, vt necessum non sit cœlestiũ motuũ vestigatori, exerere mentis vires, & lucernã olere. Vel illa ipsa, quæ manibus terimus, difficilia exploratu sunt, si penitiùs detegenda sint: quantò magis cœlestia, atque adeo disita; & præsertim tot sphærarum, siderumq; errantiũ motus. Accedit multiplex opinio discordãtium, Astronomorũ, qui crebrò circa hæc, non tã iudicium ferunt, quã divinãt. Quare, si quãdo aliàs, maximè nunc advocari potest illud Varronis: *Non mediocres tenebræ in sylvâ, vbi hæc captãda: neque eò quò pervenire volumus semitæ tritæ; neque non in tramitibus quædã obiecta, quæ eunt ẽ possint retinere.* Hæc dixerim, *ILLVSTRISSIME D.* vt si forte pro eâ eruditione, quâ olim hãc Salmaticẽsẽ Academiã, & Collegiũ Maius Ovetense illustrasti, quâ postea Italiã Astronomicis observationibus deditissimã, quâ deniq; Supremos Catholici Monarchæ Senatus, deprehenderis aliquid lucubrationũ nostrarum, quod non vsque adeò solidum crepet; aut dissimules, aut emendes. Sanè id consonum erit, tum hæreditariæ nobilitati Tuæ, in patrio apud Assures cœlo illustrium siderum matri; tum & doctrinæ, quæ *TE* in id fastigium provexit. Sublime quidem illud est, & ex quo, veluti editissimâ speculâ, videaris posse cœlestes motus, & Planetarum periodos vestigare proximiùs, quàm cæteri homines è vulgo litteratorum, quibus vix assurgere vltra crepidam datum. Imò non ij tantùm, sed etiam plures, qui docti, & sapientes audiunt, ac gravioribus disciplinis strenuè operati sunt; ne summis quidem labijs gustarunt dulcedinem miram, quæ ex cœlestium corporum contemplatione procedit. Mèliùs sanè Itali, apud quos tandiu diversatus es, ac longè feliciùs, in ijs amœnissimo genio suo indulgent. Astrolabia, telescopia, tubos opticos, & alia artefacta miræ industriæ, meditantur, extruuntq́ue, vt ætheream illam regionem oculis lustrent, quam pedibus nequeunt. Verùm amplissima mens Tua, quanquam severioribus curis intenta, & tantæ rerum moli ac multitudini excubans, penitiores habet sinus, intra quos Vranologia, sublimium animarum delicium, opportunam inveniat sedem. Vale, *ILLVSTRISSIME HEROS*, & felici ac numerosâ sobole novum indies decus clarissimæ Domui Tuæ annecte.

DIS-

DISP. SEPTVAGESIMA.

DE NVMERO ET ORDINE MOTVM CŒLESTIVM.

Quotnam ij ſint, & quo ordine perficiantur?

Num. 1. *DIXIMVS Sæpe in hoc tractatu, vnico corpori ſimplici vnum tantummodo motum eſſe poſſe connaturalem & propriũm: reliquos præterea, aut violentos, aut innaturales, aut ſaltem non omnino proprios. Nunc addendũ, omnẽ naturã inferiorẽ, & alteri ſuperiori ſubiectã, duplicẽ motum ſubire, alterũ ex propria ratione, alterũ ex participatione ſuperioris naturæ. Quod, præter alios, tradit D. Tho.* Opuſc. 44. & q. 5. de Potẽtiâ ar. 8. *Ideò aqua duplici motu cietur; altero ſibi proprio deorſum, ratione cõgenitæ grauitatis; altero fluxus & refluxus, ex ſubordinatione ad Lunam, qui non competit ei ab intrinſeco, & ratione propriæ inclinationis. Quærimus ergo in præſenti, quot motus ſubeat Cœlum, & quo ordine, ſiue ſubordinatione ſphærarum cœleſtium inferiorum ad alias ſuperiores. Pendet verò maximè controverſia hæc à doctrinâ tradita* diſp. præced. *ſimul & ab ijs, quæ* diſp. 67. *tradita ſunt circa numerum ſphærarum cœleſtium: & excitari poteſt ſicut præcedẽs,* lib. 1. c. 2. 3. 4. & 5. ac lib. 2. c. 3. 4. 5. 6. 8. 9. imo & 13. ac. 14. *vbi de immobilitate terræ & mobilitate Cœli agit Philoſophus.*

SECTIO PRIMA.

Motum primi mobilis eſſe primum omnium, velociſſimum, ac regulariſſimum, & rapientem inferiores Cœlos.

2 *SIT I. Aſſertio.* Primum mobile (quod diſp. 67. diximus eſſe decimam ſphæram, omnibus alijs mobilibus ſuperiorem) vnico motu cietur, eòque velociſſimo, ſimpliciſſimo & vniformi. Ita communiter Aſtronomi ac Philoſophi, & præcipuè S. Thomas *in præſenti lib. 2. lect. 6. & 7.* aliiſque pluribus locis.

PORRO Primum mobile moueri vnico motu, quæ eſt potiſſima Aſſerti pars, ſuadetur facilè. In quolibet enim genere omnis multiplicitas reducitur ad vnitatem, veluti ad vnum, quod eſt primum in tali genere. Ergo cùm in genere motus detur tanta multiplicitas, oportet totam illam reduci ad vnicum motum, quod ſit primum in tali genere. At eiuſmodi motus nequit eſſe alius, quàm primi mobilis: alioqui non eſſet primum mobile, ſi motus eius non eſſet primus. Ergo primũ mobile vnico motu cietur. *Confirm.* Eo ipſo quòd ſit aliquod primum mobile, illud nequit moueri ab alio corpore; quia ſic non eſſet mobile primum, ſed ſecundum. Ergo eo ipſo nequit ſubire alium motum extraneum, ſed ſolum illum, qui conuenit ipſi ex propriâ ratione; veluti cœleſti ac ſimplici corpori. Atqui vnico ſimplici corpori vnicus motus poteſt conuenire ex propriâ ratione, vt ſæpe in hoc tractatu ex communi Philoſophorum ſenſu obſeruatum eſt. Ergo primum mobile vnico motu ſibi proprio mouetur.

3 *HINC* Aſſerti vlteriores partes facili negotio probantur. Ac primò quidem, prædictum motum eſſe velociſſimum; planè conſtat: quia primum mobile longè ampliorem circumferentiam habet, quàm cæteræ omnes ſphæræ mobiles cœlorum; vtpotè quas ambitu ſuo circumſcribit, ac longiſſimo ſuperat intervallo. Et tamen totam eam circumlationẽ perficit vnoquoque die, intra quem cæteræ ſphæræ interiores non, niſi minori longè periodo circumagũtur. Ergo motus primi mobilis velociſſimus eſt omnium. At motus, quò velocior eſt, eò ſimplicior eſt, vt docet S. Tho. *in præſenti lib. 2. lect. 6.* Igitur talis motus, ſicut velociſſimus, ita eſt ſimpliciſſimus. Iam denique regulariſſimum eſſe, probatur: quià quod eſt primum & ſimpliciſſimum in quolibet genere, eſt menſura regulariſſima cæterorum: vt patet in vnitate reſpectu quantitatis diſcretæ, & in puncto relatè ad continuam. Cùm igitur oſtenſum ſit motum primi mobilis eſſe omnium primum & ſimpliciſſimum; indidem quoque euincitur regulariſſimum eſſe. Vnde & horologia omnia, & quicumque ferè

ratio-

ratione vtuntur, dies ſuos, menſes, atque annorum periodos cõputant, iuxta motum diurnum primi mobilis, quaſi certiſſimam regulam. Quæ conſideratio locum habet, etiam in opinione eorum, qui nolunt primũ mobile eſſe diſtinctum à cœlo ſidereo: nam & illud fatentur eſſe primum omnium mobilium, ac proinde cieri prædicto motu.

4 *VNDE* Inferre licet, primum mobile rapere omnes cœlos inferiores motu ſuo ab Oriente in Occidentẽ. Quod ſuadetur ratione deſumpta ex Ariſtot. 11. *Metaph. t.* 24. ac D. Th. 1. *p. q.* 68. *art.* 4. & 3. *contrà Gent. c.* 84. Etenim primum mobile, ex communi Aſtronomorum ac Philoſophorum ſenſu, movetur propter continuationem & perpetuitatem generationum. Ad hoc autem neceſſum eſt, vt ſecum rapiat inferiores cœlos: nam cauſa vniverſalis creata, qualis eſt prima ſphæra mobilis, non aliter attingit ſuos effectus, quã medijs cauſis particularibus, veluti inſtrumentis, per quæ ſuam virtutem diffundit. Atqui primum mobile comparatur ad inferiores cœlos vt cauſa vniverſalis creata ad particulares. Ergo non aliter, quàm ijs mediantibus, virtutem ſuam diffundit in effectus ſuos. Cùm verò non aliter diffundat illam, quàm medio motu, vt diſp. ſequenti conſtabit; conſequens eſt vt primum mobile movendo, ſeu rapiendo cœlos inferiores, diffundat virtutem ſuam, agatque proinde in hæc inferiora; ſcilicet, in continuam perpetuamque ſeriem generationum.

5 *CONFIRM.* Omnium cauſarum ſubordinatarum ratio exigit, vt inferiores non operentur quidquam, niſi ex ſubordinatione ad ſuperiorem. Cùm igitur omnes ſphæræ cœleſtes ſint cauſæ per ſe ſubordinatæ in ordine ad ſeriem generationum ſublunarium, conſequens eſt, vt inferiores non aliter illam operentur, quàm ex ſubiectione ad ſuperiorem, quæ eſt ſphæra primi mobilis. At eiuſmodi ſubiectio fit per participationem influxus illius, qui præſtatur medio motu ab Oriẽte in Occidentem. Ergo omnes inferiores ſphæræ moventur, ſeu rapiuntur à primo mobili ab Oriente in Occidentem.

6 *DICES.* Si quidquam probat ratio præiacta, probat pariter, Planetas inferiores rapi ad motum ſuperiorum, proindeque Lunam non ſolùm cieri motu ſibi proprio, ſed etiam ſex alijs Planetarum totidem ſuperiorum: ſiquidem debebit ijs ſubordinari, ac proinde moveri ſeu rapi ab illarum motu. Conſequens autem inauditum Aſtronomis, ac contra omnem illorum obſervationem eſt. Ergo præiacta ratio non probat aliquid, vel nimiùm probat.

7 *RESP.* Negando ſequelam: nam cùm omnes Planetæ tendant ad eandem partem Cœli, & ſuper eoſdem polos (vt infra amplius conſtabit) non eſt opus vt Luna rapiatur a ſuperioribus Planetis, quemadmodum à primo mobili: ſed ſat eſt, quòd ab ijs adiuvetur medio impulſu, quo ſic periodum ſuam breviori temporis ſpatio conficiat, vt ad ſenſum appareat. Brevius namque cietur, quod in ſuo motu à pluribus motoribus adiuvatur. Quare non infertur, Cœlum Lunæ rapi à ſphæris ſuperiorum Planetarum, nec habere totidem ipſarum motus; ſed ab ijs pendere, & adiuvari in motu ſuo. In primo autem mobili alia ratio eſt, quoniam nec circa eandem partem movetur, nec ſupra eoſdem polos: ac proinde neceſſum eſt, vt ſecum rapiat omnes ſphæras inferiores. quod ampliùs ex dicendis apparebit *ſect.* 5.

8 *ITAQVE* Cœlum decimum, quod appellamus primum mobile, rapidiſſimo & vniformi motu cietur ab Oriẽte in Occidentem, ac totam eam circulationem explet ſpatio 24. horarum; ideoque dicitur cieri motu diurno. Illo autem rapit omnes ſphæras cœleſtes inferiores, tam Cœli ſiderei, quàm ſeptem Planetarum: imò & totam ſphæram ignis. Quin & nos ſæpe obſervavimus in varijs cometis annorum præcedentium 1665. 66. & 68. motum pene regularem ab Oriente in Occidente, cùm tamen eſſent procul dubio in regione aëris. Quare idẽ volunt aliqui de ſupremà aëris regione; ſcilicet, rapi ab eodem mobili, quà parte vicina eſt igni. Prædictus vero motus exercetur ſuper polos mundi, & per lineam æquinoctialem æquè diſtantem ab vtroque polo, ac dividentem totum Vniverſum in duos ſemiglobos æquales.

SECTIO SECVNDA.

Quibus motibus cieantur, tum Cœlum nonum chrystallinum, tum & octavum sidereum?

9 *SIT II. Assertio.* Cœlum chrystallinum, & sidereum, præter motum, quo rapiuntur à primo mobili, habent singulos alios sibi proprios; chrystallinum quidem, tardissimum ab Occasu in Orientem, quo movet ac rapit octo sphæras inferiores secum; sidereum autem, motum accessus & recessus ab vno polo mundi ad alterum, quem vocant trepidationis & titubationis. Assertio hæc quò ad vtramque partem videbatur satis constare ex dictis *disputat. 67. sect. 4.* vbi de relatis motib⁹ vtriusq; sphęræ actum est, & de observatione vtriusque ab Astronomis factà. Verùm modò eam denuo confirmare oportet, quoniam Recentiores plures contradicunt, præter eos, quos ibidem impugnavimus; quamvis alij communiter eidem sententiæ nostræ subscribãt, vt eodem loco dictum est: ideoque in præsenti Authorum prolixam allegationem omittimus.

10 *RATIO* Præcipua, & præcedentibus cohærens, est, quoniam in hoc mundo inferiori non solùm deprehenditur continuitas perpetua generationum, speciatim tributa motui regularissimo ac diurno primi mobilis ab Oriente in Occasum; sed etiam quædam vicissitudo ac varietas & alternatio generationum ac corruptionum. Ergo præter illum motum regularissimum & communissimum primi mobilis, assignari debet alia causalitas alterativa atque inductiva prædictæ varietatis, & alternationis diversæ: quia hæc difformitas ab illo vniformi motu præcisè provenire non potest. At nulla aptior causa illius assignari valet, quàm vterque prædictorum Cœlorum motus. Ergo vtrumque prædictis motibus cietur. Suadetur minor subsumpta: Quia tota varietas & alternatio generationum corruptionibus admistarum, potissimùm nequit ab aliâ causalitate per se induci, quàm à prædictis motibus: nam ab accessu & recessu stellarum, tam inter se, quàm relatè ad nos, provenit, vt quæ antea robusta ac vivida erant, extenuentur, marcescantque; & quæ priùs emarcuerant, iterum vigeant: ac propterea indidem oritur aliorum corruptio, & aliorum generatio, atque alternæ vtriusque vicissitudines. Atqui prędictus accessus & recessus duplici illo motu exercetur; altero tardissimo ab Occasu in Orientem; altero à polo ad polum mundi per quandam trepidationem, seu titubationem. Ergo cùm neuter illorum spectet ad aliquam ex sphæris Planetarum, nec præterea ad primum mobile, neque ad vnicam sphæram ab ijs omnibus distinctam pertinere possint per se duo motus diversi; consequens est vt pertineant ad duas sphæras, quarum alteram appellamus Cœlũ chrystallinum, & alteram, sidereum.

11 *CONFIRM.* Ex doctrina Aristot. 2. *de Generat.* docentis, ex accessu Solis & Planetarum sub Zodiaco ad Boream & Austrum provenire diversa anni tempora, diversis generationibus & corruptionibus accommodata. Cùm verò prædictus accessus nequeat esse causalitas per se inductiva eiusmodi diversitatis generatim sumptæ, sed in specie tantùm, vt inferiùs apparebit; consequens est vt præterea assignari debeat causalitas aliqua Cœli per se illam inducens generatim loquendo. At nulla aptior quàm duo prædicti motus adeò diversi inter se, & connaturales duplici Cœlo distincto à primo mobili, & sphæris septem Planetarum. Igitur duo prædicti motus connaturales sunt duplici iam relato Cœlo.

12 *QVAPROPTER* Cœlum nonum, sive chrystallinum, non modò cietur ab Oriente in Occidentem motu primi mobilis, ipsum rapientis; sed etiam alio sibi proprio ab Occidente in Orientem, qui tardissimus est, diciturque totam suam periodum complere post quadraginta novem annorum millia. Quæ tota duratio dicta fuit annus Platonicus: in cuius fine plures existimarunt omnia, quæ in mundo sunt, redditura in lucem eodem aspectu, quo in prima rerum conditione apparuerunt: imò & facta computatione totidem annorum à quolibet, eundem fore rerum omnium vultum, absque variatione vlla. Verùm, cùm omnes Theologi & Philosophi statuant impossibilem esse agenti creato reproductionem eiusdem numero effectus, vt *in Physica disp. 4. sect. 4.* ostensum est, palam apparet eam rerum omnium renovationem vi cor-

po-

porum cœleſtium, commentitiam eſſe. Illud vero notandum eſt, prædictum motum non exerceri ſupra eoſdem mundi polos, ſed ſuper alios polos diſtantes viginti quinque gradibus à polis mundi; fieriq́ue per lineam mediam inter hos alios polos, quæ dicitur linea Zodiaci, & ab eclipſi appellatur Ecliptica.

13 *COELVM* Octavum, ſive ſidereum (Aplanes dictum a Græcis, propter inerrantes ſeu fixas ſtellas) præter motum, quo rapitur à primo mobili; atque inſuper alium, quo cietur à chryſtallino ab Occaſu in Orientem; habet alium ſibi proprium trepidationis, ſive acceſſus & receſſus à polis, & ad polos mundi. Quippe collatis diverſorum temporum obſervationibus ſucceſsivè factis circa motum tardiſsimum Cœli chryſtallini, ſtellæ fixæ non ſemper vniformes ſecundùm tenorem eundem ſunt inventæ: propterea q́ue Alphonſus Rex, ac peritiſsimi Aſtronomi ab eo vndique convocati, hunc alium motum aſsignarunt, atque ita deſcripſerunt. Sumamus in octavâ ſphærâ inter duodecim ſigna Zodiaci primum punctum Arietis, & punctum primum Libræ, ipſi è regione oppoſitum. Sumamus etiam in nona ſphæra ſuperiori ſuum Zodiacum, ac duo prima puncta Arietis & Libræ. Illa duo puncta octavæ ſphæræ moventur circulariter, & deſcribere videntur duos exiguos circulos circa duo prædicta puncta ſphæræ nonæ ſuperioris: & per conſequens eo motu fit, vt ſtellæ fixæ modò accedentes ad noſtrum polum appareant, modò recedentes, motu non vniformi; ac proinde titubare, ſeu trepidare. Quamvis verò idem Alphonſus tribuat prædictæ circulationi ſeptem millia annorum, alij plerique fatentur rem prorſus incertam eſſe, quia nondum facta fuerat ab ipſo tam diuturna obſervatio, neque vſque modò facta eſt, ac requirebatur ad eam periodum definiendam.

14 *PRÆTER* Motum prædictum trepidationis induxit alium in ipſo Cœlo ſidereo Dominicus Maria Ferrarienſis, Magiſter Nicolai Kopernici, quo illud totum aſsiduè revolvatur ab vno polo in alium. Ita enim refert Guillelmus Gilbertus *lib. 6. de Magnete cap. 2.* Nitebatur ille in diverſa elevatione terræ à tempore Ptolemæi vſquè ad tempus ſuum, id eſt, ſpatio mille ſeptuaginta annorum, ita vt in ijs vnus gradus variatus fuiſſet. Vnde & aiebat totum circulum huius motus perficiendum ſpatio trecentorum nonaginta quinque millium annorum; & ratione ipſius mutandum iri ſtatum, temperiemq́ue regionum omnium: ita, vt quæ initio fuerat frigidiſsima ſub polo arctico, tandem futura eſſet ardentiſsima ſub lineâ æquinoctiali. quippe Cœlum eo modo mutandum iri. Verùm idem Gilbertus relatam opinionem reijcit, veluti commentitiam, & quæ ex ſiniſtrâ obſervatione proceſſerit circa altitudinem poli. maximè cùm poſt ipſum Ferrarienſem Stadius aſſerat ſe obſervaſſe oppoſitam Cœli variationem; & alter quidem à polo arctico ad antarcticum, alter verò è converſo. Meliùs itaque eſt, neutrâ earum admiſſa, negare Cœlo ſidereo aſsiduum revolutionis motum ab vno polo in alium; conceſsis tantùm ipſi tribus iam prædictis; duobus provenientibus à ſphæris nonâ ac decimâ; & tertio ſibi proprio trepidationis. Et ſanè ij duo motus octavæ ac nonæ ſphæræ, tot difficultatibus Scholas implent, vt vix extricari poſsint, aut ne vix quidem, iuxta præſtantes Aſtronomos. Quare opus non eſt novum alium motum inducere. Plura quæ traditæ doctrinæ obſtare videntur, infrà *ſect. 4.* enodabuntur.

SECTIO TERTIA.

Quibus motibus circumagantur Cœli ſeptem inferiores Planetarum? Vbi de ipſorum periodis tardioribus, aut velocioribus.

15 *SIT III. Aſſertio.* Septem orbes cœleſtes Planetarum cientur motib⁹ octavi, noni, ac decimi, ſuperiorum; & præterea ſinguli motibus ſibi proprijs. Aſſertio hæc etiam eſt communis.

PROBATVR Ratione cohærente doctrinæ præiactæ. Etenim in hoc mundo inferiori non modò experimur diverſitatem generationum corruptionibus admixtarum in communi ſumptam, ſed etiam in ſpecie conſideratam, circa res ſpecie diverſas. Ergo

cùm omnes illæ pendeant à motibus Cœlorum, vt suo loco apparebit; assignari debent corpora cœlestia, quæ ex propriâ ratione producant eiusmodi diversitatem specificam: ac proinde suo motu proprio determinent pro ijs effectibus communem & veluti indifferentem virtutem sphærarum superiorum. Hæc autem nulla alia esse possunt, quàm ipsi septem Planetarum orbes, proprijs motibus circumacti. Ergo ij cientur proprijs motibus, ijsque determinant motus atque influxus trium sphærarum superiorum.

16 *CONFIRM.* Ex doctrinâ D. Thomæ *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstiunc.* 4. vbi tradit, agens inferius non aliter participare influxum superioris, quàm per motum proprium. Atqui sphæræ Planetarum comparantur ad tres prædictas octavi, noni, ac decimi Cœli, vt agentia inferiora ad superiora. Ergo non aliter participant influxum earundem trium sphærarum, quàm per proprios motus: proindeque ijs, iuxta modum singulis Planetis proprium, determinant communem illum influxum superiorum sphærarum.

17 *CONFIRM. II.* Discursu petito ex eodem S. Doctore, *quæst.* 1. *de Veritat. artic.* 9. Generatio effectuum naturalium in speciebus diversis, nequit adæquatè reduci in solas primas elementorum qualitates, veluti in prima principia alterativa: quia sic eundem operationis modum vbique haberent, nullamque in agendo diversitatem subirent. Nec præterea revocari potest ad aliquam causam immobilem, sive ideam separatam à singularibus, vt vulgò creditur existimasse Plato: quoniam à principio invariabiliter se habente nulla diversitas effectuum provenire valet. Igitur necessum est tandem, omnium naturalium effectuum diversitatem specificam revocare ad principia alterativa, quæ & incorruptibilia sint secundùm substantiam, vt sic possint conservare perpetuò seriem generationum; & præterea exerceant motus diversos, quibus inducant diversitatem specificam generationum ac corruptionum. Ea verò principia aptissimè dicuntur esse corpora cœlestia, prout agitata diversis & quoddammodò oppositis motibus inter se, qui proinde servent eundem ordinem, quem in effectibus naturalibus experimur.

18 *IN* effectibus verò inferioribus primùm intelligitur vnitas & continuatio: secundò diversitas in communi accepta, & quodammodo vnitati cõtraria: ac tertiò tandē diuersitas specifica. Quare oportuit talem fuisse motuum cœlestium seriem, vt influerent eodem ordine: ac proinde influxus Cœlorum inchoaretur à præcipuâ mundi parte, quæ est Oriens, in Occidentem, motu regularissimo atque vniformi omnino primi mobilis, cui adscribitur perpetuitas, & continuatio generationum. Deinde Cœlum chrystallinum, primo mobili proximum, ac præterea siderum, oportuit moveri ab oppositâ mundi parte, quæ est Occidens, ad Orientem, motibus quoddammodo contrarijs præcedenti, quibus tribuatur diversitas generationum corruptionibus admistarum, in communi accepta. Denique expediebat, vt septem Planetarum orbes inferiores cierentur motibus trium superiorum, ac præterea singulis vnicuique proprijs, quibus communem illorum indifferentiam determinarent, ad effectus particulares, ac specie diversos.

19 *VNDE* Iuxta varietatem specificam motuum, quos subeunt Planetæ, dicuntur in nobis producere qualitates, humores, ac passiones specie diversas. Saturnus in causando dicitur ab Astronomis melancholicus, frigidus, siccus, & malignus. Iupiter sanguineus, calidus, humidus, & benignus. Mars, cholericus, calidus, siccus, & malignus. Sol, cholericus, calidus, siccus, sed benignus. Venus, phlegmatica, frigida, humida, & benigna. Mercurius, bonis benignus, & malis malignus. Luna, phlegmatica, frigida, humida & maligna. Similiter & de quolibet signo Zodiaci divinant, quos effectus præstet, potissimum in puncto, sive horoscopo nativitatum ac generationum. Verùm quousque in eâ re conijcere possint Genethliaci, & quàm sæpe toto Cœlo errent, latè dixi *tomo* 1. *Theologiæ Florulentæ, Ludo* 6. neque modò reperire libet, aut opus est. Tribuuntur præterea singulis

Pla-

Planetis ratione proprij motus ſpeciales quidam effectus, de quibus *infrà*, & præterea tractatu de Meteoris agendum eſt.

20 *ITAQVE* Planetarum ſeptem Orbes totales (prætermiſsis motibus excentricorum & epicyclorum, de quibus ſuprà *diſp.* 65 *ſect.* 4.) cientur triplici motu alieno: primo, decimæ ſphæræ, ſeu primi mobilis, ab Oriente in Occaſum; ſecundo, ab Occidente in Orientem, motu nonæ ſphæræ chryſtallinæ; tertio, trepidationis octavæ ſphæræ ſidereę. Et quidem omnes prædicti Planetarum orbes totam lationis ſuæ periodum complent eadem duratione, quà ſinguli Cœli trium ſuperiorum, paulò antè deſignata. Verùm præterea ſinguli ratione ſuorum orbium excentricorum ſubeunt peculiares motus, quos oculis experimur ab Occidente in Orientem, & ſuper polos diverſos à mundi polis, atque intra latitudinem Zodiaci: ſub diverſo tamen temporis ſpatio, & cum magna diverſitate: item ſuper polos inter ſe diverſos, & per diverſam lineam. Etenim Soli aſcribitur motus ſecundùm lineam mediam Zodiaci, quæ dicitur Ecliptica; & ſupra polos eiuſdem Zodiaci, ſive lineæ. Cæteris verò Planetis ſecundùm alias lineas ſingulorum proprias, deviantes aliquantulum ab Ecliptica, & ſupra polos proprios aliquantò diſtantes à polis Zodiaci. Et illorum talis periodus eſt. Saturnus lationem ſuam complet annis triginta; Iupiter, duodecim annis; Mars, duobus; Sol vnico, ſcilicet, trecentis ſexaginta quinque diebus, horis quinque, minutis quadraginta novem; Venus, eodem circiter ſpatio, ac Sol; Mars, eàdē ferè duratione vtriuſque; Luna denique, viginti ſeptē diebus, & horis ferè octo.

21 *CIRCA* Hæc tamen nonnulla obſervanda ſunt. *PRIMVM* eſt, omnes ac ſingulos orbes deferentes vnūquemque Planetam cieri motu proprio, ita vt nullatenus moveatur aliquis illorum motu alterius orbis deferentis Planetam ſuperiorem. Ratio eſt, quoniam ſinguli orbes prædicti habent centrum diverſum, circa quod ſpeciatim aguntur: ac proinde proprius alicuius Planetæ motus nequit eſſe communis alteri, adhuc per accidens. Cum hoc tamen cohæret, quòd omnes ac ſinguli orbes deferentes, quatenus partes ſunt alicuius Cœli totalis, circumagantur motibus trium Cœlorum omnibus alijs ſuperiorum, vt ſuprà dictum eſt.

22 *SECVNDVM* Eſt, ſphæras cœleſtes eò tardiùs complere periodum proprij motus ab Occaſu in Orientem, quò viciniores ſunt primo mobili; eo autem velociùs, quo remotiores ab eo ſunt: ac per conſequens, Saturnum in ſeptimà ſphæra exiſtentem, ſupra cæteros omnes Planetas, tardiſſimè perficere ſuam lationem; Lunam autem, citiſsimè, quoniam omnium remotior à primo mobili eſt. Ita docet Ariſtotel. *in præſenti libr.* 2. *t.* 57. Vbi Sanct. Thomas *lect.* 15. ſic loquitur: *Supponimus, tamquam ſenſu apparens, quòd ſuprema Cœli circulatio ſit ſimplex, id eſt, non compoſita pluribus motibus; quia in eà nulla irregularitas apparet: & etiam compoſita; vtpotè quæ in breviſsimo tempore, ſcilicèt, ſpatio vnius diei, circuit maximum circulum continentem totum. Circulationes autem Planetarum ſunt tardiores & plures: non ſolùm quia diverſorum Planetarum diverſi ſunt motus: ſed etiam quia motus vniuſcuiuſque Planetæ ex diverſis motibus conſtituitur. Vniuſquiſque enim Planetarum ſecundùm propoſitum motum in ſuo circulo fertur in contrarium motus Cœli primi, largè accipiendo contrarietatem. non enim in motibus circularibus eſt propriè contrarietas, ſicut in primo habitum eſt. Quando enim motus primi Cœli ſit ab Oriente in Occidentem, motus Planetarum in proprijs circulis ſit ab Occidente in Orientem. Vnde rationabile eſt quòd Planeta, qui eſt propinquiſsimus ſimplici & primæ circulationi, contra quam fertur in ſuo circulo, in plurimo tempore pertranſeat proprium circulum.*

23 *EX* Doctrinà præiacti teſtimonij elicitur ratio obſervationis præcedentis. Quoties duo motus ſunt aliquomodo contrarij, ſi vnus rapiatur ab altero, nequit non retardari ab illo. id enim de ratione contrariorum eſt. Atqui motus proprij Planetarum ab Occidente in Orientem ſunt quoddammodo contrarij motui primi mobilis ab Oriente in Occidentem, vt ex ſe patet. Ergo motus proprij Planetarum nequeūt non retardari a motu primi mobilis, à quo rapiuntur. Ergo quò proximiores ſue-

fint motui primi mobilis, eò magis retardabuntur; quò autem remotiores, eò minùs: siquidem omne agens per se loquendo, ac cæteris paribus, fortiùs agit in proximo, quàm in remoto: ac proinde motus primi mobilis habens vim activam retardandi motus proprios Planetarum, quos rapit, fortius ac magis retardat proximos sibi, quàm remotos. Cùm igitur inter motus proprios Planetarum latio Saturni sit proximior motui primi mobilis, Lunæ autem remotior, & cæterorum lationes medio modo se habeant inter proximum ac remotum; consequens est, vt latio Saturni sit omnium tardissima, Lunæ autem velocissima, & tandem lationes aliorum medio modo inter vtramque se habeant.

24 *ELVCIDATVR* Ampliùs. Quò pluribus motorum impulsibus cietur mobile ad aliquem terminum, eò velociùs movetur; quo verò à paucioribus, eò tardiùs. Atqui Planetæ inferiores pluribus motorum impulsibus movētur circa proprium terminum, quam superiores & proximiores primo mobili. Ergo eò velociùs moventur. Probatur minor. Nam cùm omnes Cœli, primo mobili excepto, moveantur à Cœlo chrystallino ab Occasu in Ortum, quò aliquod illorum fuerit ab ipso remotius, eò plures Cœlos motores supra se habet, à quibus adiuvetur in suo motu peragendo, qui etiam ab Occidente in Orientem tendit: sicut è contrà, quò aliquod eorum fuerit proximius Cœlo Chrystallino, eò segniùs ciebitur, quia pauciores habet supra se motores à quibus adiuvetur.

25 *TERTIVM* Denique est, ex eàdem doctrinà reddi promptam rationem, cur Cœlum chrystallinum tam sero sive tardo modo cieatur, vt non, nisi post quadraginta novem annorum millia claudat periodū. Cùm enim motus proprius ipsius ab Occasu in Ortum sit quoddammodo oppositus motui velocissimo atque efficacissimo primi mobilis ab Ortu in Occasum, ab eoque rapiatur immediatè; necessum est vt ab illo quàm maximè retardetur; vtpotè summè vicino, & maxima vi activa prædito ad retardandum motus contrarios Cœlorum, quos rapit. Indidem verò colligitur, Cœlum sidereum nō vsque adeò tardo motu suam circulationem efficere, quamquam longè tardius, quàm Cœlos Planetarum: quia nimirum ex vno capite retardatur à motu primi mobilis, & ex alio adiuvatur à motu proprio Cœli chrystallini, sibi proximo, & vnico circa Occidentem. Vnde medio quodam tarditatis modo se habet inter nonum Cœlum chrystallinum, & septimū Saturni. Verùm de ijs latiùs vide Tornamiram *in Chron. cap.* 10. Fracastorium *sect.* 1. *Homocentricorum cap.* 8. Conimbric. 2. *Cœli cap.* 5. *q.* 4. Clavium *in c.* 1. *Sphæræ*, Moyam *in fragmentis Mathem. c.* 5. *&* 10. Gallucium *in Theatro Mundi cap.* 5. Vitellionē *lib.* 2. *Perspectivæ*, Aversam *q.* 34. *sect.* 6.

SECTIO QVARTA.

Difficilia argumenta in oppositum expediuntur.

26 PLVRA Argumenta difficilia obstare videntur doctrinæ assertionibus præcedentibus traditæ, in quorum exacta solutione oporteret plures insumere paginas, & divinare cum Astrologis. Sufficiat instituto Philosophico, ac nostro, probabiliter ijs occurrere, quamquam mens non omnino quiescat: nam nec Adversarij pro se quidquam amplius præstare possunt.

27 *PRIMO* Igitur, & vniversim arguitur ad probandum, nullum ex Cœlis inferioribus rapi à primo mobili & superiori: Quia generatim repugnat idem mobile cieri simul motibus contrarijs. At motus primi mobilis ab Oriente in Occidentem est contrarius motui cæterorum orbium cœlestium proprio ab Occidente in Orientem. Ergo cæteri orbes cœlestes præter motum proprium ab Occidente in Orientem non cientur ab Oriente in Occidentem, seu non rapiuntur motu primi mobilis contrario. Minor cum consequentia videtur perspicua. Maior autem suadetur: Quia aperta repugnantia est in eo quod idem mobile accedat ad aliquem terminum, & simul recedat ab illo: ideoque in Physica *disp.* 32. *n.* 41. diximus idem mobile non posse subire simul motus contrarios.

28 *RESP.* Iuxta dicta loco proximè allegato in ipsa obiectione, nullam esse repugnantiam in eo quòd idem mobile cieatur simul motibus contrarijs, altero per se, & altero per accidens, sive ratione alterius: quamvis repugnet per se mo-

moveri ſimul duplici contrario motu. Cuius doctrinæ exempla opportuna adhibuimus ibidem, in naurà ambulante a prorà navis in puppim circa Orientem, cũ tamẽ ſimul cieatur motu cõtrario eiuſdẽ navis per accidens ad Occidentẽ. Similiter ſi ſcala lignea ab alta turri paulatim deijciatur; homo in vltimo gradu poſitus, aſcendere poterit gradatim proprio motu, ac per ſe; ſimulque deſcendere per accidens motu eiuſdem ſcalæ. Sunt & alia pleraque in quibus idem ferè cernitur. Itaque quàm optimè poſſunt ſphæræ inferiores per ſe moveri ab Occidente in Orientem, quamvis ſimul & per accidẽs moveantur motu primi mobilis ab Oriẽte in Occidentem.

29 *VEL Reſp. II.* repugnare quidem quòd mobile ſimul moveatur motibus contrarijs, vt aſſumitur in maiori. At minor neganda eſt in caſu obiectionis: quia licèt motus duo circulares per eandem lineam facti, & tendentes ad oppoſitos terminos ſupra polos eoſdẽ, ſint cõtrarij; non tamen ij, qui per diſtinctam lineam, & ſupra polos diverſos, tendunt ad terminos diſparatos. Et hoc poſteriori modo accidit in præſenti: nam motus proprius ſphærarum inferiorum primo mobili ab Occaſu in Ortum, fit ſuper polos Zodiaci: motus verò primi mobilis illas rapientis ab Oriente in Occidentem fit ſuper duos mundi polos, arcticum & antarcticum: ac proinde vterque motus illarum diverſis nititur polis, & alia atque alia vià tendit circa proprium cuiuſque terminum. Legendi eà de re Iuntinus & Clavius *in Notis ad cap. 1. Sphæræ*, ac Fracaſtorius *loco alleg.* qui id luculenter exponunt.

30 *DICES*: Eſto non repugnẽt generatim duo motus circulares nitentes diverſis polis, ac tendentes alià, atque alià vià; tamen id in præſenti locum non habet: quia ſi aliqua ratione inferiores ſphæræ ſubirent motum primi mobilis, & præterea alium proprium ab Occidente in Orientem; maximè quoniam præter motum illum alijs ſphæris communẽ videntur ſtellæ fixæ & Planetæ gyrare in contrariam partem motui primi mobilis. At quamvis ita appareat, reverà tamẽ non ſic accidit: quia illa apparentia non oritur ex aliquo ſiderum motu contrario, ſed exinde ſolùm quòd ſpatio diurno non faciunt circulationem perfectã ab Oriente in Occidentem, nec redeunt ad idem punctum, à quo cœpit die proximè præcedenti ipſorum circuitus, ſed aliquantulam retardationem ſubierunt.

31 *AVGETVR* Difficultas in Cœlo ſidereo ſpeciatim. Si enim ſtella polaris exiſtens in extremitate caudæ vrſæ minoris, ſive Cynoſuræ, iuxta polũ arcticum, in viginti quatuor gradibus à polis Zodiaci, cieretur ab Occaſu in ortum ſuper eiuſdem Zodiaci polos; ſequeretur illam remotiorem futuram modò, quam olim, à polo mundi: atque adeò abfuturam demum à polis mundi ſpatio quadraginta ſeptem graduum, iuxta menſuram ſemidiametri paralleli, quam dicitur deſcribere ſuo motu circa polos Zodiaci. Conſequens autem abſurdum eſt: quoniã prædicta ſtella ſitum non variavit tot ſæculis, iuxta Aſtronomorum obſervationem, ſaltèm exceptis Ferrarienſi & Gilberto ſuprà allegatis. Igitur ſaltem Cœlũ ſidereum non cietur ab Occaſu in Ortum ſupra polos Zodiaci.

32 *RESP.* Negando aſſumptum, & minorem obiectionis: quia poſitâ ſolùm illa retardatione circuli ex vnico ſiderum motu ab Oriente in Ortum ratione motus primi mobilis, abſque alio motu proprio in Occaſum; retardatio ipſa ſemper fieret in eadem lineà rectà ſecundùm circulum æquinoctialem, & in eàdem diſtantià à polis mundi: quoniam eiuſmodi vniformitate aſſiduà cietur primum mobile. Quo fieret, vt omnes ſtellæ, tam fixæ, quam erraticæ, ſemper eſſent æqualiter propinquæ aut remotæ à conſpectu noſtro. Cum igitur hoc refragetur communi omnium Aſtronomorũ experimento, planè deprehenditur non ſufficere retardationem, ſeu retroceſſionem illam: ſed præterea exigi motum ab Occidente in Orientem, ratione cuius fiat diverſa ſiderum apparitio, modò ad nos accedentium, modò recedentium.

33 *AD* Inſtantiam vlteriorem reſpond. cum Clavio, alioqui nobis adverſario, ſtellam polarem ſitam eſſe in tali poſitione ac parte Cœli ſiderei, vt motu ab Occidente in Orientem magis ac magis accedat ad ipſum polum. Quare Ptolemæus *lib. 1. Geographiæ c. 7.* aſſerit illam tempore Hipparchi diſtantem fuiſſe duodecim gradibus, & viginti quatuor minutis, a polo arctico; cùm tamen modo compertum ſit ſolis tribus gradibus

bus distare. Vnde negatur sequela: cùm potiùs oppositum ipsius ex nostrâ assertione inferatur. Nihilominus Astronomi aiunt de cœtero illam fore elongandam à polo vsque ad gradus quadraginta octo: idque, iuxta tabulas Prutenicas futurum anno quindecies millesimo à Christi Nativitate. Si fortè mundus tunc adhuc superstit; curæ erit Astronomis observare, an stella polaris plus minusve distet; & pro ratione sui arbitrij accessum, aut recessum assignabunt.

34 *INSTABIS*: Duo accidentia solo numero distincta nequeunt recipi in eodem subiecto simul, etiam si vnũ per se, & alterum per accidens cõveniat. Atqui duo motus circulares prædicti solo numero distinguuntur: quia conveniunt in eàdem ratione specificâ tendendi circa proprium terminum. Ergo nequeunt eidẽ subiecto, sive Cœlo, convenire, quamvis alter per accidens ipsi conveniat. Aut ergo Cœli inferiores non subeunt motum primi mobilis, aut non habent alium motum proprium ab Occidente in Orientem.

35 *RESP.* Obiectionem pati manifestam instantiam in vtroque exemplo suprà *solut. ad* 1. assignato: vbi constat eundem nautam ambulantem, & hominem ascendentem per scalam desuper emissam, cieri simul duplici motu, citra aliquod absurdum. Idemque est de formicâ reptante in Orientem per ambitum rhedæ rotantis in Occidentem. Deinde prætermissâ maiore, de quâ latiùs in Metaphysicâ, nego minorem: quia prædicti motus distinguuntur specificè, quoniam ex naturâ suâ exigunt fieri per diversam lineam, & per diversos polos; & alter quidem ob Occasu in Ortum, ad causandũ diversitatem generationum corruptionibus admixtarum; alter verò ad inferendum perpetuam generationum vicissitudinem ab Ortu in Occasum. quæ sanè videtur ratio formalis omnino diversa.

36 *ET* Quidem hac viâ argumentum longè melius videtur solvi, quã si cum Ioanne ab Anuuntiatione, & alijs, dicamus, motum per alium, seu per accidens, non recipi in corpore, cui hoc modo convenit; sed in illo solùm, cui convenit ratione sui; ac per consequens, motũ Cœlorum inferiorum ab Oriente in Occidentem non recipi in ijs, sed in primo mobili, cui soli competit ratione sui. In oppositum enim est quod vniversim docuimus in Physicâ *disp.* 19 *sect.* 2. motum, scilicet, in mobili recipi. Quod sanè Arist. palam exprimit 3. *Phys. cap.* 3. illis potissimùm verbis: φανερόν ὅτι κίνησις ἐν τῷ κινητῷ ἐστίν. *Patet motum in ipso mobili esse.* Et ratio ibidem adducta id probat de omni motu, etiam conveniente per accidens: quia motus, sicut & quilibet actus, recipitur in eo, cui præstat suum effectum formalem. Atqui effectum formalem, scilicet, *esse motum*, seu *moveri*, præstat mobili, tam per se, quàm per accidens tali; cùm vtrumque verè moveatur; & proculdubiò Cœli inferiores moveantur motu primi mobilis, illos rapientis. Ergo verè motus Cœlorum inferiorum ratione primi mobilis raptentis, recipitur in ipsis in Cœlis inferioribus. Standum igitur est solutioni præfactæ.

37 *SECVNDO* Arguitur contra motum trepidationis, seu titubationis, quem suprà assignavimus, veluti proprium octavæ sphæræ. Impossibile enim est quod hæc discedat ab vno polo, & accedat in alium è regione oppositũ: siquidem nequit recedere à polo arctico, nisi inter ipsam, & Cœlum nonum, sive Chrystallinum, relinquatur aliquod vacuum; nec accedere ad antarcticum polum, quin ipsum per medium secet, aut cum eo penetretur. Impossibile est autem naturaliter vacuum in Cœlo, sicut & quòd divisionem subeat, aut penetrationem, vt sæpe à nobis traditum est cum communi Philosophorum sententia. Ergo prædictus trepidationis motus Cœlo sidereo est impossibilis naturaliter.

38 *RESP.* Negando assumptum, quod procedit ex merâ apprehensione Rubij, aliorumque ex Aoerlarijs, putantium octavam sphæram non aliter recedere posse ab vno polo in alium, quã per lineam rectam, ac si vnus aliquis nostrũm deseret polum vnum ambulando, vt migraret in alium. quo casu planè opus esset devorare absurda in obiectione illata. Cæterùm accessus & recessus, quem in Cœlo sidereo agnoscimus, non consistit in aliquo motu recto, aut perfecta circulatione: sed in motu semicirculari, quo illud per quandam librationem magis accedit ad alterum ex polis, & nondum expleto circulo resilit, ac regreditur versus alterum. Quod exponi vtcumque solet exemplo rotæ horologij,

quam

quam vulgò S. Catharinæ vocant. Illa enim ita cietur horologij artificio, vt postquam aliquã circunferentiæ partem percurrit, statim retrocedat per aliqualẽ eius particulam. Hinc oritur quòd sidera semper inter se æqualiter distent, quamvis magis, vel minùs recedant, aut accedant ad polos mundi: similiter, & quod existente Sole in principio Libræ, aut Arietis primi mobilis, nunquã fiat æquinoctium, sed vel præcesserit, vel sequatur; cùm tamen oppositò modo deberet accidere, si octava sphæra vnico motu vniformi primi mobilis cieretur, nec præterea ex se recederet, aut accederet potiùs ad vnum polum, quam ad alium.

SECTIO QVINTA.

Cur Cœli inferiores non rapiant secum superiores Cœlos, sicut primum mobile rapit cæteras sphæras?

39 ✻✻✻✻✻ *ESP.* Rationẽ esse (præter assignatam *sect.* 1. *præsertim n.* 7.) quoniam ex naturâ rei potiùs exigitur, vt Cœlum primum mobile continens & superius rapiat inferiores, & in se contentas sphæras, quàm è contrà. Omne enim corpus continens intra se aliud contiguum aptius est ad illud ferendum, quàm vt ab illo cieatur. Præterea, institutâ comparatione inter duos motus inæquales, potior ratio est, vt ille alterũ rapiat, qui incomparabiliter excedit in velocitate, quàm qui exceditur. Palam verò est motum primi mobilis esse incomparabiliter velociorẽ omnibus alijs sphærarum cœlestium. Ergo potiùs illas rapit, quàm ab ijs rapiatur. Si autem instituatur comparatio inter cœlos Planetarũ, adest prompta ratio, cur nulla sphæra, rapiat aliam, nec superior inferiorem, nec inferior superiorem: quia cùm in cœlo totali vniuscuiusque distinguantur plures orbes, *vt disp* 65. *sect.* 4. dictum est, motus proprius cuiuslibet Planetæ inest solùm orbi medio deferenti; non autem orbi extremo, qui est proximus, contiguusque alteri cœlo; atque adeò seorsim percurritur à quolibet Planeta, quin secum deferat sphæram aliam superiorem, aut inferiorem.

40 *EX* Quâ doctrinâ corruere videtur opinio Conimbricensium *in præsenti lib.* 2. *cap.* 5. *q* 4. *art.* 2. non renuentium admittere retardationem seu raptum primi mobilis à sphæris inferioribus: aut è contra Intelligentiam motricem cœli inferioris, ità modificare, seu attemperare motum illius, vt non rapiat superiorem sphæram. Corruit, inquam, vtrumque. Primum quidem: nam, præterquã quòd inauditum est Philosophis, Cœlum superius rapi ab inferiori, oporteret inflecti motum superioris, seu cieri in obliquum, sicut inferior à superiori cietur. quo planè omnium cœlestium corporum motus, & illius ordo, subsideque inverteretur. Secundum verò: quia non est in potestate naturali Intelligentiæ motricis moderari, seu cohibere motum, atque impetum suæ sphæræ, si hæc naturaliter tendit ad rapiendas superiores; sicut non est in naturali potestate Intelligentiæ circumagẽtis primum mobile, moderari eius motum & impulsum, ne rapiat inferiores sphæras, ad quarum circumvolutionem naturaliter tendit. Alioqui possent Angeli naturæ viribus totum ferè Vniversi ordinem pro libito invertere. quod communi, ac receptæ tum Philosophiæ, tum & Theologiæ repugnat.


41 *POTEST* Tamen dici, proprios motus sphærarum inferiorum ab Occidẽte in Orientem, nonnihil retardare motum primi mobilis, quodammodo oppositum, ab Oriente in Occidentem: quia cùm hic finitæ virtutis & efficaciæ sit, nequit non retardari à tot motibus contrarijs, quamvis inæqualibus, & longè minori impulsu præditis. Idque videtur manifestum in Luna, quam si videmus hodie v.g. exoriri primâ horâ noctis ab Oriente, die proximè sequenti non videbimus exoriri, nisi tribus horæ quadrantibus, & eò ampliùs, postea. Similiter & proprius motus cuiusque Planetæ, retardans primam sphæram, divertit illum ab vna in aliam partem ab æquinoctiali: indeque oritur, vt Planetæ modò ad nostrũ caput videantur accedere, modò recedere: quoniam, scilicet, fit super diversos polos, diversamque lineam declinantem vtrimque ab æquinoctiali. Præterea & causa est, vt Planeta non semper correspondeat sub eadem Cœli superioris, sive primi mobilis, parte & signo; sed alibi: veluti Luna, quæ modò est sub quodam illius Cœli signo, post vnum, aut plures

dies

dies apparebit sub alio. Hinc oritur progressus Planetarum per signa Zodiaci, considerata in supremo Cœlo; & à quorũ vno fit transitus ad aliud.

42 *INDIDEM* Quoque reddi potest ratio cur ex naturà rei exigatur Intelligentia separata, & naturæ nobilissimæ, ad ciendum vnamquamque sphæram cœlestem: nam si sit ex tribus superioribus, rapit inferiores septem; si autem sit ex numero istarum, retardat superiores motu suo quoddammodo opposito. Atqui, sive ad rapiendum, sive ad retardandum tam vastam & ingentem molem, maximà vi atque impetu opus est, qualis præstari nequit ab alio, quàm ab Intelligentia separata. Ergo ab eà præstatur. Debet quippe diffundere impetum per totum Cœlum; vtpotè continuum, cuius vna pars nequit moveri immotà aliâ. Vnde reijciuntur qui dicunt quamlibet sphæram movendam iri à puerulo vel formica impellente, ob defectum resistentiæ. Præterea, quamvis hæc nulla esset; sola distantia seu extensio loci obstaret: sicuti parva candela ratione exiguæ virtutis suæ nequit illuminare amplum spatium, v.g. vnius leucæ, quamvis nullã in eo resistentiam inveniat.

43 *NVNC* Iam post vestigatum numerum, ordinemque sphærarum, Planetarum, ac motuum cœlestium, iuxta doctrinam Alphonsi Sapientis Hispaniæ Regis; placuit exhibere aliquod eorum omnium schema, quamvis non adeo expolitum, ac sperare possim à Typographis Germaniæ, & Galliæ, vbi forte Opus hoc recudatur.



Et prototypō ipsius attentiùs considerato, ingeminare poteris illud Severini Boëtij *lib. 4. de Consol. Philos. metro 6.*

Si vis celsi iura Tonantis
Purâ solers cernere mente;
Aspice summi culmina Cœli.
Illic iusto fœdere rerum
Veterem seruant sidera pactũ.
Non Sol rutilo consitus igne
Gelidũ Phœbus impedit axẽ:
Nec quæ sumo vertice mũdi
Flectit rapidos Vrsa meatus.
Nũquã occiduo læta profundo
Cætera cernẽs sidera mergi,
Cupit Oceano tingere flãmas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nuntiat vmbras:
Reddit q; diem Lucifer alnum.
Sic æternos reficit cursus
Alternus amor: sic astriferis
Bellum discors exultat oris.

IL-

ILLVSTRISSIMO, ET NOBILISSIMO HEROI, D. D. ÆGIDIO FEDERICO CASTEJON, ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITI, SVPREMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.



OELESTEM Lucem, ſplendorem inerrantium ſiderum, errantiumque, examinare nolui, niſi ſub vmbrâ Nominis Tui, ſi vmbram fas eſt in *TE* quærere, *CLARISSIME VIR.* Neque enim eam ſperare poſſe videor ab eo, cui nihil non lucidum aut illuſtre auſpicantur, origo nobiliſsima ſub Graccarenſi Cœlo & oppido, tot Heroum Toparcharumque generationibus continuata per decem gradus vt minimùm, vſque ad tempora Regum Noſtrorum, Ferdinandi cognomento *Sancti*, & Alphonſi Sapientis; Collegij Maioris *D. BARTHOLOMÆI* Toga, nobilibus quibuſque addens eximium decus; litterarum gloria in Salmanticenſi Academiâ, vſque ad Pontificij Iuris Primariam cathedram; & iuſtitiæ ac morum ſpectatiſsima integritas in tot Senatibus Regijs. Verùm & luminaria cœleſtia ex interpoſitione opacorum corporum pariunt vmbram, in quâ ſæpe quieſcat viator, & ex quâ vividiùs poſsit lucem intueri. Quidni & ſub Tua cœleſtium aſtrorum lumen explorem? Porro illud tantum eſt, ac ſemper fuit, vt Ethnici ac Iudæi quam plurimi, transfugæ ad Idololatrarum caſtra, Soli, Lunæ, ac ſtellis, ſupremos divinitatis honores propterea exhibuerint, ideoque *Cælicolæ* appellati ſint. Et quidem Solem non Deum è media plebe, ſed cæteris Dijs ſidereis præluentem, celebrat Homerus, ac veluti Regem ſalutat in Hymno, dum accinit:

Ἠέλιόν τ' ἀκάμαντ', ἐπιειμένον ἀθανάτοισιν,
Ὃς φαίνῃ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
Χαῖρε ἄναξ.

Solemque indefeſſum, ſimilem immortalibus,
Qui lucet mortalibus, & immortalibus Dijs,
Salve Rex.

Et Theognis appellat ipſum κάλλιστον ἀθανάτων, *pulcherrimum immortalium*, ſcilicet, Deorum. Aliqui Lunam etiam, ſed ſolam, Deorum numero accenſebant, vt Lybiæ populi: de quibus Herodotus in Melpomene: θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μούνοισι, τούτοισι δὲ πάντες οἱ ἐν Λιβύῃ θύουσι. *Sacrificant Soli & Lunæ ſolis, quibus omnes Lybiæ populi ſolent immolare.* Alij omnibus aſtris, & præſertim Iudæi deſertores, vt ex varijs Scripturæ locis conſtat. Ideo in Deuteronomio ab eâ impietate arcentur *cap. 4. v. 19.* ijs verbis: *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas Solem, ac Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.* Vt mirum non ſit Lucilium Stoicum apud Ciceronem ritu ethnico ita loqui de ijs generatim. *Hanc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam in tam varijs curſibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non poſſum non intelligere ſine mente conſilioque regi: quæ cùm in ſideribus eſſe videamus, non poſſumus ea ipſa non in Deorum numero ponere.* Verùm apagite, ò errones, magis quàm Planetæ ipſi. Indiviſa eſt Numinis excellentia, & ex aſſe reſidet apud vnum. Non diſtenditur circulis, lineiſve. Non cietur in gyrum, nec motui ſubiacet. Nulli oculo, ne aquilarum quidem, patet. Procul ab eius impatibili naturâ, quos experimur, *Lunæ Soliſque labores.* Eclipſim neſcit, qui totus a ſeipſo *lucem habitat inacceſsibilem.* Meritò vos laceſsit Prudentius, dum illudit & accinit *lib. 1. contra Symmachum.*

Eſt qui conſpicuis Superos quæſivit in aſtris,
Auſus habere Deum Solem, cui tramite certo
Conditio impoſita eſt, vigilem tolerare laborem,
Viſibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, terræque globo per inane volantem.

Sed fruſtra in ipſo Eccleſiæ Catholicæ ſinu pluribus agam adverſus errorem tandiu obſoletum, & in eo reijciendo *TE* morer, *ILLVSTRISSIME D.* ac Patriæ Tuæ ſingulare decus,

DIS-

DISP. SEPTVAG. PRIMA.

DE LVMINE COELESTIVM CORPORVM

Vtrùm omnis lux cœleſtium & ſubcœleſtium corporum prò-veniat à Sole?

Num. 1. PHILOSOPHVS *Lib. 2. de Animâ, cap. 7. textu 69. ita definit lumen:* φῶς δέ ἐστιν ἡ τούτου ἐνέργεια τοῦ διαφανοῦς, ἢ διαφάνεις. Lumen verò actus eſt huiuſce perſpicui, quatenus perſpicuũ eſt. *Scilicet, actus, quo perſpicuum corpus conſtituitur formaliter & actu perſpicuum, ſive illuſtratum. Vt enim ipſe monet, perſpicuum corpus interdum lumine perfuſum eſt, interdum non: atque adeò forma illa, quâ illuminatum, ſeu perſpicuum formaliter redditur, eſt lumen. Porrò illud in rerum naturâ exiſtere, & non eſſe de genere illorum entium, quæ contingentem habent exiſtentiam, oculis ipſis cernitur, & nemo ſapientum non ſibi perſuaſum habet. A Mathematicis diſcrimen invenitur inter lumen, lucem, radium, & ſplendorem.* Lumen *enim cum Ariſt. definiunt, actum perſpicui, vt perſpicuit* lucem *verò, qualitatem illam, quæ ineſt corporibus luminoſis, veluti Soli, igni, & quibuslibet corporibus naturâ ſua lucidis:* radium, *illam lucis particulam, quæ recta via tendit ad terminum:* ſplendorem *denique, illam ipſam, ſi reflectat. Nos verò communi loquendi ſtylo ea omnia lucis, ſive luminis appellatione cenſebimus, iuxta illud tritum axioma eiuſdem Ariſt.* Res appellandas eſſe, ſicut populus appellat.

2 *CAVSA Finalis propria luminis (vt de communibus taceam) eſt Calor, Color, Lux. Calor quidem, veluti omnium generationum Author, & cuius generationi cœleſte lumen, præſertim Solis, perpetuò deſervit: vt propterea Ariſt. dixerit,* ἥλιον εἶναι ἀρχὴν γενετικὴν, Solem eſſe principium generativum. *Nimirum harum rerum inferiorum generatio, non, niſi accedente ad nos calore, ex lumine Solis cauſato, perficitur. Color verò finis eſt luminis, quatenus ordinatur ad producendas ſpecies coloris repræſentativas. Lux denique; quia lumen tendit ad lucem cauſandam in corporibus, vt actu appareant. Cauſam materialem luminis deſignat Ariſt. dum ait,* φωτὸς αἰτίαν ὑλικὴν εἶναι διάφανον καὶ ὁ διάφανον: luminis materialem cauſam eſſe perſpicuum, vt perſpicuum. *Scilicet, ſive ſit perſpicuum indeterminatum, vt omnia diaphana, ſeu quæ in omnibus partibus intimis & extimis lucem admittunt; qualia ſunt, aër, aqua, vitrum, &c. ſive terminatum, vt quælibet opaca & colorata corpora, atque univerſim* διάφανα, *quæ lucem non, niſi in extimâ ſuperficie, recipiunt. Cum eadem Platonis coincidit alia Philonis dicentis,* τὸ φωτὸς ὑποκείμενον πάντα τὸν κόσμον, καὶ πάντα τὰ τοῦ κόσμου σώματα: lucis ſubiectum eſſe totum mundum, & omnia eius corpora. *Cauſam formalem phyſicam non habet lumen, quia eſt accidens, & non qualecumque, ſed forma omnium rerum viſibilium. Cauſa denique efficiens per dimanationem eſt corpus luminoſum, quod in medio profundit lucem, eaq; perfundit omnia corpora, & ſpectabilia reddit. Cùm verò omnibus in confeſſo ſit, Solem naturâ ſuâ corpus luminoſum exiſtere, ideoque à priſcis appellatum* patrem lucis, *& præterea* fontẽ totius luminis; *diſquirimus in præſenti, an omnium corporum viſibilium lux procedat à Sole? Excitari ſolet à Conimbricenſibus, aliiſque* hoc l. 2. c. 7.

SECTIO PRIMA.

Sententia communis docens Cœlos à ſeipſis lucem habere, examinatur, & reijcitur.

3 FREQVENTER Doceri ſolet, Cœlos ex ſeipſis, atque independenter à Sole, lucem habere. Ita Alexander Achilinus *lib. 3. de Orbibus dub. 2.* Abulenſis *in cap. 1. Geneſ.* Philippus à Trinitate *q. 3. art. 5.* Ioannes ab Annuntiatione *diſp. 2. q. 6. §. 2.* & alij. Nonnulli tamen pro eodem placito allegari ſolẽt, qui verè non loquuntur de Cœlis, ſed de aſtris; ideoque extra rem accenſentur prædictis.

PROBAT I. Abulenſis: quia omnia corpora cœleſtia conſpiciuntur à nobis prædita colore lucido: Cœli quidem, cæruleo, & ſpeciatim chryſtallinum ſaphirino, quem ipſe vocat azurrinum: *Quia*

in noctibus ſerenis, inquit, *nullis nebulis obviantibus, videmus illud in colore azurri no declinante ad nigrum.* Saturnus autem fulget colore plumbeo: Iupiter & Venus, flavo: Mars, rubeo: Sol, aureo: Mercurius, æneo: Luna, argenteo: Stellę, medio quodam inter argenteum & aureum. Ergo omnia cœleſtia corpora ſeipſis lucida ſunt.

4 *VERVM* Ratio hæc ſupponere videtur in corporibus cœleſtibus veros colores, quos tamen communiter Philoſophi negant, & aſſerunt ſolùm apparentes: qui ex certa habitudine lucis repræſentantur noſtris aſpectibus inſtar colorum, vt & in varijs reflexionibus in vitro triangulari, alijſque rebus fieri ſolet. Ratio deſumitur ex Ariſt. *lib. de ſenſu & ſenſato c. 3.* quia verus color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, ſeu opaco terreo, reſultans ex permiſtione primarum qualitatum elementarium. In nullo autem corpore cœleſti datur opacitas terrea, aut permiſtio qualitatum elementarium, vt ſæpe in hoc tractatu oſtenſum eſt. Ergo in nullo corpore cœleſti datur verus color. Varietas itaque prædicta colorum in Planetis ac ſtellis, ſolùm eſt apparens, propter aliquam diverſitatem in diaphaneitate & opacitate ipſorum. Nec iuvat quod aliqui aiunt, id fieri ob diſtantiam aut indiſtantiam a *Sole*, à quo cenſent aſtra omnia illuminari. Nam in oppoſitū eſt, quòd ſive cætera luminaria cœleſtia ſubeant coniunctionem, ſive oppoſitionem cum *Sole*, eiuſdem coloris ſemper apparent. Ergo id non provenit ex diſtantia aut indiſtantia à *Sole*. Deinde, nullum Cœlum (præcipuè chryſtallinum, vſque adeò remotum) eſt capax terminandi noſtrum viſum, vt Abulenſis ſupponit: quia perfectè diaphanum eſt, & ita pervium aſpectui, ſicut aèr, qui propterea oculis permeatur. Itaque illud quod conſpicimus in hemiſphærij facie, non eſt Cœlum ipſum, ſed aèr inter nos ac Cœlum expanſus; qui ratione ſuæ molis & profunditatis luce perfuſæ conſtituit obiectum determinatum viſibile, coloris ſaphirini apparentis, qui maximè affinis eſt luci: ſicut nubes ratione opacitatis aliqualis, & varij coloris in eà apparentis ſolet terminare viſum: vt etiam contingit in cauda pavonum, & collo columbarum.

5 *PROBANT II.* Alij communiter: quoniam omnia cœleſtia corpora communicant in virtute agendi in hæc inferiora. Ergo cùm virtus agendi ſit lux, omnia communicant in hoc, quod eſt habere ex ſe aliquid lucis. *Atqui* nec ratio hæc convincit. *Primò*, quia cum corpora cœleſtia exerceant tam cauſalitatem, non modo per lucem, ſed etiam per motum; dici poſſet, vtramque cauſalitatem non omnibus & ſingulis conuenire collectivè; ſed diſiunctivè; vt Cœli quidem per motum ſolùm agant, quoniam ex ſeipſis mobilia ſunt, & non lucida; aſtra verò, motu ſimul ac luce, quoniam vtrumque habent ex proprijs. *Secundò*, quoniam eſto ipſi Cœli agant etiam per lucem; poſſet hæc eſſe omnimo mutuata a *Sole*, vel aliunde ſuperaddita à Deo. Quippe initio Geneſis, ac primò omnium, legimus Deum fecisſe Cœlum & terram: deinde verò, aliquibus interiectis, factam fuiſſe lucem. Ergo prius factum fuit Cœlum, quam lux: ac proinde hæc non convenit Cœlo ex ſe, ſed eſt qualitas ſuperaddita. Neque hoc obeſt, vt Cœlum dicatur operari, ſeu agere mediante luce; nam ad hoc ſufficere videtur quòd Cœlum habeat illam ſibi communicatam, quamvis ab extrinſeco. Sic colores rerum inferiorum habent lucem ſolum ab extrinſeco mutuatam, & tamen mediante illa agunt in viſum, ipſumque immutant aſſistentia cauſalitate, ſeu emiſsione ſenſibilium ſpecierū. Vniverſimque loquendo omne agēs poteſt agere in paſſum ſibi approximatum, quoties adeſt ipſi virtus agendi, vndecumque accepta, præſertim ſi violenta ipſi non ſit.

6 *PROBARI III.* Poſſet ex definitione luminis *num. 1.* allata ex Philoſopho: quòd, ſcilicet, ſit *actus perſpicui, ſecundùm quòd perſpicuum eſt*. Omnes autem Cœli mobiles ſunt perſpicui, quoniā permeantur, ſive tranſparentes ſunt viſui, ex propria ratione. Ergo etiam ex propria ratione lumen habent. Quippe cum perſpicuitas ſit formalis & intrinſeca ratio, ſive actus perſpicui; quod ex propria naturà eſt perſpicuum, nequit non habere ex ſe perſpicuitatem, ac proinde lumen, quod eſt idem, ac perſpicuum.

7 *AT* Neque hic diſcurſus efficax eſt. Si enim aliquid eſſe naturà ſuà perſpicuum, probaret eſſe ab intrinſeco lucidum; profectò aèr eſſet ex ſe lucidus, quia perſpicuus, ſeu tranſparens eſt. Conſequēs autem

autem absurdum esse patet quoniam aèr ex se indifferens est ad lucem, & carentiã lucis; ac modò quidẽ tenebrosus est, modò lucidus. Quod verò lumen definiatur *actus perspicui*, solùm probat esse id, quo aliquid constituitur in ratione perspicui formaliter, quamvis ex se lucidum nõ sit, nec perspicuitatem habeat formalem, sed potentialem tantùm. Quare idem Arist. loco eodem subdit: *Nam nec aqua, nec aèr, est sic actu transparens, nisi fuerit illuminatus.* Ideo neque hoc fundamento colligitur, Cœlos ex se ipsis esse lucidos actu, sed potentiâ tantùm. Quare meritò P. Athasius Kircherus *in Arte Magnâ Lucis & Vmbræ, l. 1. part. 1. c. 1.* dividit omnia corpora in lucida, & opaca, ijs opposita; atque diaphana, vt intermedia ipsorum: primo generi adscribens Solem, Stellas, Ignem: secundo Æthera, & Aèra, atque Aquã: tertio denique Nubes, Terram, &c.

8 *QVARE* Dum aliud gravius fundamentum non invenerim pro sentẽtia communi, existimo Cœlos ab intrinseco nullam lucem habere, sed solùm capacitatem atque idoneitatem maximã, vt à luce perfundantur, & reddantur formaliter perspicui. Idque positivè probari potest: quia, vt suprà monuimus, post conditum ab initio Cœlum, *dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux.* Ergo Cœlum ex se non habet lucem, sed tantùm ex participatione vlteriore: nam si illam ab intrinseco haberet, profectò ab initio illam habuisset, neq; opus esset vt fieret post Cœlum conditum: sicuti quia, iuxta nostram ac veriorem sententiam, est ab intrinseco incorruptibile, & solidum, statim id vtrũque à principio habuit, neque opus fuit vt incorruptibilitas aut soliditas postea in eo fieret: vniversimque accidẽtia ab intrinseco debita cuilibet subiecto, simul cum ipso producuntur, & incipiunt esse, vt *disp.* 38. *Physicæ* dictũ est. Si ergo lux non producta est, nec incepit simul cum Cœlo; non est accidens ipsi ab intrinseco debitũ. Vnde obiter reijcitur opinio ab Alberto Magno relata 2. *Cœli tract.* 3. *c.* 6. aientiũ, Cœlos solùm distingui à stellis in raritate, quam habent; reipsa tamen esse corpora lucida, quamvis non fulgeant. Id enim iã reiectum est, & aliunde corruit, quoniam omnes stellæ, & Planetæ, distinguuntur specie essentiali inter se, & à Cœlis, vt *disput.* 63. ostensum fuit.

SECTIO SECVNDA.

Quid putandum sit de stellis, tam fixis, quàm errantibus? an totam suam lucem à Sole mutuentur, an potiùs à seipsis habeant? Paradoxon quoddam iudicio doctorum examinandum proponitur.

9 *COMMVNIS* Quoque sententia est, omnes Planetas inferiores ex se aliquid lucis habere, independenter à Sole: cæterùm ingentem luminis accessionẽ ab eo mutuari. Ita Authores præcedẽti sect. relati, & plures alij.

PROBANT I. Quia si aliquod corpus cœleste careret ex se omni luce, maximè Luna: vtpotè quæ obscurior, & maculosior apparet ex vicinitate ad terram. Atqui Luna habet aliquid lucis ex se: quia etiam dum subit totalem eclipsim in nostro hemisphærio, apparet rubra. quod esse non posset, si totum lumen haberet à Sole. Ergo multò magis cæteri Planetæ lucem ex se habere censendi sunt.

10 *CÆTERVM* Ratio hæc non probat, Lunã habere aliquid luminis imparticipatum à Sole. Nam esto appareat rubra quando actu non illuminatur ab illo; adhuc responderi posset, illam lucẽ, quantulacumque sit, à Sole vt causà vniversali luminis provenire: licèt enim actu & formaliter non illuminet Lunam in eclipsi totali; illuminat virtualiter, quatenus virtutem ipsi præstitit, vt in absentia radiorum Solis aliquantulum effulgeat. Sic etiã Sol tempore æstivo calefaciens ferrum, relinquit in eo calorem excessivum, vt plus solito calefaciat nocte, etiam dum ille in oppositum hemisphærium divertit: idemque est de aquâ, licèt hæc ex se nullum calorem habeat, sed in summo frigida sit. Denique, tempore eclipsis totalis, tam procul est aèr nostri hemisphærij ab actuali illuminatione Solis, quàm Luna ipsa. Et tamen licèt tunc appareat cæruleus aèr, & terminans visum (vt dictum est *n.* 4.) non ideo colligitur aerem quidquã lucis habere ex se, & independenter à Sole. Ergo ex eo, quòd tẽpore eclipsis totalis & procul ab illuminatione Solis, Luna appareat rubra, ac terminet visum, nõ colligitur illam habere quidquam lucis ex se, & independenter a Sole.

11 *PROBAT II.* Achilinus, saltem Venerem ac Mercurium ex se habere

bere aliquid lucis, & non solùm ex reverberatione Solis: Quia si ita esset, non vbique diffunderentur radij vtriusque Planetæ: vt apparet à simili in vitro rotundo aquâ limpidâ pleno, & Soli repræsentato: quod radios solares reverberat, ideoque non in circulum aut vbique diffundit radios, sed tantùm in locum aliquem determinatum circunferentię, vbi solùm comburunt, si inveniant materiam aptam. Cùm ergo ita non accidat in Mercurio aut Venere, sed vbique & in circulum radios suos effundant; signum est, neutrum Planetam lucere ex solâ reverberatione Solis, sed præterea ex se aliquid lucis habere.

12 *AT* Nec discursus hic omnino efficax est: nam esto Luna aliquid lucis, seu coloris rubri per se apparentis habeat ab intrinseco, adhuc ex communi Philosophorum Astronomorumque consensu, totum illum fulgorem, quo plena apparet, recipit ex reverberatione Solis. Et tamen vbique radios diffundit tantus ille fulgor, vt experimento patet. Ergo ex eo quòd Venus & Mercurius vbique radios diffundant, non satis infertur totum illum fulgorem, quem videndum nobis offerunt, non provenire à reverberatione Solis. Nimirum omnes partes densæ prædictorum Planetarum possunt esse æqualiter aptæ ad diffundendos Solis radios in circulum. quod tamen in vitro rotudo aqua pleno non invenitur: quoniam ex speciali ipsius dispositione radij solares coèunt in certa parte ad modum spiculi, atque ex eà solà diffundunt radium vehementissimę lucis ad aliquam circunferentiæ partem, in quà stipulam aut lanam comburunt.

13 *PROBANT III.* & vniversim plerique alij posteriorem relatæ opinionis partem. Quoties ratio aliqua communis inuenitur in pluribus inter se diuersis, convenit eis ex participatione ab vno, cuius sit maximè propria. omnis enim multitudo in quolibet genere reducitur ad vnitatem, sive ad vnum, quod sit primum & præcellentissimum in tali genere: vt & nos arguebamus *disputatione præcedenti sect.* 1. Atqui communis ratio lucis invenitur in omnibus luminaribus Cœli, specie diversus inter se, vt iam proprio loco statuimus. Ergo lux convenit illis omnibus ex participatione ab vno, quod sit primum & præcellentissimum in genere corporis lucidi. Cùm ergo hæc præstantia vni Soli conveniat, quia ita dictus est, iuxta Ciceronem, quasi solus lucens, & ab Heraclito, alijsque, fons lucis appellatur; consequens est vt cætera omnia luceant ex participatione à Sole. Ergo ita proprium lumen habent, vt tamen in eo accipiant accessionem ingentem à Sole.

14 *VERVM* Ratio præiacta non probat cæteros Planetas mutuari solam lucis accessionem à Sole, vt relati Authores probandum assumunt; sed totam, quanta illa est, convenire ipsis per participationem a Sole: Quia quoties plura aliqua specie diversa conveniunt in vna aliqua ratione communi, hæc non ex parte, neque quò ad solum incrementum, sed ex toto, convenit eis, ex participatione alicuius, quod sit primum omnium, & præstantissimum in tali genere. Sic omnibus creaturis specie diversis convenit tota ratio entis ex participatione à primo ente increato: sic & omnib' corporibus generabilibus & subcœlestibus specie diversis convenit tota ratio corporis per participationem a Sole, inter omnia corpora visibilia primo ac perfectissimo. Sic & omnis motus, sive Cœlorum inferiorum, sive rerum subcœlestium ab Oriente in Occidentem, convenit, non ex parte solum, sed ex toto, per participationē à primo mobili, quod est primum & potissimum in eo genere. Ergo pariter ex eo quòd Sol sit primum & perfectissimum inter omnia corpora lucida specie diversa, nō tantū colligitur cęteros Planetas ab eo accessionem lucis accipere, sed totam quanta illa est.

15 *PROPTER* Hæc fortasse aliquis probabiliter dicere posset, omnes stellas ac Planetas habere lucem ab intrinseco: dependenter tamē à Sole quò ad totam illam.

PRIOR Pars communis est, & traditur speciatim à Macrobio & Avicenna, alijsque Veterum. Ex Recentioribus illam illustant Lucilius Philalthæus hoc *libr.* 2. *textu* 55. Scaliger *Exercit.* 62. Molina *de Opere sex dierum disp.* 15. & alij plures. Et suaderi potest: Quia omnes stellæ ac Planetæ, a principio mundi vsque modò (saltem excepto miraculo) apparuerunt lucidi, atque emittentes radios in oculos nostros, magis aut minùs, iuxta cuiusque modum. Ergo lux est accidens

ijs omnibus conveniens ab intrinseco. Quoties enim deprehendimus aliquod accidens semper atque inseparabiliter afficere aliquod subiectum in seipso, iudicamus certè ipsi intrinsecum esse, sive illi soli conveniat, sive etiam alijs specie diversis. Sic humiditas v. g. censetur intrinsecè convenire, non modò aèri, sed & aquæ, & quibuslibet liquoribus specie diversis. Sic & frigiditas non soli terræ, sed etiam aquæ, & pluribus mixtis specie differentibus. Sic & bipedem esse convenit ab intrinseco, non homini tantùm, sed & avibus diversarum specierum. Cùm ergo assiduo sœculorum experimento didicerimus, stellas omnes & Planetas, semper apparuisse lucidos in seipsis, iuxta proprium cuiusque modum; dicendum est, lucem illam ipsis ab intrinseco convenire.

16 *DICES*: Hinc fieret, Lunam non posse pati eclipsim, sive, quod perinde est, exuere lucem, aut pati ipsius defectum: quia nequit pati defectum illorum accidentium, quę ab intrinseco habet, neque illa amittere potest propter Solis absentiam; sicut propter illam non patitur defectum soliditatis, aut mobilitatis, &c. Cùm igitur ad sensum constet Lunam pati defectū lucis in eclipsi, patet similiter lucem ipsi intrinsecam non esse. *RESP.* Rationem à nobis propositam non probare de Luna quò ad lucem illam, quam exhibet extra tempus eclipsis, quia hæc non semper ipsi convenit, nec invariabiliter adest, nisi tantùm dum illuminatur à Sole. Procedit igitur de luce illa quali quali quæ nunquam ab ea separari potest, ne quidem vbi defectum plenioris lucis in eclipsi patitur: quoniam videtur accidens inseparabile, ipsique intrinsecum de quo infrà vberiùs. In alijs verò Planetis, atque omnibus stellis, inoffenso pede currit proposita ratio: quoniam nunquam apparuerunt subeuntes defectum plenioris lucis, sed semper & invariabiliter illam conservarunt in seipsis à principio mundi. Ergo quemadmodum ex hoc aut simili capite colligimus accidentia cæterarum rerum esse ijs intrinseca; ita de luce pleniori relatè ad stellas & Planetas, exceptà Lunà, censendum est.

17 *POSTERIOR* Pars, nimirum, Planetas ac stellas in totà eà luce sibi intrinsecà pendere à Sole, licèt appareat contraria præcedenti, conformis est Aristot. *lib. de Causis propr. element.* Platoni *in Timæo*, S. Dionysio *cap. 4. de Div. Nom.* Plinio *lib. 2. Nat. Hist. cap. 6.* Alberto Magno 2. *Cœli tract. 3. c. 6.* D. Thom. *in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 4.* alijsque pluribus, quam vis non ita expresè loquantur. Et suadetur instaurando breviter tertiam rationē propositam *num. 13.* nostro tamen instituto paulò aliter adaptatam. Rectus enim naturæ & Vniversi ordo exigit, vt quoties plura specie diversa conveniunt in vna ratione communi, etiam intrinseca, hæc tota ijs conveniat per participationem ab aliquo vno, quod sit primum ac potissimum in eo genere: & patet ab instanti, js *num. 14.* adductis. Ergo tota quanta lux inest stellis & Planetis specie diversis, convenit ijs per participationem a Sole, qui primum ac potissimum locum obtinet in genere corporum lucidorum. Neque obstat quòd lux ijs omnibus sit intrinseca, vt eam nihilominus habeant ex participatione Solis: nam etiam compositis substantialibus huius mundi inferioris intrinseca est ratio corporis; & tamen illam habent ex participatione Solis, vt causæ secundæ vniversalis. Sic & oculi felium, & noctilucæ, seu lampyrides, & carbunculi, & quilibet ferè ignes, lucem ab intrinseco habent, quamvis dependenter à Sole, vt fonte totius luminis: ideoque, etiam nocte obscurà, & absente Sole; imò & in cavernis tenebrosis ac profundissimis, retinent lucem illam, quoniam ad primam eius productionem conservationemque Sol præstitit & præstat influxum medijs qualitatibus à se productis.

18 *DICES*: Si ex eo quòd astra specie diversa conveniant in luce sibi intrinsecà colligitur ea omnia habere illam ex participatione à Sole, vt primo ac potissimo corporum lucidorum; pariter ex eo quòd omnia illa habeant rationem intrinsecam corporis, licebit colligere, illam habere per participationem ab aliquo vno primo corpore, ac proinde à Sole: quia eadem vtriusq; ratio est. Consequens autem videtur absurdum, & inauditum. Ergo & ratio illa nullius roboris est.

19 *RESP.* Negando sequelam: quia cùm omnia corpora cœlestia sint ab intrinseco incorruptibilia, *vt disput. 64.* ostēsum fuit, sic etiam ingenerabilia sunt relatè ad omne agens corporeum. Quare

nequit vnũm Cœlum aut ſidus participare ab alio Cœlo aut ſidere rationem corporis: quia ad hoc neceſſarium eſſet, vt influeret in eius ſubſtantialem generationem, ſicuti Sol influit in generationem hominis ſub ratione corporis: idemque in alijs mixtis videre licet. Vt verò lux dicatur convenire alijs aſtris ex influxu Solis, non eſt opus generatione ſubſtantiali, aut alteratione corruptiva; ſed ſola mutatione accidentali, ſeu perfectiva, quæ ab illuminatione provenit, & qualem Sol indubiè exhibet in Lunam plenius fulgentem. Sic & citra abſurdum aliquod tradi ſolet, vnum corpus cœleſte, dum eſt in certo ſitu & aſpectu alterius, producere in eo aliquam diſpoſitionem tranſeuntem, quâ adiuvetur, & quaſi acuatur virtus eius activa, ad operandum in hæc inferiora; vel è contrario, impediatur, aut retardetur. Ideoque ſæpe dicuntur Planetæ bene aut malè diſpoſiti ad aliquid agendum. Sic & Cœlum ipſum incorruptum verè illuminationem accipit, tum à Sole, tum & ab alijs aſtris.

20 *EX* Doctrinâ præcedenti conciliari poſſent variæ atque inter ſe diſſidentes Aſtronomorum ac Philoſophorum opiniones, relatæ à Reverendiſſimo iuxta ac ſubtiliſſimo P. Raphaele de Averſa, Clericorum Regularium Minorum Generali, in ſuo expolito Curſu Philoſophico *diſput.* 25. *ſect.* 3. Quarum prima affirmat omnia aſtra recipere ſuũ lumen à Sole: ſecunda negat de alijs aſtris præter Lunam: tertia diſtinguit inter ſtellas fixas, & Planetas: ac priores quidem aſſerit luce propria fulgere; poſteriores verò totum ſuum lumen à Sole mutuari. Duarum priorum Authores iam ſuprà indicavimus. Poſtremam verò tuentur, Galilæus *epiſt.* 3. *de Maculis Solis*, Simon Marius *in Præfat. Mundi Iovialis*, Camillus Glorioſus *lib.* 5. *de Cometis cap.* 1. & plures alij è Recentioribus. Conciliari, inquam, poſſent tot diverſa placita, conſentiendo primæ ſententiæ in eo, quòd omne lumen aliorum aſtrorum ſit dependens à *Sole*; & ſecundæ in hoc, quòd nihilominus lumen ipſum (modo explicato) ſit intrinſecum ijſdem aſtris; & tandem tertiæ, in eo quòd Planetæ longè magis ſenſibiliter, quàm ſtellæ fixæ, lumen à Sole recipiant: ſiquidem nuper exquiſitorum teleſcopiorum vſu deprehenſum eſt, Venerem varias ſubire viciſſitudines inſtar Lunæ, & in ſuo lumine non plenam apparere, ſed corniculatam; ac lucidam quidem quà parte aſpicitur à Sole, ſubobſcuram verò quatenus averſa eſt. Id ipſum iuxta doctrinam eorundem Authorum traditur de Mercurio, & fortaſsis brevi affirmabitur de tribus alijs Planetis ſuperioribus *Sole*: vt propterea omnes alij Planetæ recipiant illud plenius lumen à *Sole*, & in nos reflectant. quod tamen non ita accidit in ſtellis fixis.

SECTIO TERTIA.

Illuſtratur Paradoxon præcedens mirabilibus photiſmis variorum animalium noctu & ab intrinſeco lucentium, quamvis in toto eo lumine dependeant à Sole.

21 LICET Opinio vtcumque firmata hactenus, nobis incerta ſit, & quæ non vſque adeo aſſenſum extorqueat, mereaturve; placet illam denuò corroborare ex photiſmis mirabilibus quorundam animalium: quæ ſibi congenitam & intrinſecam lucem habent; cùm tamen exploratum ſit in eà totà à *Sole*, veluti cauſa lucis vniverſali, pendere. Ergo & quàm optimè cohæret quòd omnes ſtellæ ac Planetæ aliqualem lucem ab intrinſeco habeant, & tamen in eà totà à *Sole*, veluti primo corpore luminoſo, dependeant. Aſſumptum ſuadere oportet multiplici obſervatione photiſmorum in varijs animantibus.

22 *PRIMA* Eſt in cincindelà, quæ Græcè πυγολαμπὶς, appellatur, definiturque λαμπυρὶς ζῶον πτηνὸν, ἐν σκότει λάμπον, *animal volatile, in tenebris lucens.* Ab Heſychio dicitur κανθαρὶς περιλαμπομένη τοῖς νυξί: *cantharis noctu lucens.* Latini modò cincindelam vocant, modò nitelam, modò luculam, aut luciolam, aut noctilucam, ſeu lampyridem, nomine à Græcis mutuato. Inſectorum numero cenſetur, & animal duplex genere, alterum πτερὸν, ſive *pennatum*; alterũ ἄπτερον, ſeu *pennis carens.* De priori tractat Plinius *lib.* 18. *c.* 26. qui eleganter loquẽs, vt aſolet, ex mente Virgilij cœleſtem inducit militiam ſic ruſticum alloquutam:

verno tempore: *Cur cœlum intuearis, agricola? cur sidera quæras, rustice? Iam in breviore te somno premunt noctes. Ecce tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas, easque vespere & ab opere disiungenti ostendo; ac, ne possis præterire, miraculo sollicito. Videsne vt fulgor igniſimilis alarum cõpressu tegatur, secumque lucem habeat, & noctem?* Et Baptista Mantuanus accinit: *Splendidulis iam nocte volant lampyrides alis.* Ac Recentior alius ex eodem Poëtarum choro:

Hæc modò summa petens commotis emicat alis,
Rursus & adductis, fulvum decus aureæ condit,
Ardentique procul fugiens levis igne coruscat;
Et quocumque volat, secum sua lumina gestat.

23 *PORRO* Quamvis omnes verno tempore eiusmodi animalia videamus, præcipuè inter herbas, atque obscurà solùm nocte lucentia; pauci tamen illorum anatomiam, & causam didicerũt, à Kirchero, rerum naturæ intentissimo scrutatore, traditas, *lib.* 1. *Artis Magnæ*, his verbis: *Caput cincindelæ à suprema parte, ceu cucullo quodam, clypei inversi & incumbentis formam habente, totum contegitur, fusci, vt vaginæ, coloris. Capitellum eius parvum nigerrimum in duo tubercula dispositũ. Ocellorum color, instar gagatis lapidis. Alvũ habet annulosam, multis segmentis divisam: in cuius extremo guttulæ duæ instar ignis pellucidæ, sed è lucido igneo aut viride seu sub cæruleum tendentes, qualis nonnunquam est color flammæ ex sulphure accensi. Conspiciũtur tunc maximè, cùm alvo compresso humor ille diaphanus ad extremum alvi vergit. Supina, pectoreque vel potiùs alvo elata, ignis instar lucet.* Quanam verò ratione lumen illud in cincindelis generetur, ipse exponit: quia cùm exsangues sint & frigidissimæ, necessum est vt partes igneę, sive calor circa digestionis locum à naturâ concentratus, ibi adquirat vim lucendi, animali eidem necessariam. Verum cùm pleraque alia sint insectorum exsanguia & frigidissima, quæ tamen vim lucendi non habent; oportet aliam insuper rationem eius luminis assignare, à Kirchero omissam, & difficilem assignatu. Id tamẽ certum sit, eiusmodi lumen noctilucis intrinsecum esse: vtpotè propria ipsarum naturæ & temperamento conveniens, vt videant, & videantur. Idem noctu ac passim deprehendimus in oculis felium, nec tamen miramur, quia quotidie accidit.

24 *IN* Piscibus quoque sunt aliquæ species, quibus cognatum est lumen. Ita enim in Lucio, Gobione, & Ranâ piscatrice, plurimi observarunt. Idem quoque in ostreaceis, & crustaceis. Ostreę præsertim in loco obscuro positæ, & iam putrefactę, tantam ex se lucem emittere dicuntur, vt ab inexpertis prodigij loco habeatur. Inveniuntur & Dactyli, generis eiusdem, qui solo manuum attritu lucem ac scintillas pariunt: vt Kircherus in Siciliâ, Melitâ, Calabriâ, & oris Ligustici maris se certò didicisse testatur à nautis & piscatoribus, eius rei conscijs. Herrera in Historiâ Americæ author est, apud montes Guatimalæ quoddam erucæ genus esse virulentissimum, quodque absque exitiali periculo nemo contrectare audet. cæterùm providentia naturæ factum, vt lampade quadam ex alvo fulgente viatores moneat, nautasque, ne ipsi appropiẽt, sed remis velisque diffugiant.

25 *TESTACEO* Generi annumerantur Pholades & Solenes, saxis tophaceis clausi, in eisq; aliti humore maris salsuginoso: de quibus ita Plinius: *Solemnibus natura in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere dedit, & hos humore incitato lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque in solo, atque in veste decidentibus guttis: vt proculdubiò pateat, succi esse illam naturam, quã miremur etiam in corpore.* Quod ipsum Rondeletius confirmat, & Kircherus se pluries expertum testatur: nimirũ, humorem eius piscis aspergillo dispersum in aërem tenebrosum, mox ostẽdere pluviam quasi igneam; manusque, & vestes, & quidquid lucentis humoris glutino tãgitur, scintillis flammisque coruscum apparere. Simile aliud naturæ arcanum se detexisse ait ad Aquas Martias iuxta Marsiliam in Pulmone marino, aliàs Vrticâ: cuius humor, inter alia, virgis nigris, vel quibuslibet alijs rebus illitus, eas medijs tenebris coruscas exhibet. Rationemque reddit: quia cùm prædicta animalia testacea & ostreacea, vt plurimùm in profundo maris sint, saxisque adhæreant, ac proinde semper in fundo admodum obscuro, & longè disito à solaribus radijs; oportuit vt intra se haberent aliquod lucis subsidium, quo & pabulum quærerent,

rent, & piſcatorum inſidias declinarent.

26 *EX* His, & pluribus alijs, quæ conſultò omittimus, manifeſtè apparet, adhuc in hoc mundo inferiori eſſe plura, quæ lucem ab intrinſeco habent, ac retinent, etiam obſcurà noctè, & Sole abſente procul à noſtro hemiſphærio. Ergo multò magis aſtra omnia, quæ à Deo naturæ Authore condita ſunt ad illuminandam terram, & propterea cœleſtia lumina appellantur verè ac propriè, cenſenda ſunt ab intrinſeco luminoſa. At quemadmodum in noctilucis animantibus, ſeu terræ, ſeu maris, par eſt exiſtimare lucem illam pendere totam à Sole, veluti primo corpore luminoſo, quod in cætera omnia influit, ſeu præſens, ſeu abſens, medijs virtutibus à ſe productis; ita & ſatis veroſimile apparet, lucem, tota quanta in aſtris eſt, ab eo aliquatenus ducere ortum.

SECTIO QVARTA.

Probabilior ſententia ſtatuitur circa lucem intrinſecam ſtellarum & Planetarum à Sole independentem, excepta Lunâ, nihil lucis habente ex ſe, ſed tantùm à Sole, etiam quo ad partem averſam, & in eclipſibus. Vbi plura, varia, ac ſcitu iucunda.

27 *DICENDVM* Eſt denique abſolutè, & lõgè probabilius, ſtellas habentes lumen proprium (quales ſunt omnes inerrantes, ſive affixæ, & ex errantibus, Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, ac Saturnus) in eo nullatenus à Sole pendere, niſi quò ad aliquod lucis incrementum: Lunam verò nullam ex ſe habere lucem, ſed totam a Sole, ſive dum plena, ſive dum corniculata eſt, ſive dum pars eius averſa à Sole ſubobſcurè lucet, ſive denique dum eclipſim patitur.

28 *PRIOR* Pars ſuadetur: Quia eo ipſo quòd ſtellis fixis, ac quinque Planetis prædictis, ſit lumẽ intrinſecum, difficile apparet quòd id à Sole proveniat. Etenim omne corpus quod à Sole, vt cauſa, pendet in ſuis proprietatibus, pendet etiam ab eo in ſuâ naturâ. At nulla ſtella fixa, & nullus Planeta ex prædictis, pendet in ſuâ naturâ à Sole. Ergo neque pendet ab eo, vt à cauſa, in ſuis proprietatibus. Maior videtur certa: Quia omnis cauſa quæ producit formam, ſive naturam, eſt eadem, quæ producit conſequentia formam, ſive proprietates ipſius, & è contra; propter neceſſariam connexionem vtrarumque. Minor autem eſt manifeſta: Tum quia omnia Cœli luminaria pertinent ad primam eius integritatem, ideoque ſimul à Deo condita perhibentur *Geneſis* 1. Tum etiam quia omnia Cœli luminaria habuerunt eſſe per creationem, vt in Phyſica *diſp.* 6 *ſect.* 4. ſtatutum eſt: atque adeo abſque interventu alterius cauſæ creatæ: Tùm denique quia neque Sol, neque aliqua cauſa creata concurrit ad producendum aliquid quò ad naturam, niſi educendo formam ipſius ex materiâ, iam diſpoſitâ per antecedentem alterationem. quod ſanè in nullo corpore cœleſti locum habet. Modo ſic. Eo ipſo quod lumen ſit intrinſecum prædictis ſtellis ac Planetis, eſt ipſorum proprietas, neque vlla alia æquè rationabiliter ijs tribui poteſt. Ergo ſi in natura ſuâ non pendent a Sole, vt cauſa; neque etiam in lumine. Quòd vero ab eo pendeant quantùm ad aliquod lucis incrementum, patet: quia Sol eſt primũ corpus luminoſum, ideoq; oportet omnia alia corpora eiuſdem generis aliqualiter ab eo pendere in lucendo. Tum etiam, quia lumine ſuo incomparabiliter excedit omnia aſtra; ac proinde dum ea perfundit ſuâ luce, nequit non præſtare ipſis ingentem lucis acceſsionẽ. Quo ſenſu apud Arnobium lib. 1. dicitur *ſiderum Sol princeps*. Et Cicero ait 2. de Nat. *Sol, qui aſtrorum obtinet principatum*. Et inſuper: *Ex æthere innumerabiles flammæ ſiderum exiſtunt, quorum Princeps Sol*. Philo quoque lib. de Opificio, ἡλίῳ μεγάλῳ βασιλεῖ, *Soli magno Regi* gratulatur.

29 *POSTERIOR* Pars conformis eſt notiſsimo illi axiomati, quod cõmuniter tribuitur S. P. N. Anſelmo, lib. de Imagine Mundi, in hæc verba: *Luna proprium lumen non habet, ſed in modum ſpeculi à Sole illuminatur: & ideo LVCINA, quaſi à luce nata, nominatur*. At revera liber ille non eſt S. Anſelmi, nec tanto Authore dignus, quamvis inter eius Opera antiquæ editionis habeatur, vt & in Indice S. Inquiſitionis notatum eſt. Probatur autem doctrina eiuſdem axiomatis, tum & Aſſerti noſtri, ex aſsiduâ viciſsitudine, ſeu variatione Lunæ penes lucem plenam, ſemiplenam, exiguam, & nullam, ex ſola va-

varietate aſpectuum Solis procedentem. quo planè oſtenditur illam non habere proprium lumen, ſed totum id mutuari à Sole. Verùm & hoc ipſum operoſiùs expendere oportet, primò circa pleniorem illam lucem, quam exhibet Lunà in parte converſa ad *Solem*: ſecundò in eà parte, quæ à Sole averſa eſt, & quoties eclipſim ſubit, tum albicãte, tum & rubrà, ſeu obſcuriore.

30 *CIRCA* Primum, res ſatis admiranda eſt, quot incrementa ac decrementa luminis ſubeat Luna, aſſiduis mutationibus, & nulla ſui conſiſtentià. *Modò maculoſa*, inquit Plinius ſuprà allegatus, *eademque ſubitò pœnitens: immenſa orbe pleno, ac repentè nulla. Aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei Solis lucem adiuvans: deficiens, & in defecta tamen conſpicua.* Sanè tota illa variatio ortum ducit ex diverſo aſpectu & ſitu Lunæ ad Solem. Quando enim è regione opponitur Soli, vt in plenilunio; tunc pleno orbe fulget: quando proximè coniungitur Soli, omni illo lumine orba eſt: quando verſatur in ſtatu medio, illuminatur mediocriter; ſed eò magis, quò ampliùs à Sole elongatur; & eò minus, quò proximiùs ipſi appropinquat: quando poſt coniunctionem recedit vſque ad oppoſitionem, ſemper ſubit incrementum: quando autem poſt oppoſitionem accedit ad coniunctionem, decrementum aſſiduum patitur. Si autem oppoſitio inter Lunam & Solem talis ſit, vt terra interponatur; tuc Luna in ipſa oppoſitione ſubit eclipſim: & totalem quidem, ſi terra ex diametro vtriuſque interpoſita ſit. Ex adverſo autem, quando Luna ita directè coniungitur & ſupponitur Soli, vt mediet inter Solem & noſtrum aſpectum; obſcuratur Sol, & eclipſim patitur, apparetque Luna obſcurata ſub Sole.

31 Cuius poſtremæ obſervationis licèt tot experimenta habeamus, duo ſolùm, quia rariora, aut minùs frequentia, obiter adnotare viſum. P. Clavius in Sphæram Ioannis de Sacroboſco *c. 4. n. 3.* teſtatur, anno 1560. cùm idem Conimbricæ eſſet, viſam fuiſſe eclipſim Solis adeò ingentem, vt tota terræ facies obſcuraretur, ſtellæ oculis apparerent, & aves ex aëre in terrã caderent. Similiter & anno 1567. cùm Romæ verſaretur, ſcribit totam Lunam directè ſub *Sole* viſam, ita tamen, vt extrema ora, ſeu limbus *Solis* in circulum appareret lucidus. Quo ſanè oſtenditur, in hoc poſteriori eventu Lunam fuiſſe altiorem, quàm in priori; ſiquidem relatè ad noſtrum aſpectum minorem vmbram peperit, minuſque corporis ſolaris occultavit, quàm in priore eclipſi. Notum enim eſt vmbram non parallelam, ſed minorẽ (qualis eſt Lunæ in ordine ad *Solem*) eò minorem fieri, quò fuerit vicinior corpori maiori, quod abſcondit. Ex qua doctrinà obiter confirmatur, quod *diſp. 65. ſect. 4.* diximus circa neceſsitatem epicyclorum, & excentricorum: ſine quibus fieri non poſſet, vt idem Planeta, Luna v. g. modò appareret proximior, modò remotior; iam totum Solem nobis abſcondens; iam non totum, pervia manente extrema totius circunferentiæ orã.

32 *IGITVR*, Regrediendo ad noſtrum inſtitutum, ratio variationum prædictarum Lunæ penes maiorem & minorem lucem, oritur ex eo quòd Luna ſit globus quidam ſphæricus & opacus, exiſtens in Cœlo ſub Sole: quare neceſſum eſt ſemper medietatem globi lunaris à Sole illuminari, quia nequit non perfundere luce ſua medietatem globi in proſpectu poſitam, vbicumque illa ſit. Quando igitur medietas plenè illuſtratur à Sole oppoſito, illa ipſa eſt directè converſa ad nos, ideoque plena apparet. Quãdo autem *Soli* coniungitur, tunc medietas illuminata correſpondet ſuperiori Cœli parti, & nobis ſolùm obijcitur illa alia medietas obſcura, quæ illuminationem non reclpit. Denique in omni ſtatu extra oppoſitionem, ſeu plenilunium, obijcitur nobis partim medietas obſcura, & partim medietas lucida, eò plus, vel minùs, quo magis accedit Luna, vel recedit à *Sole*: ac quoniam infra quadraturas medias maior pars medietatis obſcuræ, quàm lucidæ, ad nos convertitur; ideo pars lucida apparet ſinuata in cornua. Cuius doctrinæ certam matheſim habere quiſque poterit, ſi nocturno tempore exponatur globus ligneꝰ, æreuſvè ad radios lucernæ, & hinc atque inde aſpiciatur, ac diligenter obſervetur quò ad lucem & vmbram.

33 *QVOD* Verò accedat recedatve Luna à *Sole*, ac proinde magis minuſvè lucida nobis appareat; provenit ex vi propriꝰ motus, quo cietur ab Occidente in Orientem, & quem perficit ſpatio viginti ſeptem dierum, atque aliquot horarum. Verùm quia interea cietur etiam *Sol* ab ortu in ortum, licèt multò tardiùs;

diùs; debet vlteriùs Luna duobus alijs diebus reſtantibus excurrere, vt aſſequatur *Solem*: ideoque ab vnà coniunctione ad aliam fluunt viginti novem dies, & horæ circiter duodecim, quo menſe lunari (ita enim appellatur) peracto, renovatur Luna, & identidem redit ad ſuum curſum integrum peragendum.

34 *INDIDEM* Quoque oritur, quod Luna creſcens ſequatur *Solem*, oriaturque & occidat poſt *Solem*. Creſcit enim recedendo à *Sole* ab occaſu in ortũ. Cùm verò è contrà decreſcens præcedat *Solem*, oportet vt oriatur, occidatque ante ipſum: ſiquidem decrementum ſubit accedendo ad *Solem* ab Occidente in Orientem. Ideo etiam Luna creſcens cernitur lucere veſpertino tempore; ſcilicet, cùm *Sol* occumbit: decreſcens verò, matutino, cùm *Sol* exurgit. Ideo denique Luna creſcens vertit cornua in Occidentẽ; quia, ſcilicet, pars, quæ tunc illuminatur, eſt occidentalis, & converſa ad *Solem*: Luna autem decreſcens vertit cornua ad Orientem, quia pars, quæ illuminatur, eſt orientalis, & ad *Solem* converſa.

35 *CVM* Autem defectio lucis, ſive eclipſis Lunæ ortum ducat ex oppoſitione cum *Sole*, & eclipſis *Solis* ex coniunctione cum Lunà, ſtatim ſuboritur difficultas, cur non in omni oppoſitione, niſi ſemel, aut iterum, eclipſim ſubeat Luna; nec *Sol* in omni coniunctione? Id quippe neceſſarium videbatur. Verùm nodus facilis extricatu eſt: quoniã Luna non exercet motum ſuum per eandem lineam cum *Sole*, ſed diverſam. *Sol* enim ſemper movetur per lineam mediam Zodiaci: Luna autem per aliam lineam declinantẽ aliquot gradibus hinc inde, & ſecantem in duobus punctis lineam *Solis*. Eclipſes ergo ſolùm accidunt, quando Luna invenitur in prædictis duobus punctis, tempore coniunctionis & oppoſitionis: quia tãtùm in ijs caſibus terra interponitur inter *Solem* & Lunàm, aut Luna inter terram & *Solem*, directè & per eandem diametrum. Verùm quoniam Luna propter magnitudinem ſui corporis poteſt magis aut minùs attingere de prædictà *Solis* linea, ideo alijs atque alijs modis, iuxta inæqualitatem partium, fiunt eclipſes: à quibus eadem linea, quæ eſt media Zodiaci, appellatur Ecliptica. Cæterum duo puncta, in quibus linea motus Lunæ interſecat lineam motus *Solis*, dicuntur caput & cauda draconis: alia verò duo puncta, in quibus linea motus Lunæ quàm maximè recedit à linea motus *Solis*, appellantur ventres draconis. Ratio eius denominationis fuit deſumpta ex eo quòd linea Lunæ cũ lineà *Solis* exhibet aliqualem draconis figuram, in duob⁹ extremis ſtrictiorem, & amplorem in medio: ideoque caput draconis appellatur, in quo linea Lunæ tranſit ab Auſtro ad Aquilonem, cauda verò, in qua ab Aquilone ad Auſtrum.

36 *QVÆ* Omnia cùm ita ſint, & tum ratione, tum ferè ad ſenſum pateant, manifeſtum fit, pleniorem illam lucem, quam exhibet Luna extra eclipſim, ſive plena ſit, ſive corniculata, à *Sole* mutuatam eſſe, & nullo modo ipſius propriam, vt ſuperiori ſectione inſinuavim⁹: ſiquidem provenit tantùm ex vario aſpectu *Solis*, qui in eà, vt ſpeculo reverberat, & radios in nos reflectit. Vnde reijciuntur facilè qui aiunt, Lunam totum lumen habere ex ſe, & independẽter à *Sole*, quoniam iudicant alteram ex medietatibus ipſius eſſe per ſe lucidam, & obſcuram alteram; Lunam verò ſemper in ſeipſa circa proprium centrum ita revolvi, vt modò vnius, modò alterius medietatis faciem vertat ad terram; idque eo ordine, vt in oppoſitione ad *Solem*, convertat ad nos faciem lucidam, in coniunctione obſcuram, & in ſtatu medio ſucceſsivè magis aut minùs vnius vel alterius. Hanc opinionem refert Tyco Brahæ *lib.* 1. *Progymn. c.* 10. *pag.* 743. & longè ante ipſum Cleomedes *lib.* 2. *de Mundo pag.* 143. vbi eam adſcribit Beroſſo, ſtatuenti Lunam ſemi igneam & ſemilucidam. Idemque hoc ipſo ſæculo placitum extumulavit, ac redivivum in Scholas invexit Vlyſſes Albergottus Dialogo de hac re Italicè edito.

37 *VERVM* Hæc nov. antiqua exiſtimatio contra omnium aliorum iudicium eſt, & omnino fictitia: atque vel vnico reijcitur argumento palmari, quoties Luna eclipſim patitur ex oppoſitione directà cum *Sole*, ac proinde faciẽ obſcuram ad nos convertit. Etenim paulo ante & poſt eclipſim Luna oppoſita erat, licèt non tam directè, *Soli*; ac proinde habebat faciem lucidam ad nos converſam. Parvo autem illo interſtitio, quo durat eclipſis, eadem facies ad nos converſa eſt; ſed ſine luce illa pleniori. Ergo plenior illa lux eiuſdem faciei non eſt intrinſeca

seca Lunæ, neque ab eà inseparabilis. Ergo provenit ex illuminatione *Solis*, quà cessante ex interpositione directa terræ, eadem Lunæ facies, quæ paulò ante lucida apparebat, obscura redditur. Luna igitur nullam medietatem, imò nec particulam habet, pleniori illo lumine fulgentem ex se, sed tantùm ex illuminatione *Solis*. Quod non modò multi ex Recentibus probant, sed & plerique Veterum agnoverunt. Seneca de Consol. ad Martian. c. 18. *Videbis*, inquit, *nocturnam Lunæ succensionem à fraternis occursionibus leve remissumque lumen mutuantem*. Scilicet, à Sole, quem fratrem Lunæ appellabant. Cicero 2. de Divin. *A Sole illustrata Luna graviditates & partus affert*. Et in Somno Scip. *Vltima cœlo, citima terris, luce lucebat alienâ*. Plato in Cratylo ait, Lunam dictam σελήνω ab Anaxagora, ἀπὸ τῆς ἡλίου ἔχειν τὸ φῶς: *quòd habeat lumen à Sole*, quasi σέλας νέον. Huc etiam spectat quod Victorius observavit ex Leone Arati Interprete, Lunam ab Euripide & Æschylo appellari, nō sororē, sed θυγατέρα ἡλίου, *filiam Solis*. quasi totum fulgorem ab eo accipiat.

38 *OPPONVNT* Adversarij. Si Luna reciperet pleniorem illam lucem à Sole, deberet apparere multò lucidior, licèt modicà sui parte, quando est propinquior Soli, quàm vbi remotissima ab eo est in oppositione: siquidem lumen *Solis* fortiùs atque intensiùs agit in propinquū, quàm in remotum. Atqui experimento patet, Lunam *Soli* proximam non fulgere magis, ne quidem modica sui parte, quàm ab eo remotissimam. Ergo Luna non recipit pleniorem illam lucem a *Sole*. *RESP.* negando maiorem: quia licèt particula illa Lunæ, quam in coniunctione cernimus splendentem, & conversam ad *Solem*, sit verè prædita intensiori luce, quàm tota Luna in sui oppositione, quò ad æqualem partem considerata; adhuc non apparet lucidior propter sui exiguitatem comparatam toti Lunæ splendenti in oppositione Solis. Etenim magnitudo obiecti luminosi in causa est, vt illud appareat lucidi°, aut saltem æqualiter lucidum, vt accidit in alijs luminosis maioribus, si cum minoribus conferantur.

39 *CIRCA* Secundum verò gravis difficultas est, vnde proveniat illa quasi albicans lux, quæ apparet in Luna non plenà, quà parte aversa est à Sole; similiter & illa quasi rubra, quam exhibet oculis vbi eclipsim patitur. Videtur enim ex vno capite provenire debere a Sole, tanquam primo corpore luminoso; & aliunde non posse, quia nequit *Sol* permeare tantam molem corporis opaci, quale est Lunæ, ac proinde nec illuminare partem illius adversam.

40 *RESPONDENT I.* Aliqui, Lunam non esse omnino opacam & imperviam lumini, sed aliquantò diaphanam; ideoque non modò in superficie immediata *Soli* atque extimà recipere lucem ab eo, sed etiā in profunditate, quāquam debilem & exiguam; quæ proinde in eà permaneat, etiam subeunte eclipsi: aut quà parte aversa est à *Sole*. Ita olim docuit Cleomedes *vbi suprà*, & postea Averroes 2. *Cœli comment* 49. ac nuper Iulius Cæsar Lagalla *lib. de Phœnomenis in orbe Lunæ cap.* 11. atque Anonymus quidam sub Apellis nomine, *epistola* 3. *de Maculis Solis*, ad M. Velserum. Eo autem statuto, consequenter adscribitur *Soli* quidquid exiguæ lucis apparet in Lunà, quà parte eclipsim subit, vel à *Sole* avertitur.

41 *SED Contrà*. Licèt enim Luna quaidam partes habeat rariores alijs, vt *disp. seq. sect.* 1. apparebit, ideoque partim maculosa, partim lucidior appareat; attamen absolutè loquendo totum eius corpus simpliciter opacum est, & proinde solari lumini impervium. Id patet ab experimento in totali *Solis* eclipsi: in quà dies refert vultum atræ noctis, vt suprà ex Clavio observavimus, absque eo quòd appareat, vel minima *Solis* particula, per Lunam interiectam. At si hæc non prorsus opaca esset, sed aliquantò diaphana, seu transparens, oporteret per mediam illam, veluti chrystallum interiectam, apparere saltem aliquas *Solis* particulas. Ergo Luna perfectè opaca, & nulla ex parte diaphana est: ac proinde perperam ex hoc capite asseritur, lucem illam exiguam Lunæ provenire à *Sole* permeante corpus Lunæ.

42 *CONTRA II.* Videmus enim Lunam, præsertim oppositam *Soli*, plenissimum lumen ad nos transfundere. Ad hoc autem longè melius est quòd perfectè opaca sit, quam aliquantò diaphana: quia si perfectè opaca sit, recipiet lumen *Solis* in extima tantùm superficie, indeq; totum ad nos reflectet. At verò si aliquātò diaphana sit, eà parte imbibet lumen *Solis*, & non poterit illud ad nos revibra-

re. Hac ratione Cœli, quamvis illuſtrentur lumine Solis, non reflectunt illud ad nos, vt patet in nocte: quia, nimirum, diaphani ſunt. Similiter & radij Solis multò vividiùs reflectuntur ad nos ex pariete albo, aut lapide terſo, quam ex nube, aut lanâ, minùs opacis; & lõgè magis ex chryſtallo, ſi illiniatur plumbo, & propterea opaca reddatur, quàm ſimplici & tranſparenti. Igitur cùm Luna vſque adeò excutiat lumen Solis, & ad nos reflectat, plenè opaca eſt, & nullatenus diaphana.

43 *RESPONDENT II.* Alij, Lunam in prædictis caſibus recipere lumen a Venere, quæ ſibi propinqua eſt, & valde lucida. quippe quæ, cùm maximè à Sole diſtat, cernitur diffundere aliquod lumen vſque ad terram, ac proinde videtur idonea ad communicandum Lunæ aliqualem lucem, abſque interventu Solis. Ita I. Baptiſta Benedictus *lib. Epiſt. epiſt. de luce & lumine*, cuius opinionem approbat Tyco *lib. Epiſt. pag.* 12. *SED Contrà.* Venus aſsiduè commoratur iuxta Solem, ac proinde æquè ferè diſtans apparet à Lunâ, quà parte procul à Sole & ab ipſa Venere averſa eſt. Ergo illa exigua lux partis averſæ nequit provenire potiùs à Venere, quàm à Sole. Cùm enim interiecta ſit medietas Lunæ illuminata inter aliam medietatem ſubobſcuram, & Solem ac Venerem ex alia parte, longè minor ratio eſt, vt hæc poſterior aliqualem lucem accipiat à Venere, quàm à Sole, longè lucidiore. Si autem dicas, opinionem relatam ſolùm habere locum, quando Luna eſt in medio inter Solem & Venerem, & proinde tunc ſolùm à Venere illuſtrari; iam deſeris præcipuam difficultatem, quæ procedit de illâ ſubobſcurâ luce, quàm exhibet pars Lunæ averſa à Sole, generatim loquendo, & in quocumque Cœli loco ſit.

44 *RESPONDET III.* Galilæus *epiſt. 3. de Maculis Solis*, & Keplerus in *Diſſert. cum Nuncio Sidereo*, exiguam illam Lunæ lucẽ tribui ipſi & communicari à terrâ noſtrâ, per reflexionem radiorum ab eâ vſque ad Lunam: quemadmodum & eadem Luna illuſtrata à Sole reflectit aliquod lumen ad terram. Addit Galilæus, Lunam validiùs illuminari à terrâ, quàm terram à Lunâ: tum, quoniam terra eſt longè maior: tum & quia maiorem lucem accipit à Sole, quã accipiat Luna: tum denique, quia terra minùs diſtat à Sole, quàm Luna dum ipſi oppoſita eſt. Neque obſtat (inquit) terram aſperam eſſe, vt tranſmittat lumen ad Lunam: nam & Luna aſperior eſt, & mõtibus, anfractibus, atque inæqualitatibus plena. Conſentit ferè per omnia P. Athanaſius Kircherus *in Arte Magnâ Lucis, & Vmbræ, lib. 1. cap. 4.* cuius verba exhibebimus *diſp. ſequenti.* Et, præter plura alia, quæ ibidem proferemus,

45 *CONTRA I.* Impoſsibile enim videtur, vt terra, quæ rudis & aſpera eſt, atque anfractibus, & protuberationibus, ac perpetuà ferè inæqualitate plena, ſub obſcuraque, reflectat radios lucis vſque ad corpus Lunæ remotiſsimum. E converſo autem Luna, quæ eſt corpus ſummè terſum ac perpolitum, ſicut & alia luminaria cœleſtia. Etenim experimento aſsiduo deprehenditur, lucem parùm reflecti ex corporibus impolitis, ac partium inæqualitate præditis: nimiùm verò ex terſis & perpolitis, vt ſuperiùs iam obſervatum eſt. Ergo nequit fieri vt lux illa exigua Lunæ, quà parte averſa eſt à Sole, proveniat ex reflexione lucis à terrâ. Licèt enim hæc longè maior ſit, quàm Luna, & proinde in eâ plus dilatetur lux Solis, quàm in corpore Lunæ; hæc longè aptior eſt ad reflectendum lucem à Sole acceptam, propter ſummam æqualitatem, politurâm, ac lævitatem ſuam in circulum. Neque in oppoſitum audiendus eſt Galilæus, quocumque teleſcopio vſus fuerit: nam etiam Simon Marius in ſuo Mundo Iouiali, præfatione ad Lectorem, teſtatur ſe conſimili tubo vſum, deprehendiſſe Lunam, & omnes ſtellas, tàm fixas, quam errantes, exquiſitè rotundas, ac proinde omni aſperitate, & partium inæqualitate carentes.

46 *CONTRA II.* In eclipſi enim lunari, quando Luna eſt oppoſita Soli, & obſcuratur ex interpoſito corpore atque vmbrâ terræ, apparet Luna nobis lumine quodam ſubobſcuro, & quaſi rubro, conſpicua. At tunc evidens eſt illam qualemcumque lucem non provenire ex reflexione radiorum Solis à terrâ: quia hemiſphærium terræ, quod tunc eſt verſum ad Lunam, eſt etiam omni Solis luce deſtitutum, ac proinde impotens reflectere illam ad Lunam. Ergo illud lumen ſubobſcurũ Lunæ non provenit ex reflexione lucis ſolaris è terrâ.

47 *QVARE* Veroſimilior ſolutio eſt, quam tradit Averſa, & nos libenter amplectimur: nempe, lucem illam aliqualem Lu-

Lunæ subeuntis eclipsim, aut ex parte aversæ à Sole, provenire ex partibus Cœli circunfusis, & valde illuminatis à Sole: cuius signũ in eclipsi est, quòd Luna eclipsim patiens, magis lucet in extremitate, quæ alij Cœli partibus proximior est, quã in medio, quod est ab ijs remotius. Vniversim verò id comprobatur quotidiano experimento, quo videmus terram primo manè aliqualiter illustrari à Sole, nondum orto, per reflexionem ex aëre, quamvis diaphano. Igitur etiã in parte Lunæ aversa à Sole, aut etiam eclipsim subeunte, poterit esse aliqualis lux per reflexionem ex vicino Cœlo, quanquam & hoc diaphanum sit: quia, nimirum, solidum est præ aëre, ac proinde aptius ad excipiendam illuminationem Solis, illamque, licèt tenuiter, reflectendam.

48 *DICES I.* Ab eàdem causà eodem modo se habente, idem effectus provenire debet. At ijsdem partibus Cœli circumfusis eodem modo se habentibus non idem effectus lucis subobscurę provenit in Lunam dum eclipsim patitur, ac dum averla est à Sole: siquidem lux in eclipsi apparet rubra, ac nigrescens, in aversione autẽ albicans. Ergo partes Cœli circunfusæ non sunt causa effectus lucis subobscuræ in Luna dum eclipsim patitur, & dum est aversa à Sole. *RESP.* Maiorem esse veram si cætera sint paria: qualia non sunt in præsenti. Dum enim Luna totalem eclipsim subit, vmbra terræ non solùm obscurat totum Lunæ corpus, sed etiam viciniores Cœli partes, ne lumen recipiant à Sole, ac proinde ne possint illam illuminare. Quare tunc solùm illustratur tenuiter à cæteris Cœli partibus circumfusis, & non vsque adeò vicinis. Quando autem Luna corniculata est, nullum impedimentum habet ex vmbrà terræ ne illuminetur in parte avertà à Sole: ideoque à partibus Cœli vicinioribus, simul & remotioribus sui hemisphærij, aliquanto plenius illuminari potest, & proinde non rubescere, aut nigrescere, vt in eclipsi; sed quoddammodo albescere.

49 *DICES II.* Vbi Luna & Sol ex diametro habent interpositam terram, non modò partes Cœli viciniores Lunæ, carent lumine Solis; sed etiam minùs vicinæ, imo & admodum remotæ à Lunâ. Ergo hæc ab ijs per reflexionem tunc illuminari non potest. Probatur assumptum: Quia cùm terra sit circiter quadragies maior, quam Luna, vmbra etiam totius terræ interpositæ debet obumbrare tantundem spacij in Cœlo Lunæ, ac proinde non solam illiam; sed etiam triginta novem ferè partes Cœli Lunæ, ipsi vicinas & æquales. *RESP.* Negando posteriorem assumptũ partem: quia cùm vmbra terræ relatè ad Solem longè maiorem, nec sit maior & maior, vt proinde debeat porrigi in infinitum; nec sit parallela, quę semper æqualis progrediatur; sed longè minor Sole, & conica, quæ proinde in pyramidem desinit; opus non est, vt ex interpositione totius terræ obumbretur æqualis Cœli magnitudo: sed sufficit si totum Lunæ corpus, & partes viciniores eiusdem Cœli obumbrentur: quia, nimirum, vmbra ibidem longè minùs ampla est, quàm à principio, & non nimiùm supra Lunam in pyramidem desinit. Quare potest Luna à partibus Cœli sui non remotis per aliqualem reflexionem tenuiter illuminari.

50 *EX* Quibus omnibus satis evincitur, lumen quod in Luna est, sive dum immensa orbe pleno fulget, sive dum cornicula splendet, sive quatenus subobscuram lucem in eclipsi, aut parte aversa à Sole exhibet; totum, inquam, id à Sole provenire, sive illuminante immediatè, vt in duobus prioribus casibus; sive mediatè, vt in duobus posterioribus: quia in his Cœlũ Lunæ reflectit radios Solis ad partem Lunæ aversam; in illis verò Sol directè lucem suam emittit ad Lunam, quà parte illam sibi è regione oppositam aspicit. Indidem quoque redditur idonea ratio, cur in Lunâ, quò propinquior est Soli, appareat lucidior illa pars albicans, à Sole aversa. Nimirum, tunc propter maiorem Solis vicinitatem validiùs & intensius illuminantur partes Cœli viciniores Lunæ, ideoque efficaciùs radios Solis ad eam partem Lunæ aversam reflectunt. Ad hoc tamen exigitur remotio aliqualis Lunæ à Sole: nam si prorsus vicina eidem sit, omnino absconditur, & prohibetur apparere, ratione immensi penè fulgoris provenientis à lumine circunstante.

(·:·)

DIS-

ILLVSTRISSIMO ET LITTERATISSIMO D. D. FRANCISCO PANIAGVA ET ZVñIGA, CALATRAVENSI EQVITI, SVMMORVM SENATVVM CASTELLÆ AC REGIj CVBICVLI CONSILIARIO, &c.

LVNAM, Quamvis primigeniam lucis, quibuſdam maculis deformari, ne vſque adeò plena refulgeat; omnibus palam eſt, nec, niſi talpæ, neſciũt. At Solem eodem morbo laborare, iiſdem ferè notis; ne aquilæ quidem nòrunt. Et ſanè omnem macularum ſuſpicionem excluſam quilibet cenſeret, conſulto Authore libri Eccleſiaſtici, *cap.* 43. vbi Sol appellatur, *VAS ADMIRABILE, ET OPVS EXCELSI.* Et inſuper: *In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exſufflans, & refulgens radijs ſuis, obcæcat oculos. MAGNVS DOMINVS, QVI FECIT ILLVM.* Quidnam iis elogijs, *ILLVSTRISSIME D.* quidnam exprimitur, quod non ſit ab omni nævo obſcuritatis alienum? Si placet etiam audire Ethnicos, tum Philoſophos, tum & Poëtas; nihil Sole pulchrius, defæcatius nihil. Ideo Deus habitus; non de numero eorum, quos Naſo appellat *de plebe Deos*; ſed ſuperiorum, & qui alijs antiſtaret. Illumque, veluti Numen, totum aureum, ac lucidum, ſic Proculus Lycius interpellat:

Κλῦθι πυρὸς νοερῶ βασιλεῦ χρυσύνιε Τιτάν,	*Audi ignis intelligentis Rex auree Titan,*
Κλῦθι φάους ταμία, ζωαρκέος ὦ ἄναπυγῆς,	*Audi lucis cuſtos, fontiſque vitalis Rex,* [*bę*
Αὐτὸς ἔχων κληῖδα, καὶ ὑλαίοις ἐνὶ κόσμοις.	*Qui habes claves, & omnib⁹ dominaris in Or-*

Verùm ea ſunt huius floridiſsimi ſæculi ingenia, vt perſpicacioribus longè oculis, atque exquiſitâ teleſcopiorum induſtriâ, deprehenderint in Sole maculas. Ita ſanè gloriantur, quaſi parum ſit aquilis accenſeri, niſi & Phœnices ſint. Diſſertationem verò, quâ res adeò arcana, ac ſemota à vulgo litteratorum hominum, ſeveriùs diſcutitur, acerrimæ criſi Tuæ exponendam cenſui, Eruditiſsime Heros. Adeò enim ſublimi ingenio, eâ mẽtis ſubtilitate præditus es, vt vel ij ipſi, qui aquilæ audiunt, ſi conferantur, merito poſſint talpæ cenſeri. Sanè id congruebat clariſsimis natalitijs Tuis, delibato Hiſpanæ nobilitatis flori, & tot ſtipitum coronarorum ramento, vt nemini ingenio cederes, qui nec ſplẽdore hæreditarij ſanguinis. Id notum plenè ac planè Salmanticenſi huic Academiæ in qua Collegium Maius Archiepiſcopi Toletani, lectiſsimorum Virorum coloniam, litterarumque domicilium, nobilitaſti, dum eius purpuram illuſtriorem reduxiſti. Tanta quippe nominis Tui celebritas fuit ab ipſis adoleſcentiæ annis, vt in omnium ore, atq; admiratione eſſes. Hiſpanæ iuventuti, litterarum ſtudio deditæ, nihil eo tempore celebrius fuit. Ipſe ego, qui hæc ſcribo, teſtis fui, dum militarem in Iurisprudentiæ caſtris, & alteram Cynoſuram attenderem. Quid dicam de certaminibus litterarum, ſive argumentorum ariete impeteres munitiſsimas arces, ac ſolo æquares; ſive Tuam ipſe defenderes, & machinas irruẽtium, vel vnico talitro, eluderes? Quid de tot ſcriptis aureis, & quæ non niſi ſummam ſubtilitatem, ac reconditam eruditionẽ, præ ſe ferebant. Imò & ferunt, ferentque indies: cùm pleraque illorum in gazophylacio habeant, non ij modò, qui de alieno viſitant, ſed etiam qui præſtantiſsimi audiunt, & nimiùm de ſuo conferunt. Ideo vnico ac primo certamine ſortitio (quod vix vnquam alteri accidiſſe novimus) Inſtitutionum cathedram adeptus es, & per varios Senatorij Ordinis gradus, adeò breviter in ſummum faſtigium aſcendiſti, vt non videaris eos percurriſſe, ſed volaſſe. Verùm, vt ait Chryſoſtomus Homil. 22. ad Hebræos, *aves perniciſsimæ, & montes, & ſaltus, & maria, & ſcopulos, brevi temporis momento illæſæ prætervolant. Sic etiam mens, cum fuerit alata.* Igitur è ſublimi illâ ſpeculâ, quæ *TIBI* commiſſa eſt, perſpicillo mentis attende cœleſtes plagas; & ſi Solem deprehenderis eodem vitio cum Luna laborantem, ediſſere nobis cauſam vtriuſque phænomeni, quam ex infima caveâ diſquirimus.

DISP. SEPTVAG. SECVNDA

DE MACVLIS COELESTIBVS.

Vnde proveniant in Lunam & Solem?

Num. 1. *POST QVAM De lumine ſtellarum errantium atque inerrantium egimus, oportet differere de ipſorum maculis, veluti quoddammodo oppoſitis luci. Porrò in ſtellis fixis diſputatio hæc nullum videtur habere locum: quoniam nunquam viſæ ſunt laborantes. Quare poëticæ licentiæ adſcribendum illud Senecæ in Hercule Fur.* Iam rara micant Sidera prono Languida mundo. *Nec de ſtellis fixis accipiendus Plinius l. 2. cap. 12. dum memorat* ſtatos ſiderum labores. *Planè enim ſupergrediuntur omne deliquium ac languorem iubaris. Quamquam & hoc ipſum mirabile cenſeri debeat apud eos, qui Cœlum fluidum ſtatuunt, & ſtellas in eo vagari, vt aves in aëre; & fuligines è terrâ vſque ad firmamentum aſcendere. Similiter nec de Marte, Iove, aut Saturno dubitamus: quoniam nemo hactenus vitium aliquod in eis detexit. De Venere aliqui Recentiores volunt variari ac ſubire viciſſitudines inſtar Lunæ, & ſæpe non in ſuo orbe plenam, ſed corniculatam apparere: ita vt quâ parte verſa eſt ad Solem, nimiùm fulgeat; quâ autem averſa eſt, cornua exhibeat, & ſubobſcurum lumen. Mirum autem eſt, quòd idem ipſum non dixerint de Mercurio: in quo ratio æqualis vrgere videbatur. Sed reverâ in neutro vrget: quoniam exiguitas luminis, ſub quo vterque Planeta apparet, nullum præſtat diſcretioni locum inter lucem & maculas, ſeu veriùs vmbras. Quare totum diſſidium in ſola duo luminaria magna devolvitur; nempe, in Lunam noctium præſidem, & Solem diei antiſtitem.*

SECTIO PRIMA.

Veſtigatur cauſa minoris lucis, ſeu macularum Lunæ: & exploſis aliorum placitis, veroſimilior ratio aſſignatur.

2 *VENIAMVS* Primò ad maculas Lunæ, quæ & oculis deprehendũtur, ita vt cum reliquo Lunæ corpore exhibeant imaginem humani vultus. quæ res in cauſa fuit Plutarcho ſcribendi libellum *de Facie in Orbe Lunæ*, vbi & allegat illud Ageſinacis Poetæ: *In medio quædam ſpecies, ſed glauca, puellæ Conſpicitur.* Ratione earundem macularum Albertus Magnus *in præſenti libr. 2. tract. 3. cap. 6.* imaginatus fuit in Lunâ monſtroſam figuram ex vultibus draconis arboris & hominis coaleſcentẽ. Qualiſcumque demum ea ſit, inquirimus vnde proveniat defectus ille nitoris, ſeu nævus macularum. Vbi par erit breviter referre ac refellere plures Veterum ac Recẽtiorum circa id opiniones, ac noſtram denique ſtabilire.

3 *PRIMA* Pythagoreorum, relata à Plutarcho vbi nuper, eaque celeberrima, fuit, Lunam eſſe aliam terram ſimilem noſtræ: vtpotè, quæ habeat etiã partes inæquales, veluti altitudines montium, profunditates vallium, anfractus rupium, pelagus aquarum inſtar maris: proindeque ratione dictarum inæqualitatum plures ac diverſas partium ſuarum vmbras in ſe formare, quæ ſint ipſius maculæ; quemadmodũ apud nos ex interpoſitione montium cauſatur in vallibus vmbra. Porrò partes Lunæ obſcutiores, & eiuſdem maculas, aſſerebant eſſe aqueas, quòd in ijs non plenè excipiatur lux Solis, quæ minùs reverberat in aquâ, quam in terrâ. Conſequens autem fuit, vt qui regiones terrarum in Lunâ ſtatuebant, in ijs quoque habitatores homines collocarent: quod aſſeruiſſe Pythagoram ipſum, teſtatur Chalcidius in Timæum Platonis pag. 46. dicens: *Iuxta Pythagoram, ita vt in terrâ, ſic etiam in lunari globo, conſiſtunt homines; & etiam in cæteris errantibus ſtellis.* Et Plutarchus addit, ex ipſorum mente, homines Lunam inhabitãtes multò procerioris ſtaturæ eſſe, quàm homines ſubcœleſtes. Allegatur etiam illud Orphei de Iove: *Molitus eſt aliam terram infinitam, quam lampadem immortales vocant, terreni*

verò Lunam: quæ multos montes habet, multas vrbes, multas domos. Otioſæ autem eſſent vrbes, ac domus, abſque ciuibus, incoliſque hominibus. quos certè ibidem *æthereos annos* tranſigere, & mortalitatis neſcios æternùm viuere, addunt Auſonius, & plerique alij Poetarum. Fortè ijdem homines ſunt, quos Lucianus fabulatur ſe inueniſſe, cùm peregrinaretur apud æthereas regiones Solis & Lunæ.

4 *CÆTERVM* Deliria hæc tolerari poſſent in Poetis, quibus ampla fabulandi poteſtas: nullatenus verò in ijs, qui Philoſophiæ operantur, & ſeueriorib⁹ diſciplinis. Quare mirum eſt, quod pleraque prædictorum fidem noviter meruerint apud Galilæum à Galilæis, Florentinum Patricium, & in Patauinâ Academiâ Matheſium Profeſſorem: qui non modò ſimplici intuitu, ſed exquiſito teleſcopio à ſe conſtructo, ſiue tubo optico admirandæ induſtriæ, obſeruavit, maiores illas maculas, quas omnes videmus in Lunâ, eſſe quaſi maria: cæteras verò partes lucidiores, quaſi terras. in ijs præterea plures varietates, & minores maculas, quæ ſint vmbræ montium & vallium. quin & in augmento ac decremento Lunæ, illuminari ſucceſsivè varias partes: ſicuti apud nos, exoriente Sole, priùs cacumina montium, quàm partes inferiores, illuſtrātur: denique, cùm Luna perfectè rotunda conſpicitur in extrema ora circunferentiæ, id prouenire ex ordinatâ ſeriè montium, aut ex aère vndique æquabili in extima Lunæ parte. Ita ille *in Nuntio ſidereo.* Atque in epiſt. 3. Italicâ *de Maculis Solis pag.* 143. dubitat, an verè Luna habitatores habeat. Eidem per omnia ſubſcripſit Keplerus *in diſſert. cum Nuntio ſidereo.* Mirùm ſanè eſt, vt qui certò ſtatuerunt in Lunâ terras ac maria, dubitauerint de illorum incolis, ſine quibus fruſtra eſſent. Sanè initio mundi legimus *Geneſis* 1. Deū, conditâ terrâ, formaſſe in eâ hominem, ſine quo *non erat qui operaretur terram.* Cur ergo, ſi alia terra longè ac latè patēs in Luna eſt, non collocantur ibidem homines, ſeu coloni, qui eam operentur? Atqui hæc omnia videntur ſeriâ refutatione indigna, meritoque mythologorum phantaſijs, aut Olympiodori ſomnijs accenſenda. Verùm & de ijs nonnihil poſtea.

5 *SECVNDA* Ageſinacis apud eundem Plutarchum, & Andreæ Ciſalpini *lib.* 3. *QQ. Peripat. quæſt.* 3. aſſerentium maculas Lunæ eſſe imaginem terrarum ac marium, ad nos reflectentem ex Luna, veluti è quodam ſpeculo. Quippe cum omnia corpora viſibilia emittant ſpeciē ſui repræſentativam, & maiorem quò maiora ſunt, atque in maiori diſtantia; conſequens eſt, vt globus terræ & maris vſque adeò ingens, immittat ingentes ſui ſpecies vſque ad Lunam, è qua, veluti ſpeculo, ad nos reflectantur. *SED Contrà.* Globus enim terræ ac maris, quà parte illuminatur à Luna, non ſemper & vbique exhibet eandem figuram: ſed modo maiori ex parte aqueus eſt, modò terreus, modò æquabilis, modò inæqualibus protuberationibus multiformis. Ergo cùm maculæ in Lunâ ſemper eædem, atque invariatæ appareant, non prouenient à ſpeciebus repreſentativis eius globi. Deinde, impoſsibile apparet globum maris ac terræ noctu ita perfectè illuſtrari, vt per tot millia leucarum vſque ad Lunam mittat montium, vallium, aquarumque ſpeciem diſtinctam. Nam etiam cùm Luna plena lumine fulget, eſt oppoſita Soli: ac proinde illa terræ medietas, quæ verſus Lunam reſpicit, obſcura manet propter abſentiam ſolaris luminis, in contrario hemiſphærio lucentis. Quidquid autem lucis mutuat à Luna, perexiguum eſt, ac penè nullum ad tantam reflexionem.

6 *TERTIA* Plinij *lib.* 2. *Hiſtor. Natur. cap.* 9. vbi innuit maculas Lunæ eſſe vapores quoſdam terreſtres, veluti ſordes, è terrâ attractos, & ipſi adhærentes. *SED* Refellitur facilè: tum quia Luna altior eſt, quàm vt terræ vapores ipſi adhærere valeant: tum quia omnia corpora cœleſtia, ſicuti incorruptibilia ſunt, ita etiam omnem peregrinam impreſsionem excludunt: tum denique, quia macula Lunæ eodem ſemper modo apparet, cùm tamen deberet paſsim variam ſeu diuerſam figuram exprimere, ſi oriretur ex vaporibus attractis è terrâ, qui modò plures, modo pauciores, ſubtiliores aut craſsiores ſunt.

7 *QVARTA* Aliorum apud relatum Plutarchum, aientium Lunam eſſe quandam ignis aèriſque mixturam, in quâ ignis appareat lucidior, & obſcurior aër, qui proinde exhibeat oculis ſpeciem ſui maculoſam. Cæterùm in hac opinione ſupponitur corpora cœleſtia ijſdem ele-

mentis constare, ac sublunaria: quod sæpe in hoc tractatu ex professo reiectum est, præsertim *disp.63.sect.2.* Deinde assiduũ miraculum esset quòd maior pars Lunæ, & nimiùm densa, non combureret minorem partem aèream, subtiliorem quę, & in se converteret, si ignea sit: quemadmodum ignis regionis primæ, ac nobis proximioris, si densior esset, absumeret vicinum aèrem tertiæ ac summæ regionis. Quod absurdum devorare tenentur quotquot etiam aiunt, Solem esse formaliter ignem; aut, si metallum, esse profecto aurum liquatum, ac fervens: quam opinionem multis promovere & stabilire conatur noviter Sancta-Crucius *à numer. 657.* Dicant enim necessum est, quomodo tantus ille ignis, & tam densus, non absumat vicinas Cœli partes, si & hæ corruptibiles sunt, vt ipsi autumant. Verùm sufficiat de hoc ipso plenius egisse *disp.64.* vbi omniũ cœlestium corporum incorruptibilitatem asseruimus.

8 *QVINTA* Aliquorum, quos refert Iulius Scaliger *exercit. 62. ad Hieronym. Cardanum*, existimantium, maculam Lunæ esse quasi vmbram aliquorum corporum mediantium inter Lunam & Solem, a quo ipsa illuminatur. *SED Contrà.* Macula Lunæ eàdem atque vniformi figura semper apparet, in quocumque Cœli loco versentur Luna & *Sol.* Ergo oportet corpora illa minùs pervia luci deferri simul ac semper cum Luna & Sole, vt causent similem vmbram: ac proinde illa esse in eodem Cœlo *Solis*, vel Lunæ. Non ergo inter vtrumque Planetam sita sunt. *Dices*, esse quidem in eodem Cœlo Lunæ partes aliquas obscuriores, quæ medient inter nostrum aspectum & Lunam, vt sic maculas in ea ostendant. *Verùm* contra est, quod hac ratione debuisset apparere diversitas aliqua aspectus inter maculas & Lunam, ac proinde maculæ respectu Lunæ haberent parallaxim aliquam, præsertim facta comparatione quando Luna est terris proxima, ac remotissima. Cùm verò consequens sit aperte falsum, superest dicendum, maculas verè esse in ipsa Luna, eamque in seipsa afficere; ac proinde non caulari ex interpositione alicuius corporis existentis intra aut extra ipsum Cœlum.

9 *SEXTA* Denique, & cæteris præferenda, refert maculas Lunæ ad diversitatem accidentalem partium ipsius penes raritatem ac densitatem, ratione cuius aliæ apparẽt magis lucidæ, aliæ minùs. Ita D. Thomas *in præsenti lib. 2. sect. 12. art. 2.* Ricardus *in 2. dist. 14. q. vlt.* Ægidius *lib. 2 Hexaemeron c. 35.* Cremoninus *in Apolog. de Facie in orbe Lunæ cap. 6.* alijq; Recentiores cõmuniter: qui omnes aiunt, partes maculosas Lunæ esse partes rariores, ideoque minùs aptas, vt reflectant lumen Solis, quoniam permittunt radios eius vlteriùs pertransire: partes verò densiores, nullam subire maculam, quoniam ratione densitatis maioris non pervadũtur à radijs solaribus, sed eos excutiunt, & in nos reflectunt. Alij autem minus recte volunt maculas Lunæ esse partes ipsius densiores, ideoque minùs aptas ad reflectendum lumen. quod affirmat Albertus Magnus *lib. de Quatuor Coævis q. 4. art. 2.* At verò certum videtur, eò corpora esse aptiora ad excutiendum & reflectendum lumen, quò densiora sunt: ideoque Cœli vix ad nos reflectunt lumen, quoniam ratione magnæ raritatis suæ à radijs solaribus permeantur.


10 *DICES*: Si partes maculosæ in Lunà essent rariores; aut essent æqualiter raræ in tota profunditate corporis Lunę; aut inæqualiter, ita vt minùs raræ existerent, sive densiores existerent, in profunditate Lunæ, rariores autem in superficie. At neutrum esse potest. Ergo maculæ Lunæ non consistunt in partibus rarioribus. Probatur minor quò ad vtramque partẽ. Quò ad primam quidem: nam si maculæ lunares essent æqualiter raræ quò ad totã profunditatẽ; radij Solis totam illam permearent, & vlteriùs pertransirent, sicuti permeant Cœlum diaphanum, & transeunt ad illuminãdum superiora atque inferiora. Ergo quoties Sol eclipsim patitur ex interpositione Lunæ, radij ipsius per maculas Lunę ad nos pertransirent, apparerentque non minùs, quàm per medium Cœlum. quod tamen falsum esse, experimento constat. Quò ad secundam verò partẽ suaderur eadem minor: quia in quacumque parte profunditatis Lunæ fuerint partes minùs raræ ac magis densæ, impedient transitum radiorum Solis, proindeq; illos excutient, & ad nos reflectent. cuius tamen oppositum, ad sensum innotescit. Ergo de primo ad vltimum lunares maculæ non consistunt in partibus rarioribus, sive ponãtur æqualiter raræ, sive inæqualiter.

RESP.

11 *RESP.* Maculas Lunæ eſſe partes ipſius rariores cæteris, ſive æqualiter raras, ſive inæqualiter in profunditate: ita tamen, vt nullæ partes maculoſæ ſint æquè denſæ, ac reliquum Lunæ corpus; nec æquè raræ, ac partes Cœli omnino diaphanæ, quæ à radijs ſolaribus permeātur. Vnde nec infertur aliquod ex illatis abſurdis: nam vt in eclipſi Solis apparerēt radij ipſius per mediam Lunæ maculam, exigeretur longè maior raritas macularum; & vt ijdem reflecterētur quovis alio tempore, opus erat maiori denſitate in eiſdem maculis. Partes itaque, quas diximus rariores, & proinde maculoſas, habēt ſe quodam medio modo inter omnino raras ac denſas, ac proinde ſufficiunt ad obtundendos ſeu debilitādos Solis radios, vt nec vlteriùs tranſeant, nec reflectātur.

12 *POSSET* Quoque addi cum Averſa, independenter à raritate ac denſitate, partes maculoſas eſſe minùs lucidas ratione maioris diaphaneitatis: cæteras autem apparere lucidiores, ob minorem diaphaneitatem, & opacitatem maiorē. Quippe diaphaneitas, quò maior eſt, magis obſtat reflectendo lumini, ideoq; Cœlum nullos Solis radios ad nos reflectit: è contrà verò opacitas, quò maior, eò aptior eſt excutiendo lucis radio, & reflectendo. Ex vtroque autem capite iam aſſignato redditur idonea cauſa apparitionum in Luna obſervatarum à Galilæo, Keplero, & alijs. Quòd enim Luna opticis inſtrumentis vita exhibeat ſpeciē aliquam mōtium, vallium, terrarum, ac marium, meræ ſunt oculorum præſtigiæ, cauſatæ, tum ex magnà obiecti diſtantià, tum ex diverſitate ac varietate inter partes Lunæ raras ac denſas, diaphanas, & opacas.

13 *EX* Præiactis videtur corruere obſervatio recens Athanaſij Kircheri *vbi ſuprà capit. 4.* qui aſſerit directo tubo Aſtronomico melioris notæ in Lunam plenam ſerenà nocte, & aère vaporibus vacuo, apparere quoddam mare, immenſos terrarum tractus allambens. Et propoſito mirabili ſchemate eius phænomeni, quod hoc loco exprimendum curavimus:



Videas (inquit) *hic in medio lucido veluti Oceano quodam longè lateque circumfusas insulas: videas alicubi etiã veluti lacunas quasdam umbrosas, ex quarum centro fulgentissimi radij diffundantur: notabis quoque in extremo Lunaris disci limbo nescio quid: tremulam, fumosam diceres exhalationem, quam & inde multi Lynces cœlestis terræ Athmosphæram vocant. In eodem limbo, non sine admiratione, intueberis, in dichotomà præsertim Lunà, veluti præruptos quosdam scopulos, & concatenatorum montium ordines. Quæ omnia, quemadmodum Neapolitanus quidam artifex, & nos hic Romæ, excellentissimis tubis non semel observavimus, propriâ figurâ exhibemus. Ex quibus observationibus inter se ritè collatis, nihil aliud inferre possumus, nisi Lunam telluri nostræ prorsus similem: corpus, videlicet, ex terrâ cœlesti & aquâ constitutum, innumeris latentium seminum facultatibus præditum; quæ Solis radijs missæ, in terrâ eam rerum multitudinem producant quam quotidie quidem miramur: nemo tamen missionis rationem facilè animo concipiat.*

14 Et, exhibitâ Lunæ alterâ facie in schemate alio, aliquantulum diverso, pergit vlteriùs, his verbis: *Lucem autem illam vehementem in radios diffusam, nihil aliud putamus esse, quàm politissimam eminentioris partis lunaris superficiem, radios Solis præ cæteris partibus vehementiùs reflectentem. Si nos essemus in lunari corpore, dicerem profectò, altissimorum montium, vt Alpium, Pyrenæorum, Andium, Caucasi inaccessa iuga, perpetuâ nive glacieque tecta, similem ad nos in lunari globo constitutos lucem reflexura. Dici enim vix potest quàm intensam huiusmodi lucem ex se reflectant: quemadmodum anno 1638. dum Ætnam lustrarem in Calabriæ montibus, vicinisque circumfusis insulis, non sine voluptate, me observasse memini.* Verùm modestè addit: *Sed hæ sunt nostræ coniecturæ, quibus si quispiam aliquid melius attulerit, ei haud gravatè nos subscripturos pollicemur.*

15 Videtur, inquam, corruere. Nam quod attinet ad naturam terream Lunæ & aqueam, iam supra *disp. 63. & 64.* reiecta est prædicta opinio ex professo, cùm ibidem probatum sit omnia cœlestia corpora esse longè superioris naturæ, ac diversissimæ ab elementis. Quod verò in Lunâ appareant seminum facultates diversæ, iuxta varietatem effectuũ, quos apud nos præstat; ex eodem capite refellitur; & insuper quia corpora cœlestia per lucem & motum potissimùm operãtur in inferiora hæc, vt disput. ventura cõstabit. Quòd vlteriùs asseritur, partẽ eminentiorem Lunæ vehementiùs reflectere radios Solis, quàm alias Lunæ partes; non sufficit ad occurrendum difficultati propositæ circa maculas Lunæ. Adhuc enim quæritur, cur partes quædam corporis lunaris præ alijs reflectant Solis radios, aut omnino non reflectant, sed maculosæ appareant. Cuius rei, cùm variæ rationes ab Authoribus hucusque assignatæ videantur reiectæ, vna supereſt maioris densitatis, aut minoris causa, quam superiùs assignavimus. Mitto infidelitatem telescopiorum circa obiecta adeò disita, ratione cuius tot inæqualitates scopulorum, montium, ac marium apparere videãtur, quãvis verè in Lunâ non extent. Denique si Kircherus in Lunâ detexit veram terram similem nostræ, & veras aquas, eidẽ permixtas, & seminum facultates; cur nõ & plantas, & arbores, & animalcula, ex ijs generari solita? Præsertim, cùm in eius opinione qualitates primæ elementorum & maxime calor, in ipso Cœlo & Planetis locum habeant? Consequens autẽ absurdum esse, imò & risu dignum, nemo nõ videt. Imò & fortè non deerunt, qui præstantes Kirchero fidem, putent Paradisum terrestrem in Lunâ esse, siquidẽ terra cœlestis, & varietas aquarum, intra eam ponitur, ex quibus resultare possit amœnitas & pulchritudo Paradisi propria. Hoc autẽ statuto, erit fortè qui asserat se distincte notasse perspicillo suo Eliam & Enoch ibidem ambulantes, designetque vtriusque vultum & formam. quod sanè speciosum erit.

SECTIO SECVNDA.

An etiam in Sole maculæ existant, & quænam illarum causa sit? Referuntur variæ Astronomorum observationes, & reiectis aliorum evasionibus, probabilior eiusmodi phænomenorum ratio assignatur.

16 FLVXAM Fragilemque hominis formam temporum vicissitudinibus subiacere, mirum non est. Quippe id fert conditio propria, & materiæ ignobilitas. Ideo aiebat Seneca in Hippol.


——*fulgor, teneris qui radiat genis,*
Momento rapitur, nullaque non dies

For-

Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax.

Et Calaber lib. 4. Ἀνθρώων γὰρ γένος ἐστὶν ὁμοῖον ἄνθεσι ποίης. *Eſt genus mortalium ſimile floſculis.* Sed cur & Sol, pulchritudinis totiùs idea? Quique præ aſtris omnibus à Magno Baſilio *Hom. 6 Hex.* ὀφθαλμὸς διαυγὴς, *oculus ſplendidus* appellatur? Stabilem illius ſplendorem, nullis fuliginibus interturbatum, ſerenum, & omni nævo ſuperiorem, omnes putabāt. At quaſi pulchritudo ipſius fugax ſit, & mortalis, ac brevis, vt in floſculis, teſtantur plurimi, ad tempus apparere maculoſam.

17 *CLEOMEDES Libr. 2. de Mundo*, nō longè ab initio, teſtatus eſt, ſœpe circa Solē apparere maculas. Ait enim: *Quæ ſæpe circa Solem apparent maculæ nubiloſæ, infinitis penè myriadibus diſtantes, circa ipſum Solē eſſe videntur.* Suetonius refert eo tempore, quo Iulius Cæſar trucidabatur, apparuiſſe diu circa Solem quandam materiā craſſam & fuliginoſam. Imò & Plinius *lib. 2. c. 30.* ait: *Fiunt prodigioſi & longiores Solis defectus, qualis occiſo Dictatore Cæſare, & Antoniano bello, totius penè anni pallore continuo.* Aldovrandus *lib. de Prodigijs* narrat tempore Iuſtiniani Auguſti anno integro Solem, ceu velamento quodā obſeptum, adeò parū eluxiſſe, & ita obſcurè, vt in Lunam abiiſſe videretur. Haèl in ſuà Aſtrologia tradit ſimile prodigium in eodem Sole acciduſſe anno Hegiræ 64. deindeque magnam rerum deſolationem ſecutam. Paulus Diaconus author eſt, anno 790. Solem ſeptemdecim dierum ſpacio, & Cœlo maximè ſereno, adeò obſcurè ſplenduiſſe, vt potiùs tenebras, quā lucem, effundere videretur. In Francorum hiſtorijs legitur, rempore Caroli Magni viſam in Sole octo diebus maculam atri coloris, omnibus conſpicuam. Keplerus notat totum Solem viſum fuiſſe obfuſcatum anno 1547. per quatuor dies, ita vt interdiu etiam ſtellæ viſæ fuerint. Cornelius Gemma in ſua Coſmocritica aſſerit, anno 1569. Solis diſcum quaſi ſanguineo colore affuſum toti Europæ apparuiſſe multorum dierum ſpacio: idque phænomenon ſecutas plurium populorum commotiones. Anno 1625. paulò ante bellum Suecicum, teſtatur Kircherus *lib. 1. p. 1. c. 3. Artis Magnæ*, totius anni decurſu diſcū ſolarem obſervatum fuiſſe ingenti maculārum ebullitione coopertum, tum ab ipſo in Germaniā, tum a Scheinero Romæ commorante. Paulò antea Venetus quidā ſub ficto nomine Protogenis, & quidam alij, celebriores reddidere maculas Solis, exquiſitiſsimis teleſcopijs detectas. Porrò eius phænomeni ſchema tale eſt.



18 *IVXTA* Quorum accuratam obſervationem, prædictæ Solis maculæ ſunt longè diverſæ à maculis Lunæ, nec totidem: ſed aliæ atque aliæ, modo plures, modò pauciores, & quandoq; nullæ. Non diu permanent, nec ſemper retinent figuram eandem, quā à principio habuerunt, nec eundem ſtatum, & magnitudinem. Quandoq; apparent congregatæ & conſpiſſatæ: quandoque diſtractæ & diſſipatæ. Sæpè vna in plures dividitur, ſæpè & plures in vnam colliguntur. Frequenter oriūtur in vno latere Solis, & poſtea in alio oppoſito ex diametro occidunt. Videntur habere motum proprium ſub Sole, præter motum frequentem ipſius Solis, excurrendo, ſcilicet, a limbo Orientali Solis ad Occidentalem, eo decurſu temporis, quo in Sole apparent; idque ſpatio circiter quatuordecim dierum, ita vt ſingulis diebus nonnihil progrediantur, ſervato tenore regulari in ipſo motu. Maculæ autem ſemel à Sole recedentes, nunquam vltrà ſunt reverti.

19 *NOTANT* Præterea, maculas, diverſis diei horis obſervatas, videri gyrare, ita vt quæ primo manè apparebat in puncto ſuperiori, poſtea meridie appareat in laterali, ac ſub Occaſum in inferiori; & è contrà: quia, nimirum, illud Solis punctum, quod in Ortu erat veluti infimum, ſive proximius Horizonti, ac proinde vltimum in ſurgendo, poſtea in Occaſu eſt ſupremum, ſive remotius ab altero Horizonte, atque adeò poſtremum in occidēdo. Si autem quis nolit directè aſpicere Solem per tubum, ne nimia lux oculos perſtringat (cui periculo evitando adhiberi ſolet aliud vitrum coloratum ante oculos) poterit directo tubo in Solem per foramen alicuius feneſtræ cubilis clauſi excipere radium Solis in tabulā: in eaque clariſsimè notabit maculas prædictas: niſi quòd in illā erit punctum inferius, quod directo in Solem viſu per tubum apparebat ſuperius, & è contrà. Nimirum ea Solis imago (ſic enim appellari ſolet) inverſo ordine Solem ipſum repræſentat in tabula: ſicuti quando quis conſulit faciem ſuam in ſpeculo, apparet ſiniſter oculus in parte dextrà ſpeculi, & dexter in ſiniſtrà; ac quoties arbores ripæ repræſentantur in flumine, truncum inferius videtur occupare locum ſuperiorem imaginis, & ſuperiores rami inferiorem. Sic igitur in prædictā Solis imagine maculæ invertunt ordinem, & quæ ſuprema apparebat, corpore Solis directè ſpectato, videtur infima, atque è converſo.

20 *PORRO* Authores, qui docēt Solem igneæ eſſe naturæ, & intra Cœlum nova ſæpe meteora ac phęnomena generari, Cœlumque ipſum non eſſe ſolidum, ſed fluidum, vt Kircherus, Cyſatus, Nierembergius, & alij allegati ſuprà *diſp. 64.* cohęrenter quoque eiuſmodi macularum generationem & corruptionem circa ipſum Solem tuentur. Sed audire par eſt Sancta Crucium, recentem & acerrimum eius opinionis defenſorem in Compendio doctrinæ librorum de Cœlo & Mundo, *num.* 958. pagina mihi 473. editionis Romanæ: vbi, vt cauſam macularum Solis aſsignet, ita loquitur: *Dum Sol volutatur corpore ſuo propè immenſo, & grandibus alis; fugat, quæ cogit, corpora, ſi ea non comburit, & attrahit incredibili velocitate & amicà violentià, inferiora præſertim corpora omnia intercepta inter ſe & ſuperficiem terræ: omnia, nimirum, commoveri neceſſe eſt, maria, aèrem, vapores, exhalationes, & ſi quæ ſunt in ſpatio liquentitanto, & tam vaſto, ſenſibilia atque inſenſibilia corpuſcula, vt vacuo magno ſuccurrant: immediatè quidem, viciniora alæ Solis; & deinde reliqua ſucceſſivè. Quo fit, vt ala ſecunda ſuperveniens inveniat aliquod pabulum, & ſimili violentià præparet paſtum alæ ſubſequenti, & ſic ſine fine. Et quia contingit pabula omnia diſſimilaria eſſe, alia ſcilicet, pinguiora, alia tenuiora, ſive rariora; ideo ex parte apparent maculæ, & faculæ, &c.* In quo maximè conſentire videtur Kirchero vbi ſuprà, aſſerenti Solem quinquaginta, aut ſexaginta maculas ſubire, tantæ magnitudinis, vt Lunæ terræque ſuperficiem æquare videantur; eaſque provenire ex ingenti copiā ebullientium ſolarium evaporationū. Idem antea tradiderant Keplerus in ſua Epitome *pag.* 56. Camillus Glorioſus *lib. 5. de Cometis, c. 1.*

21 *VERVM* Doctrina hæc ſupponit opinionem minùs probabilem de naturā Solis formaliter igneā, reiectam à nobis diſputationibus 63. & 64. Deinde, ſi Sol totus igneus eſt, & tantæ efficaciæ, quantæ molis, ad abſumendum circunſtantia corpora, vt pabulum, quo alitur; oportebit planè ingentem Cœli ſui partem, quotidie conflagrari, ac proinde quidquid eſt in toto Zodiaco ſingulis annis abſumi ſolari igne, totum illum aſsiduis gyris perluſtran-

ſtrante, & comburente. Cùm enim annua Solis circunferentia alteratur corruptibilis ex natura ſua, ſubibit planè corruptionem, ſive conflagrationē à vicino & potentiſsimo igne. Porrò eadem ferè videtur eſſe ratio de toto Cœlo Solis, propter continuationem cæterarum eius partium cum Zodiaco: imo & de toto Cœlo viſibili, quod iuxta relatos Authores vnicum eſt: eadem quoque de Planetis & ſtellis. Abſumentur enim mediatè a Sole, ſeu mediis alijs partibus ab eo combuſtis immediatè; ſicuti ijdem aſſerunt, quidquid eſt infra Solem vſque ad terram, comoveri ab ipſo, in toto eo vaſtiſsimo ſpatio, fieriq́ue pabulum Solis: vicinora quidem corpora, immediatè; remotiora autem ijs mediantibus. Conſequens autem abſurdū eſſe, & plus nimio paradoxum, communiq́ue omnium aliorum exiſtimationi repugnans, probatione non eget. Igitur maculæ Solis non proveniunt ex eo quod Sol comburat vicina corpora, & ijs mediantibus remotiora, vt exinde evaporationes mittat, & maculas ſubeat.

22 *DEINDE* Refellitur, quia coincidit cum veteri illà opinione Stoicorum aſſerentium luminaria cœleſtia eſſe ignea, paſciq́ue halitibus è terra & aquà ſublatis, præcipuè Solem. De qua Ariſtotel. *lib. 2. Meteorων cap. 2.* ita iudicium fert: *διὸ καὶ γελοῖοι πάντες ὅσοι τῷ πρότερον ὑπέλαβον τὸν ἥλιον τρέφεσθαι τῷ ὑγρῷ. Ridiculi itaque omnes ſunt, qui ſuperioribus temporibus exiſtimārunt, Solem ex humore alimenta percipere.* Et præter alias rationes, hanc aſſignat: *Ridiculum eſt arbitrari id humoris, quod effertur, vſque ad Solem pervenire poſſe, aut certè viam per ſuperiora capeſſere, vt ſuborientem flammam facere videmus. De quà re cùm veroſimilem duxiſſent rationem, ad hunc ſanè modum de Sole etiam ſentire viſi ſunt. At hoc penitus diſſimile eſt. Nam flamma ex humore & ſiccitate, quæ aſſiduè comitantur, ſuboritur.* Nec interim alimento vllo ſuſtentatur, quandoquidem nullo, *vt ita loquar, temporis puncto eadem remanet. Sed in Sole hoc accidere nequit: cùm pateat, ſi eodem ille modo alimentum hauriat, quo iſti memoriæ prodiderunt, ipſum non modò iuvenem quotidie eſſe, vt Heraclitus ait, verùm etiam perpetuam acturum iuventutem.* Scilicet, oporteret Solem aſſidua ſui mutatione, vehementiſsimoq́ue caloris impulſu, nutriri exteriori pabulo, illudq́ue in ſuam ſubſtantiam convertere, interim deperdita æquali ſui portione. quo proinde fieret Solem quotidie eſſe iuvenem, imò & ſeipſum in ſubſtantia renovare per propriam actionem: quod nobiliſsimæ cœleſtium corporum naturæ repugnat. Plura quoque alia vigent ibidem Ariſt. in eandem exiſtimationem, quamvis fatear illam ipſam tacitam fuiſſe poſtea à Plinio *lib. 2. cap. 9.* Seneca *lib. 7. Nat. QQ.* & alijs.

23 *PRÆTEREA* Reijcitur: Quia nullum apparet caput veroſimile, vt ex corpore Solis vlli halitus vel evaporationes prodire queant. Siquas enim in hoc mundo inferiori novimus, certè illæ oriūtur ex terra aut aqua, & caloris virtute rarefiunt, & levitant. quod totum deficit in Sole, nullatenus ex terra aut aqua cōpacto. Deinde, eſto Sol mitteret prædictos halitus, ij deberent eſſe luciditsimi, ſicut ipſe Sol, de cuius ſubſtantia prodirent. Nullas ergo parerent nebulas, ſive maculas in Sole, ſed ille omnino lucidus appareret. Denique, cùm eorundem Authorum opinione Luna ſit quædā terræ, maris, aèriſq́ue mixtura; deberent multò magis vapores ex ipſa, quàm ex Sole, expirare. quod tamen nec ijdem dicere audent.

24 *AVTHORES* Verò incorruptibilitatem cœleſtium corporum ſtatuentes cum Ariſtotele & D. Thomà, à nobis etiam ſæpe tradita, difficilè obſervationibus præactis occurrunt. *PRIMO* aliqui aiunt nullas circa Solem maculas eſſe: ſiquæ vero per telescopium interpoſitum apparent, eſſe mera oculorum ludibria; aut vitium vitri, plerumq́ue conſtantis inæqualibus partibus penes obſcuritatem & claritatem; aut perturbationē oculorum, quos nimius Solis ſplendor perſtringit; aut fallaciam ex inflexione & fractione radiorum in tubo ortam; aut denique hæc omnia ſimul. Quæ evaſio verò admodum humilis quidem eſt, & ſatis probabilis, ac cohærens noſtræ doctrinæ, qua ſæpe occurrere ſolitus ſum his obſervationibus per telescopia factis circa Lunam & ſtellas. Et certè qui illam obfirmato animo tueri voluerit in præſenti materiā, non facilè convincetur erroris, & a pluribus difficultatibus, nodiſque penè inextricabilibus, ſe expediet. Accedit quod inter ipſos Authores exquiſitis tubis vſos ſit contradictio circa phænomena: ſiquidem Galilæus *in Nuntio Sidereo* ait, ſe vidiſſe ſtellas

non

non perfectè rotundas; Simon autem Marius *in Mundo Iouiali* de ſe affirmat oppoſitum.

25 *VERVM* Quiſquis, vel ſemel, medio tubo, deprehenderit maculas circa Solem, difficilè id adſcribet alicui illuſioni oculorum, aut vitio vitri. Nam ſi hoc eligatur omnino terſum, & æquabile, excipiaturque Solis imago per tubum ingreſſa in tabulà, aut pariete candido, vel ſpeculo polito & terſo, apparebunt planè maculæ plures nonnunquam in ea imagine, abſque vllo labore, aut perſtrictione oculorum; idque per plures dies continuatos, & ſive ab vno, ſive à pluribus ſimul attendatur imago, & eodem prorſus tubo, aut diverſis. Id totum plane exprimebatur in illo admirando teleſcopio, quod ex Sicilià attulit Pompeiopolim Illuſtriſ. D. Didacus de Traſmiera, Regens Supremi Senatus Navarræ anno 1657. quo ipſo Theologiam docere cœpi in eodem Regno, & Hyrachenſi Academià. Quiſquis verò per ſeipſum id expertus non fuerit, pervicaciæ notam meritò ſubiturus videtur, ſi nullam fidem præſtet innumeris Philoſophis, & Aſtronomis ſpectatæ vitæ, ac doctrinæ, qui omnes id conteſtantur diuturno oculorum experimento, & conſenſione mirà. Videtur ergo neceſſarium admittere veras, ac reales maculas circa Solem.

26 *SECVNDO* Alij, admittentes veras eiuſmodi maculas, aiunt, totum id fieri poſſe ſalvà cœleſtium corporum incorruptibilitate, & ingenerabilitate: quia Sol non eſt quoddam corpus ſolidum, ſed fluidum, in ſuo loco, tanquam in vaſe cõtentum, atque in ſeipſo agitatum inſtar alicuius metalli ferventis; in eoque ſunt partes quædam opacæ & obſcuræ, quæ ſubinde ad extimam Solis faciem deducuntur, & poſtea introrſus reducuntur, atque variationem ſervant, & motum, ordinemque ab Aſtronomis obſervatum. Sic enim componi poſſunt omnia phænomena relata cum incorruptibilitate Solis, ſive ſurſum deorſumque in ſeipſo, ac proprio loco, volvatur virtute Intelligentiæ moventis; ſive intra quẽdam veluti epicyclum contentus, per revolutionem eiuſdem epicycli convertatur in circulum circa proprium centrum. Ita Averſa *q.* 34. *ſect.* 9. *circa finem*: cuius doctrina probabiliter, & abſque gravi difficultate defendi poteſt ab ijs, qui docent Solem naturà ſuà fluidum eſſe. Cùm verò nos *diſp.* 66. per totam oppoſitum ex profeſſo ſtatuerimus, aliam viã inſiſtere debemus ad componẽda prædicta phænomena cum Solis firmitate, ac ſoliditate.

26 *TERTIO* Aliqui, vt ſtatuant maculas firmas & incorruptibiles in ipſo Cœlo, quæ ſub Sole tranſcurrant, aiunt in Cœlis inferioribus, eà viâ, quà ſub Sole tranſeunt, eſſe partes quaſdam opaciores, ac denſiores alijs: quia nihil abſurdi eſt, imò potiùs maximè expedit aſſerere inæqualitatem eiuſmodi partium in Cœlo, penes maiorem, aut minorem opacitatem & denſitatem: vt de maculis Lunæ dictum eſt ſectione præcedenti. Hoc autem poſito, redditur idonea ratio, cur maculæ in Sole appareant: quia, nimirum, partes denſiores Cœlorum inferiorũ dum tranſeunt ſub Sole, aliquam illius partẽ obumbrant, ratione minoris perſpicuitatis, atque adeò ipſum maculoſum reddere videntur, quamvis in ſeipſo omnino lucidus ſit.

27 *CÆTERVM* Hic dicendi modus difficilis eſt. *Primò*: Quia ſæpiſsimè obſervatum eſt, prædictas maculas in Sole permanere decurſu quatuordecim dierum, vt ſuprà monuimus, atque adeò motũ illum ſuum peragere ſingulas per triginta minuta, ideſt, duobus minutis quotidie, & nonnihil ampliùs. Omnes autem alij Cœli inferiores Cœlo Solis diverſam motus mẽſuram, & longè minorem, quatuordecim diebus, & quolibet die conficiunt. Non ergo maculæ illæ reſident in Cœlo aliquo inferiori Cœlo Solis. *Secundò*. Si in Cœlo aliquo inferiori Cœlo Solis eſſent partes aliquæ, imò & plurimæ, ac maximæ, vt opus eſt in hac opinione, quæ denſitate & opacitate ſuà occultarent nobis aliquas Solis partes, dum ſub illo tranſeunt; eædẽ quoque ſufficerent in cœlo Lunæ v. g. ad occultandum nobis Mercurium, ſaltem ſemel, aut iterum; ſimiliter & in cœlo Mercurij ad abſcondendam Venerem; & potiori quidem ratione, quàm particulam Solis. Similiter & abſconderent ſæpius ſtellas inerrantes; vtpotè interpoſitæ in medio earum, & aſpectus noſtri. Cumque vmbra, ſeu potius macula à partibus opacis reſultans in ordine ad oculos noſtros incomparabiliter ijs minores, non poſſet eſſe parallela, nec conica, vt ex ſe patet; deberet protendi & augeri magis ac magis à cœlis inferioribus vſque ad octavum

ſi-

ſiderum, proindeque abſconderet magnã ſtellarum partem. quod tamen patet eſſe falſum aſsiduo ſæculorum experimento in oppoſitum.

28 *PRÆTEREA.* Si maculæ prædictæ eſſent in aliquo Cœlo trium inferiorum, Lunæ, Mercurij, aut Veneris, deberent referre parallaxim aliquam. quæ tamen hucuſque deprehenſa non eſt, ne quidem exquiſitis tubis. *Inſuper* iuxta prædictam exiſtimationem nulla videtur reddi poſſe idonea ratio earum macularum, quę interdum ſurgere incipiunt in medio Solis corpore, aut in medio Sole deſinunt. Si enim orirentur ex partibus inferiori Cœli ſub Sole tranſcurrentibus, deberent ſemper primò ſurgere à limbo Solis, & vſque ad finem totius circumferẽtiæ procedere. *Denique* vix intelligi poteſt in Cœlo aliquo ex viſibilibus eſſe partes aliquas opaciores cæteris, quæ non excutiant lumen Solis, eiuſque radios ad nos reflectant inſtar Lunæ ac ſtellarum. Quod tamen neque ipſi Adverſarij vnquam notarunt. Cõmentitia igitur eſt ratio tradita macularum Solis ex partibus opacioribus ſub inferiori Cœlo.

29 *QVARTÒ* Malapertius *in Oratione habitâ Duaci de hoc ipſo*, Ioannes Tarde *lib. de Sideribus Borbonijs, cap.* 5. & Pſeudo-Protogenes, atque Apelles, ſuprà allegati, dicunt maculas Solis eſſe quaſdam partes Cœli opacas & denſiores alijs, quæ tamen revolvantur circa ipſum Solem in quodam epicyclo, ſicuti Recentiorum opinione Mercurius & Venus revolvuntur circa Solem: ipſum verò epicyclum perficere motum ſuum ſpacio temporis correſpondente motui macularum ſub Sole apparentium; nimirum, per duo ferè minuta vnoquoque die; & tunc ſolùm nobis manifeſtare maculas, quando partes opaciores directè ſub Sole refert. Si autem quis opponat, inde ſequi habituras rationem ſtellarum, ideoque ſub earum formâ apparituras, vt nos ſuprà arguebamus: Reſpondet Appelles negando poſteriorem illationis partem: quia cùm partes illæ denſiores ſint valde propinquæ Soli, & ab eo quam longiſsimè excedantur in lumine; non ſinuntur coram eo lucere: ſicut nec coram eo apparent ſtellæ, quæ paulò ante ortum & poſt occaſum ſunt valde vicinæ Soli.

30 *SED Contrà I.* Si maculæ eſſent partes Cœli denſiores ſub aliquo epicyclo contentæ, & revolutæ circa Solem; eſſent planè conſiſtentes & perpetuæ, ſicut luminaria omnia, quæ in epicyclis continentur. Atqui ex obſervationibus Recentiorũ conſtat, maculas illas non eſſe conſiſtentes & perpetuas: quia, præterquàm quòd non vltra quartumdecimum diem perſeverant diuturniores illarum, quædam aliæ repentè incipiunt, & ſubitò deſinunt. Igitur maculæ illæ non ſunt partes Cœli denſiores ſub aliquo epicyclo contentæ, & revolutæ circa ipſum Solem. *Contrà II.* Vel maculæ illæ revolverentur valdè proximè iuxta Solem, vel aliquantulum remotè. Non primum: quia ſic eædem maculę, quæ ſemel tranſierunt, citò reverterentur, ac ſeſe iterum nobis manifeſtarent. quod experimento conſtat eſſe falſum. Non ſecundum: quia ſic deberent etiam redire, & patefieri in eodem epicyclo poſt aliquod ſpacium maius, quod nec hucuſque vſum eſt. Deberent inſuper, eo interſtitio temporis, quo à Sole aliquantulùm remotè ab ſunt, apparere ſeorſim extra orbitam Solis; ſicuti Mercurius non ita longè ab eâ conſpicuus apparet, dum per aliquot gradus removetur à Sole. Conſequens verò falſum eſſe, experimento patet. Mitto plura alia, quæ in eandem opinionem vrget Galilæus allegatus.

32 *QVINTÒ* Alij dixerunt, eiuſmodi maculas eſſe quoldam vapores & halitus ex terra & aqua elevatos ad ſupremam regionem infra Cœlum ipſum, virtute radiorum Solis attractos, & ſub eo verſantes ita vt obſtent plenæ Solis apparentiæ, ipſumque quò ad partes quaſdam maculare videantur, licèt in ſe nullam maculam ſubeat. Quod quidem ſatis veroſimile apparet: *Primò*: Quia maculæ illæ apparent quaſi nebulæ, irregulares, ac variæ in figura & motu. Ergo verè ſunt quaſi nebulæ aut nubes virtute Solis attractæ, aliæ atque aliæ ſucceſsivè, ab ipsâ terrâ & aqua vſque ad ipſa Cœli confinia; in quibus aliquantò perſiſtant, donec virtute Solis abſumantur. *Secundò*: Quia receptiſsima ſententia eſt, cometas nullatenus in ipſo Cœlo locum habere, ſed tantùm eſſe halitus elementares, virtute Solis attractos, vſque ad proxima Cœli confinia: vt conſtabit ex dicendis circa libros Meteorologicorum. Ergo idem ferè de maculis exiſtimari debet.

33 *SED* Revera hæc opinio ingentes patitur difficultates. *Prima* eſt, quod certum videatur eiuſmodi maculas non in elemantari mundo, ſive in eius confi-

nijs,

nijs, imò neque in aliquo Cœlo ex inferioribus Sole, sed iuxta ipsum Solem existere: Tum quia ita ab Astronomis observatum est: Tum præterea, quoniam ijs quatuordecim diebus, quibus apparent sub Sole, exactissimè sequuntur motum Solis per totum Cœli circuitum, eiusque diametrũ percurrunt ab vno limbo in alium. quod tamen vaporibus, seu halitibus ex terra attractis convenire nequit tam regulariter & vniformiter: vt & nos in varijs cometis observavimus. *Secundò*, difficultas procedit ex omnimodà identitate aspectus eiusmodi phænomenorum, absque vllà sensibili parallaxi inter maculas & Solem. Deprehensum enim traditur vsu telescopiorum, maculas omnino easdem apparere solitas, & in eodem prorsus situ atque aspectu, sive ex diversis, atque inter se dissitis locis aspiciantur, sive ex eodem loco, & diversis diei horis; nisi in quantum proprio ipsarum motu procedunt à limbo ad limbum Solis. At si maculæ essent in regione aliquà elementari infrà Cœlum, manifestam parallaxim subirent, deberentque a manè vsque ad meridiem omnino subtrahi a Sole; vtpote vel ipsa Luna, quamvis Soli propior, eodem interstitio temporis à Sole subtrahitur, & ratione parallaxeos variat aspectum vno circiter gradu; ideſt, duplò quàm diametrum Solis, contentã medietate vnius gradus, sive; quod perinde est, triginta minutis. Igitur maculæ non sunt in aliqua regione elementari infra Cœlum.

34 *PORRO* Vniformitas prædicta macularum absque vllà parallaxi facilè observari deprehendique poterit à quolibet, simplici oculorum aspectu; modò à primo ortu Solis dirigat tubum in Solem, eiusque maculas in imagine, seu tabulà, aut pariete candido, vt diximus suprà, exceptas, intueatur; posteaque converso eodem tubo circa Solem, suo cursu progredientem, easdem similiter attendat per totam diem. Inveniet enim meridie, ac vespere, easdem numero maculas, quas manè notavit, cum omnimodà identitate figuræ (quæ quandoque notabilis & extraordinaria esse soler) & aspectus, absque vlla parallaxi. Si autem plures certo quodam ordine manè apparuerunt, inveniuntur tota die eum ordinem & situm servare, vt proinde dubium non sit, easdem numero ac serie esse quibuslibet diei horis.

35 *QVAPROPTER* Videtur certum (nisi observationes dictæ ab inexpertis hominibus respuantur) omnes maculas eiusmodi in Cœlo Solis, & iuxta ipsum Solem realiter existere. Cùm verò tot modi dicendi hactenus relati appareant vsque adeò difficiles, vnus adhuc restare videtur, qui rem componat cum incorruptibilitate & soliditate omnium corporum cœlestium. Pro quo observandum est ex dictis *disp. 64. num. 25.* & dicendis in tractatu de Meteoris, corporibus cœlestibus solùm repugnare mutationem substantialem, seu corruptivam; non verò accidentalem, seu perfectivam, aut quoddammodo variantem corpora cœlestia penes maiorem vel minorem lucem, efficacitatem, figuramvè. Id enim provenire potest, tum à Deo supernaturaliter operante, vt quandoque accidit; tum & virtute Angeli motoris; tum denique vi causarum cœlestium, quanquam nondum in specie exploratarum. Possunt enim ratione alicuius circunstantiæ specialis causare interdum aliquam opacitatem in vnà aut pluribus particulis Solis, quæ aliquandiu duret, cicaturque illo peculiari motu, ac postea omnino diffluat, innoveturvè, & iubeat omnes illas mutationes, quæ de ijs maculis hucusque dictæ sunt. Fateor ingenuè hunc quoque dicendi modum nonnihil difficultatis habere, ac rem incertam esse. Si quis aliquid rationabilius invenerit, ipsius opinioni libentissimè subscribemus.

SECTIO TERTIA.

Carnunquam Sol visus fuerit maculosus ex interpositione Veneris, aut Mercurij?

36 *RATIO* Dubitandi oritur ex eo quòd Mercurius sit in secundo Cœlo, & Venus in tertio, ac proinde vterque cieatur sub Sole, medietque sæpè inter ipsum, & terram. Videbatur itaque Sol subiturus deliquium aliquod lucis ex interpositione vtriusque Planetæ, sicut ex interpositione Lunæ, quamvis non æquale; quia Luna ijs duobus maior est, & nobis proximior, ac proinde aptior ad abscondendam maiorem Solis partem. Aliunde verò nullus Astronomorum invenitur deprehendisse deliquium, maculamvè, in Sole ex prædictà causà, adhuc sub diversà parallaxi. Eadem vero difficultas est, statutà opi-

opinione, alibi à nobis reiectà, aſſerentium, Mercurium ac Venerem vago quodam modo fluitare per Cœlum, & quandoque viſos ſupra Solem. Nam ſaltem regulariter aſſerunt vtrumque infra Solem verſari: eoque ſuppoſito procedit difficultas eadem.

37 *PRIMA* Ratio aliquorum eſt, quia prædicti duo Planetæ ſunt diaphani, ideoque licèt ſupponantur Soli, nullo modo ipſum obſcurant. Verùm hoc facilè reijcitur: quia nullum ſidus, nec fixum, nec errans, eſſe poteſt diaphanum: ſiquidē nullum illorum eſt perviū viſui, nec aditū præſtat oculis ad vlteriora obiecta; ſed totum illorum intuitum finit ac terminat. Deinde patet tantam lucis emiſsionē, quantam experimur in Mercurio, & præſertim in Venere, ſolùm poſſe à corpore opaco & impervio provenire. Adde, ſi vera eſſet obſervatio relata *n.* 1. circa Venerem cornua vertentem in parte oppoſitā Soli, nullum fore locum vt diaphana ſit, quemadmodum nullus in Luna eſt.

38 *SECVNDA* Aliorum confugit ad exiguitatem Mercurij ac Veneris relatè ad Solem: ideoque ait, quamvis vterque ſub eo tranſeat, & interponatur viſui, adhuc non apparere, nec reddere maculoſum Solem, aut ſubeuntem deliquium aliquod lucis: quia tantilla interpoſitio exigui Planetæ quaſi nihil eſt ad abſcondendum luminare adeò magnum. *SED Contrà*. Difficultas non vrget circa totum Solem, quem nolumus abſcondendum iri ſolà interpoſitione exigui Planetę, ſed circa aliquam eius partem, & quidem non exiguam. Venus enim dimidium magnitudinis Lunæ excedit, Mercurius autem quintam ferè Lunæ partem adæquat, vt conſtat ex dictis *ſuprà diſput. 68. n. 25.* Igitur quemadmodum Luna interpoſita totum ſæpe Solem abſcondit, ita & Mercurius ac Venus deberent abſcondere notabilem Solis partem, proportione ſervatà iuxtà maiorem diſtantiam à nobis, & minorem à Sole. Præterea, ex dictis ſuperiori ſectione, & nuperis Aſtronomorum obſervationibus, conſtare videtur, plures maculas in ipſo Sole detegi, quæ tamen non excedunt, imò nec adæquant magnitudinem Veneris. Ergo Venus ipſa, quæ longè vicinior nobis eſt, multò magis & maiori ex parte reddet macūloſum Solem, ſi ſub eo interponatur. Idemq; ferè eſt de Mercurio.

39 *SVPEREST* Igitur reſpōdendum cum Ptolemæo in ſua cœleſtium corporum conſtitutione, rationem quare Sol nullum patiatur lucis diſpendium ab vtroque Planeta, eſſe, quia directè neuter illorum vnquam ſupponitur Soli, quamvis in Cœlo inferiori ſit: vterque enim ita diſpoſitus eſt, vt nunquam tranſeat per eandem Solis lineam, quæ eſt Ecliptica, & in quà ſola fiunt eclipſes. Addunt alij, potuiſſe accidere, vt in coniunctionibus vſque modò obſervatis, quoties ij Planetæ ſub Sole tranſierunt, non tranſierint ipſo cōiunctionis tempore per Ecliptica; ſed antè, aut poſt: ideoque nunquam, aut rariſsimè viſum aliquem eorum directè ſub Sole:



FE ILLVS-

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISS. D. *D. ALPHONSO DE LOS RIOS ANGVLO,* IACOBÆO EQVITI, SVMMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO.



OELESTIVM Sphærarum, luminariumque operationes miras, varias, ac potentissimas in hunc mundum inferiorem, dum mecũ expendo, *CLARISSIME VIR*, non possum non attendere, quam liberaliter Cœlum in quosdam mortalium dona sua effuderit, larga, & veluti prodiga manu. Quibusdam dedit oriri defæcato ac nobili sanguine, sub climate salutari, & benigno siderum aspectu. Alijs præterea indidit suavissimam morum indolem, atque animum sublimem, rebus hisce caducis ac fluentibus superiorem. Quid, si vlteriùs addiderit ingenij subtilitatem, memoriæ præstantiam, litterarum decus, prudentiæ pondus, & antiquos mores? Pauci sanè numerantur, quibus omnia hæc a Cœlo simul accepisse contigit. A Cœlo, inquam; non vt authore; sed tanquam Numinis administro, seu veriùs instrumento. Id, vel Ethnicis notum, & a Pindaro decantatum, Ode 9. Olymp. ijs verbis: ἀγαθοὶ δὲ σοφοὶ χἠ δαίμονι ἀνδρες γένοντο. *Quotquot viri sunt strenui & sapientes, extitêre a Deo.* Quippe altiorum vis in temperamentum, complexionem, & organa hæc corporis, ac sensuum, rationi deservientia, plurimùm potest: at, nisi ex summi Authoris nutu, non potest. Verùm *TIBI* inter eos paucos locum esse, multa sunt, quæ suadeant. Non aliud probat ingenua nobilitas, è montana Hispanæ regione ortum ducens. Insignes *fluvios* è montibus nasci, penè omnes norunt. Etenim aquarum claritas, cœlesti claritati simillima, exigit incunabula sublimia, & Cœlo propinqua. Ideo & aqua è montanis culminibus orta, postea facilè quoquò versum ascendit. *E summis iugis erumpit* (verba sunt Plinij 2. Histor. Natur. c. 65.) *quo spiritus acta & terræ pondere expressa, siphonum modo emicat: tantumque à periculo decidendi abest, vt in summa quæque & altissima exiliat.* Quid, quòd è fluviorum, *DE LOS RIOS*, montano, sublimi, & clarissimo genere ortus, nunquam decideris, sed in summa quæque & altissima honorum fastigia ascenderis? Purpureum Togæ decus meruisti in Maiori Collegio Archiepiscopi Toletani, cuius stemma celsissimum ac planè siderum est: Vespertinam Iuris Pontificij Cathedram in Salmanticensi Academiâ, totius Orbis suprema: militarem ensem *D. IACOBI*, filij tonitrui, qui meteoris cœlestibus accensetur: ac tandem, post varios honorum gradus, iustè ac laudabiliter peractos, excelsum culmen in Summo ac Regio Castellæ Senatu. Nihil est, quod sublime non sit. Nihil, quod genus, patria, ingenium, studia, & mores non antè fuerint auspicati. Verùm & præterire non licet, quantis nominibus *TIBI* obstricta sit Rivogiæ totius celeberrima Regio (cui primæ lucis vsuram debui) eiusque caput Lucrũnensis vrbs, alias Iuliobriga, dum ipsũ imperares, non tam Prætorio nomine, quàm paterno munere. Testes hodie sunt, nobiles & ignobiles, suavissimæ illius humanitatis, quâ infractum iustitiæ zelum, integritatemque, Regio administro dignam, emolliebas, ac veluti temperabas. Nollent adhuc regimini alterius subiacere, si cum summo dignitatis fastigio, in quo eminens, fœderari posset inferiorum rerum cura. Vellent simul Prætorem, quem Consulem venerantur. At quoniam id fas non est, nomini Tuo columnas gratitudinis erigunt, nullâ oblivione diruendas. Et ego, qualiscumque sim, tum patrio, tum ac meo nomine, hoc exiguum observãtiæ testimonium, amorisque mnemosynon, posteris relinquendum curavi. Vale, *ILLVSTRISSIME D.* & communi Hispaniæ bono invigilare perge.

DISP.

DISP. SEPTVAG. TERTIA.

DE OPERATIONIBVS COELESTIVM CORporum in hæc inferiora.

Num. 1. ARISTOTELES *Physic. 2. cap. 2. textu* 26. *dixit*: ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ ἥλιος: homo & Sol generant hominem. *quod in commune axioma abijt. Et* lib. 1. Meteor. c. 2. *docet, debere hunc mundum inferiorem esse contiguum lationibus cœlestibus, vt inde gubernetur. Ac* lib. 2. de Gener. textu 55. & 56. & lib. 4. de Gener. Animalium cap. vlt. & lib. 12. Metaph. textu 34. *statuit, corpora cœlestia, præsertim verò Solem ac Lunam, causas existere generationum, corruptionum, & perfectionum in hisce rebus inferioribus. Denique, quod nostro instituto propius accedit, in præsenti* lib. 2. c. 3. *vestigans rationem, quâ plures motus conveniant cœlestibus corporibus, docet id esse, propter pluralitatem generationum, addit que* textu 20. *eiusdem capitis*: εἰ δὲ γένεσιν, ἀναγκαῖον καὶ ἄλλην εἶναι φορὰν, ἢ μίαν, ἢ πλείους· ἡ γὰρ τοῦ ὅλου, ὡσαύτως ἀναγκαῖον ἔχειν καὶ τὰ στοιχεῖα τῶν σωμάτων πρὸς ἄλληλα, &c. Quòd si generationem esse necesse est; & aliam lationem, aut vnam, aut plures, esse necesse est. Nam, vt sese habet totius motio Cœli, sic elemẽta corporum inter sese respectu generationis habere necesse est. *Quare supra dictum caput excitari potest disputatio hæc, quâ inquirimus, an corpora cœlestia exerceant operationes aliquas in hæc inferiora, & quænam illæ sint. Eademque locum habet* cap. 7. textu 42. *eiusdem libri secundi.*

SECTIO PRIMA.

Ostenditur, tum generatim, tum & speciatim, omnia corpora cœlestia in his inferioribus multipliciter operari. Indicantur stellarum, tam errantium, quàm inerrantium, effecta plura satis mirabilia, ac lectu iucunda.

2 PRINCIPIO Statuendum est, corpora cœlestia verè ac realiter in hæc inferiora operari. Quod sanè non modò Aristot. locis allegatis docet, verùm & omnes SS. Patres ac Theologi, potissimùm nitentes varijs Scripturæ testimonijs, in quibus id haud obscurè significatur. In eo quippe sensu dictum intelligitur illud Geneſis 1. v. 16. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Similiter & Deuteronomij 4. v. 19. de ijs dicitur: *Quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Idem quoque docent omnes Astronomi ac Philosophi Veteres, inter quos Mercurius Trismegistus *in Asclepio*, & Plato *in Thæeteto*, Philo Iudæus *lib. de Mundi Opificio*, Ptolemæus *lib. 2. Almagesti cap. 12. & in 1. de Iudicijs*, Averroes *2. de Cœlo, comm. 69.* Legendi speciatim è Patribus pro eâdem doctrinâ S. Dionysius *cap. 4. de Divin. nom.* Basilius *Homil. 6. Hexam.* Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 4.* ac D. Thom. tum in loca Philosophi supra indicata, tum & 3. *cõtrà Gent. cap. 82. ac 1. p. quæst. 115. art. 3.* Quòd si verò Damascenus *lib. 2. Fidei cap. 6.* videtur negasse corporibus cœlestibus influxum erga res sublunares; intelligendus est solùm excluſisse causalitatem illam, quæ ab Ethnicis asserebatur & idololatriam inducebat, vt ipsum exponit S. Thom. vbi nuper, & *in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 2. ad 2.* Recentiores quoque omnes eidem sententiæ suffragantur, quos recensere nec vacat, nec libet.

3 *RATIO* Desumitur ex Aristoteles in præsenti, ac 1. Meteorõ locis nuper indicatis, & sub hanc formam proponi potest. Oportuit hoc Vniversum è manibus summi ac perfectissimi Authoris prodijsse perfectum; ideoque cum tali partium ordine, vt omnes illæ se invicem tangerent, aut immediatè, aut mediantibus alijs; idque non modò contactu quantitativo, vt lapides in acervo; sed etiam virtutis, consistente in efficacia, seu vi operandi, perducta è superioribus ad media, & à medijs ad infima. Ideoque natura totis viribus studet huic rerum contiguitati, seu mutuo contactui, ex fine vitandi vacuum; vt in Physicâ *disputatione* 27.

ſect. 1. *à num.* 9. latè à nobis diſcuſſum eſt. Ergo & oportuit res has infimas, ſeu ad terram, & aquam ſpectantes, in ſuo eſſe dependere ab elementis Cœlum terramque interiectis; &, ijs mediantibus, à ſupremis corporibus, qualia ſunt cœleſtia; ac proinde ab illorum influxu, ſeu operatione.

4 *ILLVSTRATVR* Ratio præfacta: Quia, cùm corpora cœleſtia fuerint condita ſupremo loco, vt præſideant huic mundo inferiori; rationi conſonum fuit, vt ijs tribuerentur facultates operativæ in res ſubcœleſtes. Ita enim elucet ſapientiſſimus Providentiæ divinæ ordo, obſervatus à D. Auguſtino *libr.* 13. *de Trinitat. cap.* 4. vt corpora inferiora per ſuperiora gubernarentur; ſicuti hæc per ſpirituales Intelligentias, naturâ excellentiores; Intelligentiæ autem à ſolo Deo. *Præterea* ex D. Thomâ 1. *p. q.* 115. *art.* 3. Quoniam congruum erat, vt ea; quæ perpetuâ viciſſitudine motuum agitantur, qualia ſunt hæc inferiora, regerentur ab alijs minùs mutabilibus, atque medijs inter cauſam primam prorſus immutabilem, & eaſdem res aſsiduæ mutationi obnoxias. Atqui res eiuſmodi interiectæ, ſeu mediæ, ſunt corpora cœleſtia: quæ non ſubeunt, niſi motum localem, & hunc circularẽ, omnium planè ſimpliciſsimum, quoniam nõ transfert ſuum mobile de vno ad aliũ totalem locum. Ergo congruũ fuit vt à corporibus cœleſtibus regerentur, ideoque ab illorum operationibus penderent hæc inferiora.

5 *ILLVSTRATVR* Denique aſſiduâ, & cuique obviâ, temporum obſervatione, præſertim prout à Sole, & Lunâ reguntur, varianturque. Sol etenim motu ſuo affert quatuor anni partes, quæ duo Æquinoctia vere & autumno, ac duo Solſtitia æſtate & hyeme complectuntur: ex quibus procedit calorum frigorũque ſucceſsio, & ortuum atque interituum viciſſitudo. Quin præterea toti mũdo viſibili, & potiſsimùm inferiori, lucem ac lætitiam affert, diem à nocte ſecernit; acceſſu & receſſu ſuo tempora diſtinguit; calore viventia quæque reficit, ac diſponit aptè vt vegetent, vigeant, floreant, & fructus edant. Ideo S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 34. inter alia epitheta, ipſum appellat, φεγέσβιον, φυσίζον, *datorem vitæ, animãtium patrem*: & (quod omni elogio maius eſt) de eo vſurpat illud Platonis: αὐτὸς (ἥλιος) γὰρ ὁρᾶσιν φωλίζων, ὥσπερ ἐκεῖνος (θεὸς) νῦν αὐτὸς καὶ τ ὁρωμένων ἐστὶ τὸ κάλλιστον, ὥσπερ ἐκεῖνος τ νοημένων. *Ita enim* (Sol) *illuſtrat oculos, vt mentem* (Deus) *ita ille rerum viſibilium pulcherrimus, ſicut hic intellectilium.* Luna autem noctes à diebus ſecernit, ſicut Sol dies à noctibus: ideoque Philo *lib.* 1. *de Monarchia* ambos cognominat, τὼς ἡμέρας, καὶ νυκτὸς ἡγεμόνας, *duces dieꝝ ac noctis.* Luna quippe abſente Sole mundum illuſtrat, & tum in plantis, tum in brutis, tum & in hominibus plurima effecta operari, ac varias eorundem mutationes, experimento dignoſcitur. Id ipſum denotant aſsidui fluxus ac refluxus maris, & piſcium frequentes alterationes: atque inter alias, Plinius *lib.* 2. *Nat. Hiſt. c.* 41. author eſt, *lunari poteſtate, oſtrearum, conchiliorumque, & concharum omnium corpora, augeri, ac rurſus minui.*

6 *DE* Planetis cæteris etiam id certum eſt, & ita, vt ſinguli illorum operentur certos ac determinatos effectus; & plures ſimiliter ex vario aſpectu ac congreſſu inter ſe. Quod ſanè colligitur ex mirâ varietate & ordine motuum, quibus cientur, tum communium, tum & ſingularium vniuſcuiuſque, atque in proprijs ſingulorum epicyclis, vt *diſput.* 70. oſtenſum eſt. Neque enim, niſi ex fine tot rerum in hoc inferiori mundo operandarum, tota ea motuum cœleſtium harmonia inſtituta fuit. Quare determinari ſolent varij ſingulorum Planetarum effectus in diverſis generibus rerum ſubcœleſtiũ: v. g. in elementis penes alias atque alias illorum alterationes; in metallis & lapidibus; in plantis variarum ſpecierum; in piſcibus, avibus, & animantibus terræ; ac præſertim in homine, propter cuius bonum corpora cœleſtia, & res cæteræ inferiores, potiſsimùm condita ſunt. Quin & varia membra corporis humani, & diverſarum ętatũ conditio alia atque alia circa paſsiones naturales animi, & valetudinem aut invaletudinem corporis, diuturnitatemque, aut brevitatem vitæ, tribui ſolent varijs Planetis, ac multiplici illorum aſpectui & congreſſui inter ſe.

7 *QVARE* Aſtronomi docere ſolent, ordinem menſium, quibus fœtus geſtatur in vtero, reſpondere ordini Planetarum inter ſe: ſcilicet primum mẽſem Saturno, ſecundum Iovi, tertium Marti, quartum Soli, quintum Veneri, ſex-

lent apertis in frigore, quoniam lucem à ſe remotiorem habent. *Præterea.* Sicuti ſe habet radiatio annua Solis accedentis recedentiſque ſupra aliquem Horizontem; ita etiam diurna eiuſdem ſupra Horizontem radiatio. Ideoque quanto Sol annuà ſuà converſione fuerit propinquior noſtro vertici, & quo ſingulis diebus proximior extiterit meridiano; tanto etiam intenſiorem calorem efficiet in nobis. Deinde nemo eſt, qui ad lucem Solis non calefiat: vt ad ſenſum patet, & David accinit de ipſo Pſalm. 18. verſ. 7. dum ait: *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Et præſertim tempore æſtatis experimur, ferrum ac vectes, ſi Solis luce percutiantur, ardere prope modum: imò & Galenus *lib. 5. de Temperamentis, cap. 2.* alijque plures teſtãtur radijs ſolaribus excitari ignem. Et Proclus, excellens Mathematicus, ſuſpenſis æneis ſpeculis è muro Conſtantinopolitanæ vrbis coram Sole, radijs eius excitavit ignem contra vicinam hoſtium claſſem, eamque incendio abſumpſit, vt teſtatur Zonaras in vitâ Anaſtaſij Imperatoris. Denique, Kircherus ipſe, toties in hoc Opere allegatus, vir immenſæ obſervationis in explorandis naturæ arcanis, degens in Collegio Romano, quà parte Septentrionem aſpicit; radios Solis meridiani per ſpecula oppoſita direxiſſe dicitur in feneſtram cubiculi ſui; & eà induſtriâ feciſſe habitaculum ſatis aptum mediâ hyeme, propter inductionem caloris ex luce Solis reverberante. Patet igitur lucem corporum cœleſtium, ac præſertim Solis, eſſe cauſam caloris rerum inferiorum. Si autẽ caloris; etiam generationis & conſervationis illarum, quæ potiſsimùm medio calore obtinetur.

25 *INSTABIS* Multipliciter. *Primò.* Si enim calor proveniret a luce, vt virtute activa; omnia corpora lucida emitterent calorem. Conſequens autem falſum eſt: vt patet in plurimis photiſmis piſcium, de quibus plura dedimus *diſput. 71. ſect. 4.* & quædam enumerantur ab Ariſt. *2. de Animâ textu 72.* vt μύκης, κέρας, κεφαλαὶ ἰχθύων, λεπίδες, καὶ ὀφθαλμοί: *Fungus, cornu, piſciam capita, ſquammæ, oculi.* Conſtatque præterea in lapidibus lucidis, qui nullum propterea emittunt calorem. *Secundò*: Quia omnia aſtra habent vim illuminandi, & tamen non omnia ſunt prædita virtute ad calefaciendum: vt patet in Saturno, cui nimia frigidas adſcribitur. *Tertiò.* In profundis cavernis montium eſt aliquis calor; cùm in ijs nonnulla mixta generentur, & inveniantur creſcere argẽti venæ. Et tamen ibi nulla eſt lux, neque vnquam Cœlorum radij aditum invenerunt, vt patet in Peruanis montibus profundiſsimè excavatis, vnde argentum extrahitur. Ergo lux Cœleſtis non eſt virtus activa caloris. *Quarto.* Si ita eſſet, aſtra, quò lucidiora, eò maioris caloris eſſent cauſa. Hoc autem falſum eſt: nam Venus, licèt ſit longè lucidior Syrio, adhuc minorem calorem inducere dicitur. *Quæ* denique. Contraria, qualia ſunt color & frigus, exigunt cauſas contrarias. Ergo cùm frigus non exigat, vt cauſam ſui tenebras, quæ contrariantur luci; nec calor exigit lucem vt cauſam.

26 *HÆC* Tamen levia ſunt. *AD I.* concedo ſequelam: & nego eſſe falſitatẽ vllam in conſequenti: quia in quolibet photiſmo ſublunari, ſive animalium, ſive lapidum, ſicut eſt formalis lux, ita & formalis calor; quamvis hic ſæpè non percipiatur; ſive quia exiguus eſt, quemadmodum & lux, è quà procedit: ſive quia, tactus propter ruditatem ſuam ſolùm percipit primas qualitates ſui obiecti, quo ad exceſſum notabilem; cùm tamen viſus lõgè ſubtilior percipiat quamlibet lucem. *AD II.* Omnia aſtra, ſicuti habẽt vim illuminandi, ita & calefaciendi, per ſe loquendo. Ideoque S. Thom. *in 2. diſt. 15. q. 1. art. 2. ad 5.* inquit: *Lux quantùm eſt de ſe, ſemper eſt effectiva caloris, etiam lux Lunæ. Vnde dicit Philoſophus quòd necies pleniluniij ſunt calidiores.* Quamvis circa hoc ipſum Kircherus vbi ſupra oppoſitum apertè ſupponat, ſaltem circa dies pleniluniij. Contingit autem quædam illorum, minùs illuminare, ac proinde & calefacere minùs, vel etiam infrigidare, tum propter maiorem diſtantiam à terra; tum, quia coniunguntur alteri virtuti potenti ad infrigidandum, ſive exiſtenti in eodem ſidere, ſive in alio. Et ita accidit in Saturno. Prodeſt tamen illa qualiſcumque virtus luminis calefactiva ad mitigandum frigus aliunde proveniens. *AD III.* Sicut in profundiſsimis terræ cavernis eſt calor, ita etiam lux cœleſtis, licèt non in ſeipſa, virtute perſiſtens in effectu ſuo, qui eſt calor. Etenim calefaciendo ſuperficiem terræ, ſubinde agit in proximum os cavernæ, & ſic ſucceſsivè in partes profundiores, donec iam nec calori, nec alicuius mixti gene-

ne-

neration sit locus. *AD IV.* Vera est sequela per se loquendo. Potest tamen ex adiuncto fieri vt Venus lucidior Syrio causet minorem calorem: qualiter *solut. ad 2.* dictum est. *AD V.* Contrariæ qualitates exigunt quidem causas vnivocas, quæ sint contrariæ; non tamen causas æquivocas & vniversales; quia in vna ex his potest indivisim contineri virtus ad efficiendū contrarias qualitates, sicut & effectus diversarum specierum. Et ita accidit in corporibus cœlestibus ob sui præstātiam. Verùm neque opus est distinctione hac ad occurrendum [illegible] obiectioni: quoniam lux non habet contrarium, cùm sit prima & potissima qualitas corporum incorruptibilium: sed tantùm respicit extremum privativè oppositum, id est, tenebras, quæ nec frigiditatem, nec quodquā aliud ens operari possunt, defectu entitatis. Inde verò non impeditur, quòd perfectissima omnium qualitatum sensibilium qualis est lux, producat perfectissimam primarum qualitatum, quæ proculdubiò est calor. Idque amplius ex dicendis constabit.

SECTIO TERTIA.

Cœlum etiam medio motu esse causam rerum inferiorum. Vbi an, & quâ ratione motus asseratur causa caloris.

27 *VERVM* Quamvis cœlestia corpora potissimùm agant per lucem, vt superioribus statutum est, asserimus insuper, ea omnia agere per motum localem. Ita Aristoteles, non quidem 8. Physicorum textu 1. vbi perperam ab alijs allegatur, sed 2. *de Gener. textu* 56. vbi apertè docet motum astrorum esse causam generationis rerum. Et *lib.* 1. *Meteor. cap.* 2. docet motum Cœli esse principium rerum, atque ex superioribus lationibus, sive motibus localibus, gubernari omnem virtutem rerum inferiorum. Præterea *lib. eodem cap.* 4. & *Problem.* 20. *sect.* 25. indicavit, motu cœlesti diffundi calorem per totum aèrem: ac denique *lib.* 2. *de Gener.* vbi docet motum obliquum super polos Zodiaci esse causam generationis, corruptionisque rerum subcœlestium. Et *lib.* 2. *de Cœlo textu* 42. agens de corporibus cœlestibus inquit: *Calor ab ipsis & lumen generatur, attrito aère ab illorum latione: nam naturâ aptus est motus ignire & ligna, & lapides, & ferrum.* Ac præterea: *Aèrem, cum sub corporis circulariter moti sphærâ existat, necesse est, cùm illa fertur, in calescere; & hæc maximè, cui Sol affixus est.* Idem tradit S. Thomas ijsdem locis & præterea, *in* 2. *d.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 2. vbi ait: *Corpora cœlestia causant generationē & corruptionem in istis inferioribus, quatenus motus eorum est causa omnium mutationum inferiorum.* Et Simplicius in locū Aristot. nuper allegatum, Albertus Magnus 1. *Meteor. cap.* 5. & 2. *Cœli tract.* 3. *capit.* 1. Zimara *in Theorem. prop.* 43. Bejaranus *q.* 1. *Meteor. art.* 3. Maroja *lib.* 3. *de Causis Febr. q.* 2. *sect.* 1. Conimbricenses 2. *Cœli capit.* 7. *q.* 5. *ar.* 2. Thomas Gianninus *lib.* 2. *de Nat. Cœli cap.* 12. Sylvester Maurus *lib.* 3. *QQ. Philosoph. q.* 9. Matamoros 2. *de Febribus pag.* 176. alijque plures, ac præsertim Thomistæ, & novissimè Ioannes ab Annuntiatione *tract. de Cœlo disput.* 4. *q.* 3. vbi rem latè & optimè discussit. Nos brevius eam expedimus.

28 *PROBATVR* Ratione, simul & authoritate S. Thomæ 3. *contrà Gent. cap.* 82. vbi ad. 5 subtiliter, simul ac dilucidè, loquitur, vt non egeat interprete, sed solâ mentis attentione, vt resplenè capiatur. *Primum*, inquit, *in vnoquoque genere est causa eorum, quæ sunt post: inter omnes autem alios motus primus est motus cœli.* (Subintellige: Ergo est causa cæterorum motuum. Minorē verò, sive assumptum probat: *Primò quidem: quia motus localis est primus inter omnes motus; & tempore, quia solus potest esse perpetuus* (*vt dicitur* 8. *Physic.*) *& naturâ, quia sine ipso non potest esse aliquis aliorum motuum. Non enim augmentatur aliquid, nisi præexistente alteratione, per quam, quod prius erat dissimile, convertatur & fiat simile: neque alteratio potest esse, nisi præexistente loci mutatione; quia ad hoc quòd fiat alteratio, oportet quòd alterans sit magis propinquum alterato nunc, quàm prius. Est etiam perfectione prior: quia motus localis non variat rem secundùm aliquid ei inhærens, sed solum secundùm aliquid extrinsecum: & propter hoc est rei iam perfectæ. Secundò: quia inter motus locales etiam motus circularis est prior: & tempore, quia solus ipse potest esse perpetuus* (*vt probatur* 8. *Physic.*) *& naturaliter, quia est magis simplex, & vnus; cùm non distinguatur in principium, medium, & finem; sed totus sit quasi medium: & etiam perfectione, quia reflectitur*

ad

ad principium. Tertiò: quia ſolus motus cœli inuenitur ſemper regularis & vniformis: motibus enim naturalibus grauium & leuium fit additio velocitatis in fine: in violentis autem additio tarditatis. Oportet ergo quòd motus cœli ſit cauſa aliorum motuum. Si autem aliorum motuum; ergo & omnium rerum inferiorum, quæ fiunt medio motu, quicumque ille ſit.

29 *VNDE* Præcluſa manet evaſio quorundam aientium, rationem S. Thom. ſolùm convincere prioritatem excellentiæ in motu cœleſti. Verè enim probat prioritatem naturæ, ſeu cauſalitatis, vt conſtabit relegenti. Et ſanè, ſicuti corpus cœleſte, quia primum eſt tempore, naturâ, & perfectione, cauſalitatem exhibet veram in inferiora corpora, vt & Adverſarij fatentur; ita etiam motus cœleſtis in cœteros motus, quia primus eſt tempore, natura, & perfectione ſimiliter. In quo ſanè differt ab alijs, quæ ſolùm habent rationem primi in ſuo genere penes perfectionem, non verò tempore, & naturâ ſimul. Illa enim ad ſummum exhibent cauſalitatem in genere cauſæ exemplaris; non vero efficientis, nec quoquo modo ſpectantis ad efficientem, neque etiam diſpoſitivæ. Vt verò vim pleniorem habeat probatio, notandũ eſt, illam procedere de motu locali Cœlorum, non vt motus localis præcisè eſt (ſub hac enim conſideratione ſolùm exigit producere vbicationem) ſed in quãtùm eſt motus cœleſtis: ſub qua inſpectione importat virtutem ſubſtantiæ ſeparatæ moventis in eo relictam, vt in ſuſceptivo proprio, ad cauſandum omnes motus inferiores. Quã etiam obſervatione adhibitã, evaneſcunt plures Adverſariorum evaſiones & obiectiones.

30 *PROBATVR* Secundò ratione deſumpta ex Ariſtotele lib. 2. Cœli textu 42. verbis num. 26. exſcriptis, & in hanc formam arguendi redactis. Quidquid eſt cauſa caloris neceſſarij ad generationẽ corruptionemque rerum inferiorum, eſt etiam cauſa eiuſdem generationis, corruptioniſque. Atqui Cœlum motu ſuo cauſat calorem eiuſmodi. Ergo & motu ſuo eſt cauſa generationis corruptioniſque rerum inferiorum. Maior explorata habetur: quia quidquid eſt cauſa diſpoſitionis neceſſariæ ad generationem corruptionemque alicuius, eſt etiam vtriuſque cauſa. Calor autem neceſſaria diſpoſitio eſt ad generationem corruptionemque rerum inferiorum, vt patet. Minor præcipua ſuaderur: Quia motus localis ex genere ſuo eſt cauſa caloris, vt eſt commune Philoſophorum axioma; & quò velocior fuerit, eſt cauſa maioris caloris. Idque deprehenditur quamplurimis experimentis cuilibet obvijs; præſertim, quoties vnus lapis atteritur cum alio, aut ferrum cum ſilice, aut farinaria mola cum lapide excipiente triticum; & quoties currunm axes, equorumvè ſoleæ accenduntur & ſcintillant; ac vbi ſagittæ per aëra volantes inardeſcunt, plumbumque aut ceram aditinctam liquefaciunt, vt teſtatur Ariſtoteles locis ſupra allegatis; idemque ferè eſt, cùm globus plumbeus ex igneo tormento, ſive bombardà, exploditur: & denique quoties a nubilamus, atque eò amplius, quo concitatior fuerit greſſus. Ergo Cœlum motu ſuo cauſat calorem.

31 *VERVM* In aſſignanda ratione eius experimenti non modica difficultas eſt, propter varietatem duodecim opinionum in eà aſſignanda, quarum nonnullas reijciunt Conimbricenſes *vbi ſuprà art.* 1. & Rodriguez *in ſelectis, diſp.* 6. per totam. Earum verò impugnationibus prętermiſſis, ne plus ſolito divagemur, placet præ alijs ratio Ariſtotelis loco alleg. ex 2. *de Cœlo cap.* 7 *textu* 42. *&* 1. *Meteor. c.* 3. prope finem, ab ijs ferè verbis, quibus directè reſpondet huic quæſtioni: *Videmus motum habere facultatem aëris, tum ſecernendi, tum accẽdendi, &c.* Idemque poſtea repetit *cap.* 5. ſequenti. Quæ vt penitiùs intelligantur, nonnulla prænotare oportet. *Primum* eſt, præcellentem raritatem diſponere ad ignem, quoniam hic rariſſimus eſt inter omnia elementa; ac proinde ad ſummum calorem, qui eſt proprietas ignis, & cum eo connectitur. Si verò raritas non ſit excellens, ſed mediocris, adhuc tamen diſponet ad calorem mediocrem, aut infra ſummum; ac proinde ad formam aëris, qui ſolus inter elementa calidus eſt infra ſummum. *Secundum*, quoties, ferrum, lapides, & ligna, aliaque eiuſmodi, vicißim confricantur; alterũ alteri reſiſtere, eaque repugnantia & amborum attritu fieri, vt aër interceptus ſecernatur, ſeu in partes diſtrahatur, rarefiatque, ac quodammodo ignefcat. Idque tantò vehementiùs fit, quò corpora invicem attrita fuerint ſolidiora: vt patet in ferro & chalybe, ac lapidibus. *Tertium*, motum localem ex primariâ ratione ſolùm tendere ad vbicationem, ſive ad conſtituendum mobile in loco; obiter tamen dividere medium, & corpora vtrimque obſiſtentia propulſare; ac proinde atterere

aërem,

aèrem, ac quaſi confricare, vt extenuetur, & rarefiat.

32 *HIS* Prænotatis, conſtat motum eſſe cauſam caloris, ſaltem mediatā, & indirectam: quod ſolùm ſuſcepimus probandum, ſufficitque ad inſtitutum præſens. Cùm enim motus atterat collidatq; partes aèris, ſive ſpacij, per quod tranſit mobile; attritio verò & colliſio partium diſponat ad raritatem, & hæc ad calorē, ſicuti & ad ignem; conſequens eſt vt & localis motus diſponat, ſaltem mediatè ad calorē, ſicut & ad ignem; ac proide quòd ſit vera cauſa caloris. Legendus præſertim S. Thom. *in* 1. *Meteor. c.* 5. *lect.* 5. vbi præclaram doctrinam luculenter exponit. Inde verò facilè deducitur, Cœlum eſſe cauſam rerum inferiorum per motum, ſeu mediāte motu: non quidem vt virtute activà (quod aliqui immeritò docent, & inter eos Gianninus ſuprà allegatus) neque etiā vt purā conditione (quod alij minùs bene tradiderunt) ſed vt verā cauſa activa quidem raritatis diſtractioniſq; partium ſpacij; diſpoſitivà autem relatè ad calorem, & ſubinde ad omnes generationes corruptioneſque rerum inferiorum, quæ in ſuo ortu, conſervatione, & interitu, quàm maximè à calore dependent.

33 *QVIA* Verò cœleſtia corpora nullum in ſeipſis locum calori, aut alteri ex primis qualitatibus præſtāt, cùm ſint ſuperiora elementis, & incorruptibilia, vt *diſp.* 63. & 64. conſtitutum relinquimus; ideo aſſerendum eſt, vnum Cœlum ſuperius, dum movet aliud inferius, non cauſare in eo calorem aliquem, quia incapacitas ſubiecti obſtat, vt in eo cauſetur, recipiaturve calor. Quare ſphæra decima primi mobilis non imprimit in Cœlo nono chryſtallino calorem aliquem, ſed ſolùm impulſum, quo cieatur ab Oriente in Occidentem motu diurno. Mota enim ab Intelligentiā, conſtituitur potens ad movendum, ſive rapiendum inferiores ſphæras, medio impulſu in eis cauſato; aut immediatè, vt in Cœlo chryſtallino; aut ſubinde & mediatè, vt alijs ſphæris inferioribus, vſque ad Cœlum Lunæ. Hoc verò motu ſuo pariter rapit totam ignis elementaris regionem ſibi immediatam: & licèt eo motu non cauſet in igne novū calorem, neque intendat præexiſtentem (cùm iam illum acceperit in gradu ſibi conveniente à conditione Vniverſi) adhuc tamen fovet eum in ſuo eſſe, vt permaneat. Quòd planè evincitur ex inclinatione ignis propendentis in eam regionē, veluti in locum elementorum ſupremum & ſibi connaturalem. Inde enim infertur ignem in eo loco foveri: quia locus naturalis eſt conſervativus locati, vt in Phyſicà oſtenſum eſt *diſp.* 25 *ſect.* 4.

34 *IAM* Verò ignis elementaris actus in circulum motu Cœli Lunæ, movet pariter ſupremam aèris regionem ſibi immediatam; non tamen mediam, nec infimam; vtpote remotiores à Cœlo, & in quas proinde nequeat eius impulſus cauſare motum circularem, ad quem inferendū exigebatur maior vicinitas Cœlorum moventium. Imò nec regionem ignis cieri vniformiter in circulum, aut æquali velocitate cū motu Cœlorū diurno, patet ex pluribus cometis, quorum aliquos ſæpe obſervavimus aliquamò ſegniùs cieri, nec niſi vigiati quinque horis, & eò amplius, perficere ſuam periodum; cùm tamen eſſent in regione ignis, aut ſaltem in ſuprema aeris. Quæ quidem ab igne & à Cœlo mota, atteritur ac diſtrahitur mediante ipſo motu, ac proinde rarefit, & incaleſcit, non ſolùm iuxta modū debitum aèri ſecundùm naturam particularem conſiderato; ſed etiam vltra illū, & iuxta conditionem ipſius aèris, prout eſt pars præcipua Vniverſi, & quatenus conducit ad commune bonum naturæ. Quare Albertus Magnus 2. *de Cœlo tract.* 3. *c.* 2. obſervat ex communi Philoſophorū ſenſu, in ſuprema ignis regione quendam æſtum generari: ideoque in eā quam plura ex meteoris igneis gigni ſolent.

35 *DEMVM* Calor ille excellens per mediam & infimam aèris regionem ad nos vſque diffunditur, ac deſervit plurimùm generationibus, corruptionibuſque mixtorum; tum imperfectorum, vt nubium, grandinis, nivis, pluviæ, & roris; tum & perfectorum, vt plātarum, animalium, &c. Temperat enim frigiditatē nimiam ab aquā & terrā provenientem, humiditatemque inductam ab aère; ac proinde deſervit vt ex quatuor qualitatibus permiſtis, atque inter ſe refractis, cōſurgat temperamentum aptum vnicuiq; mixto. Ex quibus denique habetur, Cœlū motu ſuo cauſare, ſaltem mediatè, & per interiectam regionem ignis, calorem, rerum inferiorum generationi corruptioniq; deſervientem; ac proinde medio etiam motu, & non ſolùm lumine, eſſe cau-

cauſam rerum inferiorum. Verùm de his vberiùs poſtea.

SECTIO QVARTA.

Quibus argumentis aliqui probare conentur Cœlum motu ſito non agere in hæc inferiora, & illorum ſolutio.

36 *COELVM* Nullam exhibere cauſalitatem medio motu in hæc inferiora, cenſet Durandus *in 2. diſtinct. 15. q. 3.* Scotus *diſt. 14. quæſt. 3.* Argentina *quæſt. 2.* Toletus 2. *de Gener. q. 12.* Rubius 2. *Cœli quæſt. 3. & 4.* Averſa *q. 35 ſect. 6.* alijque plures, qui omnes nolunt motum cœleſtem eſſe cauſam, imo nec conditionem neceſſariam ad operandum ſimpliciter in hæc inferiora. Ex pluribus ipſorum argumentis non proponam ea, quæ ſuperiori ſectione præoccupata ſunt, aut apparent facilia extricatu; ſed illa tãtùm, quæ ſpeciatim ſolvere oportet.

37 *OPPONVNTI.* Motus Cœli nec poteſt eſſe virtus, ſive principium *quo* agendi: nec cauſalitas ipſa, ſive actio: nec denique conditio per ſe neceſſaria ad agendum in hæc ſubcœleſtia. Ergo nullo vero ſenſu dici poteſt Cœlum agere in hæc inferiora per motum. Conſequentia patet, & antecedens ſimiliter quo ad primam partem: quia omnis virtus, ſeu principium *quo* agendi, eſt qualitas abſoluta: motus autem Cœli neque eſt qualitas, neque quid abſolutum. Quo ad ſecundam probatur idem antecedens: quia cauſalitas Cœli, ſive actio, eſt tranſiens, ac proinde recepta in paſſo; non autem in ipſo Cœlo. Atqui motus Cœli non in paſſo, ſed in ipſo Cœlo recipitur; ſiquidem Cœlum eſt quod movetur motu in ſe recepto. Ergo motus Cœli non eſt illius cauſalitas, ſive actio. Quò ad tertiam denique partem ſuadetur: tum, quia Cœlum Empyreum influit in hæc inferiora iuxta Div. Thom. 1. *part. quæſt. 66. artic. 3.* & tamen nullum habet motum: tum etiam, quia ſi motus ſit pura conditio, iam non habebit rationem veræ cauſæ, contra doctrinam ſuperiùs ſtatutam. Idemque eſt ſi dicatur eſſe applicationem variorum ſiderum ad diverſas mundi partes vt agant: applicatio enim eſt pura cõditio, & non cauſa.

38 *PRO* Solutione obſerva, quando dicimus, Cœlum operari per motum, v. g. in aèrem, diſtingui debere duplicem motum: vnum, quo Cœlum movetur, receptum in ipſo Cœlo; & alterum, quo aèr movetur, innærentem eidem aèri. Ex his duobus primus comparatur ad ſecundum, vt principium ipſius: ſiquidem Cœlum motum in ſeipſo rapit ab Oriente in Occidentem ſupremam aèris regionem, vt ſupra dictum eſt, ac proinde cauſat in aère motum alium, quo intrinſecè motus reddatur. Nota vlteriùs, motum localem, licèt ſecum non afferat ſtrictam actionem, quà efficiat aliquid abſolutum, habere nihilominus modum actionis, ſeu cuiuſdam motionis; quoniam infert motum alium in corporibus vtrimque obſiſtentibus, & ſcindit medium diſſolvendo ac diſtrahendo partes ipſius; ac proinde inducendo raritatem, & diſponendo ad calorem, vt ſupra dictum eſt. Nota inſuper, omnem diſpoſitionem ex parte agentis, vt agat, vel moveat, reduci ad genus cauſæ efficientis: ac proinde quemadmodum in eo directè collocantur natura, & virtus operativa, & actio; ſic etiam indirectè poni quæcumque ſe habent ex parte agentis, ſive moventis: qualia ſunt, inſtrumentum, proportio, intentio, velocitas, & duratio actionis, ſive motus. Sic certè communi Philoſophorum ſenſu dici ſolet, omnem diſpoſitionem ex parte ſubiecti ad recipiendam formam, ſive actionem, reduci ad genus cauſæ materialis.

39 *HIS* Poſitis, haud difficile erit occurſum ire argumento præiacto. Et incipiendo ab antecedente quò ad ſingulas partes; circa primam dicimus, motum Cœlo inhærentem, non eſſe virtutem, nec principium *quo* agendi, directè loquendo, nec relatè ad calorem rerum inferiorum, nec in ordine ad quidquam aliud ſubcœleſte. Verùm adhuc habet modum quendam principij, ſeu virtutis activæ, relatè ad alium motum localem, quem cauſat Cœlum in corporibus inferioribus, impellendo totam regionem ignis, & ſupremam aèris in circulum, ac proinde inducendo raritatem, quæ eſt comes caloris. Ad ſecundam partem antecedentis dicimus, motum illum, quem Cœlum cauſat, in aère v. g. habere modum cauſalitatis, ſeu actionis tran-

transeuntis, media quâ Cœlum movet aërem, eiusque partes distrahit, ac disponit ad maiorem calorem; quamvis mediatè & indirectè. Ex quibus iam patet ad tertiam partem: quia cùm motus Cœlo intrinsecus habeat rationem quasi virtutis activæ, & motus intrinsecus aëri quasi rationem motionis causalitativè activæ; neuter est pura conditio; sed vterque insuper spectat ad genus veræ causæ efficientis quamvis indirectè: in quo sanè distinguitur ab existentia, approximatione, & alijs puris conditionibus ad causandum. Quod verò additur de Cœlo Empyreo immoto, & tamen influente in hæc inferiora, diluit idem S. Thomas Quodlibet. 6. art. 19. his verbis: *Hoc autem est proprium huius corporis* (scilicet, Empyrei) *quòd influat absque motu, in quantùm est supremum attingens quoddammodo ordinem substantiarum spiritualium, prout Dionysius docet 2. de Divinis nomin. quòd divina sapientia coniungit principia secundorum finibus primorum.*

40 *DICES*: Etiam Cœli inferiores sunt independentes a motu, adhuc vt conditione, ad agendum: siquidem nō sunt deterioris conditionis, sed longè melioris, quam elementa, & mixta; quæ tamen sine motu agere solent. Idemque apparet in magnete, qui immotus existens attrahit ac movet localiter ferrum. Ergo motus nullo modo est conditio vt Cœlum agat.

41 *RESP.* Quidquid sit de alijs effectis, an possint a Cœlo immoto præstari media luce, alijsque virtutibus, de quibus infrà; adhuc tamen necessarium esse motum ipsius, vt moveat corpora inferiora, ipsorumque partes distrahat, ac media raritate ad calorem convenientem disponat. Instantia verò adducta in elemētis & mixtis, potiùs retorquetur in Adversarios: quoniam prædicta agentia, quamvis sine motu possint nonnullos effectus præstare; non tamen eos qui per se pendent à motu, aut quibus impellunt corpora alia. Iam denique quod de magnete obijcitur, nihil obstat: quoniam magnes non movet activè ferrum, sicut Cœlum hæc inferiora; sed solùm in genere causæ finalis, atque eo ferè modo, quo locus regionis Cœlo Lunæ proximioris allicit ignem nostrum, vniversimque locus superior attrahit levia inferiori loco existentia. Quare ferrum activè solum movetur à generante circa magnetem, sicut corpus leve circa sublimem locum.

42 *OPPONIT II.* Aversa, calorem, quem ex cœlesti operatione sentimus, non fieri per motum formaliter, sive ex eo quòd Cœlum suo motu rapiat, atque atterat aërem. Idque multipliciter probat. *Primò*: Quia licet motus apud nos sit causa caloris quando duo corpora se percutiunt, aut vnum corpus excurrit per aliud; tamen circumvolutio illa aëris in gyrum per motum Cœli, non habet talem vim gignendi calorem, & præsertim adeò vehementem, & ad tam longum spacium, ac experimur. *Secundò*: nam ad sensum patet, Solem ipsum per se directè calefacere, quidquid ipsi expositum est, idque independenter à motu & attritione aëris. Non enim minùs directè à Sole, quā ab igne, sentimus calorem. *Tertiò*: quia, cùm motus Solis peragatur in circulum, æqualiter inveniretur calor in locis vmbrosis, & expositis Soli, alijsque quibuslibet, si calor ab eodem motu proveniret. quod experimento dignoscitur falsum. *Quartò*: quoniam longè maior est calor illatus à Sole in terræ planitie & infima aëris regione, quàm in cacuminibus montium, & editiori regione aëris. At si Cœlum motu suo calorem induceret, oppositò modo id evēniret: quoniam editiores regiones sunt proximiores Cœlo, & ipsius motui; ideoque à viciniore eius influxu deberent mutuare vehementiorem calorem.

43 *CONFIRMATVR*. Si enim motus Cœli esset causa huius caloris ex attritione aëris, non esset cur speciatim Soli tribueremus hunc calorem: quoniam ille motu suo, aut sphæræ propriæ, non attingit proximè elementa, neque atterit aërem, à quo remotissimus est interstitio trium sphærarum cœlestium inferiorum, & ignis elementaris existentis supra aērē. Imò deberet id potiùs convenire Cœlo Lunæ, quàm Solis, quoniam aëri vicinus est. At neque Cœlo Lunæ convenire posse videtur, quia, cùm interiaceat tota regio ignis, nequit suo motu atterere aērē. Nullum igitur Cœlum, motu suo causat hunc calorem.

44 *RESP.* Negando assumptum. *AD 1. Probationem* negatur antecedens: quia circumvolutio illa aëris in gyrum, sicuti perpetua est, ita etiam semper atterit aërem; ideoque sufficit ad tribuendam il-

li præcellentem raritatẽ, atque adeò vehementiorem calorem, quam ipsi competat ex privatà ratione naturæ suæ; conformem tamen eidem, quatenus pars Vniversi est. *AD II.* Sol per se & directè calefacit quidquid ipsi expositum est, tum virtute lucis præcellentissimæ, in quà continetur eminenter calor; tum & motu suo atterente aèrem, & rariorem ac calidiorẽ reddente; ita, vt vtroque simul egeat ad inducendum calorẽ, saltem in præcellente gradu. *AD III.* Quamvis motus Solis peragatur in circulum; adhuc non invenitur æqualis calor in omnibus locis, sed inæqualis: tum, ob maiorem vel minorẽ ipsius vicinitatem; tum ob directam vel indirectam emissionem radiorũ; tum ob societatem huius aut illius signi, sive cõstellationis; tum ob maius, vel minus impedimentum, aut nullum, directæ emissioni radiorum; tum denique propter diversam dispositionẽ terræ, vel regionis. *AD IV.* Maior ille calor, qui sentitur in terræ planitie, præ cacuminibus montium, oritur ex aptiori terræ dispositione, vt excipiat calorem à Cœlo, quasi collectum, & nullis exhalationibus frigidis dissipatum; quæ in locis infimis & percussis a Sole, nullã vim habẽt. E cõtrà verò in sublimibus locis, & medià aèris regione, dispositio terræ non est apta ad tantũ calorẽ excipiendum: quia circumambitur ab aère iam infrigidato varijs exhalationibus gelidis è terrà & aquà ascendentibus, ideoq; virtute præditis, vt ibidem solum redigãtur in aquam, grandinem, niveméque. De quo plura dedimus *tract. de Gener. disp. 69. sect. 2.* & pleraque dabimus in tractatu Meteorũ.

45 *AD Confirm.* Nego sequelã: quia licèt Sol sit remotior, quam alij Planetæ inferiores, à nobis, ideoque considerato præcisè capite minoris distantiæ deberet minus causare calorem, quam alij Planetæ; adhuc tamen simpliciter cæteros excedit lucc, atque adeò & virtute, seu ratione formali illativa caloris; sicuti & alijs virtutibus supereminet. Quod verò motus Solis, & sphæræ ipsius, nõ proximè attingat aèrem, sed interstitio aliarum sphærarum & regionis igneæ, tantùm probat, motum ipsi inhærentem non esse causam immediatam attritionis aèris. Cùm hoc tamen cohæret quòd sit causa mediata, quatenus medio motu diurno, tum suo, tũ & aliarum sphærarum, causat motum circularem in igne, ac subinde in aère, quem distrahit in partes, ac proinde rariorem & calidiorem reddit. Vide *suprà numer.* 32. & 33.

SECTIO QVINTA.

Argumenta Doctoris Ludovici Rodriguez, ne motus sit causa caloris ex attritione & rarefactione aèris, objiciuntur, & enodantur.

46 OPPONIT *III.* Doctor Ludovicus Rodriguez plura, vt suadeat motum non ideo esse causam caloris, quia atterit & rarefacit aèrẽ. Porrò eius motiva strictim proponentur à nobis, brevitatis causa. *PRIMVM* est Calor causatus ex vi motus, est sufficiens dispositio ad formam ignis: ideo enim iuxta Aristotelem dicitur excitare ignem in lapidibus & lignis. Atqui calor emanans a forma aèris, non est sufficiens dispositio ad formam ignis, vt ex se patet, alioqui enim corrumperet formã ignis. Ergo calor ex vi motus causatus, nequit emanare à forma aèris. Quòd si dicatur calorem causatum ex vi motus esse dispositionem inadæquatam ad formam ignis, ideoque insufficientem, quia præter calorem in summo debet adesse siccitas prope summum; contra arguit: quoniam inde evidenter deducitur non posse ex vi motus localis emanare dispositionem sufficientem ad formam ignis: quia saltem siccitas prope summum debita igni, nequit provenire ab aère, qui est humidus in summo, ac proinde repugnat siccitati.

47 *SECVNDVM* Est. Si aèr de facto ratione densitatis non haberet formaliter totum calorem, qui ipsi debetur; vel illa densitas esset aèri naturalis, vel præternaturalis. At neutrum dici potest. Ergo &c. Minorem quò ad primam partem probat: quia si densitas illa est naturalis aèri, non poterit impedire emanationem debiti caloris ab illo: sicuti nulla qualitas naturalis elementorum potest impedire emanationẽ primarum qualitatum in gradu ipsis debito. Secundam verò minoris præcipuè partẽ exinde conatur demonstrare: quia si cẽsitas impediens emanationem caloris debiti formæ aèris esset ipsi præternaturalis; vel esset densitas propria, quæ dicitur qua-

litas secunda; vel impropria, consistens in sola maiori partium coniunctione. Atqui primum; quia densitas propria nequit corrumpi, nisi a raritate propria, quæ pariter sit secunda qualitas, & ipsi contraria. Alioqui densitas propria, & vnica, esset contraria duabus raritatibus specie diversis. quod repugnat communi Philosophiæ. Neque etiam secundum; quia si illa densitas est impropria, & cōsistens in sola partium coniunctione, non poterit impedire emanationē caloris in gradu debito aëri, neque disponere ad hoc, vt fiat minùs calidus, quàm oporteat iuxta ipsius naturā. Quòd enim corpus formaliter calidum fiat impropriè densius, quàm antea esset, non sufficit ad deperditionem præcedentis caloris: siquidem non ideo admittit frigus calori contrarium, à quo solo calor poterat exturbari. Ergo de primo ad vltimum aër ex vi motus causantis raritatem impropriam nequit deperdere frigus, aut acoipere calorem sibi debitum ab intrinseco.

48 *TERTIVM.* Quamvis raritas vt dispositio deserviat ad productionem, conservationemque ignis; non tamen caloris. Ergo motus non ex eo, quod inducat raritatem, debet esse causa caloris. Probatur antecedens experimēto caloris producti in corporibus densis, qui multò melius in ijs conservatur, quā in raris, v. g. in ferro caletacto, quam in spongia & lanā.

49 *QVARTVM.* Permillo gratis, aërē vi prædictæ raritatis fieri calidiorē, imo & totū suum calorem adquirere; adhuc eius calor, in tota ea intensione productus, nec à nobis discerni posset, nec calefacere nimium, aut comburere: vt patet in igne elementari, qui propterea dicitur non accendere regionem aëris sibi proximam, quoniā rarissimus est; & in ipso aëre, qui, quamvis calidus existat, nequit corpora densa calefacere, nisi post prolixum temporis spatium. Cùm ergo calor causatus ex vi motus, quandoque sit longè intēsior, & excitet ignem, nequit provenire ex eo quod rarescat aër, neque oriri ex eodem aëre.

50 *QVINTVM* Ab experimentis. Corpora enim plana, quò celeriùs confricantur, eò citiùs & intensius calefiunt. At quò magis plana, eò minùs aëris in se admittunt, & quò celerius mota, eò minus possunt aërem detinere. Ergo citior illa & intensior calefactio non causatur ab aëre. Huc accedit quòd motus ex se non magis excitat calorem, quàm frigiditatem: vt patet in corde; quod movetur motu dilatationis, & constrictionis, ne nimiùm incalescat, & vt refrigerium accipiat: tum & in aquā, quæ fluens veloci motu frigidior est, quàm stans & immota. Ergo de primo ad vltimum, aut motus localis non est causa caloris; aut si causa est, non ideo, quia atterit & rarefacit aërem.

51 *SVBTILIA* Quidem hæc sunt & solutu difficilia: verum non talia, vt nos dimoveant à sententia Aristotelis, D. Thomæ, & ferè communi aliorum Philosophorum, quam superius tot experimētis rationibusque firmavimus: & multò minùs sufficientia, vt nos trahāt in singularem opinionem eiusdem Authoris, cuius potissimam basim circa exhalationes ignitas existentes intra poros, & elementorum permanentiam in mixto, multipliciter, &, si fallor, efficacissimè refutavimus, tum *in Physicā disp.* 8. tum & *tract. de Gener. disput.* 51. & 62. Ijs enim de medio ablatis, corruit opinio eiusdē Authoris circa assignandam rationem caloris producti ex motu, quam non vacat dentò expēdere, nec specialim impugnare. Quare venio ad solutionem argumentorum.

52 *AD I.* Non omnis calor excitatus vi motus localis est sufficiens dispositio ad formam ignis; sed ille tantùm, qui materiam vltimo præparat: vt in experimentis *n.* 29. indicatis videre licet. Alioqui enim, & præter similes casus, manet intra gradum debitum aëri, aut quodāmodo excedentem infra summum: qualiter diximus de suprema regione aëris, calefieri ex motu Cœli vltra gradum sibi debitum; citra summum tamen. Licet autem calor infra summum profluat à forma aëris; non tamen summus calor vltimo disponēs ad formam ignis. Hic enim profluit, tum à luce cœlesti eminenter continente summum calorem; tum & ab ipso motu atterente aërem, atque ipsum exsiccante, vt instrumento causarum vniversalium; & in eo gradu raritatis ac siccitatis, qui sufficiat ad corruptionem aëris, & generationem ignis.

53 *AD II.* Densitas, quàm habet apud nos aër, est præter naturam ipsius, & impedit gradum ipsi debitum raritatis. Hunc verò dispositivè & indirectè restituit motus localis atterens aërem, eiusque partes distrahens: quā dispositione posi-

posità, ipse aèr naturali emanatione infert calorem sibi debitum, & oppositum præcedenti frigori; sicut dici solet de aquâ recuperante pristinam ac sibi debitam frigiditatem, expultricem præcedentis caloris, vbi adsunt dispositiones necessariæ, seu veriùs vbi auferuntur impedimẽta. Quare, sive illa densitas præternaturalis sit propria, sive impropria, nõ ideò habet duplex contrarium, sed vnicum, qui est raritas ipsius expultrix: neque etiã frigus præcedens aèris, quod formaliter solùm expellitur à calore, pariter resultante ex aère in gradu ipsi debito: multò autem magis expelletur, si aèr incalescat vltra debitum gradum.

54. *AD III.* Manifesta repugnantia est in eo quòd raritas deserviat vt dispositio ad productionem conservationẽque ignis, non autem caloris: siquidem calor & ignis necessariò inter se connectuntur. Neque calor faciliùs introducitur in corpora densa, quàm rara, vt experimentis quamplurimis patet; sed longè difficiliùs propter obsistentiam spissarum partium ad excipiendum qualitatem innaturalem ab extrinseco. Eadem verò spissitudo & densitas in causa est, vt eam qualitatem semel exceptam, & interiùs imbibitam, non facilè excutiat, sed fortiùs in se retineat. Deinde retorquetur obiectio, veluti nimiùm probans, & contra seipsam. Probat enim igni conveniẽtiorem esse densitatem, quam raritatem, quia meliùs conservatur ignis in corpore denso, vt ferro candenti, quàm in raro, vt stuppâ & spongiâ.

55. *AD IV.* Aèr vi prædictæ raritatis se reducens ad gradum debitum caloris, potest quidem calefacere in præcellenti gradu, etiam corpora densa, quamvis non ita breviter. Nunquam tamen eò devenire potest, vt comburat virtute propriâ: quia ad hoc exigebatur summus calor, sive vltimò ad formam ignis disponens; cuius incapax est. Quòd verò ignis elementaris dicatur non absumere vicinam regionem aèris, non provenit ex solâ raritate maxima ignis, sed præterea ex summa aèris humiditate, quâ opponitur & resistit præcellenti siccitati ignis. Verùm quemadmodum ipse ignis rarissimus in propriâ regione motu suo distrahit, ac proinde rarefacit & calefacit propè in summo regionem supremam sibique immediatã aèris; ita etiam vniversim motus localis rarefacit & calefacit aèrem, quia distrahit & atterit partes ipsius.

56. *AD V.* Corpora, si perfectè plana supponantur, nullis viribus facilè disiungi poterunt ad invicem, & multò minùs confricari; vt dici solet de tabulis perfectè planis, ne inducatur vacuum. Si autem corpora non fuerint perfectè plana, quò velociùs inter se confricantur, eò citiùs & intensiùs calefient; quia ambæ illarum superficies quo ad singulas sui partes atterunt totum aèrem receptum in medio ipsarum, ipsumque vehementissimè rarefaciunt, vt nimium accendatur, & calefaciat tabularum planitiem. Accedit, quòd cũ totæ superficies simul cieantur, & calorem recipiant, omnes vtriusque partes calefactæ invicem se fovent, vt calor sit potentior, meliusque conservetur. quod tamen ex oppositâ ratione non evenit, vbi duo globi lignei colliduntur solum ex aliquo latere. Itaque potius eo experimento confirmatur nostra sententia. Instantia quæ affertur in motu cordis non obstat: quia verè incalescit cor ratione motus; refrigeratur tamen ratione aèris frigidi, qui dilatatione ipsa attrahitur; & similiter ratione expulsionis fuliginum calidarum, vt docet Galenus *lib. de vtilitat. respirationis cap.* 3. Iam denique quod additur de aquâ, non vrget: quia quòd immota soleat esse calidior, quàm decurrens, provenit ex defixione radiorum Solis super aquam potiùs stantem, quàm decurrentem. Quòd si supponatur aliquando æqualis ex hoc capite, adhuc fatemur aquam decurrentem non incalescere: quia cùm moveatur naturaliter circa proprium centrum, partes eius non distrahuntur, nec amittunt quidquam cõgenitæ densitatis; ideoque nihil mirum si maneant frigidæ, vt antea. quæ est doctrina Alberti Magni 1. *Meteor. tract.* 1. *c.* 11.



SECTIO SEXTA.

Variæ quæstiones circa eandem materiam breviter resolvuntur, aut in alia loca remittuntur.

57 ROGABIS I. An motus Cœli sit vsque adeò necessarius, vt eo cessante pariter cessarent omnes inferiores motus?

RESP. I. Cessaturam omnem alterationem, & generationem, ac motum inferiorem quorumlibet: vt colligitur ex Arist. *lib. 2. de Gener. textu 54. & 55. ac lib. 8. Physi.* & D. Thom. qui id docet, & probat 1. 2. *q.* 109. *art.* 9. illis verbis: *Videmus in corporalibus quòd ad motum non solùm requiritur forma ipsa, quæ est principium motus, vel actionis; sed etiam requiritur motio primi moventis. Primum autem movens in ordine corporali est corpus cœleste. Vnde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret, nisi per motionem corporis cœlestis.* Et lib. 2. de Cœlo lect. 4. *Cessante*, inquit, *motu Cœli, omnis motus corporum inferiorum cessaret.* Cui sententiæ, simul & rationi, suffragantur plerique Philosophorũ contra Henricum *Quodlib. 11. q. 15.* Scotũ *in 2. dist. 14. q. 3.* Durandum *dist. 15. q. vlt.* Suarez *disp. 2. Metaph. sect. 1.* Conimbricẽses 2. *de Cœlo c. 3. q. 4. art. 2.* Rubium *q. 3. & 4.* Aversam *q. 35. sect. 6.* Id vero intelligẽdum, secluso miraculo. Nam alioqui, & Deo operante supra communes leges, ac supplente defectum causalitatis Cœlorũ, possent inferiora hæc moveri, ac prosequi cursum suum: vt accidit quando ad vocem Iosue iussu Dei stetit Sol, & tota Cœlorum machina. Vbi prosecutio rerũ subcœlestium in cursu solito, non fuit novum miraculum, sed præcedentis continuatio.

58 *RESP. II.* Dato quòd cessante motu Cœli, remaneret aliquis influxus partialis ipsius medio lumine, alijsve virtutibus; adhuc tamen breviter deficerent res inferiores, omniaque mixta resolverentur in pura elementa, qualia erat à prima conditione Vniversi. Etenim ex cessatione motus cœlestis, deficerent omnes motus alterationis, generationis, augmẽtationis, nutritionis, ac lationis, vt nuper dictum est: atque insuper, Cœlo immoto, staret Sol fixus supra vnicũ hemisphærium, illudque assidua radiorum defixione combureret: alterum vero sub perpetuà nocte, & summà frigiditate relinqueret. Quæ omnia certè inferrent citissimã mixtorum omnium corruptionem, ac resolutionem in pura elementa, è quibus à principio prodierunt: quia in eo misero statu diu permanere non possent. Verùm circa hæc lege Capreolum *in 2. dist. 14. q. 1.* Ferraram 3. *contra Gent. cap. 69. & 7. & lib. 4. cap. vlt.* Philippum à Trinitate *q. 6. de Cœlo art. 6.* & Ioannem ab Annuntiatione *disp. 4. q. 4.*

59 *ROGABIS II.* An, præter lucem & motum, habeat Cœlum alias virtutes operatrices, quibus operetur in hæc inferiora?

RESP. Affirmativè cum Alberto Magno *in 2. dist. 15. q. 1.* D. Thomà *lib. 2. de Cœlo lect. 10.* alijsque pluribus Antiquorũ, quos imitantur ex Recentioribus præsertim Aversa vbi suprà *sect. 7.* Conimbricenses 2. *de Cœlo cap. 3. q. 8.* Gæus de Mineralibus *lib. 1. c. 5.* & Ioannes ab Annuntiatione loco nuper allegato *q. 5.* Ratio est: quia inter effecta inferiora a Cœlo pendentia in suo *fieri* & *esse*, inveniuntur plurima, quę nequeunt ab eo provenire medijs luce & motu tantùm: vt frigiditas, & omnia mixta, in quibus illa prævalet. Lux enim & motus, per se loquendo solùm sunt causæ illativæ caloris, vt sect. præcedenti ostensum est. Ergo aliam virtutem distinctam debemus afferere in corporibus cœlestibus, præter lucem, & motum. Vnde & varij, ac plurimùm inter se dissidentes effectus, tribui solent alijs atque alijs Planetis atque constellationibus: circa quod nonnulla dedimus sæpe in hoc tractatu, & hac ipsa *disp. à num. 6.* Consule Authores allegatos; & pro opinione contrariâ Picum Mirandulanum *lib. 3. contra Astrologos c. 5. & 6.* Pereiram *lib. 2. in Genes. disp. solemni adversus Astrologos c. 3.*

60 *ROGABIS III.* An Cœlum exhibeat influxum aliquem in actus humanos?

RESP. Influere quidem, mediatè saltem, in eos actus hominis, qui exercentur medio organo corporeo; non tamen in actus spirituales intellectus & voluntatis, nisi ad summum occasionaliter. In hac resolutione conveniunt frequenter Philosophi quò ad singulas partes. Prima constat: quia cùm Cœlum influat in omnia corpora sublunaria, vt suprà statutum est, etiam putari debet præstare influxum in organa omnia corporea sensuum, tum exter-

no-

norum, tùm & internorum, naturæ humanæ convenientiũ, atque adeò in operationes sensitivas, sive corporeas, ipsorum, saltem mediatè. Secunda pars suadetur: Quia agens corporeum, quale est Cœlum, nequit agere, nisi in id, ad quod comparatur, tanquam movens ad mobile: & hoc modo nequit comparari in ordine ad intellectum, & voluntatem, aut vtriusque operationes, quoniam hæc omnia sunt entia spiritualia. Quòd verò occasionaliter possit influere in prædictos actus, ex inde patet: Quia voluntas in suis operationibus ducitur ab intellectu, qui pro hoc statu in actibus suis pendet à ministerio sensuum, & rectà, ordinatione specierũ materialiũ existentium in phantasiâ. Cùm igitur Cœlũ possit plurimũ boni, aut mali conferre in eam specierũ ordinationẽ, vtpotè materialẽ, sive directè spectantẽ ad corpus; palã quoq; est occasionaliter posse nocere, aut prodesse, actibus voluntatis & intellectus. Legendus ea de re præsertim S. Thomas 1. *p. q.* 115. *art.* 4. & 3. *contra Gent. c.* 86. Verùm non ideo influxum aliquem proprium, & multò minùs effectivum, præstant in actus hominis liberos: quoniam ij a solâ voluntate humana, eaque indifferente ad vtrumlibet, elicitivè procedunt, absque dependentia ab vllo alio applicante, quàm à Deo: vt idem S. Doctor tradit, & alij communiter contra Stoicos.

61 *ROGABIS IV.* Vtrùm corpora cœlestia necessario consequantur suos effectus, sive, quod perinde est, an in his rebus inferioribus & corporeis, eveniat aliquid contingenter, & per accidens relatè ad Cœlum?

RESP. Iam nos de hoc ex professo instituisse disputationem decimam septimã Physicæ tomo præcedenti: ex qua constat, corpora cœlestia non consequi infallibiliter suos effectus, sed aliquos illorum esse ijs contingentes, & fortuitos, tum ob virtutem agendi finitam ac limitatam, quà pollent; tum ob distantiam loci; tum ob indispositionem materiæ; tum ob diversos & oppositos aspectus Planetarum & constellationum inter se. Quare non est quòd speciatim aliquid repetamus.

62 *ROGABIS V.* Vtrùm ex contemplatione cœlestium corporum possint certò prævideri futura contingentia, aut libera?

RESP. Etiam de hoc nos instituisse fusam dissertationem *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ, Ludo* 6. per totum: vbi ex penetralibus sacræ & profanæ eruditionis, atque omnimodæ Philosophiæ, demonstrata est negativa pars contra Astrologos Iudiciarios multipliciter: vt propterea opus non sit modò reciprocare ferram, & tundere incudem eandem, vt in proverbio est. Verùm vt penitiùs constet, & ex principijs solidis Astronomiæ, quàm temerè, & ex cerebro loquantur Iudiciarij, non modò circa futura libera, aut contingentia, sed etiam circa complexiones & inclinationes hominum naturales; placuit in præsenti exscribere verba R. P. Sylvestri Mauri, nuperi Authoris ac doctissimi è Societate Iesu, *in QQ. Philosophicis lib.* 3. *q.* 9. *ad* 4. vbi hæc habet.

63 *MOTVS Diurnus Cœli, licèt sit vniformis, causat motus difformes diversis momentis diei. Primo quia applicat inferioribus successivè diversas, ac difformes partes Cœli. Prius enim oritur vna pars Cœli cum suis stellis, ac signis, deinde alia; prius oritur vnus planeta, deinde alius; ergo cum diversæ partes Cœli, diversæ constellationes, ac signa diversas habeant virtutes, necessè est vt diversis partibus dici causent difformes effectus. Ità Sol, cum est suprà horizontem causat calorem diurnum, Luna verò causat frigus, & humiditatem nocturnam; ergo cum diversis momentis diversæ partes Cœli oriantur, occidant, & perveniant ad altitudinem meridianam, non est mirum, si diversis momentis causent diversos, ac difformes effectus. 2. eædem partes Cœli, licèt vniformiter moveantur, acquirunt difformem situm, & habitudinem ad inferiora. Idem enim Sol, diversimodè se habet respectu nostri, dum est in Oriente, diversimodè cùm in altitudine meridiana, & cùm in occidente, vel in puncto mediæ noctis; ergo necesse est, vt eædem partes Cœli, propter diversam habitudinem causent diversos, & difformes effectus, in diversis momentis diei.*

64 *VERVM Si Cœlum moveretur solùm motu diurno primi mobilis, ità vt absoluta circulatione diurna, omnes partes Cœli redirent ad idem punctum, daretur quidem difformitas effectuum in partibus eiusdem diei; at vna dies, per se nõ esset difformis ab alia, sed omninò vniformis, ità vt singulis diebus iisdem horis, ac momentis causarentur idem effectus. At quià omnes stellæ tum errantes tum fixæ moventur ab occidente in orientem motu proprio suprà polos Zodiaci, ita vt post vnam circulationem primi mobilis, non redeant ad*

idem

idem punctum; ideò necessè est, vt dies sit dissormis *diei, eo pacto, quo dies æstatis sunt* dissormes *diebus hyemis; & quia suam circulationem per Zodiacum, seu per circulum obliquum, vt loquitur Aristoteles, singuli planetæ, ac stellæ diverso tempore conficiunt (Sol enim conficit vno anno, Luna 30. diebus, &c. stellæ fixæ pluribus annorum millibus) ideò necesse est, vt annus sit* dissormis *anno. Licet enim Sol 1. Ianuarij huius anni sit in eodem situ, ac 1. Ianuarij anni præcedentis, tamen quia alij Planetæ, ac stellæ fixæ non sunt in eodem situ, & ob iquitate, sed in diverso situ, causent* dissormes *effectus hoc anno, ac causarint anno superiore. Et quia secundum opinionem multorũ integra circulatio, per quam omnes Cœli partes redeant ad illum situm, in quo fuerunt constitutæ in mundi creatione, absolvetur 36. annorum millibus, ideò per se omnes isti anni debent esse* dissormes, *quia corpora cœlestia* dissormiter *se habebunt. Absoluta verò circulatione prima, secunda circulatio magna deberet esse per se vniformis primæ, licèt quia ab initio inveniret materiam inferiorem diversimodè dispositam, ac in creatione, propter dissormitatem materiæ sequerentur per accidens effectus* dissormes, *concurrentibus etiam ad hanc dissormitatem causis liberis* dissormiter *operantibus propter suam libertatem.*

65 *HINC Colligi possunt cum Ptolemæo principia Astrologiæ. Cùm enim singulis momentis, quibus homines concipiuntur, aut nascuntur, corpora cœlestia habeant diversam habitudinem ad inferiora, dissormiter influunt, atque adeò homines diversis momentis generati, supposita etiam æqualitate ex parte materiæ, & causarum inferiorum, accipiunt dissormem influentiam corporis cœlestis, ex qua oriuntur diversæ complexiones, ac naturales inclinationes. Quia rursus supposita æquali influentia corporis cœlestis respectu eorum, qui generantur eodem momento, materia, & causæ inferiores solent esse inæquales, propter inæqualitatem materiæ, ac parentum, etiam qui concipiuntur eodem momento, accipiunt dissormes complexiones, & inclinationes. Et quia Astrologi non possunt scire, quo pacto in momento generationis se habeat materia, ideò non possunt certò divinare, quam complexionem acceperit fœtus, etiam si perfectissimè scirent constitutionem, & virtutem corporis cœlestis. Et quia rursus, neque possunt certo scire, quam virtutem habeat corpus cœleste in hac constitutione, & momento temporis (deberent enim colligere ex inductione, & experientia anteactorum temporum, quæ experientia non datur, cùm nunquam omnia corpora cœlestia, includendo etiam stellas fixas fuerint in tali constitutione, & habitudine ad inferiora) ideò neque ex hoc capite possunt certo divinare complexiones, & inclinationes naturales hominum generatorum. Astrologia igitur, in quantùm conatur certò divinare de eventibus liberis, est fallax ex defectu artis, vt dictum est in Logica q. 61. in quantùm verò conatur divinare de cõplexionibus, & de inclinationibus naturalibus, est fallax, non ex defectu artis, sed ex defectu artificis; cùm homines neque possint scire exactè dispositionem materiæ, & causarum inferiorum, neque virtutem corporis cœlestis quocumque determinato momento.*

66 *ROGABIS VI.* An lux stellarum, Planetarumque sit eadem cum luce Solis, à quà ortum ducit. *RESP.* Omnem lucem visibilem, sive cœlestem, sive sublunarem, eiusdem rationis specificæ esse: vt colligitur ex D. Thomà, quem sequuntur, & allegant Conimbricenses *in præsenti lib. 2. cap. 7. q. 3. art. 2.* Arriaga *disp. 2. de Cœlo*, & alij plerique. Ratio est: quia lux Solis intendit, seu intensionem subire facit cæteras omnes luces visibiles, cœlestes & sublunares: vt vt experimento Lunæ, & aliorum corporum lucidorum patet. At qui intẽsio nõ fit, nisi per illud, quod eiusdem naturæ, & speciei est, vt ex Methaphysica suppono. Ergo lux Solis est eiusdẽ speciei, sive naturæ, cum omni luce cœlesti ac sublunari.

67 *DICES:* Ergo non poterit vnusquisque Planeta, influere in effectus specie diversos: quia vis activa astrorũ est lux, & vbi virtus activa est eadẽ specie, nequit cõducere in effectus diversarũ specierũ. *RESP.* Negando sequelã: quia lux diversimodè refracta, & diversis qualitatibus coniuncta, potest seorsim conducere in effectus specie diversos.

66 *ROGABIS* Vltimo: An etiam Cœlum Empyreum influat in hæc inferiora? *RESP.* Affirmativè, vt iam supra *num. 38. circa finem* dictum est, quamvis obiter. Nam de ijs, quæ ad Cœlum Empyreum attinent, vix licet aliquid differere intra metas Naturalis Philosophiæ, quam solam hoc vtroque tomo elucidandã suscepimus. Et certè otiosum videretur ijs immorari, aut reponere, quæ insigni atque admirãda eruditione iam diu in lucem protulit R. P. Gabriel de Henao, vtroque volumine suæ Empyreologiæ: vbi nihil ferè intactum reliquit, quod eò spectare possit.

ILLVS-

ILLVSTRISS. ET SAPIENTISS. D. D. *FRANCISCO RAMOS DEL MANZANO.* SVMMORVM SENATVVM CASTELLÆ AC REGII CVBICVLI CONSILIARIO, REGIS CATHOLICI MAGISTRO, &c.

NOVAM ANTIQVAM Controverſiam *de Centro Mundi*, præ alijs, inſcribendam *TIBI* Cenſui, *ILLVSTRISSIME D.* Nimirum, quà Conſul, quà Magiſter Magni & Catholici Regis, ex ipſo Hiſpaniæ centro lineas ducis doctrinæ ac regiminis, in extremas Orbis terrarum oras, quibus ille imperat. Parum fuiſſet à primis fere adoleſcentiæ annis ingenio, veluti è cœlo tacto, rapuiſſe hanc Salmanticenſem Academiam, quamvis nihil admirari ſolitam, in admirationem Tui: parum eluprema Iuris Cæſarei cathedrà litterarij Orbis Principem, ac facilè Oraculum extitiſſe: niſi & Regum Maximus, & Regnorum ampliſsimum, Tuæ directioni commendaretur. Nec directioni tantùm: ſed & defenſioni. Illam prædicat nuperus & aureus liber Tuus, *de Regnis in minori ætate, & Magnorum Regum.* Hunc verò, qui paulò antè præceſsit, *De Iure ad Statum Brabantiæ.* Quem enim armatæ acies, claſſeſque inſtructæ, terrà ac mari dominatorem aſſerunt; eundem, quà voce, quà ſcriptis aureis, intra ſolium hæreditarium tueris. Fortior ſanè hæc defenſio eſt, ſi apud hoſtes ratio non vrget minus, quàm libido imperandi. Meritò Tullius 1. de Officijs, *Non minorem*, inquit, *vtilitatem afferunt qui reipubl. præſunt, quàm qui bella gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpè, aut ſuſcepta, aut decreta bella ſunt. Quare expetenda eſt magis decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Temerè enim in acie verſari, & manum cum hoſte conſligere, immane quiddã eſt, & beluinum.* Ideo inter Cæſares laudati, qui in adſervando Imperio, & ampliando, potiùs Iuriſconſultorum reſponſis, quàm armatis exercitibus nitebantur. Talis Hadrianus, qui Iulio Celſo, Iuliano, Priſco, ac Neratio, plurimùm vſus eſt. Talis Antoninus Pius, qui Valente, Martiano, & Iaboleno. Talis Antoninus, cognomento Philoſophus, qui Scevola; & Alexander Severus, qui Sabino, Paulo, atque Vlpiano; vt teſtatur Lampridius. Et id quidem eo tempore ac loco, in quibus Cæſarum Conſultorumque mentes, fidei lumine deſtitutæ, ſub Cimmerijs polytheiſmi tenebris caligabant. Nunc verò, quantò feliciùs eſt Catholico Monarchæ, & intra Eccleſiæ Matris ſinum, in conſilium, in defenſionem, in Magiſterium vti Iuriſconſultorum Anteſignano, qui plenò pectore ſapiat, & toto impetu ad honeſtum eat! quem non Chriſtiana ſolùm profeſsio, ſed & probata pietas, & dignitas Sacerdotij, & veneranda canities, longè lateque ſpectabilem reddunt. quem magnarum rerum cura, & ſumma vtriuſque Orbis negotia tamdiu excubitorem meruère. quem Hiſpano-Gallica Pax, non vno Sacramenti fœdere ſtatuta, Regum controverſijs dirimendis Caduceatorem nacta eſt. Verùm ijs in poſterum vitandis oporteret ſerio conſiderare, quàm exigua portio mundi ſit terra hæc, cuius dominandi deſiderio æſtuant Principes. Illam, tota quanta eſt, *punctum* appellant Mathematici, ſi Cœlo conferatur. Quidquid terræ mariſque exhibent quatuor Orbis plagæ, comparatione cœleſtis machinæ, *centrum* eſt, punctum eſt. Et tamen eius quantulacumque poſſeſsio Reges, ac totum ferè humanum genus, in bella diſtrahit. Præſtaret obaudire, vel Ethnicis Philoſophis, & inter eos, Plinio lib. 2. Hiſtor. cap. 68. aienti: *Mundi punctum (neque enim eſt aliud terra in Vniverſo) hæc eſt materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes: hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic inſtauramus bella etiam civilia, mutuiſque cædibus laxiorem facimus terram. Et, vt publicos gentium furores tranſeam, hæc, in quà conterminos pellimus, furtoque vicini ceſpitem noſtro ſolo affodimus, vt qui latiſsimè rura mercatus fuerit, vltraque fines exegerit accolas, quotà terrarum parte gaudeat? Vel cùm ad menſuram avaritiæ ſuæ propagaverit, quam tandem portionem eius defunctus obtineat?* Sanè longè maiorem, quàm ſit, animo concipere videntur terram, quotquot æſtuant libidine dominandi, augendivè ditionem ſuam. *TE* adhortatore, *CAROLVS II.* magnæ Gentis & ſæculi noſtri ſpes altera, in hoc Mundi centro, nunquam terminos alienos invadet, ſed intra fines ſuos conquieſcet. Tuis ille monitis

regias,

regias ac propè divinas virtutes animo inseret; atque incrementum hæreditariæ gloriæ faciet. Apparebit siquæ emphatica est vis illius Oraculi: *QVINTVS QVINTVM CLARO LVMINE SVSCITET.* O aurea & rediviva Hispaniæ sœcula, vbi illud fuerit adimpletum! Felices, quibus videre continget. Erit: erit. Videat diem illum Serenissima Hispaniarum Augusta *MARIA-ANNA AVSTRIACA*, pulchritudinis & totius honestatis idea; quæ vel si nec Cæsarum Filia, Cæsarum Neptis, nec Cæsarum Mater esset, sed humili genere nata; adhuc digna imperio existeret, ob præcellentes animi & corporis dotes, quas in eam Cœlum veluti effudit. Eam gemmam incomparabilis pretij, Germaniæ Cœlo debemus, sicuti olim *MARGARITAM* aliam. Valeat, perennetque cum dulcissimo Filio suo, ac Rege Nostro: cui tenero adhuc, & generis humani delicio, penè ingeminant populi:

DE NOSTRIS ANNIS TIBI IVPPITER AVGEAT ANNOS.

Tuos etiam, *ILLVSTRISSIME D.* εἰς τὸν αἰῶνα perducat, qui vitæ & bonorum omnium Author est.

DISP. SEPTVAGESIMA QVARTA.

DE CENTRO MVNDI.

An centrum totius Vniversi sit in Sole, an potiùs in terrâ, & quanam ratione?

Num. 1. *LATINI Authores communiter* Centrum *appellant punctum in sphærâ, orbe, aut circulo, medium, à quo si ducantur lineæ rectæ ad extremitatem totius circunferentiæ, evadant prorsus æquales. Græci, eodem ferè nomine dicunt,* κέντρον, *scilicet*, punctum, *à verbo* κεντέω, pungo. *Vnde & apud Aristotelem* 9. Animal. κεντρωτοὶ μηφῶνες, aculeati fuci; *& verbum* κεντρόομαι, *significat habere stimulum. Mathematici autem subtilius distinguunt inter centrum Vniversi, gravitatis, & magnitudinis. Centrum Vniversi appellant punctum, à quo omnes lineæ, ad primi mobilis circunferentiam ductæ, æquales sunt. Quo sensu Cicero* 1. *Tuscul. ait*: Persuadent Mathematici terram in medio mundo sitam ad vniversi cœli complexum, quasi puncti instar obtinere. quod *Centrum* illi vocant. *Centrum gravitatis est punctum medium lineæ rectæ dividentis corpus in partes æquè graves. Centrum denique magnitudinis est punctum existens in medio lineæ rectæ, dividentis corpus in duas magnitudines æquales. Hæc duo posteriora centra quandoque in vnicum conveniunt, vt in globo perfecto & æquabiliter gravi; quandoque autem separatim manent, vt in globo non æqualiter gravi, qualis est sphæra partim plumbea, & partim lignea: siquidem meatiū ipsius esset vtique centrum magnitudinis; centrum verò gravitatis esset aliud punctum extra medium existens in parte graviori, quod propensioni suæ relictum descenderet ad centrum Vniversi, & cum eo iungeretur. Hanc disputationem ex professo exagitat Aristoteles* lib. 2. de Cœlo cap. 13. & 14. *aliisque pluribus locis eandem elucidat.*

SE-

SECTIO PRIMA.

Opinio Pythagoricorum, à Copernico & quibusdam Recentioribus innovata, de assiduo motu terræ circa Solem immobilem, veluti circa centrum Vniversi, refertur & refellitur ex sacris litteris.

2 *SOLEM* Esse in medio ac centro Vniversi totius collocatum, ibidēque perpetuò immobilem permanere; terrā verò, aliaque corpora, & astra omnia, altiorem occupare locum, atque assiduò volvi circa Solem, & proinde efficere mutationes dierum ac noctium, variorumque anni temporum; opinati sunt Pythagorici apud Aristot. 2. *de Cœlo c.* 13. *text.* 72. vbi relatà communi sententia asserentium, terram in medio Vniversi esse sitam, addit: ἐναντίως οἱ περὶ τὴν Ἰταλίαν, καλούμενοι δὲ Πυθαγόρειοι, λέγουσιν· ὅτι μὲν γὰρ τὸ μέσον πῦρ εἶναι φάσι τοῦτο δὲ γῆν ἓν τῶν ἀστέρων ὄσαν κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, νύκτα τε καὶ ἡμέραν ποιεῖν. *Ij verò, qui Italiæ partem habitant, Pythagoricique vocantur, contrarium asserunt: nam in medio quidem ignem* (scilicet, Solem, quem igneum putabant) *esse aiunt: terram autem vnam esse stellarum, ferrique circa medium, atque hac ratione diem ac noctem efficere.* Subditq; ex ipsorum mente, Lunam esse aliam terram nostræ adversam, in quà & habitatores collocabant. quod supra *disp.* 72. *sect.* 1. à nobis refutatum, seu potiùs derisum est. Subscripsit tam immani paradoxo Aristarchus Samius, expressè docens Solem in centro Vniversi existere immobilem, & circa ipsum terram, ac cætera elementa, & omnes alios Planetas, perpetuò in orbem cieri. Porrò circa primum eius opinionis Authorem audire par est Laërtiū *in Philolao* aientem: *Primus Philolaus Pythagoricus dixit,* τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον, *terram moveri in circulum.* Addit tamen: *Alij Hicetæ Syracusio id tribuunt.* Leucipus quoque sensit, *terram vehi, circa medium assiduè versam. esse autem figuram tympani.* Meminit eiusdem existimationis Seneca *lib.* 7. *QQ. cap.* 2. & quidam alij apud eruditissimum iuxtà ac pissimum I. Lipsium *lib.* 2 *Physiol. Stoic. d.* 19.

3 *HANC* Existimationem, iam diu obsoletam, & à Scholis exulantem, etumulavit duobus retrò sæculis, ac recētibus pigmentis venustam reddere conatus est Nicolaus Copernicus in suo Opere *de Revolutionibus Orbium Cœlest.* præsertim *lib.* 1. *cap.* 10. & 11. vbi per omnia Pythagoricis suffragatur, & hoc ordine Vniversi constitutionem, corporumque motum ac seriem describit. *Primò*, Solem in medio mundi statuit, immobiliter persistentem. *Secundò*, proximè circa Solem, exhibet Sphæram Mercurij: *Tertiò*, orbem Veneris: *Quartò*, orbem quendam magnum (ita enim appellat) in quo constituit terram cum elementis, ac Lunam: *Quintò*, Sphæram Martis: *Sextò*, Iovis: *Septimò*, Saturni: *Octavò* denique, orbem stellarum fixarum Aplanes dictum, sive firmamentum: quod etiam immobile esse ait, instar Solis. Terrām asserit cieri motu diurno, qui perficitur viginti quatuor horis: totum verò orbem magnum, in quo terra defertur, no complere suam periodum, nisi integro anno; illamque perficere per duodecim signa Zodiaci, cum declinatione ab æquinoctiali vsque ad Tropicum Cancri versus Septentrionem, & vsque ad Tropicū Capricorni versus Austrum. Alijs sex orbibus Planetarum mobilium tribuit eundem motum penes signa Zodiaci: diversimodè tamen, iuxta mensuram tēporis vniuscuiusque. Copernicum sequuti sunt Keplerus, & plures alij Recentiores Astronomi, & hoc ipso sæculo Galilęus a Galilęis, toties in hoc Opere allegatus.

4 *VERVM* Opinio prædicta nequit sine manifesto hæresis periculo sustineri, vt statim ostendam: ideoque in Indice librorum prohibitorum S. Romanæ Congregationis confixa fuit, & deleri iussa ab operibus Nicolai Copernici. Similiter & prohibitus fuit liber Ioannis Kepleri inscriptus *Epitome Astronomiæ Copernicanæ*, omnesque alij eandem doctrinam continentes: quæ in eodem decreto improbatur anno 1616. tanquam falsa, & divinæ Scripturæ omnino repugnans. Et meritò quidem. Nam, prætermisso quod non modò sit contraria Aristoteli *vbi suprà*, & cæteris Philosophis atque Astronomis ferè omnibus, priscis ac recentibus, & Ecclesiæ Patribus, qui oppositum apertè supponunt; videtur omnino aduersa testimonijs Scripturæ, quo ad singulas ferè partes. Primò enim Solem, Lunam, & stellas non esse infrà, sed supra terram, & dividere diem ac noctem, expressè habetur *Genes. c.* 1. *v.* 16. illis verbis: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac*

nio-

rectum. Et factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento Cœli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Non ergo terra eſt ſupra Solem, ſed infrà; neque dividit diem ac noctem, ſed hoc adſcribitur Soli, Lunæ, ac ſtellis.

5 *SOLEM* Verò moveri, & non conſiſtere eodem loco, apertiſsimè docet Scriptura *Eccleſiaſtis* 1. *v.* 5. dum ait: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans vniverſa in circuitu pergit ſpiritus, & ad circulos ſuos revertitur.* Similiter & Ioſuè 10. *v.* 12. *Sol contra Gabaon ne movearis.* Vbi miraculo adſcribitur immotum ſtetiſſe Solem. Et *Eccleſiaſtici* 43. *verſ.* 5. de eo ipſo dicitur: *Magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinavit iter.* Ac Pſalm. 18. *v.* 7. *Exultavit vt Gigas ad currendam viã: à ſummo cœlo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Quid clariùs pro motu aſsiduo Solis?

6 *TERRAM* Denique immotam perpetuò conſiſtere, & nullatenus in gyrũ agi, conſtat non minùs expreſsè ex doctrina revelatà. Etenim *Pſalm.* 92. *v.* 2. de Deo dicitur: *Firmavit orbem terræ, qui non commovébitur.* Pſalmo 103. *v.* 5. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Ac tandem, omiſsis alijs, eodem loco Eccleſiaſtis ſuprà exſcripto: *Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum ſtat.* Quæ omnia teſtimonia vlque adeò clara ſunt, & ita oppoſita relato errori, vt nullo egeant interprete, niſi nudà & ingenuà lectione ipſorum. Dicere autem, vt quidam aiunt, Scripturam ijs locis non loqui ſecundum quòd res ſe habent, ſed iuxta ſenſum vulgarium hominum; non veroſimilis evaſio eſt, ſed calumnia; quà omnia divina oracula abſolutè prolata pariter eluderentur, ac ſolùm reciperentur in ſenſu vulgarium hominum. Verùm non pigeat pro plenori eorum locorum expoſitione adire ex Recentioribus Corneſium a Lapide, Tirinum, ac Lorinum, & Pinedam *in cap. Iob* 26. *v.* 7. ac ſimiliter *cap.* 9. *v.* 6. ad illa verba: *Qui commovet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Quibus oſtenditur, Deum quidem facillimè poſſe movere terram, ſive ex parte, vt in terræmotibus accidit; ſive totam, vt quidam volunt evenisſe tempore crucifixionis Chriſti: attamen tunc fore motum terræ prorſus innaturalem, ſolumque ipſi convenientem ex obedientiâ paſsivâ ad nutum Creatoris. Sed veniamus iam ad rationum momenta.

SECTIO SECVNDA.

Argumentis phyſicis ac mathematicis, tum priſcis, tum & recentibus, exturbatur iuem error; & Copernici fundamenta diruuntur.

RATIONES Verò in idem paradoxon confutandum ſuppetunt ex ſeveriore Philoſophia, & Mathematicis diſciplinis. Non colligam, ſed ſeligã, ac breviter proponam, tum ea, quæ Ariſtoteles locis allegatis profert, aliquantò ampliùs roborata; tum & nonnulla alia, quæ ex recentiore obſervatione procedunt.

7 *PRIMA* Habetur *textu* 75. & in hunc ferè modũ vrgebatur contra Pythagoricos. *Si* terra non eſſet in medio mundi, ſed Sol tantùm; horizon, ſive finitor, qui terminat viſum noſtrum, non ſecaret ſemper ſphęram totam in duo media, ſive in duas partes æquales; neque ſemper apparerent nobis ſex ſigna Zodiaci: ſed neceſſum eſſet, vt horizon modò ſecaret minorem, modò maiorem totius ſphæræ partem; & ex duodecim ſignis modò apparerent pauciora, modò plura. Cùm enim terra diſtaret à medio mundi, non poſſet aſpectus noſter totam ſphæram cęleſtem dividere per medium: ſed quà parte eſſet proximior Cœlo, minorem partem ſphæræ attingeret; quà verò remotior foret, attingeret partem ſphæræ maiorem. At conſequens eſſe falſum, ad ſenſum patet. Ergo terra eſt in medio mundi. *Vrgetur* id ipſum, & præoccupatur evaſio Pythagoricorum. Eò enim ipſo quòd non terra, ſed *Sol*, ſit in medio mundi; terra diſtat maximè ab ipſo medio quantùm diſtat à *Sole*. Ergo ex terrà non poſſemus ſemper videre mediam ſphæram, ſed vel parum illius, vel plurimùm: quia quiſquis procul diſtat à medio alicuius circunferẽtiæ, aſpectu ſuo non poteſt illam per medium ſecare, ſed modò partem eius minorem, modò maiorem.

8 *SECVNDA* Ratio *ex textu* 96. ſic procedit. *Si* terra non eſſet immota in medio

dio mundi, ſed potiùs verſus Solem, veluti medium ac centrum mundi, in circulū perpetuò ageretur; motus ipſe eſſet terræ naturalis, & non violentus: quia quod violentū eſt, nequit diu durare, & multò minùs poteſt eſſe perpetuum. Atqui motus terræ totius circa Solē nequit eſſe naturalis, ſed violentus. Ergo terra perſiſtit immota in medio mundi, & nō agitur in circulum verſus Solem. Suadetur minor. Omnis motus qui eſt naturalis toti, eſt etiam connaturalis partibus: & præſertim ſi totum ſit homogeneum, vt terra; quia omnes eius partes ſunt eiuſdem naturæ. At motus partium terræ circa Solem non eſt naturalis, ſed violentus: vt patet in glebà terræ iacta verſus Solem, quæ non ſponte ſua, ſed vi fertur, & poſt breve ſpatium in ſuo motu langueſcit, reditque velociter in terram reſiduam, à quà fuerat priùs avulſa. Ergo motus terræ totius circa Solem, nequit eſſe naturalis, ſed violentus.

9 *TERTIAM*, Et à priori, exhibet *textu* 101. Illud, ad quod tendunt naturaliter omnia corpora gravia, eſt in medio, ſive centro mundi. At non Sol, ſed terra eſt id, ad quod naturaliter tendunt omnia corpora gravia. Ergo non Sol, ſed terra eſt in medio, ſive centro mundi. Conſequentia eſt evidens, & minor patet ab experimentis omnium corporum gravium, quæ ſuæ naturæ permiſſa tendunt in terram, vt in ea quieſcant. Maior autem ſuadetur: Quia id, ad quod naturaliter tendunt omnia corpora gravia, eſt locus infimus omnium: vtpotè correſpondens motui deorſum. Atqui locus infimus omnium eſt medium, ſeu centrum mundi: quod & Pythagorici, & ipſorum Sectatores, non negant: ſiquidem ex loco omnium infimo ducuntur æquales lineæ rectæ ad totam circunferentiam ſupremæ ſphæræ. Ergo illud, ad quod naturaliter tendunt omnia corpora gravia, eſt in medio, ſeu centro mundi.

10 *QVARTA* Habetur *eodem textu*, illis verbis: τὰ βια ῥιπτόμενα ἄνω βάρη, καὶ σταθμὸν πάλιν φέρεται εἰς τὸ αὐτό, καὶ εἰς ἄπειρον δύναμις ἐκριπῇ. *Ponderа, quæ ſurſum iaciuntur, in idem rurſus per rubricam ferantur, etſi in infinitum illa vis proijciat.* Nimirum lapis, aut ſagitta v.g. ſi directè mittatur ab aliquo in altum, & ſupra ſuum Zenit, quantumcumque longè, cadet ad perpendiculum ſuprà ſuum caput. Vnde & Eccleſiaſtici 27. v. 28. dicitur: *Qui in altum mittit lapidem ſuper caput eius cadet.* Si autem terra aſſiduò circumvolveretur ab Oriente in Occaſum verſus Solem, non caderet lapis, aut ſagitta, ſupra caput iacientis, ſed longè ab illo; ſiquidem iam eo interſtitio temporis poſt iactum, ſeceſſiſſet ille procul ab eo loco. Ergo terra non circumvolvitur aſſiduò verſus Solem ab Oriente ad Occaſum.

11 *HÆC* Ratio non ſolùm plauſibilis eſt, ſed etiam demonſtrativa cenſetur à D. Thoma in eundem locum *lect.* 26. & alijs communiter. Verùm, vt varia ſunt ingenia hominum, non deſunt Recentiores aliqui, quibus inefficax videtur, & quę patiatur inſtantiam pluribus experimentis comprobatam. Aiunt enim hominem delatum in navi, ſive tardo, ſive velociſſimo motu, iacientemque in altum ſagittam, quaſi ad perpendiculum, eam ipſam poſtea cadentem excepturum ſupra ſuum caput. Rationemque aſſignant: quia ſagitta ratione ſui motus, cauſati a duplici impetu arcus & navis currentis, in aſcenſu facit quaſi ſemicirculum: ideoque deſcendit poſtea ad locum eundem, vnde exierat; non obſtante motu, ſive tardo, ſive celerrimo, deferentis navis. Ita nuper Sancta Crucius in Curſu Philoſophico Romæ edito, 2. *de Generat. diſput.* 2. *quæſt.* 4. *ſect.* 1. vbi & ſuppreſſo nomine allegat quoſdam è Mathematicis pro eodem placito.

12 *AT* Reverà diſcurſus Ariſtotelis evidens eſt in materia de qua loquitur. Quidquid enim ſit de ſagitta proiecta ſurſum intra navim currentem, in quà forſan ob ſenſibilem, ac vehementem navis impetum notatus eſt ſemicirculus in aſcenſu ſagittæ; in terrà tamen continenti, & quæ nullum motum ſenſibilem aut vehementem exhibet, nullus appareret ſemicirculus in aſcenſu deſcenſuve ſagittæ aut lapidis in altum iacti, ſed totus ille cernitur rectilineus. Ergo terra continens non movetur ab Oriente in Occidentem interſtitio illo motus ſagittæ, vel lapidis. Sic enim deſcenderet in diverſum locum ab eo, vnde exivit. *Præterea.* Iuxta Adverſarios terra perficit integrū gyrū viginti quatuor horis; atq; adeò qualibet hora cietur ſpacio, pluſquam duorum mille milliarium; & quolibet minuto horæ triginta quatuor vt minimùm mil-

milliaribus, iuxta dimenſionem Ariſtotelis aſsignantis circunferentiæ totius terræ quinquaginta millia milliarium, vt dictum eſt ſuprà *diſp.58.n.24*. Verùm eſto circunferentia terræ ſit longè minor, vt aliqui eo loco allegati volunt, in omni ſententiâ deberet terra quolibet horæ minuto moueri in circulum ab Occaſu in Ortum per ſpacium decem ſaltem milliarium. Fac ergo, lapidem aut ſagittam ſurſum proijci vehementiſsimo impetu, & proinde in ſuo aſcenſu ac deſcenſu impendere tempus vnius minuti; vt reverà accidere poteſt; aut dimidij ſaltem. Certè eo interſtitio temporis, iam terra circumacta fuiſſet decem, vel quinque milliaribus. Non ergo poſſet ſagitta vel lapis deſcendere ad perpendiculum ſupra caput iacientis, ſed longiſsimè ab eo, & vt minimùm decem, aut quinque procul milliaribus.

13 *EXHIBEAMVS* Iam recentiora argumenta in idem probandum. *PRIMVM* deſumi poteſt ex ipſa Adverſariorum doctrina in hunc modum Titius exiſtens in ſpacio terræ plano, vtéſque eodem arcu & ſagitta, atque æquali impetu, iaculatur illam in eandem diſtantiam, ſive arcum dirigat verſus Occidentem, ſive Orientem verſus: vt experimento patet. Ergo terra non mouetur ab Oriente in Occidentem. Patet conſequentia: quia ſi ita eſſet, æqualis impetus proijceret ſagittam in longè maiorem diſtantiam ad Occidentem, quàm ad Orientem; ſiquidem motus ſagittæ in Occidentem miſſæ adiuvaretur motu terræ ad Occidentem; ſicuti Adverſarij aiunt motum ſagittæ ſurſum proiectæ adiuvari à motu diurno terræ, vt cadat ſupra caput iacientis: contrà verò, motus ſagittæ ad Orientem miſſæ retardaretur à motu terræ contrario in Occidentem. In idem ferè redit experimentum frequens eiuſdem hominis, æquali robore & impetu tranſmittentis qualibet horâ vnicam leucam, ſive Orientem verſus, ſive circa Occidentem ambulet. Atqui oppoſito modo eveniret ſi terra verſus Occidentem moveretur, ac proinde motu ſuo adiuvaret motum hominis in Occidentem, retardaretque motum contrarium in Orientem.

14 *CONFIRMATVR* Experimentis navigantium læpiſsimè comprobatis. Curſus navis citiſsimè decurrentis ita retardare ſolet motum contrarium lapidis proiecti à prorâ in puppim, vt ſæpe cadat iuxta pedes iacientis: & contra proiectus à puppi in proram motu conſentiente motui eiuſdem navis, atque impetu æquali, tranſmittit ingentem diſtantiam loci, & tranſit vltra proram. Ideoque magiſtri bombardarum, vt naves hoſtium diruant in maiori diſtantia, conantur explodere tormenta è prora iuxta impetum navis, potiùs quàm è puppi, contra ipſum: è nave autem immota & quieſcente, veluti ex arce, omnia tormenta dirigunt quaquaverſum, & ad eandem diſtantiam, cæteris paribus. Modò ſic. Si terra cieretur quotidie integro gyro ab Oriente in Occidentem, motus eius eſſet incomparabiliter velocior, quàm motus cuiuslibet navis. Ergo iactus eiuſdem ſagittæ aut lapidis, & æquali impulſu, circa Occidentem, eſſet in maiorem loci diſtantiam, quàm circa Orientem; nimirum, motu terræ adiuvante priorem motum, & retardante poſteriorem. quod tamen aſsiduo omnium experimento deprehenditur falſum.

15 *SECVNDVM* eſt huiuſmodi. Si terra non eſſet in centro mundi, ſed circumageretur in illo orbe magno Copernici verſus Solem; eſſet certè vicinior admodum ex vnâ parte ſtellis fixis, & ex alia valde remotior, vt ex ſe patet. Ergo ex vna parte terræ cernerentur ſtellæ longè maiores, quàm ex alia: ſicuti contingit in omnibus Planetis, etiam Saturno, ſtellis fixis viciniore, vt modò maiores, modò minores appareant, prout magis vel minùs approximantur terræ. Cùm ergo nullus mortalium è terra viderit vnquam ſtellas in maiori aut minori magnitudine, ſed ſemper in eadem; ſignum eſt, terram ſemper eſſe æquè diſtantem à ſtellis, & immotam in medio Vniverſi. Idemque planè convincitur ex æquinoctijs & ſolſtitijs, ex incremento & decremento dierũ ac noctium, ex reſpectu Horizontis inter Cœlum & terram, ex iactu vmbræ ſolaris ex eclipſibus Lunæ, & pluribus alijs obſervationibus; quæ tamen Lectori Aſtronomiæ inſcio eſsẽt difficiliores captu præcedentibus.

16 *TERTIVM* Procedit ex hypotheſi abſolutè poſsibili, quamvis præſeferat ſpeciem chimæræ. Ponamus, facto iã vniverſali iudicio, Deũ conſtruere in medio terræ, ſive in circulum centri totius Vniverſi, amplisimum carcerem rotundũ tor-

torquendis peccatoribus; eumque circũvallare lapidibus ſectis vndique; totà alia terræ mole, vti iacet, relicta. Ponamus inſuper, facto eo opere, Deum per medium dividere totum Orbem terrarum in quatuor partes, ita vt appareãt quatuor aperturæ in modum crucis, ſingulæ latitudinis vnius palmi; & ſua divina virtute ſuſtinere quatuor partes diviſas invicem ad modicum tempus; atque, eo elapſo illas naturæ ac ponderi ſuo dimittere, vt reuniantur, ſicut priùs. In hac hypotheſi ſingulæ partes Orbis terrarum proculdubio tenderent in medium, ſive centrum Vniverſi, atque eo obtento quieſcerent. Ergo & modo Orbis terrarum, atque quatuor eius præcipuæ partes, quieſcũt. Ideo enim quieſcerent in eà hypotheſi, quia ratione gravitatis ſuæ obtinerent locum infimum omnium, ſive à Cœlo remotiorem in gyrum. Atqui & hodie conſtant eàdem gravitate, atque obtinent locum infimum, ſive a Cœlo remotiorem in gyrum. Ergo & hodie quieſcunt. Nõ igitur circa Solem moventur. Ex prædicta hypotheſi plura alia deducemus infra *ſect. ſequenti.*

17 *ARGVIT* Copernicus, fuiſſe cõvenientiſsimum, vt in hoc mundi quaſi tẽplo Sol medius arderet, ac cæteris omnibus luceret, inſtar clariſsimæ lampadis, & ex ipſo centro totam aſtrorum familiã gubernaret, veluti è ſolio. *Præterea*, alios Planetas aſsiduo motu circunvolvi verſus Solem, veluti centrum ſuum, vt aſtronomicis obſervationibus deprehenditur. *Denique*, omnem aliam mundi conſtitutionem, præter aſsignatam ab ipſo, ſubiacere plurimis erroribus, progreſſu temporũ detectis, & quibuſcum nequeant amplius componi cœleſtia phænomena: cùm tamen iuxta ipſius conſtitutionem omnia illa rectè cohæreant. Ergo dicendum eſt Solem in medio mundi quieſcere, proindeque terram moveri circa Solem, veluti medium, ac centrum.

18 *VERVM* Hæc levia ſunt. Potiùs enim opportuit, vt terra ratione gravitatis & ignobilitatis ſuæ eſſet in infimo omnium loco, ac proinde in centro mundi: Sol autem ratione nobilitatis & excellẽtiæ exiſteret ſuperiori loco, & medius Planetarum, vt ijs aut totam lucem, aut ſaltem lucis ingentem acceſsionem largiretur. Cumque Sol, Luna, & aſtra omnia fuerint creata vt præſint diei, ac nocti, & efficiant quidquid in Orbe terrarum apparet; expediebat vt ſublimi ac diſcito loco eminerent. Quod vero additur de cæteris Planetis revolutis circa Solẽ, ſupereſt probandum, & vix ſuaderi poterit: quoniam ij apertiſsimè gyrant circa terram motu diurno, communi omnibus Cœlis inferioribus, ratione primi mobilis, vt *diſput. 70. ſect. 1.* oſtenſum eſt. Imò & idem eſt de proprijs motibus ſingulorum Planetarũ, qui etiam movẽtur circa terram, quamvis modò minùs, modò magis eidem appropinquent ratione orbium inæqualium, & Epicyclorum, vt *diſp. 65. ſect. 4.* dictum eſt. Verùm dato quòd Planetæ revolverentur circa Solem, malè idem colligeretur de terra, quæ longè diverſæ atque inferioris naturæ eſt; ideoque quærit infimum locũ, qui eſt centrum mundi. Denique quod additur de erroribus detectis in calculis Veterum Aſtronomorum circa aſtrorum motus; verum quidem eſt: & adhuc plures poſtea detecti ſunt in tabulis Copernici ipſius a Tychone Brahæ, deinde a Keplero, cui Rodulphus *II.* Imperator eam Provinciam demandavit, ac tandem à Lansbergio, qui non vnicum nævum in tabulis Kepleri deprehendit, vt monui in Theologia Florulenta *Ludo 6. num. 52.* vbi plura de hoc. Verùm non ideo recurrendum fuit ad errorem vique adeò monſtroſum conſtituendi mobilem terram, & Solem immobilem. Satiùs fuiſſet allaboraſſe in componenda doctrinà certà & Catholicà cum recepto Vniverſi totius ſyſtemate.

SECTIO TERTIA.

An terra ſaltem ex inæqualitate partium penes gravitatem moveatur aſsiduò erga centrum motu trepidationis? Eligitur opinio media inter duas extremè contrarias, & vtriuſque fundamenta conveliuntur.

19 *CÆTERVM*, Non obſtante doctrinà hactenus tradita, ſunt ex Recẽtioribus Philoſophis, Theologiſque, qui exiſtiment, terram quidem conſtitere quietam & immobilem in cẽtro ſuo, ratione congenitæ gravitatis, dum non tangitur, ſive dum variationem non ſubit ab aliquo extrinſeco: cæterùm movendam eſſe, & ſæpiſsimè moveri, motu trepidationis, addito quovis pondere, vel impreſſo impetu quantumvis minimo in

qualibet illi⁹ parte; donec iterũ se constituat in æquilibrio, & componat punctum medium suæ gravitatis cum centro mundi, quod est punctum imaginarium, & in eo quiescat vt antea. Ita docet Vazquez 1.2. *disp.* 81. *cap.* 3. *num.* 20. idque solùm vt explicet, quo pacto corrumpatur impulsus lapidi proiecto in terram impressus. Ait enim, terram per illum lapidis ictum, & per quodlibet pondus ex vna parte adiectum, ferri aliquantulum in partem adversam. Idem docet Aversa *quæst.* 36. Salazar *in Proverbia cap.* 8. *v.* 21. Blanchanus *de Mundi machinâ part.* 3. *cap.* 2. Cornelius à Lapide *in Ecclesiasten cap.* 2. *v.* 4. Giattinus *quæst.* 16. *art.* 1. & nonnulli alij Recentiores. Supponunt cum communi ferè sententia, idem esse centrum Vniversi, & gravitatis terræ: ideoque hanc necessario illud quærere proprio motu, quoties novam gravitatem adquirit ex aliqua sui parte, vel novo impetu ab eo disiungitur.

24 *PROBANT* Existimationem hanc, quoniam terra est in æquilibrio, *ponderibus librata suis*: vt colligitur ex sacris litteris. Iob 26. v. 7. dicitur: *Qui appendit terram super nihilum.* Proverb. 8. v. 29. *Appendebat fundamenta terræ.* Sapiẽtiæ 11. v. 23. *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum.* Ergo per additionem cuiuslibet ponderis in qualibet sui parte movetur terra. Suadetur hæc consequentia: Quia adiecto eo pondere, terra debet mutare centrum gravitatis: siquidem eo ipso linea diametrica priùs ducta per mediam terram, iam non secat eã in duas partes æquales. At nequit terra mutare centrum gravitatis absque motu, vt ex se patet. Ergo per adiectionem cuiuslibet ponderis in qualibet sui parte, movetur terra. Instantiamque afferunt in bilance omnino æqualiter composita, quæ per adiectionem cuiuslibet ponderis, etiam minimi, in alterutrà lancium, incipit statim inclinari in latus eiusdem. Ne igitur terra inclinetur potiùs in vnam partem, quam in aliam, in adiectione cuiuslibet ponderis, debet moveri motu trepidationis, ad mutandum centrum suæ gravitatis, donec penetretur cum immobili centro Vniversi.

21 *EX* Oppositio alij præiactam opinionem reijciũt: vt Lorca 1.2. *disp.* 12. *sect.* 3. *§. melius ait*, Salas *tract.* 10. *disp.* 6. *n.* 20. Rubius 3. *Cæli cap.* 8. *q.* 4. Hurtadus *de Opere sex dierum §.* 43. Arriaga *disp.* 4. *de Gener. à n.* 126. Conimbricenses 2. *de Cælo cap.* 12. *q.* 5. Tellez *disp.* 56. *sect.* 3. Sancta-Crucius 2. *de Gener. disp.* 2. *q.* 4. *sect.* 1. *à n.* 249. Qui lepidè simulat Adversarios, quasi ipsorum iudicio deridendus non esset ille Dux Lusitanus, qui medio mari videns suos milites expaveſcentes ob insolitam maris procellam, trepidationemque, dixit: Amici, bono animo estote: Terra & mare timent nos, & propterea tremunt. Si enim vel musca addita alteri partium Orbis terræ, movet illum, ac trepidare facit; quid mirum, quòd Lusitana classis tremefaceret terram, ac mare? Salas quoque timuit crura frangenda alicui saltanti: quia dum redit ad terram pedibus contingendam, hæc ipsi occurreret tota sui mole, & pedes ac crura comminueret. Alij hanc excogitationem adiungunt alteri Thalis Milesij, qui censuit terram assiduo motu natare super aquas: quasi non procul ab ea sit. Denique & irrident Vasquium, quòd totum Orbem terrarum cõmoverit ad destruendum lapidis cuiuslibet impulsum fluxilem, & qui fere nullius momenti est.

22 *DVCVNTVR* Primò ab experimento communi doctorum & indoctorum hominum: qui, nec si attentissimè in id conentur, nũquam percipiunt motum aliquem, vel trepidationem totius terræ; sive cadat lapis ex alto, sive auferatur è terrâ; sive comburantur domus, aut noviter extruãtur; sive in alteram mundi partem ex altera transeant plurima hominũ millia, aut onustæ naves, vel rhedæ. Imò quando apud Antipodes, vel proximius in Italia aut Germaniâ, accidunt horribiles præliorum ac bombardarum strepitus, montium editissimorum & civitatũ ruinæ, ventorum tempestatumque commotiones insolitæ, non ideò regiones finitimæ percipiũt aliquam terræ commotionem trepidationeve: sed omnia apparet in eodem loco immota & quiescere. Ergo verè putandum, terram in ijs casibus, & quacumque accessione ponderis vel impulsus facta in alterutram partem, non mutare centrum gravitatis, sed omnino quiescere.

23 *SECVNDO*, Et graviùs, ab ijs ipsis S. Scripturæ testimonijs, quæ *sup. n.* 6. produximus contra motum terræ inductum à Copernico. Exinde enim constat absolutè, terram esse fundatam super stabilitatem suam, nunquam inclinari, nõ com-

commoveri, in æternum ſtare. Atqui omnia hæc falſa eſſent iuxta præiactam opinionem: ſiquidem ex eà neceſſariò infertur totum Orbem terrarum eſſe in perpetuo motu, ſurſum, deorſum, verſus omnẽ partem, diu noctuque: cùm nullum ſit ferè inſtans, in quo aliquid nõ auferatur terræ, adijciaturvè. Infertur rurſus, non terrã ſolam, ſed & cætera elementa aſsiduis terræ totius trepidationibus agitari: ſiquidem dum illa tremit, neceſſum eſt, vt impellat vicinã aquam, & aèrem, ac ſubinde ignis regionem, tota quanta eſt. Omnia item hæc, ſaltem magna ex parte, commovenda erunt, facto reditu terræ verſus centrum, vt vacuum devitent, alioqui imminens. Ergo, contra aperta Scripturæ teſtimonia, terra non habet ſtabilitatem propriam, inclinatur in alterutram partẽ, commovetur, & perpetuò agitatur.

24 *VIDES* Difficilẽ vtrimq; controverſiam, & quæ pro vnaquaque partiũ non levibus nitatur momentis. Nos mediâ viâ incedendum exiſtimamus, totãq; difficultatem dirimendam tribus his pronuntiatis. *Primũ* eſt: Terra per quamlibet inæqualitatem duplicis medietatis, etiã ex ſolâ additione vnius culicis provenientem mutat cẽtrum mathematicum gravitatis. *Secundum* eſt: Terra per quamcumque inæqualitatem duplicis medietatis, etiã notabilem, non mutat centrũ phyſicũ gravitatis, ſed retinet antiquũ ac propriũ. *Tertium*: Terra per nullam partium inæqualitatem, ex qualibet adiectione, aut imminutione alterius medietatis præ alterâ, ſubit aliquem verum motũ trepidationẽve.

25 *PRIMVM* Pronuntiatum ſuadetur, imò, niſi fallor, apertiſsimè demõſtratur in hunc modum. Terra per quamlibet inæqualitatem duplicis medietatis, etiam ex ſolâ additione vnius culicis provenientem, mutat punctum medium lineę rectę, quod antea dividebat eandem terram in duas medietates æquè graves. Ergo & per quamlibet inæqualitatem mutat centrũ mathematicum gravitatis. Conſequentia patet à definitione ad definitum. Cẽtrum enim gravitatis, prout à Mathematicis conſideratur, definitur punctum medium lineæ rectæ dividentis corpus in duas medietates æquè graves, vt ſuprà *n.* 1. ex cõmuni conſenſu ſtatutum eſt. Antecedens verò ſuadetur, conſiderãdo lineam ab vno terræ latere in aliud tranſeuntem per centrũ gravitatis ipſius (quod exiſtit in centro Vniverſi) & conſtantẽ antea duplici medietate æquè gravi. Sanè per quamlibet additionem ponderis, etiam minimi, altera ex medietatibus erit gravior, quam altera, vt ex ipſa terminorum apprehenſione patet. Ergo eo ipſo linea illa, ac proinde & tota terra, mutat punctum medium, quod antea dividebat eandem lineam & terram in duas medietates æquè graves. Quare iam centrum gravitatis non erit idem punctum, quod antea; ſed aliud pũctum magis accedens ad illud latus, ſive medietatem, in quà additio facta eſt.

26 *ILLVSTRATVR I.* Omnis pars ponderoſa eſt minùs gravis ſuo toto. At medietas vna ponderoſa per ſui additionẽ fit pars complexi reſultãtis ex ipſa medietate & additione facta. Ergo vna ponderoſa medietas per ſui additionem fit minùs gravis complexo reſultante ex ipſa & additione factâ. Ergo hoc complexum eſt gravius illa altera medietate põderoſa & nondum addita. Ergo de primo ad vltimũ illud punctum, quod antea erat medium vtriuſque medietatis æquè gravis, iam nõ eſt medium dividens duas medietates æquè graves; ac proinde nec cẽtrum mathematicum grávitatis.

27 *ILLVSTRATVR II.* Sumpto ligno duorum palmorum omnino æqualium quò ad pondus, centrum gravitatis ipſius eſt punctum illud medium, quod ſecat lignum in duplicem palmũ, A. & B. Fac, quęſo, acceſsionem aliquam, etiam minutiſſimam, palmo A. qua gravior vtcumque reddatur, quam palmus B. Evidens eſt pũctum illud, quod antea erat medium ac centrum mathematicum vtriuſque, iam nec eſſe medium, nec centrum; ſed loco ipſius ſubintraſſe aliud punctum magis accedens ad palmum A. ſuperadditum. At ita ſe habet res in noſtro caſu, dividendo mathematicè terram, & omnes illius lineas, à centro in duplicem medietatem æqualem, A. & B. Punctum enim quod tũc eſt medium mathematicè dividens vtrãque medietatem, iam poſtea nõ erit medium, nec centrum gravitatis vtriuſque, cùm primũ medietati A. facta fuerit qualiſcũque, vel leviſsima, gravitatis additio.

28 *SECVNDVM* Pronuntiatum, quamvis appareat præcedenti contrariũ, reverà contrarium non eſt, vt mox conſtabit, & nunc ſuadetur ratione, quantum capio, demonſtrativa. Cẽtrum enim phyſicum gravitatis terræ eſt punctũ exiſtens

in loco infimo omnium, & medio totius Vniverſi. Atqui per nullam terræ acceſsionem ex vnà parte, aut ablationem ex aliâ, mutatur punctum exiſtens in loco infimo omnium, & medio totius Vniverſi. Ergo per nullam terræ acceſsionem ex vna parte, aut additionem ex alia, mutatur centrum phyſicum gravitatis terræ. Conſequentia patet. Maior videtur manifeſta: Quia centrum phyſicum elementi omniũ graviſsimi debet eſſe punctum exiſtens in loco infimo omnium, ac proinde medio totius Vniverſi, ad quod phyſicè ſive naturaliter inclinatur, veluti ad terminum, in quo quieſcit. Minor autem probatur non minùs apertè: Quia punctum exiſtẽs in loco infimo omnium, & medio totius Vniverſi, eſt prorſus invariabile, nó ſolùm de facto, ſed etiam ex ſuppoſitione, in qua Deus annihilaret medietatem terræ vni hemiſphærio correſpondentem; imò & totam terram, atque elementa ſuperiora. Adhuc enim invariatum perſiſteret illud punctum imaginarium, quod modò reſidet in loco omnium infimo, ac medio totius Vniverſi; & lineæ rectæ ex eo ductæ ad totam Cœli circunferentiã eſſent æquales. Multo ergo minùs mutabitur de facto per quamcumque terræ acceſsionem ex vna parte, aut ablationem ex alia.

29 *HANC* Rationem deſumpſi ex doctrina Ariſtotelis 2. *de Cœlo capit.* 14. *textu* 100. & 101. præcipuè ex illis verbis: φανερὸν τοίνυν, ὅτι ἀνάγκη εἶναι τὴν γῆν, καὶ ἀκίνητον. *Patet igitur neceſſariò terram in medio atque immobilem eſſe.* Et paulò antè præmiſerat, idem eſſe medium terræ, atque Vniverſi. Ex quibus planè colligitur, centrum phyſicum gravitatis terræ, ſive punctum ad quod terra phyſicè, ſeu naturaliter tendit, veluti ad terminum ſui motus, & locum quietis; eſſe centrum ac medium totius Vniverſi. Quod quidem & Authores relati pro vtraque opinione fatentur, & patet ex ipſa ratione elementi graviſsimi, naturaliter expetentis & quærentis infimum locum, atque adeò non quieſcentis donec centrum gravitatis ipſius, fiat medium, ſive centrũ Vniverſi. Vnde aliud eſt centrum gravitatis terræ mathematicum: aliud phyſicum. Primum conſiſtit in puncto medio duarum partium æqualiter gravium, vbicumque illud ſit: ideoque variari poteſt additione, aut diminutione alterius partis. Secundum ſitum eſt in puncto invariabili, ac medio totiꝰ Vniverſi, & loco omnium infimo, in quẽ phyſico conatu elementum graviſsimum tendit.

30 *TERTIVM* Pronuntiatum ſatis probant rationes pro ſecũda opinione relatæ *n.* 22. & 23. & præcipuè ex ſacris litteris: in quibus expreſsè aſſeritur, terram eſſe fundatam ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinari, non commoveri, & perpetuò ſtare: quod longè minùs ad litteram, ne dicam ſiniſtrè, aut violenter, explicatur iuxta primam opinionem. Verũ & præterea idem ipſum aliis rationibus probare placet, quibus & obiter corruant Adverſariorum fundamenta.

31 *PROBATVR I.* Terra per nullam partium inæqualitatem, ortam ex qualibet additione, aut diminutione vnius medietatis præ alterâ, mutat centrũ phyſicum gravitatis ſuæ, quod eſt idem cum centro Vniverſi; ſed illud immobiliter retinet, vt nuper demonſtratum eſt. Ergo per nullam inæqualitatem partium movetur localiter, aut trepidat. Patet cõſequentia: quia nec reipſa fieri, nec cogitatione quidem percipi poteſt, rem aliquã in centro ſuo immobiliter retento perſiſtere, & tamen localiter moveri trepidarevè. Quidquid enim retinet immobiliter centrum ſuum, eo ipſo perfectè quieſcit. At cum perfectâ quiete repugnat ſimul coniungi localem motum. Ergo ſi terra immobiliter retinet centrum ſuum, eo ipſo non ſubit localem motum. Non ergo trepidat paſsim terra, ſed immota ſemper & quieta perſiſtit.

32 *DICES*: Si terra mutaret centrum phyſicum gravitatis ſuæ, moveretur phyſicè penes locum. At iuxta primum pronuntiatum, terra paſsim mutat centrum mathematicum gravitatis. Ergo & paſsim movetur mathematicè ſecundum locum. Nulla enim ratio eſſe poteſt, vt mutatio centri mathematici non arguat motum mathematicum, ſicuti mutatio phyſici centri arguit motũ phyſicum.

33 *RESP.* Quæſtionem non eſſe de motu violento, aut innaturali; ſed de eo qui ſecundùm naturam eſt. Terra autem, cùm ſit elementum graviſsimum ex naturâ ſuâ, nequit habere motum aliquẽ naturalem, niſi deorſum, & proinde circa locum omnium infimum, qui eſt mediũ & centrum Vniverſi. Cùm verò iam demonſtratum ſit a nobis, terram non moveri

veri circa locum infimum, qui eſt centrũ mediumque Vniverſi, ſed potiùs in eo quieſcere; planè colligitur terram non ſubire motum aliquem naturalem. Quare ad obiectionem in formâ, concedo vtramq; ex præmiſsis, & nego conſequentiam, atque illius probationem. Mutatio enim cẽtri mathematici ſolius, non probat motũ aliquem localem, adhuc mathematicũ: quia hic nequit verè aſsignari in materiâ de qua loquimur, niſi ſit motus naturalis ſecundùm locum, ad quærendum cẽtrum ſive medium Vniverſi. qui ſanè motus nullum in terra locum habet: quoniam pondere ſuo, ſeu ſtabilitate, firmata eſt, ne vnquam commoveatur, vt ex ſacris litteris oſtenſum eſt.

34 Quin & idem ipſum argumẽto, vt aiunt, à fortiori convincitur in grãdi globo ferreo, etiam perfectè ſphærico, ac poſito ſupra corpus perfectè planum. Si enim dum immobilis in eo conſiſtit globus, adhæreat lateri culex, aut formica; mutabitur quidem centrum mathematicum gravitatis ipſius: non tamẽ propterea ſubibit motum verum ſecundùm locum, ſive is appelletur phyſicus, ſive mathematicus: quia, nimirum, globus ingenti pondere ſuo firmatur, vt immotus perſiſtat. Multò autem fortior ratio vrget in toto terræ elemento, & propemodum immenſo pondere; vt ſupra ſtabilitatem ſuam firmetur, & immotum quieſcat in medio Vniverſi, quamvis centrum mathematicum gravitatis fuerit variatum, ex additione, aut imminutione facta alteri ex medietatibus.

34 *CONFIRMATVR.* Stat optimè variari centrum mathematicum gravitatis terræ, & tamen non propterea terram ſubire verum aliquem motum penes locum. Ergo ex eo quòd terra mutet centrum mathematicum gravitatis, ob inæqualitatẽ partium, malè probant Authores primæ opinionis, terrã ſubire motum, ſeu trepidationem localem. Probatur antecedẽs in lapidibus quadratis ac ſectis cuiuslibet firmi ædificij. Si enim à lapide vnius vlnæ v.g. in latum, longum, & profundum, auferas minimam partem, aut pulviſculum; mutabit quidem centrũ mathematicum gravitatis, vt omnes fatemur, quia mutat pũctum medium duarum partium æquè gravium. Et tamen ad ſenſum patet, lapidem ipſum nõ propterea ſubire verum aliquem motum penes locum, ſed manere fixũm vt antea in pariete, aut muro. Pone vlterius Deum virtute ſuâ conſervare ingentem globum æreum in aëre ſuſpenſum, & prorſus immotum. Tunc certè, accedente vno culice alteri ex lateribus, mutaretur centrum mathematicum gravitatis: & tamen globus nullum propterea ſubiret motum, vt cõſtat ex hypotheſi. Alioqui, ne Deus quidem virtute ſuâ infinita facere poſſet vt ingens globus æreus adventu vnius culicis non moveretur, quod tam eſt ridiculum aſſerere, quàm Philoſopho indignum exiſtimare.

35 *PROBATVR II.* ſimul & retorquetur præcipuum argumentum eorundem Authorum. Ex eo quòd in ſacris litteris Deus dicatur appendere fundamẽta terræ, & reputare eam veluti momentum ſtateræ, malè infertur totam terrãm movendam iri ex qualibet partium inæqualitate. Ergo hac poſita, adhuc tota terra non moveretur, ſed quieſceret. Probo aſſumptum ex eadem doctrinâ: Quia illa teſtimonia debent conciliari cum alijs, quibus expreſsè aſſeritur terram non cõmoveri, in æternum ſtare, fundatam eſſe ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinandam in ſæculum ſæculi. Supra quæ poſtrema verba Pſalmi 103. inquit Theodoretus: *Cũ terram ipſam ſuper ſeipſam fabricaſſet Deus, dedit ipſi, vt nunquam moveretur, & hoc modo permaneat.* Scilicet, ſuper baſem ſuã, vt legit Hieronymus ex Hebræo. Quare non eſt cogitandum, orbem terræ eſſe ponderibus libratum ſuis inſtar alicuius communis ſtateræ, conſtantis duplici lance æqualiter gravitante; quarum ſi alteri quidquam addatur, ſtatim ea inclinetur. Hanc enim cogitationem procul amolitur David, dum ait: *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

36 Intelligenda igitur eſt libratio terræ ita, vt tota nitatur in centro ſuo, ac propria gravitate ſe fulciat in puncto medio Vniverſi circa omne latus, ac poderet verſus illud: cæterum non ex qualibet medietatum inæqualitate, etiam notabili, trepidet, aut moveatur in alterutrũ latus. Quod aptè exponi valet qualicumque exemplo ſtateræ fericæ ac fortiſsimæ cuius ſtilus medius firmiter affixus eſſet æneis clavis. Is enim in neutram ex lancibus inclinaretur, nec trepidaret, quamvis illæ haberent inæquale põdus, ſed immotus

tus consisteret in suo loco. Hac igitur ratione terra est *ponderibus librata suis*: vt tota ipsius circunferentia libretur supra ipsum pondus suum, & affixa proprio, atque immobili centro, quiescat, etiamsi quælibet eius medietas variationem subeat penes pondus æquale, minus, aut maius pondere alterius medietatis. Ex quibus omnibus patet iam ad argumenta vtriusque opinionis, vt non sit opus ea diluere singillatim.

SECTIO QVARTA.

Corollaria ex doctrinâ præcedenti, notatu digna; quibus plures controversiæ huc spectantes, breviter & dilucidè expediuntur.

37 *INFERO I.* Ex dictis totâ disputatione, centrum Vniversi non esse in aliquâ sphærarum cœlestium, neque in igne elementari & vicino Lunæ, neque in aere, nec tandem in aquâ, sed in loco omnium infimo, atque indivisibili: a quo ductæ lineæ rectæ in totam primi mobilis circumferentiam essent æquales. Cùm verò locus omnium infimus per se exigatur ab elemento gravissimo, consequens est, vt is conveniat terræ: ac proinde quòd hæc habeat idem centrum gravitatis suæ cum centro Vniversi immobiliter, atque inseparabiliter. Ad hoc igitur centrum, tam terræ, quàm Vniversi, naturali pondere tendunt omnia gravia, vt in locum quietis suæ; vel immediatum, si pertingant ad medium mundi; vel mediatum, si non possint eovsque pervenire, vti ferè omnia gravia nō possunt, ob aliorum corporum interpositionem.

38 *CONTRA* Illationem hanc cōmunem, & omnium gravium corporum motu comprobatam, opponit plura Tellex *disp. 46 sect. 3*. quæ placet breviter perstringere. *Primò*. Centrum illud est punctū imaginarium, & reipsa nihil. Ergo nō quæritur, neque appetitur naturaliter à gravibus. *Secundò*. Centrum non est locus terræ naturalis, sed is tantùm, quem actu occupat, & excipiendis Cœlorum influxibus opportunus. *Tertiò*. Graviras nequit simul esse causa motus ad centrum, & quietis in illo: quia nequit eadem qualitas esse causa oppositorum effectuum, quales sunt motus & quies. *Quartò*. Partes terræ ab eâ separatæ non tendunt ad centrum, sed ad vniendum se cum partibus alijs totius terræ, vt cum ijs faciant rotundam figuram. *Quintò*. Si terra sic ponitur librata ponderibus, & in æquilibrio, erit obnoxia trepidationi. quod negamus.

36 *AD I.* Respondere debet idem Author, siquidem Iob 26. v. 7. habetur: *Qui appendit terram super nihilum*. Appendit autem Deus terram suprà centrum ipsius. Ergo centrum terræ est nihil. Si ergo tota terræ moles supra nihil appendi potest, cur & ipsum nihil à partibus terræ quæri non poterit? Quærunt itaque omnia corpora gravia punctum illud loci, quod est mediū mundi, quatenus appetunt habere in eo suam vbicationem, & quietem, vt revera habere possent, nisi à corporibus interiectis prohiberentur. *AD II.* Centrum terræ est locus ipsi naturalis, non vt in eo recipiat influentias Cœlorum, sed vt in eo firmentur subsistantque extimæ partes terræ, quæ immediatè recipiunt opportunas influentias Cœlorum. *AD III.* Sicut eadē natura est principium motus & quietis, idemque calor durefacit lutum & liquefacit ceram; ita eadem gravitas potest esse causa motus ad centrum, & quietis in illo. Imò necessum est, vt illud ipsum, quod naturaliter appetit aliud, postea eo obtento quiescat. *AD IV.* Nego antecedens: quia partes terræ ab eâ separatæ, deorsum tendunt ad quærendam lineam rectam, è medio Vniversi ductam ad totam circumferentiam, & subinde ad medium ipsum, sive centrum; quamvis per accidens ab interceptâ mole impediantur. *AD V.* Negatur sequela, vt constat ex dictis sectione præcedenti.

40 *INFERO II.* Nullam aliam causam æquè idoneam quietis terræ assignari posse, quàm ipsam terræ gravitatem. Ita Aristol. 2. *Cœli textu* 102. & D. Thomas *ibidem lect.* 26. cum Augustino, aliisque communiter. Eo namque ipso quod graviras terræ summa sit, appetit infimum locum naturaliter, & eo obtento quiescit. Quod si aliqui ex Patribus innuunt causam quietis terræ esse solam Dei voluntatem; intelligendi sunt de causa efficiente, & principali tantùm, quæ maximè resplendet in terræ quiete, ac dispositione mirabili.

41 *INFERO III.* Terram ita esse immobiliter affixam centro suo, vt quamvis eveniant insignes terræ motus, aut inundationes vehementissimæ, quibus civitates plures, aut etiam regiones aliquot ab-

sorbeantur, non propterea subeat motum aliquem. Idemque esset dato quod vtriusque medietates progressu temporis ita inæquales redditæ fuissent quo ad pondus, vt altera illarum duplo excederet alteram in gravitate. Imò & permissâ hypothesi, in qua Deus secaret orbē terræ ferè per medium, ita vt vna medietas maneret intacta, & ex alterâ non maneret plusquam subtilis lamina; adhuc tunc tota illa qualiscumque moles terræ immota consisteret. Ratio omnium est eadem: Quia in quolibet ex ijs eventibus terra obtineret medium Vniversi, vt modò obtinet: ac proinde requiesceret in centro suo, vt modò requiescit. Omnis enim motus naturalis terræ est in ordine ab obtinendū centrum physicum gravitatis suæ, sicut medium in ordine ad finem. Atqui obtento fine, cessant media. Cùm igitur terra semper, & in qualibet hypothesi ex prædictis, obtineat centrum physicum gravitatis suæ, & in eo quiescat; cessat in ea, seu non est, motus naturalis.

42 *INFERO IV.* Casu quo Deus avelleret totam terram è centro suo, elevaretque vsque ad Cœlum Lunæ, ita, vt suspensa maneret, ac postea illam dimitteret suæ propensioni naturali; nullatenus transituram vltra medium Vniversi; sed cùm primū illud attingeret extrema circumferentiæ orā, ibidem manuram immobilem. Ratio est eadem ac præcedens: quia obtento centro physicæ gravitatis, quod est infimus locus, & centrum Vniversi, necessum est, vt immobiliter quiescat elementum gravissimum, quale est terra. Imò si vlteriùs transiret in ea hypothesi, convinceretur ascendere naturaliter, quod repugnat. A medio enim Vniversi in quamcumque circumferentię partem fiat motus rectus, debet fieri ascendendo: vtpotè ab infimo ad superiorē locum. Cùm ergo terræ naturaliter repugnet ascendere, sive sursùm moveri; etiam repugnaret in eā hypothesi transire vltra medium Vniversi. Quare non maneret in eâ dispositione & situ, quem modò habet circa medium Vniversi, expansa in circulum mole suâ æquabiliter ferè, sed tota consisteret supra punctum, sive centrum physicum gravitatis, ex vnica hemisphęrij parte, relictâ altera inani. Et hoc quidē, attentâ solùm inclinatione terræ particulari. Nam ex fine boni communis, sive influxuum cœlestium æqualiter excipiendorum, verosimilius est terram conformandam iri in eundem situm, dispositionemque, quam modò habet, quamvis ascendēdo dimidiâ sui parte à centro Vniversi. Prævaleret enim inclinationi privatæ appetitus boni communis, quemadmodum ad vitandum vacuum.

43 *INFERO V.* Nec totam terram gravitare circa centrum Vniversi, nec partes eius modo debito continuatas cū alijs; sed potiùs quiescere. Ita planè supponit Aristoteles locis suprà allegatis, & docet luculenter S. Thomas 1. *p. q.* 18. *art.* 1. *ad* 2. illis potissimùm verbis: *Corporibus gravibus & levibus non competit moveri, nisi secundùm quòd sunt extra dispositionem suæ naturæ, vtpotè cùm sunt extrà locum. Cùm enim sunt in loco proprio, & naturali, quiescūt.* Vndè & axioma Philosophorum est, elementa in proprio loco, nec gravitare, nec levitare. Ratio est: quia obtento fine, sponte suâ cessant media ex naturâ rei institutâ ad illum assequendum. At motus terræ est medium ex naturâ rei institutum ad assequendum Vniversi centrum, vt finem. Ergo vbi illum obtinet tota terra, singulæ eius partes, per debitā continuationem cum alijs, cessat omnis motus terræ. Superest ergo, vt nullatenus graviret, sed potiùs quiescat in centro. Idque comprobatur experimento natantium, etiam in profundo mari, qui ex ingenti aquarum pondere superimpositi, nullam sui depressionem, nullum onus sentiunt. Quo planè ostenditur, elementū aquæ, quamvis naturâ suâ grave, non gravitare vbi semel locum sibi connaturalem assequitur, sed in eo quiescere. Scio aliquos Recentiorum varijs evasionibus eludere conatos experimentum hoc: verùm illæ adeò exiles sunt, vt impugnatore non sit opus ad eas extenuandas.

44 *DIXI* Partes terræ, *debito modo continuatas cum alijs*, nō moveri, sed quiescere: quia tunc verè obtinent centrum, medijs alijs partibus eiusdem rationis, quamvis non immediatè. Si autem debito modo continuatæ non sint, sed graviores v. g. suprà, obiectio Adversariorum desumpta ex oppressione cadaverum, seu viventiū, sub terra, ac reductione in cineres nō vrget. Cum enim carnes humanæ sint molliores minusque graves marmore, aut pondere terræ superimpositi, & vellicationis ictibus conspirato; nihil mirum, quod ab eo opprimantur, & tandem ex omnimo-

moda atque intrinseca sui corruptione in cineres abeant. Indidem quoque redditur idonea ratio, cur sæpe in Nova Hispania Ecclesiæ, claustra Cœnobiorum, domusque lapideæ, paulatim demergantur, fiátque subterranea ædificia, supra quæ opus sit alia atque alia extruere. Nimirum, terra extima illarum regionum mollior est, quam aliarum, minusque perfectè continua, neque vsque adeò solida, vt in alijs mundi partibus. Quare ædificiorum pondere premitur, & sese colligit circa centrum. Ideoque necessum est, vt ædificia pariter deprimantur, ne ab aère vacuo pendentia maneant, vt Mansolea olim putabantur.

45 *INFERO VI.* Motum grauium circa centrum esse eò velociorem, quò illa fuerint graviora, cæteris paribus: ideoque velocius descensurum ex alta turri globum plumbeum vnius libræ, quā cereum vnius vnciæ, per se loquendo. Ita Aristoteles 4. *Physic. cap.* 8. *textu* 71. *& lib.* 5. *textu* 61. *& lib.* 8. *textu* 76. *& libr.* 2. *de Cœlo textu* 35. & communiter cæteri Philosophi, tum frequentibus experimētis ducti, tum & ratione: quia gravitas est virtus motiva ad centrum tetræ, atque adeò maior gravitas est maior virtus motiva. Ergo, si cætera sint paria, maior gravitas pariet maiorem impulsum, proindeque & velociorem motum. Neque audiendus est Arriaga *disp.* 4. *de Gener. sect.* 4. *à num.* 92. dum omnium aliorum posthabito consensu in eandem doctrinam, adversus illam invehitur, & experimenta propria in oppositum objcit, ex ipso æreo calamo, quo ad scribendum vtebatur, & de quo asserit non citius ruere solitum in terram, quàm alium communem, & minùs gravem. Hoc enim innumeris aliorū experimentis in contrarium evanescit, quos longè difficilius est fuisse decepros, quam vnicum hominem præstigias oculorum passum. Sanè, vt prætercam plures observationes privatas, quibus idem ipsum deprehendere curavi, & pleraſque aliorum, irrefragabile testimonium pro se habere videntur plurimæ, quas à se coram discipulis factas refert Didacus de la Fuente Hurtado in suo politissimo Cursu Philosophico, *tract.* 2. *de Mundo, differt.* 29 *cap.* 5.

46 Dixi, *cæteris paribus.* nam, vt rectè idem Author monet ex Aristotele vbi suprà, variæ circunstantiæ occurrere possunt, in quibus pōdera æqualia inæqualiter moveantur circa centrum. Potest enim medium spacij, per quod fit motus, esse crassius, aut subtilius, & sic magis, vel minùs resistere. Potest etiam figura diversa mobilis inæqualem motum parere: citiorem namque parit rotunda & pyramidalis, quàm quadrata, & in planum extensa: ideoque aves expansis alis medio aère se facilè sustinent. Quandoque etiam aër, vel alia levia corpuscula in altero è duobus gravibus clausa, nonnihil impediunt motum deorsum: ideoque & lignum supra aquam natare cernitur. In idemque elucidandum opportunè affert quod aliqui apud Mendozam *lib.* 4. *de Floribus Philosophiæ, problem.* 47. subtiliter excogitarunt: scilicet, supremam aëris regionem fore navigabilem, si navis lignea collocaretur in sphæra igneà, inferiore sui parte aëri immersa, vt nunc est intra aquam. Ignis namque elementaris in eius poris clausus, ob nimiam raritatem non combureret navim, & ob levitatem summam impediret descensum lignorum superiorum in aërem, quemadmodum de facto aer impedit demersionem in aquà. Porrò aliquam eiusmodi circunstantiarum diversitatem, aut aliam æquivalentem, accidisse putandum est, sicubi fortè, aut corpora æquè gravia inæquàliter descendere visa sunt, aut quod minùs grave erat, ceciderit concitatiori motu. Argumenta physica, quibus Arriaga nititur, exilia sunt, & soluta videri possunt apud Sancta-Crucium 2. *d. Gener. disp.* 2. *q.* 4. *sect.* 1. *à n.* 266. Porrò doctrina tradita robur maius mutuabit ex mox dicendis.

SECTIO QVINTA.

Terram, & quæcumque corpora gravia, dum è loco innaturali moventur circa centrum Vniversi, velociùs cieri in fine, quam initio motus. Vbi de impulsu.

47 ITA Aristoteles *lib.* 1. *de Cœlo textu* 88. loquens de terra, & proportionaliter de igne, motis circa centrū vniuscuiusque, & probans neutrum eorum in infinitum cieri. Ait enim: τεκμήριον δὲ τὸ μὴ εἰς ἄπειρα φέρεσθαι, καὶ τὸ τὴν γῆν μὲ σωάνεχυτέρω ἢ τὸ μέσον, βάτιον φέρεσθαι· τὸ δὲ πῦρ, ὅσῳ κοῦφον τὸ ἄνω. *Non ferri autem hæc in infinitum, signum etiam hoc esse videtur.*

Terra

Terra namque & ignis quò propinquiora ſunt locis ſuis, illa quidem medio, hic verò ſupero loco, eò celerius porrò feruntur. Conſentiunt Ariſtoteli S. Thom. *ibidem & 3. de Cœlo textu* 18. cæteríque Philoſophi, Veteres ac Recentiores, vno aut alio excepto, licèt varient in reddendà ratione eius communis doctrinæ. Plures ac varias exhibent Scaliger *exercit.* 12. Conimbricēſes 2. *Cœli cap.* 6. *art.* 2. Lalemandet *p.* 2. *d.* 5. *part.* 7. Tellez *diſp.* 39. *ſect.* 2. Pererius *lib.* 14. *de Rebus Nat. cap.* 3. Vazquez 2. 2. *diſp.* 81. *num.* 18. Ricciolus *tract.* 2. *l.* 9. §. 4. *cap.* 16. alijque plures Recentiorum. Mihi præ alijs placet, quæ ex Ariſtotele 8. *Phyſic. textu* 82. & D. Thomà *ibidem*, ac loco nuper indicato, eruitur, per hoc quod proiectorum motus adiuventur a medio. Verùm quia plerique ex Mathematicis, & præterea Arriaga vbi ſuprà, eam cauſam irrident, placet illius brevem, atque expeditam rationem reddere.

48 *QVANDO* Lapis è ſublimi loco per medium aera directè ruit in centrum, partes aèris intermedij lapidem à tergo in ſequentes, eidemque adhærelcentes, ex fine vitandi vacuum, valde rarefiunt, quoniam vi ab eo trahuntur; ideoq; quodammodo impellunt deorſum. Deinde partes laterales aèris, vt dent locum lapidi ſcindenti medium, addenſantur; nimiumque compreſſæ, cientur magno impetu verſus locum, quem lapis deſeruit illumque ſtatim implent, ne detur vacuum, commiſcenturque cum partibus rarioribus a tergo lapidem ſequentibus. Vndè fit, vt tam partes ſuperiores, quàm laterales ſpatij, ſive aèris, addant impetum lapidi, vt faciliùs ſcindere poſsit partem ſpacij inferiorem, vſque ad centrum. Cùm verò eò plures prædictarum partium ſuccedant ad imprimendum lapidi impetum, quò maior fuerit diſtantia ſpatij à ſummo vſque deorſum; cōſequens eſt, vt velocior & velocior evadat motus circa finem, & centrum, quam initio aut medio ſui. Iam verò id ipſum ſub ſeveriori argumentandi formà propono. Quoties & quantò magis creſcit impetus mobilis, toties & tanto creſcit velocitas motus. At quò motus eſt proximior fini, ſive centro, eò magis creſcit impetus mobilis. Ergo quo motus eſt proximior fini, ſive centro, eò magis creſcit velocitas motus. Maior eſt manifeſta, vt probatione non egeat. Minor autem ſuadetur. Quò plures cauſæ concurrunt ad cauſandum impetum in mobili, eò magis creſcit impetus mobilis. At quò motus eſt proximior fini, ſive centro, eò plures cauſæ cōcurrunt ad cauſandum impetum in mobili: ſcilicet, plures partes aèris, tum in ſequentes à tergo, tum & laterales, vt iam expoſuimus. Ergo & eò magis creſcit impetus mobilis.

49 *CONFIRMATVR* Experimētis ineluctabilibus. *Primò* enim videmus paſsim è canalibus tectorū cadere aquam initio continuatam inſtar funiculi, poſtmodum in medio iam interruptam, & denique in fine guttatim diviſam, etiam ſereno aère. Id verò exinde oritur, quia in medio motus velociùs cadit, quàm in principio, & in fine, quàm in medio: ideoque quaſi impatiens moræ, non ſuſtinet continuationē priorem, ſed filum abrumpit. *Secundò*, palam cuique eſt, lapidem directè ruentem in centrum longè acriùs ferire in medio motus, quàm initio; & in fine, quàm in medio. *Tertiò*, cum primùm incipit cadere ſaxum ex alta turri, notamus diſtinctè colorem, figuram, foramina, & pleraque huiuſmodi: quæ tamen iam in medio motus ſolùm confusè apparent, ac denique circa finem nullatenus percipiuntur, nec ſiquis intentis oculis obſervare id velit. Quo planè oſtenditur, maiorem & maiorem motus celeritatem in fine, ac medio, fuiſſe impedimento viſui ad diſcernendam mobilis ſuperficiem extimam. *Quartò*. Globus deorſum proiectus, initio ſui motus non trudit alia corpora ad tantam diſtantiam, ac in fine: quoniam maiorem impetum in fine fert, ideoque obviantia corpora longiùs proijcit. *Quintò*. Eàdem causà, quotquot lapidem proijcere volunt, in adverſam partem brachia vertunt: & qui pilà ludunt, in maiorem ambitum circunflectunt palam ligneam, vt maiore impetu pilam excutiant, & lōgiùs propellant. Sunt & pleraque alia, quibus planè colligitur hæc maior celeritas, vividiorque impetus in fine, quàm principio motus.

50 *VNDE* Et maius robur accipit doctrina ſuperiùs *à num.* 45. tradita de inæquali motu corporum inæqualiter gravium. Quoniam ſicuti motus in fine faciliùs vincit medij reſiſtentiam ratione maioris impetus, adiuti à pluribus cauſis, ideoque & celeriùs peragitur; ita etiam cor-

corpus magis grave, per se loquendo, maiorem impetum causat in medio, ratione maioris gravitatis. Ergo necessum est vt facilius vincat resistentiã medij, ac proinde velociùs ruat, quam corpus minori gravitate præditum. Quare, testante Sancta-Crucio vbi suprà, duo viri sapientes iusserunt simul demitti ex turri altissimà duos grandes globos, pares magnitudine, & figura, sed inæquales gravitate; vtpote, alterum ferreum, alterum cereum: & apparuit coram circumfusà multitudine velocior motus ferrei globi, perveniente hoc ad planum terræ citiùs, & altero insequẽte à tergo distãtià vnius passus, & eò ampliùs.

52 Porrò prædicta maioritas impetus in corpore gravi, dum circa finem movetur velocius, appellata fuit ab Antiquis *gravitas accidentalis*: quia, nimirum, advenit & recedit absque læsione subiecti, sive intrinseca gravitate corporis cadentis invariata. Impetus enim, sive impulsus, distinctum quid est à gravitate insita corpori gravi, sicut & à levitate connaturali corporum levium; quæ ab eo, tũ in proprium cẽtrum, tum & præter illũ, innaturaliter moventur. Ideo lapis contra propriam inclinationem cogitur moveri sursum & ad latus: similiter & ignis atque aèr deorsum. Neque enim id provenit à gravitate & levitate illorum, quæ ex se aliorsum inclinant: sed ab impulsu, sive impetu, quem communiter Philosophi definiunt *qualitatem aptam exercere motum ex debitum suo subiecto*. Non enim debetur lapidi motus sursum, vel ad latus, sed est contra eius indolem; nec debetur motus velocior in fine, quia id est præter ipsius naturam, solùmque provenit ab extrinseco plurium concausarum, vtcumque propellentium ad maiorem motus velocitatem. Videtur autem spectare ad speciem dispositionis, quia per se loquendo facilè recedit à subiecto, cui inhæret; vtpote cõtra, aut præter ipsius naturam. Ea verò qualitate perficiuntur tres species motus violenti enumeratæ ab Aristotele 7. *Physic. c. 2.* scilicet, pulsio, quà aliquis expellit mobile à se; tractio, quà illud ad se trahit; & circunvolutio, quà in gyrum agitat. Ad has revocantur vectio, congregatio, disgregatio, respiratio, sputatio, detentio, & alij similes motus, quoniam reipsa, & saltem reductivè, aut æquivalenter, peragũtur in mobili, pellendo, trahendo, aut volvendo. Verùm circa plura alia, quæ ad impulsum spectant, vide Interpretes in locum Aristotelis nuper indicatum, & Oviedum *in Physicà controv. 20. p. 1.* ac latissimè omnium Lud. Rodriguez *in Selectis disp. 1. per totam.*

(∴)

IN

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE ANIMA DISPVTATIONES SELECTAE.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,

D.D. FRANCISCO ZAPATA

COMITI DE CASARRVBIOS, CALATRAVENSIS ORDINIS EQVITI, COMMENDATARIO FONTIS IMPERATORIS, SVMMORVM SENATVVM CASTELLÆ AC REGIJ CVBICVLI CONSILIARIO, &c.

NOBILISSIMAM Physiologiæ totius partem, sub Tuo Nomine lucem videre decuit, *NOBILISSIME PRINCEPS*. Eam, scilicet, quæ de *Animâ* disserit, potiori viventium parte, quorquot hac communi aurâ fruuntur, aut etiam rationis vsu cæteris supereminent. Oportuit verò vsque adeò sublime argumentum, neque amusi Principis limina adire, neque hominis litterati & ignobilis; sed eius, qui splendore sanguinis, patriæ & doctrinâ, cæteris antistaret. Nihil frequentius nobilibus illiteratis, quàm totum censum in hæreditario sanguine collocare, qui corporis humor est; animæ autem obliviſci. Si rogentur, an & animo constent; affirmabunt quidem verbis: at non opere. Tam enim procul ab ijs est omnis vera ratio & doctrina, vt videantur non homines, sed cadavera; aut si viventes quidem, eo solùm vitæ genere, quod & brutis conceditur. Immane hoc aut ferale vitium procul est à *TE*: qui eximiam generis claritatem assiduo litterarum studio, ac vividis animæ operationibus, longè latèque illustriorem reddisti. Sanè ita cōgruebat natalitijs Tuis, tum paternà genesi Illustrissimorū Comitum de Baraxas in Hispaniâ, tum & maternà tot Equitū Aurei Velleris in Germaniâ. Prior illa, Principum simul & doctorum hominū alvearium est. Comites, Marchiones, Duces, Hispaniæ Magnates, Summorum Senatuū Castellæ, Indiarum, Belli, ac Status, Consiliarij, Præsidesq; Ecclesiarū Antistites, & inter eos Eminentissimus Patruus Tuus *D. D. ANTONIVS ZAPATA*, Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ, ex eâ splendidissimum ortum ducunt. Posterior, & nihilo inferior præcedenti, tum Austriacis Cæsaribus cordi ac defensioni fuit; tum & decus addidit summo Equestrium Ordinum, atque antomastice Regio; cuius stemmate, vel ipsi coronati Principes gloriantur. Quidni tot naturæ ornamentis eximium litterarum splendorem adijceres in Salmanticensi Academiâ, & Magno *D. BARTHOLOMÆI* Collegio, quod tādiu *TIBI* ac Tuis domicilium & Schola fuit? Quidni & in eo animum instrueres ijs disciplinis, quibus par erat, ad subeunda tot onera in regi-

gimine vtriusquè Orbis, è Supremis Senatibus, Indiarum primùm, deinde Castellæ, ac Regij Cubiculi? Sanè tantæ moli laudabiliter portandæ multà mente, *MAGNA ANIMA opus est*, animæque consideratione subtili; μὴ μαλιστα εἰς τοῦτον τὸν τόπον (vt Platonis *in Alcibiade* verbis vtar) ἐν ᾧ ἐγγίνεθ' ἡ ψυχῆς ἀρετὴ, σοφία: *& maximè in eum locum, in quo inest virtus animi, sapientia.* Vtilissima sanè rebus iustè exequendis, ac Reipublicæ administrandæ consideratio propriæ animæ: cuius dignitatem quisquis consulit, videbit, & discet (ait Cicero) *aliquid se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit: tantoque munere deorum semper dignum aliquid & faciet & sentiet.* Neq; hoc tantùm. Etenim meliori fruge gaudebit, quisquis suæ contemplatur animæ celsitudinem: *nam qui se novit* (verba sunt Agapiti ad Iustinianum) *Deum noscet: Deum noscens, Deo assimilabitur: assimilabitur qui Deo dignus: dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat quæ Dei sunt, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.* Quæ gradatio pulchrior, aut ordinatior felicitatum series? Tota illa procedit ex vivida cõsideratione immortalis animi: in quo, veluti limpido speculo, intermina Authoris pulchritudo resplendet. Hoc igitur speculum, hanc chrystallum splendidissimam, Scholasticis dissertationibus examinatam, Tuo conspectui sisto, *ILLVSTRISSIME PRINCEPS*: vt in eà meliorem Tui partem considerans, eiusque originem; in prototypi cognitionem, simul & amorem, rapiaris.

PROOEMIVM.

AGGREDITVR Aristoteles exponere præcipuam totius Philosophiæ Naturalis partem, in quà de naturà, proprietatibus, affectionibus, operationibus, effectibusque Animæ disserit, tum communiter dictæ, tum & speciatim eius, quæ rationis particeps est. Quamvis verò tres libri, quos deputat huic tractatui, in abstracto inscribãtur ΠΕΡΙ ΨΥΧΗΣ, scilicet, *DE ANIMA*; certum est in ijs potissimùm agi de corpore animato. Ita enim exigebat totius Physiologiæ ordo ab Aristotele observatus: nam in Physicà egerat de corpore mobili; in libris de Cœlo disseruerat de corpore incorruptibili; in lib. de Gener. & Corrupt. de corpore generabili & corruptibili: ideoque oportuit pariter in hoc tractatu agere de corpore animato; quia certè illi conveniunt quæcumque circa Animam disputantur. Imò & quæ hoc loci examinari solent circa Animam separatam, inquirũtur in ordine ad corpus, seu quatenus illa importat habitudinem ad materiam, à quà divulsa fuit. Nimirum, Anima, etiam sub hac ratione exercet munus naturæ, vt *in Physicà disp* 12 *sect.* 3. diximus: ideoque consideratio illius iure ac meritò spectat ad Philosophum Naturalem. Quare obiectum speciale huius Operis est corpus animatum.

DIS-

DISP. SEPTVAG. QVINTA:

QVID ET QVOTVPLEX SIT ANIMA.

Num. 1. *LIBRVM Primum ferè insumit Aristoteles in referendis & refellendis Antiquorum placitis circa naturam animæ, quam varijs atque dissentientibus inter se modis explicabant. Quamvis autem ipsorum opiniones iam diu exulent à Scholis, & à Recentioribus prætermittantur, multò autem minùs impugnentur; placuit illas breviter referre, sequendo in hoc vestigia Aristotelis; & postea ex ipsius mente assignare rationẽ animæ, divisionemque in varias species, præsertim in rationalem; quæ nobis in hoc tractatu potissimùm curæ erit. Differimus itaque primo loco, quid & quotuplex sit anima: quod certè locum habet apud eundem Philosophum toto libro primo huius Operis, & libro secundo capite primo, ac secundo.*

SECTIO PRIMA.

Referuntur variæ Philosophorum Veterum opiniones circa naturam Animæ, tum communiter dictæ, tum & speciatim rationalis; atque obiter refelluntur.

2 *NVLLIBI* Tam crúentum & multiplex dissidium inter Veteres fuit, quàm circa naturam animæ, divisis in Scholas Philosophis, & subdivisis rursus intra quamlibet sectam, vt eam assignarent. Triplex præcipua memoratur circa animam in communi, & cuiusque Authores præcipui (quamvis non omnes) ab Aristotele referuntur, atque impugnantur. Nos tam ex ipsius textu, quàm ex alijs Scriptoribus, ipsorum ferè omnium nomina, & quandoque verba, exhibebimus. Primæ sectæ adscribuntur qui animæ naturam per rationem motus exponebant, quamvis diversimodè. Democritus dixit, animam esse quid fortuitò conflatum ex corpusculis indivisibilibus & rotundis, quæ assiduo motu agitantur, ac subinde res alias rapiunt & commovent. Plato *in Phædro*, & 10. *de Legibus*, animam definivit, id quod se movet; sive, substantiam, quæ non ab alio, sed à seipsa movetur, & cætera movet. Alcmæon totam animæ rationem in assiduo motu collocavit, ideoque æternam esse dixit, quia semper movetur, instar cœlorum, qui propterea immortales sunt. Pythagoræi quoddammodo consentientes Democrito, dixerunt, alij quidem, animã esse indistinctam ab indivisibilibus, quæ in aëre circunferuntur; alij verò, causam eorum motricem. Anaxagoras demum censuit, animam esse fontem & originem omnis motus.

3 *SECVNDÆ* Philosophorũ sectæ accensentur, qui animam statuebant quidem principium cognoscendi; verùm de ea, quemadmodum de rerum principijs, opinabantur. Plato enim, præter id, quod nuper circa eius opinionem diximus censuit rerũ principia in numeris sita esse; ac proinde animam ex numeris constare; non compositione physicà, sed symbolicà. Heraclitus verò, qui rerum principium in igne posuit, animam voluit esse quandam exhalationem calidam. Diogenes arbitratus est animam constistere in aëre, Thales in humore, Critias in sanguine, Empedocles in harmoniâ quadam, seu temperaturâ elementorum. Nimirum, vt dixim⁹, ita omnes de principijs rerũ opinabantur. Imò & quasi commune Stoicorum placitum refertur, animã nihil aliud esse, quàm κρᾶσιν ἐν συμμετρίᾳ γιγνομένων ἀέρος καὶ πυρώδους οὐσίας: *temperiem: cùm proportione constat aëria & ignea substantia.* in quo ex parte videntur Empedocli subscripsisse.

4 *TERTIÆ* Adnumerantur quotquot animæ naturam conijciebant ex incorporeo, sive subtili: vt Zeno, qui eam dixit concretum corpori spiritum, & Hippocrates qui censuit esse spiritum tenuem per corpus omne dispersum. Similiter & Posidonius in Laërtio legitur tradidisse, πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν, *spiritum calidum esse animam.* Varro autem apud Lactantium 1. *de Opificio cap.* 17. aiebat: *Anima est aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus.* Alij vero animam, etiam rationa-

lem; ignem putabant. Vnde illud Homeri. Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ. *Aiax diſperiit poſtquam bibit æquoris vndam.* Nimirum, ignea Aiacis anima putabatur, ideoque in aquis extincta. Quomodo & alij loquuntur. Denique tot fuere Veterum placita de hac ipſa re, vt prolixum ſit omnia illa ſingillatim referre.

5 *CIRCA* Animam quoque rationalem, & naturam eius inveſtigãdam, magna fuit Philoſophorum contentio. Quidam voluerunt rem incertam & inſcrutabilem eſſe. Ideo Seneca *libr. 7. Natur. QQ. cap.* 24. aiebat: *Habere nos animum, cuius imperio & impellimur & revocamur; omnes fatebimur. Quid tamen ſit animus ille, rector dominuſque noſtri, non magis tibi quiſquam expediet, quàm vbi ſit.* Et Tullius 1. Tuſcul. *Anima ſit animus, ignisne, neſcio: nec me pudet, vt iſtos, fateri neſcire, quod neſcio.* Ac multò ante vtrumque Heraclytus apud Laertium dixit, quæſtionem de natura animæ prorſus omittendam: ὡς οὐκ ἂν ἐξεύροι ὁ πᾶσαν ἐπιπορευόμενος ὁδὸν, οὕτω βαθὺν λόγον ἔχει. *quia nemo reperiet, etiamſi omnem viam ineat, adeò profundam eam rationem eſſe.*

6 *VERVM* Poſtea ex iiſdem Authoribus Cicero & Seneca rem indefinitam noluerunt, aſſerentes rationalem animum eſſe mentis divinæ particulam, aut etiam portionem cœleſtem, eiuſdemque naturæ cum aſtris, ſive ignem æthereum. Cicero enim 5. Tuſcul. inquit: *Humanus animus decerptus ex mente divinâ.* Et in Somno Scipionis: *Hominibus animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis.* Seneca autem Epiſtol. 84. *Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit: imò, quod propius eſt, in homines venit.* Quam vera hæc, & conſona religioni Catholicæ, niſi addidiſſet Epiſtol. 92. *Quid eſt autem quòd non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt?* Idem tradit *de Vitâ beatâ capit.* 32. addens cognationem eſſe rationali animo cum ſideribus, dicenſque, *hominem divini ſpiritus eſſe partem, ac velut ſcintillas quaſdam ſacrorum* (alij legunt, *aſtrorum*) *in terras deſiluiſſe, atque alieno loco adhæſiſſe.* Plutarchus quoque in Apoſ. de Dogmat. Platonis: *Animam mentis & rationis conſors non opus ſolùm Dei, ſed & pars eſt: neque ab ipſo, ſed ex ipſo eſt facta.* capit. 14. *Animæ ita illigatæ & coniunctæ Deo ſunt, vt particulæ ſint eius & decerptæ.* Cæterùm in vtroque extremo peccarunt: nam rationalem animum conſtare ſidereâ ſubſtantia, eſſet longè minùs, quàm ſit, verum & intelligentem ſpiritum exiſtere; eſſe autem partem ipſius Dei, ſupergreditur creaturæ metas, & præterea dejicit ſummam Numinis perfectionem, ac ſi capax foret compoſitionis & diviſionis.

7 *IDEO* Alij ex iiſdem Ethnicis noluerunt rationalem animum eſſe partem divinæ ſubſtantiæ, ſed quaſi ipſius fulgorem. Mercurius ille ter maximus, ὁ νοῦς, *inquit*, οὐκ ἔστιν ἀποτετμημένος, τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἠπλωμένος, καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς. *Animus, ſive mens, non eſt quidem abſciſus ab eſſentiâ Dei, ſed quaſi diffuſus & extenſus, ſicut Solis ſplendor.* Nimirum, quemadmodum fulgor emittitur à Sole illæſo, atque indiviſo manente; ſic & hominum animas a magno illo Dei Spiritu, ſine vlla eius noxa aut diminutione provenire cenſuit. Quod ampliùs expreſsit Philo Iudæus *libr. Quod deterior, &c.* his verbis: *Non enim reverà quod divinum eſt ſcinditur, ſed dumtaxat protenditur ac dilatatur.* Si piè hæc accipiantur, vti par eſt, longè melius hi, quàm præcedentes, & multò verius, quam Priſcillianiſtæ, Manichæi, & Marcionitæ, qui cum ijs *animam de propriâ Dei ſubſtantiâ formabant*, vt eſt apud Tertullianum *libr. 4 adverſus Marcionem capit.* 37. Si autem ita intelligantur, vt mens ipſa Dei, quamvis indiviſa exiſtens, extendatur ad animandum membra hominum, in ratione formæ, & non ſolùm efficientis; æqualiter ferè deprimitur ſumma dignitas & perfectio Numinis, ac ſi in partes diſtribueretur. Et ſanè nonnulli ex allegatis ita ſenſiſſe videntur, aſſerentes Deum eſſe animam Vniverſi; ac præſertim Laërtius *in Zenone*, dicens, τῆς τ' ὅλων ψυχῆς μέρη εἶναι τὰς ἐν τοῖς ζῴοις: *animæ Vniverſi, partes eſſe animantium animas.* ſcilicet, omnes viventium animas eſſe partes Dei, qui eſt anima Vniverſi.

8 *QVARE* Opus non eſt lumine fidei ad confutandũ eos, qui vſq; adeò extulerunt animæ dignitatem, vt divinitati in ſua natura incommutabili inferret diſpendium. Lumine enim naturæ dignoſcitur, primã & vnicam omniũ cauſam eſſe

eſſe ſummè perfectam, ideoque nullius compoſitionis, diviſionis, aut informationis capacem. Ij verò, qui animam rationalem ſidereæ, aut cœleſtis conditionis faciebant, plus nimio illam depreſſerunt; cùm non modò rationem ſubſtantiæ ſpiritualis de medio ab eà tollerent, ſed & vitam omnem, etiam communem formis vegetabilium, & brutorum. Quippe oſtenſum eſt ſuprà *diſput.* 63. *ſect. vltimâ*, cœleſtia corpora ac lumina, nullo vitæ genere prædita eſſe. Iam denique tres illæ Philoſophorum ſectæ initio relatæ nihil aſſignarunt anima dignum, ne generatim quidem: quoniam illius nobilitas, & exceſſus ſupra res inanimatas, ſatis probat, eius ſubſtantiam perfectius aliquid eſſe, quàm atomos, aut numeros, aut harmoniam, aut elementa etiam inter ſe permiſta. Aliæ eorundem impugnationes videri poſſunt apud Ariſtotelem locis allegatis. Denique circa animum rationalem in hoc ipſo tractatu agemus ex profeſſo contra errorem Stoicorum ſuprà indicatum.

SECTIO SECVNDA.

Exponitur natura Animæ, iuxta definitionem Ariſtotelis; eiuſque germanus ſenſus, contra aliorum placita protegitur, & ab impugnationibus vindicatur.

9 EXPLOSIS Veterum opinionibus, Ariſtoteles ex proprio ſenſu definit animam in communi *lib. 2. cap. 1. textu 6.* ijs verbis: *Διὸ ψυχὴ ἐστὶν ἐντελέχια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Quapropter anima primus eſt actus, perfectioque corporis naturalis potentiâ vitam habentis.* Ratio *actus primi* eſt quaſi generica, in quâ convenit cum omni forma ſubſtantiali, etiam non viventium. Ratio *corporis* ponitur, vt differentia ab actibus completis & per ſe ſubſiſtentibus, qui non ſunt actus corporis: prout patet in naturâ angelica. Additur, *phyſici*, ſeu *naturalis*: ſive quia quælibet compoſita ſubſtantialia, & materia quorumlibet (vt modò abſtraham à difficultate mox examinanda) habent rationem corporis naturalis: ſive etiam, vt denotetur, animam eſſe actum corporis diſtincti ab artificiali, & mathematico, quod trina dimenſione conſtat; habentiſque rationem principij motus & quietis. Per particulas ſequentes exprimitur ratio propria animæ, prout diſtinctæ a cæteris ſubſtantialibus formis: de quo poſtea.

10 *VERVM* Difficultas non modica ſeſe ſtatim offert, quid nomine *corporis naturalis* intellexerit Ariſtoteles. *PRIMO* Conimbricenſes in eundem locum *quæſt. 1. artic. 1.* docent intelligi materiam primam. Subſcribunt Hurtadus, Arriaga, Oviedo, & alij. Probat hunc ſenſum Hurtadus ex eodem Philoſopho 1. Polit. cap. 3. aiente: *Pravorum quidem, aut pravè diſpoſitorum, ſæpe invenitur corpus imperare animo.* Vbi videtur *corpus* accipi debere pro materiâ in pravis hominibus prædominante animæ. Ergo & ratio *corporis* in definitione animæ ſupponit pro materia. Verùm probatio hæc nullius roboris eſt: imò & retorqueri poteſt contra Hurtadum, & in gratiam Authorum vltimæ opinionis infrà amplectendæ. Non enim ſenſus Ariſtotelis fuit materiam primam nudè ſumptam in pravis hominibus imperare animo. Quod enim imperium habere poteſt materia ex ſe inanimis, & omni operatione carens, in animam, quæ totius vitæ actualis & dominij fons eſt? Potiùs intelligi debet corpus completum ex corpore & animâ, quod in pravis hominibus eſt principium pravarum operationum, affectionumque, adverſantium rationi, & propterea eidem animæ. Ergo potiùs ex ijs verbis colligere potuit aut debuit Hurtadus, nomine *corporis* in definitione animæ intelligi compoſitum ex anima & materia.

11 P. Oviedo aliunde vult probare eandem expoſitionem. Nam Philoſophus eodem cap. textu 4. præmiſſerat: *Quoniam autem & corpus huiuſmodi vitam habens non erit vtique corpus anima, nõ enim eſt eorum, quæ in ſubiecto, corpus; magis autem ſicut ſubiectum & materia eſt.* Quæ verba, inquit, toti compoſito nullatenus adaptari poſſunt, & apprimè materiæ quadrant, quæ eſt primum ſubiectum. Ego autem miror Oviedum ſibi perſuaſiſſe hunc diſcurſum eſſe efficacem: cùm ſenſus planus & obvius ſit, corpus habens vitam, non eſſe animam; quia non eſt aliquid habens rationem formæ informantis, ſed potiùs quaſi materiæ aut ſubiecti. Nimirum compoſitum ex forma & materia in opinione

eiuſdem Philoſophi eſt ſubiectum immediatè receptivum accidẽtium, ſive ſit animatum, ſive inanime, vt fusè à nobis cõſtitutum eſt *tract. de Gener. diſp. 50. per totam.* Hanc verò expoſitionem eſſe cohærentem textui Ariſtotelis, patet, tum ex ipſo textu Græco, tum ex clariori verſione Argyropili, qui ita interpretatur: *Atque cùm tale etiam ſit corpus, id eſt, habens vitã, corpus profectò non erit anima. Corpus namque non ſubit rationem eorum, quæ ſunt in ſubiecto: ſed vt ſubiectum potiùs eſt, & materies.* Non dixit corpus id, de quo loquitur, eſſe ſimpliciter ſubiectum, aut materiam primam: ſed ὡς ὑποκειμένου, καὶ ὕλης: *quaſi ſubiectum & materiam.* Quo etiam modo, ac verbis, Conimbricenſes interpretãtur, quamquam in eadem Oviedi opinione ſint.

12 *SECVNDO* Alij iuxta opinionem Scoti, ſtatuentis in quolibet cõpoſito animato formam aliam ſubſtantialem corporeitatis, volunt nomine *corporis* in præſenti accipi debere compoſitum ex materia & eiuſmodi forma, veluti ſuſceptivum animæ. Sed tamen hic dicendi modus ſupponit eam opinionem, quæ procul à veritate eſt: vt fusè oſtendimus ſuprà *diſp. 51. ſect. 3.* Recolantur quæ ibi diximus, nec vacat repetere, aut opus eſt.

13 *TERTIO* Denique, & meliùs, S. Thomas in locum allegatum *lib. 2. textu 6. & in 1. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 2. & Quæſt. de Spiritualibus creat. art. 3.* communiterque eius Diſcipuli, docent nomine *corporis* intelligi totum ex materia & forma ſimul conſurgens, quatenus illa præſtat gradum corporis. Anima namque omnino propriè eſt actus conſtitutivus eiuſdem compoſiti, ex primaria & eſſentiali ratione; ideoque definitur in ordine ad illud, veluti in quo præſtat ſuum effectum formalem primarium. Quo eodem ſtylo ſæpe Ariſtoteles complura alia definit, & potiſsimùm lucẽ, vt vidimus *diſp. 71.* à principio. Monet autem S. Thomas loco vltimo ex indicatis, ſubiectum animæ, ſive corpus phyſicum, in ordine ad quod ipſa definitur, non eſſe vtcumque compoſitum, ſed ex eãdem materia, atq; animâ, prout præſtante gradum corporeum ſuſceptivum vitæ, pro priori rationis ad gradum vivendi. Cùm enim anima præſtet materiæ eoſdem gradus communes, quos aliæ formæ ſubſtantiales imperfectiores, & præterea alium ſpecialem vi-

vẽtis; locus eſt, vt materia actuata ab animâ ſecundùm rationem communem & completam corporis naturalis, pro aliquo priori rationis ſit ſubiectum receptivum vltimi gradus vitæ, ab eadem anima, vt formâ, provenientis. Quam eandem expoſitionem recipit Eximius Suarez *tom. 1. Summæ Theol. tract. 3. lib. 1. de Suſtãtiâ Animæ cap. 2.* Eam verò eſſe conformem Ariſtoteli, patet ex ipſius verbis *eodem capit. textu 8.* vbi dicit, animam eſſe quidditatem corporis naturalis, in ordine ad quod definitur. Atqui certum eſt animam non eſſe quidditatem materiæ, ſed compoſiti. Ergo non definitur in ordine ad materiã, ſed ad compoſitum. Scilicet, modo explicato.

14 *PROBATVR* Ratione. Quoties forma definitur per ordinem ad ſuum ſuſceptivum, vt accidit in præſenti, longè meliùs intelligitur definita in ordine ad ſuſceptivum peculiare & proprium, quàm in ordine ad commune. Alioqui enim definitio non eſſet propria rei definitæ. Atqui proprium & peculiare ſuſceptivum animæ ſecundùm vltimum gradum vitæ, non eſt materia prima ſecundùm ſe, quia ſub hac conſideratione exprimit ſubiectũ commune omnium formarum; ſed ſolùm prout informata ab anima ſecundùm gradum corporis naturalis ſuſceptivum vitæ. Ergo longè meliùs intelligitur definita anima in ordine ad materiam prout informatam ab ipſa anima, ſecundùm gradum communem corporis naturalis, ſuſceptivum vitæ, quàm in ordine ad materiam primam ſecundùm ſe. *Confirm.* à pari. Lux non definitur in ordine ad perſpicuũ ſub ratione corporis præcisè, quia ſub hac conſideratione indifferens eſt corpus ad lucem & carentiam lucis; ſed ſub ratione perſpicui, quà exprimit propriũ lucis ſuſceptivum, quatenus lux eſt diſtincta in ſpecie ab alijs qualitatibus. Ergo neque anima definitur in ordine ad materiam communem animatis & inanimatis rebus, ſed tantùm in ordine ad corpus naturale ſuſceptivum animæ, prout ſpecie diſtinctæ ab alijs formis. *Confirm. II.* Donec materia intelligatur actuata per formam gradu corporis, non intelligitur proximè apta ad ſuſcipiendum ab eâ vltimum gradum viventis, ſed remotè tantùm.

16 *DICES*: Proprium ſuſceptivũ alicuius formæ phyſicæ debet adæquatè realiter ab ea diſtingui: quia cauſa materia-

rialis & receptiva adæquatè diſtinguitur à cauſa formali, ſive à forma, quam recipit; cùm per illam nullo modo conſtituatur. Atqui compoſitum ex materia, & ex anima, quatenus præſtante ipſi gradum corporis, non diſtinguitur realiter adæquatè ab ea, prout anima eſt; ſed potiùs illam includit reipſa, vt partem. Ergo compoſitum ex materiâ, & ex animâ, quatenus præſtante ipſi gradum corporis, non eſt proprium ſuſceptivum animæ, prout anima eſt. *RESP.* maiorē eſſe veram de proprio ſuſceptivo formæ phyſicæ ſecundum ſuam entitatem & abſolutè, vt in partibus materiali & formali, integrātibus aliquod totum. Falſam autem in proprio ſuſceptivo alicuius formæ, quatenus præcisè dantis vltimum gradum: quia ad rationem proprij ſuſceptivi ſub hac conſideratione poſteriori ſatis eſt, quod forma præſupponatur in materia præſtans gradus communes, pro priori aliquo ad gradum vltimum.

17 *INSTAT* Oviedus, & alij. Neque Ariſtotelis, neque Phyſici alicuius in his libris, eſt definire animam per ordinem ad ſuſceptivum metaphyſicum, & penes rationem; ſed in ordine ad ſuſceptivum phyſicum & ſecundum rem. Atqui compoſitum ex materia & anima, prout præſtante gradum corporis, non eſt ſuſceptivum phyſicum & ſecundum rem eiuſdē animæ, vt præſtantis gradum vltimum vitæ; ſed ſolùm metaphyſicum & penes rationem. Ergo neque Ariſtotelis fuit, neque cuiuſquam Phyſici eſt definire animā vt præſtantem gradum vltimum vitæ per ordinem ad compoſitum ex materia & ex anima, prout præſtante gradum corporis. *RESP.* negando minorem: quia licet compoſitum ex materia & anima, vt præſtante gradum corporis, non ſit phyſicè receptivum gradus completi viventis, ſeu animati, vt potè realiter ab eo indiſtincti; eſt tamen phyſicè ſuſceptivum animæ ſecundùm quod illa per modum partis & actus phyſici præſtat *vt quo* vltimum gradum. Sub hac enim conſideratione non exprimit differentiam, ſive actum metaphyſicum, & realiter indiſtinctum à gradu communi corporis; ſed ſolam rationem actus incompleti, & realiter ab eo diſtincti. Præterea, vt compoſitum ex materia & anima, quatenus importans gradum communem corporis dicatur phyſicè ſuſceptivum animæ, non eſt opus quòd ſit phyſicè ſuſceptivum ratione eius, quod ab anima recipit; ſed ſatis eſt, ſi id habeat ratione alicuius phyſicæ partis ſuæ, quæ eſt materia.

18 *VRGEBIS* Multipliciter. *Primò.* Phyſicum ſuſceptivum cuiuslibet formæ eſt illud, ex cuius potentia educitur talis forma, vel quo ad entitatem, vel quò ad vnionem ſaltem. Atqui anima, prout anima eſt, non educitur ex compoſito ſecundùm quod importat gradū corporis præſtitum ab eādem animā (ſic enim educeretur ex ſeipſa, quod repugnat) ſed tantùm educitur ex materia. Ergo phyſicum ſuſceptivum animæ, provt anima eſt non eſt compoſitum ſecundùm quod importat gradum corporis præſtitum ab eādem anima; ſed ſola materia. *Secundò.* Permiſſo corpus ſecundùm prædictam rationem eſſe phyſicum animæ ſuſceptivum; adhuc nequit eſſe ſuſceptivum proprium, ſed ad ſummum commune: ſiquidem & forma lapidis priùs ratione præſtat materiæ gradum communem corporis, quā vltimum lapidis: ac proinde gradus ille corporis non magis eſt ſuſceptivus formæ animantis, quàm lapideæ. *Tertiò.* Nec gradus corporis eſt omnium proximior gradui viventis, ſed mediant inſuper alia duo genera interiecta; nimirum, generabilis, & mixti. Ergo materia prout actuata gradu corporis nequit eſſe proprium, ſive proximum ſuſceptivum animæ, prout præſtantis gradum viventis. *Quartò.* Corpus ſub eà conſideratione abſtrahit à ratione organici & ipſius carentia; cùm ſit ratio contrahibilis per animata & inanimata. At ſuſceptivum, in ordine ad quod definitur anima, non abſtrahit à ratione organici, ſed potiùs illam exprimit, vt patet ex ipſa definitione. Ergo ſuſceptivum, in ordine ad quod definitur anima, non eſt corpus ſub eà conſideratione.

19 *RESP. AD I.* Anima, vel quò ad entitatem, vel quò ad vnionem ſaltē, educitur ex compoſito importante gradum corporis; non quidē adæquatè ſumpto, ſive quò ad vtramque partem; ſed inadæquatè ſolùm, & quo ad partem ſui materialem, quæ adæquatè realiter diſtinguitur ab anima, prout anima eſt. Hoc autem ſufficit vt ſit proprium ſuſceptivū ipſius, eo modo, quo nuper expoſuimus. *AD II.* nego aſſumptum, & paritatem. Non enim aſſerimus propriū animæ ſuſceptivum eſſe gradum corporis ſecūdum

ſe

se præcisè consideratum, quique æquè bene præstari possit a formâ lapideâ; sed gradum ipsum corporis specialem & determinatum ab anima proveniente, qui exigit identitatem cum gradu viventis, sive animati, superveniente. Sub hac enim consideratione procedit ab anima, quatenus hæc est peculiare individuum sub formâ corporis mixti in communi, exigēs identificari realiter cum vltimo munere animæ. *AD III.* Fatemur gradum corporis abstractè & secundùm se consideratū non esse proximiorem gradui viventis; sed tantùm illum, qui est proprium susceptivum animæ, prout anima est, quique immediatè contrahitur per gradum viventis, seu animati, & constituit mixtum. Verùm adhuc dicimus, & verè dicimus, gradum corporis naturalis esse proprium susceptivum animæ: quia per hoc, quòd ab eâ proveniat, habet ex modò significandi determinare communissimam illam rationem corporis naturalis, ne supponat, nisi pro eo gradu, qui gradui vltimo vitæ immediatior est. *AD IV.* Patet ex nuper dictis rationem corporis naturalis reipsa provenientem ab animâ, exigere peculiaria accidentia, dispositiones, & organa, quę determinent subiectum potiùs ad gradum vitæ, quàm ad alium corporis inanimati.

20 *VENIAMVS* Ad alteram particulam *organici*, quæ in definitione ponitur, non quidem verbis *suprà num. 9.* relatis ex Aristot. sed alijs immediatè sequētibus in ipso textu 6. Meritò autem ea adhibetur: quoniam corpora viventia, prout distincta à non viventibus, seu inanimatis, constant partibus heterogeneis, seu diversæ rationis, deservientibus ad varias eorum operationes. Appellantur verò *organicæ* partes, tum in textu Græco, tum & Latinè, ductâ similitudine ab organo; cuius fistulæ sunt inæquales, & diversos sonos edunt. Patet verò ad sensum, nullū corpus naturale ex viventibus esse, quod non constet eiusmodi organis, etiam si in infimo vitæ gradu sit. Nam vel in arboribus deprehendimus radices, truncos, fibras, medullas, & quasi venas; quæ quidē organicæ partes absque dubio sunt; licèt non ita expressæ, ac in animalibus os, gula, ventriculum, hepar, lien, cor, &c. Porrò in arboribus, & quibuslibet plantis, radices vice oris funguntur, quo è terra succum & alimentum attrahunt: fibræ pro venis sunt: cæteræ partes enumeratæ varia munera obeunt, viventi opportuna. Quòd autem vivens superiori vitæ genere eminet, eo plures ac diversas operationes vitæ habet, ideoque pluribus ac dissimilibus partibus eget, quæ gradatim ascendant, & descendant, instar fistularum organi. Patet igitur in definitione animæ appositam meritò fuisse particulam *organici*: quia sive eæ partes sint entitativè substantialis, sive solùm accidentales (de quo in Metaphysicâ) exiguntur ab essentiâ corporis animati, saltem radicaliter.

21 *ADDITVR* Demum, *potentiâ vitam habentis*: quæ non adhibentur vt necessaria simpliciter definitioni animæ, sed tanquam opportuna & congruentia ad maiorem ipsius claritatem: quippe quæ antea implicite in alijs partibus definitionis continebantur. Ita Caietanus, Bañez, Conimbricenses, Rubio, Complutenses, & alij, iuxta expressum testimonium, ipsius Aristotelis paulò post prædicta verba, *textu 7.* & D. Thomæ *ibidem.* Ea verò particulâ denotatur, non vita substantialis, sed accidentalis. Non enim definitur anima per ordinem ad corpus organicum, tanquam subiectum informe, sed formatum; ac proinde tanquam ad id, in quo anima, & effectus formalis ipsius actu includitur. Constat verò subiectum actu includens animam, non esse in potentiâ ad vitam substantialem, quam formaliter possidet; sed solùm ad accidentalē, quàm posteriùs tempore, aut saltem naturâ adequitur.

22 *EX* Dictis constat, definitionem animæ traditam ab Aristotele esse rectam, & essentialem, quidquid alij in oppositum sentiant: quia traditur per rationes essentiales ipsi animæ, tam prout convenit cū alijs formis substantialibus, quàm prout ab ijs differt. Convenit enim essentialiter cum alijs sub ratione actus primi corporis; differt verò quatenus non cuiusque corporis actus est, sed naturalis, & organici, sive exigentis partes diversæ rationis ad exercenda opera vitæ. Quibus omnibus breviter statutis, non est opus circa hæc eadē minutijs immorari, & quæstiones ferè summulisticas texere; præsertim cùm maiora nos vocent, & nihil ferè otij ad minora relinquant. Nonnulla, quæ prædictæ doctrinæ obstare videntur, legi possunt apud Complutenses *disp. 2. q. 4. & 5.*

CON-

21 *CONSTAT* Vlteriùs prædictam definitionem convenire, tum animæ generatim, tum & quibuslibet alijs, seu purè vegetatricibus, seu etiam sensitivis, sive præterea rationalibus, secundùm speciem atomam consideratis: quia secundùm illam indivisibiliter, & essentialiter, habent rationem actus primi circa corpus naturale organicum, sive vivum, eo organizationis, seu vitæ genere, quod vnicuique viventi in propria specie competit. Ita Aristoteles *textu* 7. nuper allegato, & 8. vbi inquit: *Si igitur commune quid de omni animâ sit dicendum, ipsa perfectio prima, primusque actus est corporis naturalis organici*: sive, vt alij è Græco circumloquuntur, *cuius partes sunt instrumẽta*. Vnde reijciũtur quotquot ex Gentilibus existimarunt, rationalẽ animum ita esse per se subsistentem, vt solùm extrinsecè vniatur corpori humano, tanquam motor mobili; non verò tanquam actus informans, & vnum substantiale cum eo constituens. Qui error, communiter Platoni *in Alcibiade & Timæo* adscriptus, iam diu anathemate cõfixus fuit in Cõcilio Viennensi illis verbis: *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se & essentialiter; tanquam hæreticus censendus sit*. Eo autem ipso, quòd rationalis animus ita per se subsisteret, vt solũ adesset corpori tanquã motor mobili; iam non essentialiter esset forma corporis: quia ad hoc necessũ est, vt essentialiter ordinetur ad cõponendum hominem simul cum corpore, sive materià, vt comparte. Ex quo Concilij testimonio obiter colligitur, quod nuper asserebamus; scilicet, definitionem traditam animæ in genere, essentialiter convenire animæ rationali in specie atomà consideratæ; quia adhuc secundùm illam est actus primus, seu forma humani corporis.

(?)

SECTIO TERTIA.

Statutà & enucleatà alterà definitione Animæ, nonnulla quædam notatu digna inferuntur, & resolvitur quot sint genera animarum, ac modi vivendi.

22 *ALTERAM* Animæ definitionem tradit Aristot. *lib. 2. c. 2. textu* 24. huius Operis, in hæc verba: ἡ ψυχὴ δέ, τούτῳ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτῳ. *Anima autem id est, quo vivimus, sentimus, & intelligimus primò*. Scilicet, prima radix, seu principium *formale* potissimum, ratione cuius vegetamus, sentimus, & intelligimus: in quo differt à principio effectivo simpliciter primo earundem operationum, quod est Deus. Addunt aliqui, *loco movemur*: sed verè in eo textu non extat. Fortè delumpserunt ex textu 18. vbi dixerat, animam *principiũ esse eorum, quæ dicta sunt, & his esse definitam*, θρεπτικῷ, αἰσθητικῷ, διανοητικῷ, κινήσει: *Vegetativo, sensitivo, rationali, motu*. Vt cumque id sit, definitio hæc, est quasi expositio præcedentis: & per eam denotatur animam esse primum principium formale, sive actum, quo vivens vegetat, sentit, & ratiocinatur: proindeque comprehenditur hac definitione anima vegetativa, sensitiva, & rationalis; vnaquæque; secundùm distributionem accommodam: ita, vt æquivaleat triplici definitioni distinctæ, & singillatim traditæ circa vnamquamque animam: aut certè distinctio cũ copulatione ad partes præcedentes fiat, ac si dicatur: Anima est, quo primo vivimus, aut etiam sentimus, aut etiam intelligimus, aut, si placet, etiam loco movemur.

23 *NOTANDVM* Verò, definitionem hanc demonstrari per præcedentem superioribus traditam; idque demonstratione *propter quid*, sive per causam, & à priori. Quod palam ostendit Aristoteles *citato cap.* 2. dicens se velle definitionem, quæ causam rei contineat, investigare: consentitque D. Thomas, & plerique alij. Probatur. Priùs ratione est, animam esse actum corporis organici, sive vivi, quam esse principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi: siquidem sub illa consideratione dat primum esse, & sub hac tribuit operari: esse autem, & principium essendi, priùs intelliguntur, quàm operari, & prin-

principium operandi. Ergo definitio superioribus explicata per actum corporis organici, sive vivi, infert à priori hanc vlteriorem, quę traditur per principium vegetandi, sentiendi, & intelligendi.

24 *VNDE* Et infertur, hanc posteriorem definitionem, non esse essentialē, sed descriptivam: quia nullius rei definitio essentialis, sicut neque primus conceptus essentię, demonstrabilis est à priori & per causam: vt omnibus in confesso est. Atqui posterior hæc definitio demonstratur a priori, & per causam ex illâ alia. Ex eo enim quòd compositū constituatur vivum ratione animæ, infertur à priori posse illud exercere opera vitæ, quæ sunt vegetatio, sensio, & intellectio. Ergo hæc posterior definitio non est essentialis. Tantum itaque descriptiva est. Vnde obiter notandum est, quod vberiùs & ex professo ostendā *tom.* 1. *Cursus Theolog.* plerosque Theologorum simiſtrè constituere essentiam Dei, metaphysicè loquendo, per gradum intelligendi, qualitercumque ille accipiatur, iuxta varias opiniones. In oppositū enim est, quòd nullius rei essentia metaphysica possit à priori & per causam demonstrari. Atqui gradus intelligendi, qualitercumque accipiatur, à priori & per causam demonstratur in Deo ex ratione entis a se, vt omnes Theologi fatentur cum D. Thomā à principio ferè primæ partis vsque ad quæst. 10. vbi à priori demonstrat omnes perfectiones Dei simpliciter simplices (quarum vna est gradus intelligendi) ex eo quòd sit ens a se, & illimitatum. Ergo essentia Dei metaphysicè loquendo non constituitur per gradum intelligendi qualitercumque acceptum, sed per rationem entis à se.

25 *VERVMTAMEN*, Quoniam eo loco assero, & probo, naturam sub munere naturæ, distincto penes rationem à munere essentiæ, definiri essentialiter in ordine ad motum, vt patet ex 2. Physic. adeoque naturam Dei sub munere naturæ exprimere rationem a priori intelligendi, participabilem à naturis angelicâ, & humanâ: ideò, vt consequenter procedam, & doctrina hæc Philosophica ancilletur, connectaturque Theologicæ, dicendum est modò, hanc secundam definitionem esse essentialem animæ, si consideretur sub præciso munere naturæ: quia anima per eam explicatur, tanquam principium motus vitæ primò ac per se, quæ est essentialis naturæ ratio. Quare, quòd nuper diximus, descriptivam esse, accipiendum est de anima, considerata secundùm rationem primariam, qua exprimit munus essentiæ in ordine ad esse substantiale: non verò quatenus exprimit munus naturæ, & in ordine ad operationem.

26 *EX* Præiacta definitione colligitur, iuxta sensum Aristotelis, animam dividi adæquatè in vegetativam, sentitivam, & intellectivam: quia, vt suprà *num.* 21. ex ipso obseruauimus, in priore definitione voluit comprehendere omnem animam; in posteriore autem idem ipsum expressit adæquatè per ordinem ad actus vegetandi, sentiendi, & intelligendi; qui solùm respondent animabus vegetativæ, sensitivæ, & intellectivæ. Ergo sensit in has tres dividi adæquatè animam. Alioqui definisset illam in ordine ad operationem vitæ correspondentem alteri diversæ animæ. Quod ipsum adhuc luculentiùs tradit eodem *lib.* 2. *cap.* 3. & D. Thomas *ibid. lect.* 4. & 1. *p. q.* 78. *art.* 1. & *de Veritate, q.* 10. *art.* 2. & *q. de Animâ, art.* 13. Idem docet S. Augustinus *lib.* 8. *de Civit. c.* 8. & communiter Philosophi.

27 *RATIO* Divisionis prædictæ est: Quia tot, & non amplius, sunt genera animarum, quot sunt generatim operationes supergredientes communem rationem operationum entis inanimati, quatenus talis. At tres solùm sunt generatim operationes supergredientes communem rationem operationum entis inanimati. Ergo tria, & non amplius, animarum genera sunt. Maior patet ex definitione assignatâ, in quâ anima explicatur per ordinem ad operationes vegetandi, sentiendi, & intelligendi, quæ sunt operationes superexcedentes omnem operationem entis inanimati. Minor autem suadetur. Nam vel operatio superexcedit totam naturam inanimatam, eo quod nequeat exerceri medio organo corporeo: & sic erit intellectio. Vel exercetur medio organo corporeo; non tamen medijs qualitatibus valde materialibus, quales sunt primæ, & secundæ, ex earum commixtione resultantes, sed mediantibus alijs subtilioribus, & non parùm à materiâ depuratis; quales sunt species sensibiles: & sic erit sensio. Vel tandem fit medio organo corporeo, ac virtute qualitatum purè materialium; sed tamen procedit a principio intrinseco, se movente per illam: & sic erit vege-

ta-

tatio, ſive nutritio. Præter has verò tres operationes, nulla alia generatim invenitur, in quâ natura animata, ſupergrediatur operationes entis inanimati. Ergo triplex tantùm eiuſmodi operatio eſt. Cumque ex enumeratis prima correſpondeat animæ intellectivæ, ſecunda ſenſitivæ, & vegetativæ; concluditur demum, triplex tantùm eſſe genus animarum.

28 *CONFIRM.* Et illuſtratur diſcurſu S. Thomæ in præſenti *lib. 2. lect. 5.* Quia operationes animæ dupliciter evehuntur vltra operationes inanimatorum. *Primò*, quò ad modum præcisè, quia licèt conveniant cum inanimatis in tendentiâ ad propagationem, & conſervationem ſui eſſe naturalis mediâ operatione; non tamen vt mota ab extrinſeco generante, ſed a principio intrinſeco, tum ſeminis propagativi, quo ſtrictè generant alia a ſe; tum & facultatis nutritivæ, quâ verè & per intuſſumptionem, vt dicitur, ſe conſervant, & perficiunt in ſuo eſſe. Et hic modus eſt proprius animæ vegetativæ, illamque elevat vltra formas inanimatorum. *Secundò* elevari poſſunt operationes naturæ animatæ, non ſolùm quò ad modum, ſed etiam quò ad rem ipſam; quatenus ijs mediantibus anima adquirit eſſe immateriale ratione ſpecierum, quibus fit quoddam modo omnia. Et hoc dupliciter. Aut enim ſpecies non ſunt omnino immateriales, ſed medio modo ſe habentes inter eas ex vnâ parte, & res prorſus materiales ex alia: & hoc eſt proprium animæ ſenſitivæ. Aut denique ſpecies ſunt omnino immateriales: & hæ ſoli animæ intellectivæ conveniunt. Nulla verò alia elevatio generatim invenitur in animatis ſupra inanimata, præter has tres enumeratas; quibus proinde reſpondent adæquatè nutritio, ſenſatio, & intellectio. Ergo triplex ſolùm eſt generatim anima.

29 *SED* Dices: Iuxta rationem præiactam, etiam anima loco-motiva, in quantùm talis, conſtituet ſpeciale genus animæ, diſtinctum à tribus enumeratis. Ergo non erit triplex genus animarum, vt ſuprà aſſeruimus. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*: Quia anima, iuxta ſecundam definitionem æquè ſolet definiri in ordine ad motum localem, ſicut ad vegetationem, ſenſionem, & intellectionem, vt colligitur ex verbis Ariſtotelis ſuprà *num.* 22. indicatis ex textu 18. *Secundò*: Quia etiam animata ſupergrediuntur rationem entis inanimati in hoc quod eſt moveri localiter à ſeipſis. *Tertiò*: Quia anima loco-motiva, quatenus talis, exprimit rationem actus corporis naturalis organici, ſive vivi. *Quartò*: Quia exprimit principium ſpecialis actionis vitalis.

30 *RESP.* Negando antecedens. *AD I. Probationẽ*, nego Ariſto elem meminiſſe motus localis in ſtrictâ animæ definitione, quam tradidit *textu* 24. tantùm, licèt *textu* 18. præcedenti meminerit, vbi non definitionem, ſed extenſionem animæ ad quatuor præcipuos vivendi modos tradebat: de quo infra. *AD II.* Animata ſupereminent quidem inanimatis in eo, quòd ſe localiter moveant: non tamen exceſſu aliquo ex primis & generalibus *num.* 27. expenſis, qui ſolùm ſufficiunt ad animas in genere diſtinguendas. Alioquin, cùm perfecta viventia, vt homines, & plraque bruta ſupereminent entibus inanimatis in pluribus alijs motibus ab intrinſeco, oporteret eapropter multiplicare generatim præcipuas animarum claſſes, ferè abſque numero. *AD III.* Anima loco motiva quatenus diſtincta à ſenſitiva non habet actuare corpus organicum modo aliquo elevante illum ad modum eſſendi, vel operandi, qui ſpectet ad aliquam ex potiſſimis & primis claſsibus iam enumeratis: ideoque nec ſpeciale genus animæ conſtituit. *AD IV.* Patet ex eadem doctrinâ, non omne principium ſpecialis operationis, ſed potiſſimæ tantùm, & ex primarijs, conſtituere genus ſpeciale animæ.

31 *INSTABIS* Primò. Ideo anima ſenſitiva conſtituit diverſum genus à vegetativâ, quia eſt principium motus ab eâ ſeparabilis. Atqui etiam anima loco-motiva eſt principium motus localis ſeparabilis ab anima ſenſitiva: vt patet in oſtreis, quæ conſtant animâ ſentiente, & tamen non moventur ſecundùm locum. Ergo & anima loco motiva conſtituit ſpeciale genus ſuprà ſenſitivam. *Secundò.* Anima quatenus loco-motiva, eſt principium alicuius modi vivendi genericè diſtincti à modo vivendi animæ ſenſitivæ: ideoque communiter à Philoſophis ſtatuuntur quatuor modi vivendi generici, & vniverſales. Ergo & anima quatenus loco-motiva conſtituit ſpeciale genus animæ: ideoque erunt quatuor vniverſalia genera animarum.

AD

32 *AD I.* Resp. negando causam, & suppositum illius, si de omni motu locali intelligatur. Causalem quidem nego: quia ratio potissima constituendi animam sensitivam genericè distinctam à vegetativa, non est quæ assignatur in obiectione; sed quòd sit principium operationis elevatis primò ac generatim viventia à non viventibus. Suppositum etiam nego in dicto sensu: quia nullum animal est, quod non moveatur aliquo locali motu, saltem dilatationis & constrictionis; quamvis hic non omnino strictè censeatur localis motus, quia in eo vivens nunquam deserit totum locum præcedentem, neque mutat, nisi solum extimas circumferentiæ partes. Quæ doctrina est expressa D. Thomæ in præsenti *lib. 2. lect. 6. AD II.* Posset dici ex eadem solutione, quatuor quidem esse præcipuos vivendi modos in genere, partiendo modum vivendi sensitivum in duo membra; quorum alterum includat sensionem solam absque motu locali stricto; alterum verò illum importet: ideoque divisionem modorum vivendi, quæ communiter traditur, non esse vsque adeò strictam, sed latè; & qualis etiam assignari posset in quatuor animarum genera, distinguendo animam in purè sentientem, & in moventem se localitur strictè. Alioqui & possent plures alij modi vivendi generatim distingui penes motum localem reptilem, gressibilem, aut volatilem: vt legere est apud Aristotelem *lib. de Animalium incessu cap. 7.* quod tamen nemo dixit. Verùm adhuc potest sufficiens disparitas assignari, vt plura sint genera modorum vivendi, quàm animarum, quod statim ostendam.

Si autem roges quænam sit divisio animæ in tria prædicta membra, an analoga, an vnivoca, & quænam; res est facilis explicatu, quæ videri potest apud quoslibet ferè Authores, præcipuè ovied. *contr. 1. p. 1. à num. 14.* & Complutenses, *disp. 4. q. 1.*

(*)

SECTIO QVARTA.

Quamvis genera animarum solùm sint tria, adhuc quatuor esse generatim vivendi modos ex probabiliori sententia. Obiectiones solutæ.

33 *VERVM* Licèt doctrina nuper tradita appareat satis probabilis, adhuc dicendum est probabiliùs; & satis conformiter ad doctrinam Aristotel. *lib. 2. cap. 2. textu 15.* ac D. Thomæ *ibidem lect. 3. & 1. p. q. 18. art. 3. & q. 78. art. 1.* quatuor esse generatim vivendi modos, quamvis tria tantùm animarum genera sint. Conveniunt in hac Assertione plerique alij Philosophorum, paucis exceptis, vt Sancta-Crucio *q. 1 sect. 2. num. 273.* & quibusdam alijs.

34 *PRO* Intellectu resolutionis traditæ observandum est cum D. Thomà loco relato *ex 1. p. q. 18.* viventia differre potissimùm a non viventibus in hoc, quòd viventia habent ab intrinseco principium sui motus, & non qualecumque, sed principale: quia proprium munus vitæ est moveri à se. Cæterum inanimata, seu non viventia, oppositò modo se habent: quoniam non moventur à seipsis, sed ab extrinseco generante: vt sæpè à nobis traditum est *tomo præced. disp. 39. sect. 4.* per totam, & *disp. 40. num. 22. & 23.* Ratio huius discriminis à posteriori insinuatur ab ipso Angelico Doctore *art. 1.* quæstionis indicatæ: quia non aliunde manifestiùs animata videntur vivere, quàm ex motu: quo incipiente censemus incipere illorum vitam, perseverante continuari, & omnino absolvi. Ideoque *lib. de Vegetabilibus cap. 1. textu 4.* dicitur: *Vita in animalibus manifesta est.* Communiterque nullo alio indicio æquè certiores reddimur mortis recentis alicuius hominis, ac defectu respirationis, & pulsus, qui sunt motus ab intrinseco. Hæc igitur est potissima differentia viventium a non viuentibus.

35 *OBSERVA* Secundò in quolibet motu tria inveniri: nimirum, finem, cuius gratia est motus ipse; formam, quæ est virtus principalis ad ipsum efficiendum; & tandem instrumentum, medio quo operatur agens principale; cui potissimùm adscribitur motus, licèt executivè fiat mediante instrumento. Quare tribus modis contingit aliquid moveri ab alio. *Primò* quantum ad finem, quem

quem sibi ipsi non præfinit, sed ab alio præfinitum accipit, tanquam ordinante & dirigente: *Secundò* quantùm ad formam seu virtutem principalem agendi, quam non habet ex se, sed ab alio communicatam: *Tertiò* denique quò ad executionem, quia ipsa motio actualis, per quam movetur instrumentum, tribuitur solùm principali agenti, in cuius virtute ac nomine ipsum instrumentum operatur, sive exequitur motum.

36 Cùm verò hoc, quod est moveri à se, explicari possit, soleatque per negationem motionis ab alio, consequens est vt tripliciter quoque dicatur aliquid moveri à se. *Primò* quantùm ad executionem tantùm: qualiter se movent vegetativa ad nutritionem & augmentationem, media virtute principali, ipsorum propriâ. *Secundò* quantùm ad executionem & formam simul: vt contingit in animalibus brutis. Non enim solum exequuntur motus vitæ per intrinsecam & principalem virtutem; sed etiam habent intra se formas sēsibiles, quas adquirūt ex obiectis, ministerio sensuum, ac vitali modo intra se recipiunt; non autem mortuo, vt contingit in aère, & speculo. Inter bruta autem est ingens diversitas: nam quædam adeo imperfectè se movent quātùm ad formam, vt non percipiant vllo modo obiecta distantia, proindeque careāt motu locali, saltem strictè dicto: qualiter de ostreis, testaceis, & conchilibus fertur. Alia verò perfectiora sunt, ideoque non vtcumque moventur quantùm ad formam, sed etiam circa obiecta distantia, quorum species hauriunt medijs sensibus; ideoque ad ea quærenda tendunt motu locali strictè dicto, sive reptando, sive gradiendo, seu volando. Cæterùm adhuc non se movent quantùm ad finem, quia cognitio eorum est purè materialis, ideoque non attingit proportionem mediorum cum fine, neque illum quatenus talem, vt traditur 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 2. & suprà in Physica *disput.* 18. *num.* 34. diximus. *Tertiò* denique homines moventur quantùm ad executionem, & formam, & finem simul: quoniam non solùm habent virtutem intrinsecam, qua principaliter exequantur motum, nec solam formam obiectorum quorumlibet repræsentativam; sed præterea sibi ipsis præfigunt finem, & in eum obtinendum quærunt ac comparant diversa media, ipsorumque vtilitatem maiorem aut minorem expendunt. Nullus autem alius modus restat motionis à se.

37 *HIS* Statutis probatur Assertum. Quamvis triplex tantùm sit ordo animarum in genere, adhuc tamen sunt generatim quatuor modi habendi vitam, nuper explicati, atque carentes mutua connexione inter se: nam quilibet priorum & imperfectiorum à quolibet posteriorum & perfectiorum separatur, licet non è contrà. Ergo cùm gradus vivendi desumantur ex diversis ac generalibus modis habendi vitam, oportet assignari quatuor vitæ gradus. Vitæ, inquam, animatorum. nam de vitâ angelica ac divina, non agimus in præsenti.

38 *SED* Instabis, vt suprà *num.* 31. Gradus vivendi desumuntur ab animâ, & consequenter solùm iuxta animarum numerum multiplicantur. Ergo si tria tantùm animarum genera sunt, etiam tres solùm vivendi gradus generatim erunt. *CONFIRM.* Motus quo ad formam imperfectus, & solùm circa obiecta contigua mobili, separatur à motu quò ad formam perfecto, & quantum ad obiecta distantia; non magis, quàm anima purè sentiens separetur a loco motiva. Ergo si hoc minimè obstanti anima non dividitur genericè in pure sentientem & in loco motivam, tanquam in genera diversa; neque etiam motus prædictus dividetur in duos gradus genericè diversos.

39 *RESP.* Gradus vivendi diversos solùm desumi quasi radicaliter à diversitate animarum; proximè verò ex diversis modis generalibus habendi vitam, qui separatim existere possunt, & quatuor sunt, vt ex præcedentibus constat. Ea namque solùm habent vitam, quæ se ab intrinseco movent: cumque animata quatuor præcipuis modis se moveant, quadrupliciter etiam sunt censenda potissimùm habere vitam. Multiplicitas autem animarum non sumitur ex multiplicitate modorum vivendi, sed penes actuationem diversam corporis organici secundùm tres perfectiones potissimas vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, quæ communi Philosophorum acceptione primatum ac celebritatem omnibus sæculis obtinuerunt. Ideoque Aristoteles rationabiliter assignavit triplex animarum genus, & quatuor vivendi gradus.

40 *AD Confirm.* fateor animam purè sentientem separari ab eâ, quæ est principium motus localis strictè dicti. Verùm non ideo prior definit præstare subiecto, sive composito, perfectionem aliquã ex tribus illis potissimis nuper memoratis, quam posterior afferat; sed ambæ in substantia, vt ita dicam, conveniunt, solumque in modo vivendi differunt. Præterea in neutra illarum præ altera invenitur aliquis modus elevationis præcipuus viventium, ex ijs, quos enumeravimus *num.* 27. & 28. quod erat necessarium, vt constituerent diversa animarum genera. Deniq; cùm compertum sit ex vnica radice plura nasci, & plures potentias distinctas genericè ex eadem anima; quid mirum quod ex vnico genere animæ sensitivæ, tanquam radice, oriantur duo præcipui modi habendi vitam, ac proinde duo potissimi vitæ gradus?

41 *CONFIRM.* Ex doctrinâ communi Philosophorum cum Aristot. & D. Thom. in præsenti assignantium generatim quinque potentias præcipuas animatorum; scilicet, vegetativam, sensitivam, appetitivam, loco-motivam, & intellectivam; quamvis radicaliter proveniant solùm à triplici genere animarum. Ergo nihil mirum quòd ex eodem triplici genere proveniant generatim plures præcipui gradus vivendi, quàm tres, ac proinde quatuor. non tamen quinque, quia potentia appetitiva est mutuò connexa cum sensitiva, ideoque pertinet ad eundem gradum. Moneo autem ex eodem S. Doctore in præsenti *lib. 2. sect. 5.* omnia animalia habere sensum tactus, qui inseparabilis est à gradu sensitivo; quamvis non omnia obtineant cæteros sensus, & præcipuè visum, vt appareat in talpa.

DISPVT. SEPTVAG. SEXTA.

DE VITA.

Quid & quotuplex sit?

Num. 1. *CVM Anima definiatur ab Aristotele in ordine ad vitam generatim, vel etiam specialiùs in ordine ad varios vitæ motus, vt patet ex vtraque definitione superioribus elucidata; oportet assignare conceptum essentialem vitæ, qui plures Recentiorum in diversa placita distraxit; eusque multiplicem divisionem inquirere. Id sanè scitu necessarium est, ad plurimas difficultates, tum Philosophicas, tum & Theologicas, excutiendas. Porrò licèt præsens tractatus solùm versetur circa corpus animatum, ideoque non curet de substantijs separatis à materiâ, vt Deo & Angelis; adhuc tamen hæc disputatio exagitari non potest, nisi examinemus generatim, in quo consistat vniversalissima vitæ ratio; sive, quod perinde est, quid sit vivens prout distinguitur à non vivente. quod solus ille facilè sibi expediendum putabit, qui rem hanc nunquam ex professo discusserit, vt plerumque fieri solet. Ea verò difficultate superata, expeditior erit via ad varia vitæ genera cognoscenda & dividenda. Potest & solet excitari controversia hæc à Recentioribus in eadem loca Aristotelis, ac præcedens, & in pleraque alia huius tractatus.*

SE-

ECTIO PRIMA.

Sententia Ariſtotelis, & Antiquorum, de ratione formali vitæ conſiſtente in motu ab intrinſeco, adverſus quoſdam Recentiorum accuratius ſolito ſtabilitur, & multipliciter roboratur.

2 PHILOSOPHVS Libro 8. Phyſicorum *cap.* 4. *textu* 31. negat grauia & leuia moueri à ſeipſis, redditque rationem, ζωτικόν τε γὰρ τοῦτο, καὶ ἔμψυχων; *eſt enim hoc officium vitæ, & animantum proprium.* Quod ipſum ferè repetit in præſenti *lib.* 1. *de Anima cap.* 2. *textu* 19. & *lib.* 2. *textu* 13. Idque antea tradiderat Plato *lib.* 10. *de Legibus*, & *in Phædro*, vbi inquit: ὃ μὲν γὰρ ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον· ὃ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ, ἔμψυχον. *Quod enim ab extrinſeco movetur, id inanime eſt: quod verò intrinſecè ex ſeipſo, id animatum.* Conſentit D. Thom. in relata Ariſtotelis loca, & pluribus alijs: idque in cauſa fuit, vt cæteri Philoſophi, tum Veteres, tum & Recentiores, communiter ferè conſtituerint rationem eſſentialem viuentis, quatenus generatim diſtincti à non viuente, in eo quòd ſeipſum moueat ab intrinſeco; & ſimiliter rationem vitæ actualis, vniuerſim loquendo, in motu à principio intrinſeco ſe mouente. Quare immeritò Oviedus *controu.* 2. *punct.* 2. *num.* 6. hanc ſententiam ſolis adſcribit Thomiſtis, additque eam communiter à Doctoribus alijs reijci, Potiùs enim pauciſsimi, & Recentiores ſunt, qui eam reijciant, infrà allegandi, & faciles numeratu; cæteris è Societate, ſubſcribentibus eidem ſententiæ Platonis, Ariſtotelis, & D. Thomæ. Legendi præſertim Conimbricenſes 8. *Phyſic. cap.* 4. *quæſt. vnica art.* 2. eruditiſsimus Ruiz de Montoya *tomo de Trinit. diſp.* 6. *ſect.* 8. Sancta Crucius in hoc tractatu *num.* 323. Hanc ipſam ſententiam ex profeſſo roborare curabimus: quia ab aliquibus non tam impugnatur, quàm ſpernitur aut riſui habetur.

3 *PORRO* Omnes in hac controuerſia vt certum ſtatuimus, Deum, Angelos, homines, bruta, imò & plantas omnes (quamvis de his nonnulli negent, infrà reijciendi) viuentia eſſe, & vitam habere: quia de Deo & Angelis conſtat, tum ex doctrina reuelata, tum & naturali ratione, intellectualem vitam agere. De hominibus palam eſt vitâ rationali, ſimul & ſenſitiua, ac vegetatiuâ, præditos eſſe; ſicut & bruta duobus hiſce poſtremis vitæ generibus. Ideoque *diſp. præced. num.* 34. referebamus illud Philoſophi: *Vita in animalibus manifeſta eſt.* Quare tota difficultas præſens vertitur circa aſsignandam definitionem aliquam omni vitæ communẽ; non tam vt cognoſcamus, quibus entibus conueniat viuere; quod manifeſtum eſt; quàm vt in communi innoteſcat, quid ſit ipſa vita, ſiue hoc quod eſt viuere.

4 *ASSERO* Itaque primum & vniuerſale diſcrimen viuentium à non viuentibus eſſe, quòd ab intrinſeco ſe moueant. Hoc enim commune eſt omnibus, qui vitam habent, ſiue increatã, ſiue creatam, ſeu intentionalem, ſeu phyſicam, vt ex ſeipſis habeant moueri, ſeu motione intentionali, ſeu phyſica. Porrò in Deo, cùm nulla ſit mutatio, nec vicisſitudinis obumbratio, nullus etiam motus phyſicus eſſe poteſt; quia hic neceſſariò ſecũ affert mutationem, & paſsionem: vt 3. *Phyſic.* dictum eſt. Quare vt ratio vitæ vniuerſim locum in Deo habeat, dicendum eſt in eo quoque locum habere motionem intentionalem, omnis mutationis expertem. Quam ſanè in eo agnouit Ariſtot. *libr.* 12. *Metaph. c.* 6. & 7. & *lib.* 2. *de Cœlo c.* 3. præſertim ijs verbis: Θεῷ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία, τοῦτο δὲ ἐστὶ ζωὴ ἀίδιος· ὥστε ἀνάγκη τῷ Θεῷ κίνησιν ἀίδιον ὑπάρχειν. *Dei actio, immortalitas. Hoc eſt autem perpetua vita: vt neceſſum ſit Deo motum ſempiternum ineſſe.* Vbi de motu, non phyſico, quem omnis ratio à Deo excludit, ſed intentionali, ſeu motione quantùm ad finem & formam ſimul, ſermo eſt. Nomine enim motionis intentionalis accipitur actus ſiue exercitium potentiæ immanenter operantis, aut ex intentione finis, aut ex præconceptione ſaltem formæ alicuius repræſentantis obiectum ſuppoſito operanti, quorum vtrumque patet habere locum in Deo.

5 Eodem quoque modo vitam Dei definiuit Plato per motum, quo ſeipſum mouet: vt ex illo refert S. Tho. 1. *p. q.* 18. *art.* 3. vbi ipſum explicat de operatione interna, non habente rationem mutationis. Similiter & ex Patribus S. Bernardus *lib. de Lib. arbitrio*, ſic vitam definit: *Vita eſt internus & naturalis motus, tantùm vigens intrinſecus*: ſcilicet, a principio intrinſeco. Noverat autem Bernardus,

nullum motum physicum, seu mutationis comitem, apud Deum immutabilem habere posse locum. Eodem stylo vitam definiunt ex Veteribus Scholasticis Alexander 2. *part. quæst.* 90. 91. & 92. Henricus *Q.* 1. *art.* 29. & ex Recentioribus Toletus *lib.* 2. *cap.* 1. Eximius Suarez *lib.* 1. *de Animâ cap.* 2. & *disp.* 30. *Metaph. sect.* 14. *num.* 14. Quare vt definitio illa communis sit vitæ creatæ & increatæ, debet intelligi ratio motus in summa abstractione, seu quatenus præscindens à motu physico, atque intentionali: quorum vterque verè, licèt analogicè, motus est ab intrinseco; ideoque potuit vnica definitione comprehendi. Sic ens prout analogicè abstrahit ab ente per se & in alio, censetur comprehensum vnicâ definitione, licèt non vsque adeò stricta, quia non constat genere & differentia, nec potest, ratione analogiæ. Ex quibus obiter occursum imus pluribus argumentis, alioqui difficilibus, quibus Richardus Lynceus *lib.* 10. *Physicæ tract.* 1. *capit.* 1. contendit nullam posse assignari definitionem verè ac reipsa communem vitæ physicæ simul & intentionali. Sed tam pro hoc ipso, quàm pro doctrinâ Asserti, oportet audire D. Thomam vbi suprà *art.* 1. sic loquentem: *Illa propriè sunt viventia, quæ seipsa secundùm aliquam speciem motus movent: sive accipiatur motus propriè, sicut motus dicitur actus imperfecti, id est, existentis in potentiâ; sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere & sentire dicitur moveri: vt sic viventia dicantur quæcumque se agunt ad motum vel operationem aliquam.*

6 *RATIO* Doctrinæ huius, quasi à priori, hæc assignari potest: Quia per id constitui censendum est viuens in sua ratione essentiali, per quod primò differt à non viuente: cùm constitutiuum & distinctiuum cuiusque rei sit vnum atque idem. Atqui viuens primò differt à non viuenti, in eo quòd præ illo se moueat ab intrinseco. Ergo per id constituitur in suâ ratione essentiali. Probatur minor multipliciter. *Primò*: Quia nulla alia ratio prior est, neque assignata legitur ab vllo Philosophorum loquente cum fundamento, in quâ viuens differat à non viuente, nisi in eo quòd se moueat, seu potens sit moueri ab intrinseco. Ergo quemadmodum ob eandem causam exploratum habetur hominem propter rationalitatem primò differre ab equo, & quasdam alias species ab alijs; ita in præsenti dicendum est, eam differentiam esse primam viuentis à non viuente. *Secundò*: Quia per id primò viuens differt à non viuente, per quod exprimit rationem principij intrinseci operationum eleuatarum supra operationes non viuentium. At per hoc quod est se mouere ab intrinseco exprimit rationem principij intrinseci operationum eleuatarum supra operationes non viuentium, iuxta varios modos eleuationum explicatos *disputat. præced. sect.* 3. quos præ oculis habere oportet. *Tertiò*: Quia vnicum, aut saltem primum & potissimum signum, quod habemus à posteriori, vt certiores efficiamur, vtrùm aliquid viuat, necne; est vtrùm se ab intrinseco moueat, vel non moueat. Ideoque ex pulsu & respiratione, ac palpitatione cordis, deprehendimus hominem viuere; mortuum autem esse, vbi ea desunt.

7 *IDQVE* Tam constanter omnes sibi persuasum habent, vt quæcumque non se agunt intrinseco motu, inanima censeantur; quæ verò speciem aliquam, siue apparentiam motus ab intrinseco exhibent, viua appellentur, quamuis inanima sint. Ideo Mercurius, vulgò *azogue*, appellatur *argentum vivum*, & quotquot in operationibus suis nimium viuidi sunt, eadem appellatione significari solent. Ideo & exuberantes ac valde irrequieti fluxus refluxusque maris in plenilunij, præsertim autumnalibus, *aquæ vivæ* dicuntur. Sic & præcipitata flumina dicuntur frequenter *viva*. Hinc illud Virgilij: *donec me flumine vivo Abluero*: scilicet, aquâ, non stagnante, aut intermortuâ, sed perenni, & decurrente: quam & Valerius Flaccus 3. Argonaut, *vivam lymphâm* vocat. Ideo & apud Liuium *libr.* 1. Antistes Romanus ita alloquitur Sabinum quendam volentem immolare Dianæ illotis manibus: *Quid iam tu hospes parus incestæ Dianæ facere? Quin tu antè vivo perfunderis flumine? Infima valle præfluit Tiberis.* Ideo denique Hippocrates *l.b. de Aere, loc. & aq.* contraponit aquis viuis, ἑλώδεα, σῆπτικα, λιμναῖα, *palustres, stabiles, lacustres*: sicut & Philo *libr. de Mundo*, τὰ ὕδατα ἀκίνητα, *aquas immotas*, & quæ ὑπ' ἰσχύος νεκρῶται, *instar cadaveris putrescunt*. Ergo ne appellationem quidem viuentis meretur, quod spe-

ſpeciem ſaltem non exhibet motus ab intrinſeco.

8 *SECVNDO* Probatur idipſum ratione deſumpta ex Ariſtotele 8. *Phyſic. cap. 4. textu* 29. vbi probat gravia & levia non moveri à ſeipſis, ſed ab extrinſeco generante: quia gravia & levia non habent, niſi vnicum motum; priora quidem deorſum, & poſteriora ſurſum: omne autem quod ab intrinſeco ſe movet eo ipſo capax eſt diverſorum & oppoſitorum motuum. Quare infert, veluti abſurdum: *Si collocatum eſſet in igne ſe movere ſurſum, eſſet in ipſo ſitum, deorſum etiam ferri. Metas quoque rationis egreditur, & vno motu dumtaxat à ſeipſis moveri, ſi ipſa ſeipſa moveant.* Cuius doctrinæ veritas inductione patet in omnibus viventibus. Primò namque Deus, Angelus, & homo, mente ac voluntate præditi, poſſunt habere diverſos & quoddadmodo oppoſitos actus, vt affirmandi & negandi, volendi & nolendi, amandi & odio habendi. Bruta etiam, quamvis poſita in eiſdem omnino circunſtantijs eodem modo ſe habeant, ob defectum arbitrij; variatis tamen circunſtantijs, diverſos & oppoſitos actus immanentes eliciunt. Modò enim eſuriunt, aut nauſeant: modò ſitiunt, aut faſtidiunt potum: modò ira, modò voluptate, atque alijs eiuſmodi motibus agitantur. Plantæ denique, quæ infimum vitæ gradum obtinent, modo terræ humorem per poros attrahunt, modò expelluntnunc creſcunt & augentur, poſtea abſque vllo ſui augmento intra ſtatum perfectum ſe nutriunt & continẽt: vere floreſcunt, & poſtea, excluſis floribus, frondeſcunt, ac fruteſcunt. Igitur omnia, quæ vivunt, ab intrinſeco ſe movent ad diverſos & oppoſitos actus.

9 E contrà vero accidit in rebus inanimatis, ſeu non viventibus: quæ ex natura ſua non habent niſi vnicum motũ, illumque receptum ab agente extrinſeco iuxta ipſorum naturam. Ideo nullum eſt corpus aut ſidus cœleſte, quod per ſe cieatur, niſi vnico motu, quia nullum eſt illorum, quod vitæ particeps ſit: vt ſæpe tractatu præcedenti ex profeſſo probatum eſt. Ideo nullum ex elementis eſt, quod naturali motu cieatur, pluſquam vno: gravia quidem ad mediũ mundi, ſive deorſum: levia autem à medio mundi, id eſt ſurſum. Idemque eſt de omnibus mixtis inanimatis, ſeu non viventibus; vt lapide, & ligno, quæ nullum motum naturalem habent, niſi deorſum. Ergo viventia vniverſim differunt à non viventibus, quatenus ſe movent præ ijs ab intrinſeco, & quidem non ad vnicum, ſed ad diverſos & oppoſitos actus.

10 *CONFIRMATVR* Ratio eadem, & ſimul præcluditur obiectio ſolemnis apud Adverſarios deſumpta ex motu gravium & levium corporum, quæ ipſi aiunt ſe movere ab intrinſeco, quamvis viventia non ſint. Argumentor ita ex Ariſtotele. Omne quod ſe movet ab intrinſeco, eo ipſo multipliciter atq; oppoſitis modis ſe movet. At nullum inanimatum, ſeu non vivens, eſt, quod multipliciter atq; oppoſitis modis ſe moveat. Ergo nullum animatum, ſeu non vivens, eſt, quod ſe moveat ab intrinſeco. Ergo viventia differunt vniverſim à non viventibus, quatenus præ ijs ſe ab intrinſeco movent. Secunda conſequentia ſequitur planè ex prima, & hæc ex vtraque præmiſſa, quia ſyllogiſmus eſt in *Cameſtres*. Minor patet experimento in quibuslibet inanimatis, ſeu non viventibus, vt nuper oſtenſum fuit: palamque eſt gravia inanimata, ſolùm habere motum connaturalem deorſum, levia ſurſum, cœleſtia in circulum.

10 Maior verò præcipua, non ſolùm expreſsè traditur ab Ariſtotele vbi nuper, & inductione probata eſt, ſed etiã ratione à priori ſuaderi poteſt in hunc modum. Omne quod ab intrinſeco ſe movet, eo ipſo habet virtutem ſibi propriam & principalem, qua ſeipſum moveat intrinſecè & immanenter: quia ſi hanc non habet, movebitur ab alio, ſeu virtute alterius tantùm. Omne autem quod habet virtutem ſibi propriã & principalem, quà ſeipſum moueat intrinſecè & immanenter, eo ipſo poteſt ſe mouere multipliciter, atque oppoſitis modis: quia eo ipſo habet quaſi in ſua poteſtate, quãuis non libera, ſed ſolùm naturali, moueri aut quieſcere, & ſubire hunc motum, vel oppoſitum. *Secundò* probatur eadem maior. Omne quod ſe mouet per virtutem propriam & principalem, eo ipſo conſtituitur quaſi ſui iuris, vt permanens in ſuo ſtatu connaturali ſe moueat ſic, vel aliter, aut quieſcat. *Tertiò*. Omne quod mouetur vnico motu, ideo mouetur, vt adæquatur ſtatum ſibi debitum à generante: vt patet in gravibus & levibus.

At omne quod se movet ab intrinseco per virtutem principalem, non se movet vt assequatur statum sibi debitum à generante, sed potiùs vt se perficiat in suo statu connaturali iam recepto. Ergo omne quod se movet ab intrinseco per virtutem principalem, nõ movetur vnico motu. Ergo se movet multiplici motu ac diverso.

11 *DICES.* Lapis, quamvis inanimatus sit, subit varietatem in motu: tũ quia ex sublimi monte cadens diversis tramitibus descendit in centrum, & velociùs in fine, quàm in principio ac medio. E contrà, possibile est verum vivens, quod tamen vnico modo operationis se moveat: quia in eo nulla repugnantia apparet. Ergo neque res inanimatæ alligantur vnico motui, neque viventibus opus est, vt extendantur ad plures. *RESP.* lapidem, quamvis ruentem è monte diversis tramitibus, & velociùs in fine, quam in principio, non ideo subire, nisi vnicum specie motum, immò & vnicum in individuo, nisi ille interrumpatur ob inæqualitatem partium montis. Nullum autem vivens est possibile, quod vt minimùm non vivat in infimo gradu vitæ vegetativæ. Hæc autem necessariò affert plures actus diversos nutritionis & augmentationis, aliosque nonnullos disponentes ad vtramque: vt dictum est tractatu de Generat. *disp.* 53. *sect.* 1. De ijs autem, quæ vita sensitiva, aut etiam intellectiva gaudent, manifestius est necessariò exigere potentiam ad diversos actus cognoscendi, & appetendi: & oppositum, quod aliqui Recẽtiores censent absolute possibile, proprio loco confutabimus.

12 *TERTIO* Probatur ratione aliàs petitâ ex Aristot. vbi suprà. Omne quod se ipsum movet ab intrinseco, eo ipso habet partem, aut quasi partem per se moventem, & partem aut quasi partem per se motam. At quidquid est huiusmodi, eo ipso est vivens, & distinctum à non vivente. Ergo omne quod se movet ab intrinseco, eo ipso est vivens, & distinctum a non vivente. Consequẽtia patet; & maior similiter ex illo principio: *Quidquid movetur, ab alio movetur.* Cùm enim nihil possit simul ac per se esse in potentia & in actu respectu sui motus, oportet vt in omnibus, quæ ab intrinseco se movent, sit pars aliqua, ratione cuius per se moveant cæteras, & aliæ partes, quæ per se ab eà moveantur. De quo abundè diximus in Physica *disp.* 40. per totam. Minor autem principalis suadetur. Quidquid habet partes, quorum aliqua per se moveat, & aliæ per se moveantur, eo ipso constat partibus, aut quasi partibus per se loquendo heterogeneis, seu diversæ rationis ex propria naturâ: quia si omnes essent eiusdem rationis & naturæ, nulla præ alia esset per se movens. At omne quod constat partibus per se loquendo heterogeneis, per se loquendo est vivens, & proinde distinctũ à non vivente. Necesse est enim vt habeat ex natura sua corpus organicum, si sit agens corporeum: aut si incorporeum, vt constet diversis perfectionibus, & quasi partibus requisitis, tum ex parte potentiæ tum & ex parte obiecti, vt vivat intelligendo, & amando. Ergo quidquid habet partem aut quasi partem per se moventẽ, & partem per se motam, eo ipso est vivẽs & distinctum a non vivente.

13 *CONFIRMATVR* Discursus præiactus, simul & præoccupatur celebris obiectio in motu gravium ac leviũ, qua plures Recentiorum actum esse volunt de sententia Aristotelis, quamvis inmerito. Solùm illud se movet ab intrinseco, quod habet partem per se moventẽ, & partem per se motã. At nullum corpus inanime, sive cœleste, sive elementare, sive mixtum, grave, aut leve, habet partem per se moventem, & partem per se motã. Ergo nullum corpus inanime ex prędictis se movet ab intrinseco. Ergo iure ac meritò Arist. distinguit vivẽtia seu animata à non viventibus in eo quod se moveãt ab intrinseco. Vtraq; consequẽtia est evidens, & maior nuper probata fuit ex illo principio: *Quidquid movetur, ab alio movetur.* Minor autem probatur: Quia nullum corpus inanime, sive cœleste, sive elementare, sive mixtum, grave, aut leve, per se loquendo, constat partibus diversæ rationis, seu organicis; sed solùm partibus homogeneis, seu eiusdem rationis: quod patet in qualibet sphæra cœlesti, sidere, elemento, lapide, ligno, &c. Omnes enim illorum partes sunt homogeneæ, & de singulis illarum prædicatur tota ratio speciei suæ. Ergo nullum corpus prædictorum est, quod habeat partem per se moventem, & partem per se motam.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones difficiles in oppositum expediuntur. Vbi de motu gravium & levium, & de emanatione passionum à natura.

18 EX Dictis *sect. præced.* occurri potest pluribus obiectionibus, quibus nonnulli Recentiorum invehuntur contra sententiam Aristotelis, hucusque roboratam : ideoque aliter rationem formalem viventis ac vitæ explicant, tot modis inter se dissidentibus, vt vix omnes possint vnica disputatione comprehendi, ac refutari. Præcipuos illorum proferam & impugnabo breviter postea. Nunc placet argumenta in oppositum exhibere, ac diluere.

19 *OPPONVNT I.* Gravia & levia, quamvis inanima sint, seu non viventia, se movent ab intrinseco circa proprium locum : quia se movent ratione gravitatis & levitatis sibi intrinsecæ, & motum ipsum, atque vbicationem per illum productam, in seipsis immanenter recipiunt. Ergo se movere ab intrinseco non est propria ratio viventium, quatenus differunt à non viventibus. *RESP.* iuxta dicta nuper, & *disp. Physicæ 39. sect. 4. per totam*, & *disq. 40. à num. 22.* gravia & levia non moveri active & principaliter à seipsis, sed solùm à generante. Illud enim eo ipso quòd ijs dederit formam, dedit etiam cõsequentia ad formam, ac proinde perfectionem ipsis debitam in primo instanti generationis : qualis est quies in proprio centro respectu omnium gravium & levium. Quòd si illam non dederit, ipsi agẽti incumbit præstare ijs virtutem, quà postea eius nomine illam assequantur. Quare omnis motus localis illorum ad centrum adquirendum tribuitur semper generanti, etiam absenti, aut distanti, vt causæ principali : gravitas autem & levitas non sunt causæ principales, sed solùm instrumentariæ virtutes eiusdem motus. Vnde Arist. lib. 4. de Cœlo c. 1. textu 2. dixit, corpora grauia & levia in seipsis habere ζώπυρα, ἢ τὰ ἐνεργητικὰ, *incitamenta & fomites* motus; eo ipso indicans, gravitatem & levitatem non esse causam motus præcipuã, sed ministerialem, sive coadiutricem principalis agentis. Lege Conimbricenses 8. *Phys. c. 4. q. 1.* per totam, vbi rem optimè expediunt.

20 *INSTANT* Adversarij multipliciter. *Primò.* In effectu vnivoco, v. g. in igne genito ab alio igne, æqualis est virtus & levitas, ac in igne generante ; & alioqui levitas ignis geniti est ipsi proximior, quam levitas ignis generantis, vtpotè iam extincti, aut absentis. Ergo potior ratio est, vt motus sursum ignis geniti tribuatur ipsi, veluti causæ principali, quàm igni generanti. *Confirm.* Quando lapis ruit ad centrum, generans sæpe abest, aut iam non existit in seipso. Ergo ille motus in ijs circunstantijs potiùs tribui debet causæ existenti & vicinæ, quæ est ipse lapis gravitate præditus, quàm generanti. *Secundò.* Non minùs anima recipit à generante suas potentias, quàm corpora gravia & levia recipiant à generantibus suam gravitatem & levitatem. At nihilominus anima, medijs potentijs, movetur nomine proprio, & veluti causa principalis activa. Ergo & eo non obstanti gravia ac levia, medijs gravitate, & levitate, moventur ad centrum nomine proprio, & vt causa activa principalis. *Tertiò.* Quando lapis ruit in centrum, datur motus aliquis de novo in rerum natura existens, atque adeo aliqua vera & stricta causalitas effectiva, sive actio productiva vbicationis per eum motum adquisitæ. Ergo illa debet provenire principaliter à virtute proxima concurrente ad motum, quæ est gravitas ipsius mobilis.

21 *AD I.* Respondere aliquis posset, quamvis ignis generans & genitus sint eiusdem rationis, adhuc hunc moveri in virtute illius titulo generationis, quà semel ab eo processit. Debet enim à generante suo collocari in suo connaturali statu. Verùm in oppositum est, quòd nec ignis generans alium ignem, neque aliquis alius ignium, habet virtutem principalem, quà se ipsum moveat : vt constans est in nostrâ sententiâ. Ergo neque habet virtutem principalem ad movendum alia à se : ac proinde ignis genitus non movetur in virtute agentis vnivoci, qualis est alius ignis; sed virtute agentis æquivoci & vniversalis, quale est corpus cœleste : quod semper adest, & concurrit in genere causæ principalis ad motum gravium & levium, sicut & ad motum omnem sabcœlestem, vt *disp. 70. & 73.* dictum est. Cùm autem neque ipsum Cœlum habeat vim intrinsecam principalem, quà se moveat ab intrinseco, vtpote omni vita carens;

oportet-

oportet ipsum considerari, non seorsim ab impulsu Intelligentiæ motricis, sed quatenus ab eo agitatum, & constitutum in actu primo, tum vt moveatur, tum & vt moveat alia à se in genere causæ principalis. Virtus autem, per quam Cœlum proximè movet gravia & levia, est ipsa gravitas & levitas ipsorum, quatenus dependens ab eodem Cœlo, & veluti eius instrumentum.

22 *AD II.* Disparitas est, quia anima recipit à generante suas potentias, non vt medijs illis obtineat, vel assequatur aliquã perfectionem sibi debitam in primo instanti sui esse ab ipso generante: sed vt adaugeat intrinsecam perfectionem, quam accepit, & quærat sibi vlteriùs accidentalẽ immanentium operationum. Gravia autem & levia accipiunt gravitatem, & levitatem à generante ex alio fine: nimirum, vt quietem in centro sibi debitam ab ipso pro primo instanti assequantur; non autem, vt sibi comparent vlteriorem perfectionem, quæ ipsis à principio indebita fuerit. Ex quibus plane sequitur gravia, & levia non moveri à seipsis, sed nomine generantis, vt principalis causæ: secus verò animam medijs potentijs.

23 *AD III.* Diximus in Physicâ *disp. 15. à num. 36.* quoties aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, intervenire strictam actionem causarum vniversalium, quæ tamen stricta non est, sed simplex emanatio relatè ad substantiam aquæ. Sic etiam *disp. 39. n. 34.* monuimus, & modò confirmamus, intervenire strictam actionem causarum vniuersalium in motu grauium & levium ad centrũ, vi cuius ponatur in rerum naturâ ipse motus, & vbicatio: attamen non esse actionem strictam, sed emanationem simplicem respectu corporum gravium & levium; vtpotè circa assecutionem proprietatis alicuius ijs debitæ, quæ est quies in centro. Sic & in sententia satis recepta idem actus voluntatis, est motio stricta & vera illius actio, simulque metaphorica relatè ad finem. Quare sicut essentia non est causa stricta principaliter operativa suarũ proprietatum, neque operans virtute propriâ, sed solius generantis; sic neque gravia, & levia respectu sui motus.

24 *SED* Vrgebis ex doctrinâ Adversariorum multipliciter. *Primò*: Quia etiam prima operatio ex natura rei est debita Angelo, tanquam ipsius proprietas, vtpotè sine quâ longè minùs esset in statu sibi debito & connaturali, quàm grauia & levia sint extra centrum. Ideoque S. Thomas, & cum eo plerique Theologorum, aiunt primam operationem Angeli non potuisse existere deformem, quia illa speciali titulo processit à Deo, qui debuit eum collocare speciatim in actu primæ operationis. At nihilominus certum est, illam processisse ab Angelo vt à principali causâ, se movente per illam. Ergo quòd quies in centro sit ex naturâ rei debita gravibus, tanquam ipsorum proprietas, non excludit quòd ab ijs proveniat, vt à principali causâ se mouẽte. *Secundò*: Quia etiam motus cordis tribuitur generanti, quoniam est proprietas, aut quasi proprietas cordis: vt docet D. Thomas *Opusc. de motu cordis*. Et tamen cor est causa principalis actiua suorum motuum constrictionis, & dilatationis, vtpotè viuens medio vtroque vere & propriè. Ergo quòd quies in centro sit proprietas grauium & leuium pro primo instanti, non impedit vtraque esse causam principalem suorũ motuum. *Tertiò*, & consequenter. Si cor se ipsum principaliter movet ad producendũ motum cordis, quamvis sit ipsius proprietas: ergo & quælibet essentia, quamvis inanimata, poterit se mouere principaliter ad productionem suarum proprietatum: & per consequens hoc quod est se mouere principaliter & ab intrinseco, non est proprium viuentium, sed commune etiam non viuentibus.

25 *AD I. RESP.* Primam operationem non esse debitam Angelo, vt strictam proprietatem (quod idem de speciebus Angelo infusis tradi solet) quia est eiusdem rationis, & speciei cum subsequentibus, quas constat illius proprietates non esse. Dicitur tamen, & verè dicitur tribui Deo vt speciatim applicanti, ac debenti applicare Angelum ad primam operationem, quoddammodo sicut generans dicitur esse causa specialis motus grauium & leuium: non tamen similitudine omnimodà. Nam Angelus speciatim quidẽ applicatur (quod sufficit ne actio illa turpis esse possit, quoniam speciatim Deo adscribitur) sed tamen applicatur ad operationem, quam ex seipso quærit, veluti superadditam suæ creationi, & ex proprijs habentem, vt suprà dicebamus. Quare semper verum est, Angelum se movere principaliter eliciti-uè ad illam, quamvis non applicatiuè, vt

in

in inſtantibus ſubſequentibus. Grauia autem, & leuia ne hoc quidem modo ſe mouent: quoniam quies in centro eſt ipſis debita, vt proprietas & complementũ ſtrictum ſuæ generationis: ideoque non a ſe ipſis cientur ad quærendam illam, veluti perfectionem vlteriorem; ſed à generante, quod debuit ea à principio in centro collocare, ſaltem mediatè.

26 *AD II.* Patet ferè ex eàdem doctrina. Quando enim dicitur cor nõ moueri à ſe ipſo, ſed à generante, intelligendum eſt de motione applicativà, non autem elicitivà: quia hanc verè habet cor à ſeipſo in genere cauſæ principalis, vtpotè verè viuens vtroque motu dilatationis, & conſtrictionis. Quod non obſcurè colligitur ex Ariſtotel. *lib. de Motu Animal. in fin.* Verùm hoc ſpeciale eſt cordi præ Angelo, quòd hic ſolùm egeat ſpeciali illà applicatione Dei moventis ad primam operationem, quoniam ſola illa eſt quaſi proprietas illius, & veluti corollarium creationis; non autem ad operationes ſubſequentes, quarum plenum dominium habet, & à quibus non pendet in ſuo eſſe. Motus autem cordis, tam pro primo generationis inſtanti, quàm pro ſubſequẽtibus, eſt quaſi proprietas ipſius ſpecialis, à quà neceſſariò pendet in ſuo eſſe: ideoq; ſemper tribuitur ſpeciatim generanti, veluti applicanti, quamvis elicitiuè à ſolo corde proveniat. *Quaſi proprietas*, dixi: quia ſtricta proprietas nulla eſt, quæ non exigat ſimul produci cum eſſentià, à quà dimanat. Certum autem eſt motum cordis non produci ſimul & in eodem inſtãti cum ipſo corde: quia hoc, ſicut & omnia compoſita ſubſtantialia, tam viuentia, quàm non viuentia, incipit in inſtanti intrinſeco; in quo tamen non incipit, ſeu nõ exiſtit in ſeipſo aliquis motus ſucceſsivus, qualis eſt omnis motus cordis. De quo vide quæ diximus *in Phyſicà, diſp. 38. ſect. 1. & 2.*

27 *AD III.* Conſtat ex doctrinà nuper traditâ, motum cordis non eſſe ſtrictam ipſius proprietatem: ideoque locum eſſe, vt moueat ſeipſum elicitiuè, quamvis nõ applicatiuè, ad illam quærendam, & ex proprijs habendam. Nulla autem natura ſic ſe habet reſpectu ſtrictarum proprietatum, ſiue à principio illas obtineat, ſiue poſtea amiſſas in debito gradu recuperet. Vnde obiter ſoluta manet obiectio de aqua ſe reducente ad priſtinam frigiditatem, quà plerique ex Adverſarijs actum eſſe putant de noſtra ſententia. Præter enim ea, quæ circa hoc diximus locis Phyſicæ ſupra indicatis, dicimus emanationẽ illam (adhuc permiſſo quod eſſet ſtricta aquæ ipſius actio in caſu obiectionis) non procedere ab aquà ſe movente ab intrinſeco in genere cauſæ principalis, ſed ſolùm tanquam ab inſtrumento, quod virtute ac nomine generantis agit in frigiditatẽ ipſi aquæ debitam à primo inſtanti, vt ſtrictam proprietatem.

SECTIO TERTIA.

Impugnantur varij modi exponendi rationem formalem vitæ, excogitati à Recentioribus, quatenus à communi & præiacta doctrinà recedunt.

28 QVAMVIS Vtràque ſectione præcedenti, & præſertim priore illarum, probaverimus communem ſententiam ijs rationibus, quæ fortaſſe aſſenſum mereantur, & non ita facilè eludi poſsint; adhuc oportet aliorum opiniones, quatenus à noſtra differunt, referre ac refellere. Et prætermiſſo quòd plerique Adverſariorum teneantur ijſdem ferè difficultatibus occurſum ire, quas nobis obiecimus, vt conſideranti palam erit, adhuc pergimus ad alias ſpecialiores ijs opponendas.

29 *PRIMO* Petrus Hurtado *diſp. 3. ſect. 2.* aſſerit rationem viventis conſiſtere in eo quòd producat terminũ immanentem, & non vtcumque immanentem, ſed ob naturalem exigentiam, qua ipſe poſtulet oriri ab intrinſeco. Ideoque ait, naturam non vivere per productionem ſuarum proprietatum, quamvis immanentium: quia, nimirum, illæ non exigunt ex intrinſeca ratione oriri à natura, ſed indifferentes ſunt, vt ab intrinſeco, vel extrinſeco producantur.

30 *SED Contrà I.* Nulla enim eſt proprietas ſtrictè dicta, & in quarto modo proprij, quæ intrinſecè non exigat oriri ex naturà ipſa, cuius proprietas eſt, ſiquidem cum ea, vt radice, neceſſariò conectitur. Cumque ſingulæ quatuor qualitates primæ in ſummo gradu ſint ſingulorum elementorum proprietates ſtrictæ, ijſque naturaliter immanentes ex intrinſeca ipſarum naturà; omne elementum pro-

propriè viuet per ſingularum productionem. quod abhorret Hurtadus, & meritò. Deinde & rationalis animus viuet per emanationem intellectus & voluntatis, poſitâ veriore ſententia, quæ vtramque potentiam realiter ab animâ diſtinguit: ſiquidem vtraque naturaliter exigit emanare ab ea, & immanere in ipſa. Conſequens verò abſurdiſsimum eſſe, vel ex eo patet, quòd in anima rationali pro priori naturæ ad vtramque potentiam nulla poſsit eſſe operatio vitæ, niſi ſpiritualis; ac proinde intellectio, aut volitio. Repugnat autem animam pro priori naturæ ad intellectum ac voluntatem intelligere, aut velle, vt ex ſe conſtat. Ergo & repugnat animæ pro illo priori omnis operatio vitæ.

31 *CONTRA II.* Quidquid ſit de proprietatibus, an per ſe exigant oriri ab intrinſeco, certum eſt operationem, ſeu emanationem, quâ illæ oriuntur à natura, exigere intrinſecè, immò & fortè eſſentialiter, ab ea naſci, atque in ipſa manere. Idemque eſt de emanatione grauitatis & leuitatis à grauibus & leuibus. Nulla autem ratio eſt, vt quælibet natura viuat per productionem termini ab intrinſeco exigentis immanere & ab eâ naſci, quin & viuat per actionem emanationẽve, intrinſecè exigentem ab eâ naſci & in ipſa recipi. Ergo quælibet natura viuet per emanationem ſuarum proprietatum, & ſimiliter gravia ac leuia per emanationẽ grauitatis & leuitatis; imò & per motum naturalem deorſum ac ſurſum intrinſecè exigentem in ijs naſci & recipi.

32 *CONTRA III.* Quia non videtur repugnare viuenti, vt viuat per terminum ſibi additum ab extrinſeco: vt patet in arbore viuente per ramum ſibi inſitum; & in animali viuẽte per partem ſibi recèns abſciſam, ſi ſtatim applicetur à chirurgo, ac proinde ab extrinſeco. Deinde, motus localis à virtute progreſsiva animalis proveniens, eſt maxime vitalis. Et tamen terminus illius, adhuc poſt primam viuentis generationem, eſt indifferens vt producatur ab intrinſeco, vel ab extrinſeco. Nimirum, illud ipſum *vbi*, quod fuit productum motu progreſsiuo vitali in ſpacio A, potuit extrinſecè provenire ab aliquo impellente. Ergo de primo ad vltimum ratio viuentis non conſiſtit in eo quòd producat terminum ita immanentem, vt natura ſua exigat oriri ab intrinſeco.

33 *SECVNDO* Arriaga *diſp. 2. ſect. 1.* poſt multipliciter impugnatos modos dicendi aliorum, tandem *ſubſectione 5.* ſtatuit nõ poſſe aſsignari communem aliquam definitionem, ſive conceptum, qui conveniat omnibus & ſolis viuentibus, quatenus differunt à non viuentibus. Quare duplicem rationem formalem vitę aſsignat: alteram, quam appellat intentionalem, Deo, Angelis, hominibus, & brutis convenientem, ratione cognitionis & appetitus eliciti: alterã, quam vocat phyſicam, convenientem plantis, & quibuslibet vegetabilibus, quatenus ſe nutriũt per intus ſumptionem; & in hoc ait, diſtingui vegetabilia ab igne, atque alijs non viuentibus, quæ nullatenus ſe augent aut nutriunt per intus ſumptionem, ſiue, quod perinde eſt, ſumẽdo alimentum intra poros; ſed ſolùm per aggenerationem, ſeu iuxta poſitionem.

34 *VERVM* Prædictus Author, poſt adeò prolixam rei diſcuſsionem, videtur adhuc reliquiſſe indeciſam præcipuam difficultatem, quâ omnes vrgemur. Non enim quærimus, quænam actiones ſint vitales in ſpecie loquendo, ſiue quænam habeant rationem vitæ. Hoc enim manifeſtum eſt de actibus cognitionis & appetitus eliciti, ac vegetationis plantarum, & communiter ſupponitur in præſenti. Difficultas autem eſt, cur ij omnes motus, ſiue intentionales, ſive phyſici, prę alijs rerum inanimatarum, ſeu non viuẽtium, habeant rationem eſſentialem vitę. Dicat aliquis motum grauium & leuium ad centrum, aquæ ſe reducentis ad priſtinam frigiditatem, ignis ſeipſum aggenerantis per ſolam iuxta poſitionem, eſſe vitalem non minùs, quàm motum plantæ ſe nutrientis per intus ſumptionem. Quomodo iuxta Arriagam refellendus erit, niſi aſsignata primùm ratione aliqua vitæ in communi? Aut quomodo ſuadebitur, motum illum, quem Arriaga appellat vitam intentionalem, eſſe veram vitam, niſi ratio veræ vitæ in communi aſsignetur? Dicat alius bruta quidem ſentire, hominem diſcurrere, Angelos intelligere: ſed tamen adhuc neget eos viuere. Qua ratione naturali probabitur oppoſitum, & oſtendetur, illos motus eſſe veras operationes vitæ?

35 *TERTIO* Alij cum Molina *1. p. q. 18. art. 1.* aiunt rationem vitæ conſiſtere ſolùm in illo motu ab intrinſeco, qui

qui convenit rei prout iam conſtitutæ in ſuo eſſe connaturali. Vnde & videntur ſibi ſufficientem rationem aſsignare, ne natura vivat per productionem ſuarum proprietatum, nec gravia, aut levia per motum in centrum: quia, ſcilicet, quamvis ſimpliciter à ſe ipſis moveantur; ante productionem & motum prædictum non ſunt conſtitutæ in ſuo eſſe connaturali.

36 *SED Contrà I.* Sequitur ex hac opinione, Deum non vivere per cognitionem ſui neceſſariam: ſiquidem hæc non præſupponit Deum iam conſtitutũ in ſuo eſſe connaturali. Quæ illatio æquè ferè vim habet, ſi cum frequenti Theologorũ ſententia dicatur, cognitionem Dei neceſſariam erga ſeipſum eſſe attributum, aut proprietatem ipſius; ſive cum alijs non paucis ſupponatur, Deum conſtitui metaphyſicè per actualem intellectionem. Vtrumvis enim ſtatuatur, certum eſt Deum non præſupponi conſtitutum in ſuo eſſe connaturali ante perfectionem, quà conſtituitur eius natura, aut ſaltem proprietas, ſive attributum. Et ſanè multò magis exigit Deus ſecundùm ſtatum connaturalem intelligere ſeipſum, quàm natura creata exigat ſuas proprietates. Ergo quemadmodum natura creata non vivit, niſi pro poſteriori ad proprietates; ita etiã, in opinione Molinæ, nec Deus vivet, niſi pro poſteriori naturæ ad cognitionem neceſſariam ſui ipſius. Conſequens autem, quàm abſurdum ſit, nemini non obvium eſt.

37 *CONTRA II.* Si movere ſe ab intrinſeco non ſufficit ad rationem vitæ, nec etiam ſufficiet motum ipſum convenire rei, poſtquam conſtituta eſt in ſuo eſſe connaturali. Si enim ignis v.g. ſe movet ab intrinſeco, dum aggenerat ſeipſum, & cauſat in ſe vnionem continuativam cum alijs partibus ignis à ſe producti; ſanè totum id habet poſtquam eſt conſtitutus in ſuo eſſe connaturali. Neque enim, niſi poſt integram ſui generationem, & receptionem omnium proprietatum ſibi debitarum à generante, ſeipſum adauget. Ergo ignis verè ac propriè vivet. Idemque eſt de quolibet elemento ſymbolo, aut diſſymbolo, dum convertit in ſe aliud, iuxta dicta ſuprà *diſput. 60. & 61.*

38 *QVOD* Enim Spinula, eiuſdem ferè opinionis aſſertor, ait *diſp. 1. ſect. 1. art. 1. n. 7.* igni debitum eſſe pabulum & nutritionem à generante, quia nequit ſine ijs conſervari, ideoque ignem nullatenus vivere; non ſatisfacit. *Primò*: Quia etiam planta nequit conſervari ſine pabulo & nutritione, vt patet. Et tamen non ideò generans debet ipſi dare pabulum nutritionemvè; ideoque motus nutritionis in planta eſt proprius actus vitæ. Ergo quamvis ignis ſine pabulo & nutritione conſervari nequat, adhuc neutrum illorum debetur ipſi a generante; ideoque ignis dum ſeipſum nutrit, aut quaſi nutrit, exercebit proprium actum vitæ. *Secundò*: Quia quanquam ignis moveatur ſurſum virtute ſolius generantis, vt cauſæ principalis, iuxta ſuperiùs dicta; non tamẽ auget ſeipſum, aut convertit alia elementa in ſe, virtute generantis, ſed propria & principali, quà comburit, ſeu ignit. Ergo per actum combuſtionis & aggenerationis movetur ab intrinſeco, vt in præiacta opinione ſupponitur: & cùm aliunde iam præſupponatur in ſuo eſſe connaturali, vivet verè & propriè ignis.

39 *QVARTO* Oviedo *controverſia 2. §. 4. n. 27.* ſic ex propria ſententia definit vivens in actu primo: *Principium actionis ex ſuâ eſſentiâ immanentis, quæ ſupponat aliud præter purum activum & paſsivum principium illius, reſpectu cuius immanens dicitur.* Vitę autem in actu ſecundo hanc adhibet definitionem num. 32. *Operatio immanens ex conceptu eſſentiali, quæ aliquid aliud ſupponit, præter principium activum & paſsivum illius, cui immanens dicitur.* Licèt verò idem Author membratim vtramque definitionem exponat, & ab argumentis in oppoſitum vindicare conetur; adhuc plura in eam opponi poſſunt. Et potiſsimũ apud me eſt, quòd vtraque definitio adeo obſcura & prolixa ſit ad notiſsimam rationem vitæ explicandam, vt multo interprete, multò commentatore egeat. Ridiculum verò eſt, vt definitio, quæ eſt oratio explicans naturam rei, & proinde notior debet eſſe ſuo definito, longè ignotior ſit, & pluribus explicationibus opus habeat. Quare obſtineo ab alijs impugnationibus, & ijs præſertim, quibus Spinula vbi ſuprà *à num. 5.* adverſus illam invehitur. Ex eodem capite reijcitur aliorum definitio, æquè obſcura, & Cimmerijs ferè tenebris involuta, aſſerentium, vivens eſſe, *quod habet prædicatum ab intrinſeco per ſe ſpeciali titulo abſtrahente à ratione perfectionis debitæ.* Si autem plures eius impugna-

nationes desideras, adi Richardum Lynceum vbi suprà *à n.* 21. vbi latè & subtiliter illam refellit. Mitto alios dicēdi modos, quia plurimi sunt, & omnes ex prædictis facilè refutari possunt.

SECTIO QVARTA.

Proponitur modus exponendi discrimen viventium à non viventibus, satis probabilis, & aliquantulum diversus à communi, suprà statuto.

40 ITAQVE Insistendum est in sententia à principio disputationis statuta, quam adhuc suo tempore antiquam, & à maioribus acceptam, testatur Aristot. in præsenti *lib. 1. cap. 2. textu* 19. & 20. Et libr. de Animalium motu comparat animal, seu vivens, civitati bene constitutæ, quæ proinde nō eget externo Principe ad sui gubernationē: sic nec vivens motore externo ad munia vitæ obeunda. Idemque præter alios à principio allegatos docet, ac veluti certum supponere videtur Cicero de Somno Scipionis, dum inquit: *Inanimatum est omne quod motu cietur externo: quod autem animatum est, id motu cietur interiori: namque hoc est natura propria animæ atque vis.*

41 VERVM Hæc eadem communis sententia paulo aliter defendi posset, & fortasse faciliùs, asserendo, viventia & non viventia distingui per ordinem ad operationem in seipsis: ita, vt vivens sit, quod aptum est se movere, non vt adquirat sibi mediante motu perfectionem à principio debitam, sed vt in eà se intrinsecè perficiat: cæterùm non vivens sit illud, quod, si vtcumque aptum est moveri, solùm est, vt medio motu comparet sibi perfectionem à principio debitam, extra quam invenitur. Quæ doctrina & expositio videtur expressa S. Thom. *1. p. quæst.* 18. *art.* 1. vbi cùm obiecisset sibi, omnia corpora naturalia vivere, quia habent in se principium alicuius motus, saltem localis; sic respondet ad secundum: *Corporibus gravibus & levibus non competit moveri, nisi secundum quod sunt extra dispositionē suæ naturæ; vtpote cùm sunt extra locum proprium: cùm enim sunt in loco proprio & naturali, quiescunt. Sed plantæ, & aliæ res viventes, moventur motu vitali, secūdùm quòd sunt in sua dispositione naturali: non autem in accedendo ad eam vel recedendo ab eà: immò secundùm quòd recedunt à tali motu, recedūt à dispositione naturali.* Ita etiam Averſa *q.* 43 *sect.* 8. & Didacus de la Fuente Hurtado *disser.* 12. *cap.* 5. vbi rem breviter ac subtiliter de more elucidat.

42 NEQVE Ad hoc discrimen constituendum opus est alia definitione viuentium diuersa, aut prolixiore, quàm à principio statuta. Hoc enim ipso quod viuens definiatur *principium potens se movere ab intrinseco*; sufficienter in eo exprimitur, quòd sit iam in dispositione debita sibi à principio, ideoque non moveatur ad eam adquirendam medio motu, & alieno nomine, id est, generantis; sed proprio nomine ac virtute quærat sibi perfectionem vlteriorem, non debitam ab alio. E contra verò per omnia accidit in non viuentibus: quæ posita in loco & dispositione sibi debita, nullatenus se movent, sed quiescunt. Quare vbi extra dictum locum aut dispositionem sunt, mouentur quidem: verùm nomine generantis, vt comparent sibi perfectionem debitam à principio: idque, siue opus sit actuali influxu generātis, siue non, sed sola virtute in ijs relicta. Vnde facilè occurri potest ad obiectiones suprà propositas & solutas *sect.* 2. ex motu gravium & leuium, ac similiter aquæ se reducentis in pristinam frigiditatem. Nō enim mouentur in loco seu dispositione sibi debitā, sed potiùs vt eam adquirant: quod planè obstat ad rationem viuentis.

43 SI Autem opponas, inde sequi, nec Deum ipsum dicendum viuere per cognitionem sui necessariam, siquidē pro priori rationis ad illam nondum concipitur in dispositione sibi debita, vt nos suprà *num.* 36. contra Molinam arguebamus: *RESP.* Negando sequelam: quia pro priori rationis ad cognitionem necessariam sui non debetur Deo dispositio aliqua de genere operationis, nec à seipso, neque ab aliquo generante, quod nullum est relatè ad Deum. Quare Deus viuit per cognitionem prædictam, quia se movet intentionaliter per illam, non adquirendum sibi perfectionem aliquam pro priori signo debitam, sed ad perficiendum seipsum vlteriori perfectione vitæ actuans. Quod si verò opinionem Molinæ hoc ipso modo ac sensu explices, satisfacies quidem illi obiectioni: & modus hic exponendi sententiam vix ab eo differet, nisi quatenus

nos

nos nẽgamus rebus inanimatis motum ab intrinseco simpliciter, quem illa opinio tuetur. Quare S. Thomas loco nuper exscripto non dixit, corporibus gravibus & levibus competere, vt se moveant, sed vt moveantur: quia perpetuò & constanter ijs negavit motum ab intrinseco simpliciter loquendo.

44 *VERVM* Oppones duplicem instantiam contra hanc doctrinam. *Prima* est: quia stat optimè in vivente aliqua operatio vitæ, quę tamen non supponat in eo dispositionem naturæ debitam: vt patet in augmentatione vegetabilium, quæ a principio non videntur esse in debita naturæ dispositione, ac magnitudine, quam tamen sibi vitali modo adquirunt. *Secunda* procedit ex eo, quòd aliquid inanimatum, seu non vivens, postquam est in debità sibi dispositione, se movet ab intrinseco: vt patet in argento vivo, quod fusum in terrā non quiescit, sed irrequieta ebullitione fluctuat.

45 *RESP.* Neutram ex instantijs vrgere. Non primam: quia dispositio naturalis, in qua debet supponi vivens, vt se moveat, solùm debet esse illa, quę ipsi debita fuit pro primo generationis instanti, qualis profectò non est quæ postea adquiritur, sive quò ad magnitudinem, sive quò ad naturæ vigorem. Nec etiam secundam: quia motus ille argenti vivi est à generante, instar motus gravium & levium. Procedit enim ex nimia eius gravitate ac fluiditate præ alijs metallis; quæ omnia, excepto auro, illi supernatant. Porrò dum ratione nimiæ gravitatis suæ ponderat, sive gravitat in terram, aut tabulam, in qua funditur; aliunde ratione fluiditatis conatur sese colligere in globum, sicut guttæ aquæ supra pulverem fusæ. Quare ratione vtriusque motus quoddamodo oppositi, & adiuvante aère quoddammodo, assiduam ebullitionem patitur. Nunquam itaque se movet ab intrinseco, nisi specie tenus.

(::)

SECTIO QVINTA.

Potissima difficultas adversus omnes sententias hucusque relatas, ex nutritione & augmentatione ignis. Vbi an de ratione vitæ in actu secundo sit immanentia?

46 *SED* Restat adhuc, retenta quacumque opinione ex memoratis, difficultas gravis in igne: qui, etiam postquam constitutus est in debito statu, ac dispositione, videtur mouere se ab intrinseco dum media calefactione & combustione seipsum nutrit & auget; & quidem virtute principali ac propria, vt omnibus in confesso est. Ergo & eodem modo operatur ac se movet ab intrinseco. Et tamen viuens non est. Ergo aliquid operari, & se mouere principaliter ab intrinseco, etiam postquam est in statu sibi connaturali, ac dispositione debita, non est proprium viuentis, quatenus differt à non viuente. Et, præter solutionem Spinulæ relatam atque impugnatā sup. *n.* 38.

47 *RESPONDEBIS I.* ex communi ferè sententia, ignem non vivere, nec intentionaliter, quia caret cognitione & appetitu elicito; nec physicè, quia non se nutrit, nec auget per intussumptionem, sed solùm per iuxta-positionem. Non enim sumit alimentum seu pabulum intra poros, nec distribuendo illud per omnes partes subiecti, vt fit in vegetabilibus: quæ proinde dicuntur vivere medio nutritionis motu; sed solùm aggenerat, & extendit se ipsum, per vnionem cum alijs partibus ignis.

48 *AT* Licèt doctrina huius solutionis vera sit, & à nobis latiùs explicata *disp.* 53. *de Gener. sect. vlt.* adhuc non satisfacit. Quia, vt supra statuimus, ratio vitæ communissima abstrahit ab intentionali & physica, solumque exprimit motum à principio intrinseco, iuxta varias expositiones motus iam memoratas, & independēret à specialibus vitæ generibus. Ergo si illa cōmunissima ratio conuenit igni, vt obiectio probare nititur; ignis verè movebitur per actum vitæ, qualiscumque ea sit. Quemadmodum si argumento aliquo solidè probaretur chimæram existere independenter ab intellectus fictione, probaretur pariter illam esse verum & reale ens: nec satisfaceres, si singillatim velles reddere rationē in oppositū, ne chimæra

sit substantia vel accidens; nisi vlteriùs ac directè ostenderes, chimæram non existere in rerum naturâ independenter ab omni fictione intellectus.

49 *IDEO* Secundò dices cum alijs, ignem non viuere, quamvis propria virtute se nutriat & augeat; quia non operatur immanenter, sed eius operatio transit in passum exterius, quod sibi per aggenerationem vnit. Calefactio enim, quâ disponit passum, vt illud postea in se conuertat, recipitur in passo, ligno v. g. & similiter combustio, quâ vltimo conuertit lignum in se, recipitur in materia ligni: ac proinde neutra est operatio immanens, vt oportebat ad rationem viuentis, siue mouentis se ab intrinseco. Hoc enim exigit intrinsecè recipere in se operationem ipsam, qua viuit.

50 *VERVM* Solutio hæc difficilis est ex multiplici capite. *Primò*: Quia potentia nutritiua plantæ, etiam præsuppositis suo connaturali statu, non videtur determinata ad operandum immanenter: siquidem præsuppositis calore, humore, & cæteris qualitatibus concurrentibus ad nutritionem, potest operari transeunter omnes dispositiones requisitas in passo, antequam illud vniat sibi, & similiter substantialem formam chyli per se præsuppositam ad nutritionem. Et tamen potentia nutritiua plantę, adhuc prout producit eas dispositiones, & formā chyli, est vitalis. Ergo potentia vitalis ex se non est determinata ad operandum immanenter, ac proinde potentia nutritiua ignis non desinet esse vitalis ex eo quòd non operetur immanenter. *Secundò*: Quia siqua est operatio immanens in potentia nutritiua plantæ, maximè illa, qua materiam alimenti iam vltimo dispositā sibi vnit sub propria formâ substantiali. At etiam potentia nutritiua ignis materiam pabuli vltimò dispositam sibi vnit sub propriâ formâ substantiali: vt quando seipsum aggenerat per combustionem stupæ, & conversionem in novam partem ignis sibi intimè vnitam. Ergo si ex prædicto capite potentia nutritiua plantæ operatur immanenter, etiam potentia nutritiua ignis: ac proinde vel vtraque viuet per eam operationem, vel neutra.

51 *DICES*, Actionem, quâ ignis seipsum aggenerat, nō esse naturâ suâ immanentem, sed abstrahere ex ratione specifica ab eo, vt vniat suo subiecto, aut non vniat ignem per eam productum. Eadem enim specificè est actio, quâ ignis cōburit stupam proximam, & aliquantò remotā; licèt vi prioris vniat sibi materiam stupæ sub eādē formâ continuatā, & non vi posterioris. At verò actio nutritiua, quâ viuēs vegetat, ex suâ ratione formali & specifica immanens est. Quare sola hæc est operatio propria vitæ.

52 *SED* Instat difficultas contra solutionem hanc: quia saltem actio, quâ ignis seipsum aggenerat, prout terminata ad vnionem continuatiuam prrtis adductæ cum igne præexistente, est necessariò immanens. Non enim producit ignis eam vnionē, nisi in se, ac proinde media actione in se receptâ. Responderi tamen posset, id esse accidentale prædictæ actioni producenti vnionem, quoniam posset esse actio transiens, & tamen eam vnionē producere. Pone etenim supra lucernam duas stupas æquè distantes, & inter se non vnitas, quæ accendātur, & flamma vnius copuletur flammæ alterius. Tunc lucerna per actionem transeuntem producit eam vnionem cōtinuatiuam vtriusque flāmæ, quæ eiusdem rationis est cum unione, quam ignis in se producit, dum seipsum aggenerat.

53 *ADHVC* Tamen vrget obiectio: Quia licet possit actione transeunte produci in igne vnio eiusdem speciei cum ea, quam adquirit media sui nutritione; non tamen illa numero vnio, quam per nutritionem adquirit. Ergo saltem illa numero actio productiua vnionis intra vnum ignē cum alio, est immanens. Ergo ignis per eā se mouet ab intrinseco & immanentèr; ac propterea viuet. Ita sanè viuit animal, & immanenter operatur, dum medio motu progressiuo adquirit determinatam vbicationem; quamuis posset alium eiusdem speciei adquirere medio alio motu sibi non vitali, nec immanenti, in eodem loco; scilicet, si impelleretur ab altero mouente in locum eundem.

54 *CONFIRM. 1.* Præcipua difficultas: Quia eadem potentia nutritiua plātæ, quâ vegetat in seipsa, est quâ generat aliā similem intra eādem speciem, & in vtroque munere exercet rationem potentiæ vitalis. Atqui nō generat aliam similē per actum immanentem, sed transeuntē. Generatio enim, & omnis actio creata quæ est simul cū motu physico, non recipitur in agente, sed in passo, vt in Physica *disp.*

19.

19. *ſect.* 2. ſtatutũ eſt. Ergo dato quòd potentia nutritiva ignis non operetur per actionem immanentem, ſed tranſeuntem, adhuc operatio eius erit vitalis.

55 *CONFIRM. II.* Motus, quo vnus homo impellit alium violenter, eſt ipſi vitalis: vtpotè elicitus à potentiâ vitali loco-motiva, & a principio intrinſeco ſe movente, vt moveat aliud. At motus ille non in movente manet, ſed tranſit in paſſum: quia ſoli paſſo communicat effectum formalem *pulſi*, ſeu *proiecti* violenter ab vno loco in alium; non autem movent: ſicut ſuprà *diſput.* 70. *num.* 36. ex Ariſtotele obſervavimus, omnes motus quibus Cœli inferiores primo mobili ciẽtur, ſive per ſe, ſive per accidens, in ipſis recipi. Ergo ſtat optimè motum eſſe vitalem, abſque eo quòd maneat in movente, & quamvis tranſeat in paſſum.

56 *VIDES* Difficultatem pluribus irretitam nodis, quam expedire ſeriò & ex profeſſo non poſſemus, niſi diſputatio vltra modum prolixa redderetur. Ego certè nec in Ariſtotele, nec in D. Thoma invenio expreſſum fundamentum ad aſſerendum, omnem actum vitæ debere eſſe immanentem. Solùm docent, omnè id quod ab intrinſeco ſe movet, eſſe vivens. Inſtantiæ autem vſque modò adductæ videntur probare, poſſe ac ſolere viventia ſe movere ab intrinſeco, quamvis motus in ijs non recipiatur, ſed tranſeat in exteriorem materiam; & è converſo ignem ſe nutrire, ſeu augere per actionem immanentem, quamvis vivens non ſit. Igitur nec de conceptu actionis immanentis videtur eſſe vitalitas, nec de ratione actionis vitalis eſt immanentia. Præterea omnes motus gravium & levium ſunt immanentes, & tamen vitales non ſunt. Videtur itaque diſparatè quoddammodo ſe habere vitalitas operationis ad immanentiam, & è contrà.

57 *QVARE* Aliter quoddammodo poſſumus occurrere difficultatibus præiactis. Primò aſſerendo cum Authoribus nuper impugnatis, omnem operationem immediatam & primariam viventis, quatenus vivens eſt, debere eſſe naturâ ſuâ immanentem: non tamen operationem ſecũdariam, ſive motum mediatum. Porrò omnem operationem immediatam & primariam viventis, vt talis, debere eſſe ex ſe immanentem, ſuadetur: Quia omnis operatio immediata & primaria viventis, vt viventis, eſt operatio vitæ, ſeu vita actualis. Atqui omnis operatio vitæ, ſeu vita actualis, debet eſſe immanens per ſe. Ergo omnis operatio immediata & primaria viventis, vt viventis, debet eſſe per ſe immanens. Probatur minor ex definitione iam ſtatuta & receptâ vitæ, quòd ſit *motus à principio intrinſeco ſe movente per illum*: quæ ſanè definitio, vt & aliæ omnes, debet accipi in ſenſu formali. Atqui in ſenſu formali motus a principio intrinſeco ſe movente debet eſſe per ſe immanens eidem principio. Ergo omnis operatio vitæ, ſeu vita actualis, debet eſſe immanens per ſe. Probatur minor: Tum, quia principium intrinſecum in ſenſu formali, ſive quatenus intrinſecum eſt, ſolùm poteſt intrinſecè moveri, atque adeò per motum ſibi intrinſecum: Tum etiam quia principium activum, quod intrinſecè non recipit ſuam operationem, non mutatur, nec movetur propriè per illam. Aliàs Deus moveretur, viveretque per operationes creatas, in opinione eorum, qui aiunt Deũ extra ſe operari actionibus formaliter tranſeuntibus. Tum denique, quia movere ſe ab intrinſeco denotat perficere ſe intrinſecè per propriam virtutem & operationem: quod ſanè immanentiam motus oſtendit.

58 *IN* Operatione autem, ſive motu, qui ſolùm mediatè & ſecundariò provenit à vivente, non vrgent eædem rationes, vt immanens ſit: quia non movetur ab intrinſeco vivens mediate eiuſmodi motu, neque eſt immediatum exercitium viventis, aut quo ſeipſum intrinſecè perficiat; ſed tantùm quo movet alia a ſe, vel in ea operatur. Sic intellectus, voluntaſque divina, quamvis nequeant immediatè determinari, aut quaſi determinari, & perfici primariò, niſi per actus intellectionis volitionisque increatæ; adhuc nihilominùs agunt in inferiora hæc media cauſalitate, ſive operatione creata, ſimul cum cauſa ſecunda. Eadem namque operatio cauſæ ſecundæ, prout pendens à Deo, habet rationem concurſus ſimultanei: vt diximus *in Phyſica diſputat.* 16. Sic etiam licet habitus Logicæ ſcientificus nequeat immediatè & primariò perfici, niſi per actũ, qui ſit ſcientia formalis; adhuc poteſt habere, & de facto habet plures actus ſecundarios, qui formalem ſcientiæ perfectionem non attingunt. Sic denique, vt plura alia omittam, licèt

actus primarius substantiæ debeat esse in eodem genere cum illa, scilicet, existentia per se; non tamen actus secundarius, qui est operatio, & ad lineam accidentis spectat. Ratio omnium a priori est, quia nulla potentia, scientia, aut virtus operativa specificatur, seu constituitur essentialiter, nisi in ordine ad actum primarium: ideoque cum eo solo strictam commensurationem exigit; non autem cum secundario actu, sive mediato.

59 *HINC* Occurri potest breviter obiectionibus propositis *à num.* 50. asserendo, primarium actum potentiæ nutritivæ, scilicet, conversionem alimenti vltimò defæcati in totam substantiam aliti, & per intus sumptionem (iuxta dicta *tract. de Generat. disp.* 53. quæ maximè observanda sunt) esse per se loquendo immanentem, recipique in ipso vivente, à quo elicitur. Id tamen non prohibet quod alij actus secundarij eiusdem potentiæ, & disponentes ad actum primarium, vel ordinati ad perficiendum subiectum extraneum, sint transeuntes: qualis videtur esse productio formæ chyli, & alij actus prævij à nobis observati loco nuper indicato, atque insuper actio ipsa generativa in se & formaliter considerata. Non enim perficit generans in seipso, sed procedit immediatè à substantia & virtute feminis non vivente in se: quæ duo repugnant actioni vitali, aut primariæ viventis. Solùm itaque generatio potest dici propriè vitalis præsuppositivè, quatenus vivens, priùs quàm generet, vitali modo elaborat intra se portionem aliquam substantiæ ac virtutis generativæ, quæ postea virtute ipsius concurrit immediatè ad generationem. Cæterum generatio ipsa in se non est vitalis, nisi denominativè extrinsecè à termino vivente: sicut non est in se substantialis, nisi denominativè extrinsecè à termino, qui est substantia. Similiter & motus vitalis, quo vnus homo impellit aliũ, vel lapidem iacit, vitalis quidem est, & immanens potentiæ ipsius loco-motivæ; vtpotè primarius, & à quo illa speciem accipit. Alius verò præterea est motus ab eo causatus in mobili, quod impellitur; & hic non est vitalis, neque immanens moventi, sed mobili, sive passo, cui soli præstat effectum formalem *pulsi*, sive *protecti*.

60 *EX* Quibus omnibus facilè dilues obiectiones præiactas, dicesque, omnem actionem vitalem debere esse motum à principio intrinseco se movente per illum, ac proinde ipsi immanentem: non tamen omnem actionem immanentem per se esse vitalem, nisi & præterea mediante illà agens habeat se movere simpliciter ab intrinseco. Permitto autem quod igni conveniat primum, non tamen secundum, adhuc quando seipsum adauget. Cuius duplex ratio esse potest. *Prima*: Quia licèt ignis operetur & se augeat in genere causæ principalis, non tamen se movet ad operandum, quoniam non habet partem aliquam per se moventem, & aliam per se motam, vt supra *sect.* 1. dicebamus: sed potiùs constat partibus homogeneis, seu eiusdem rationis. Quare solum movetur à causis vniversalibus, vt seipsum augeat.

61 Secunda, quia, vt ostensum est allegata *disput.* 53. *sect.* 5. *à num.* 45. ignis per se loquendo nec indiget pabulo, nec nutritione, nec augmentatione sui: vt patet in sphærà ignis Lunæ proximi, vbi est in statu connaturali, constatque solis duabus qualitatibus symbolis & amicis. Quare quòd se nutriat & augeat solùm convenit ipsi per accidens, sive ratione aliarum qualitatum contrariarum, & circunstantium impedimentorum, quibus in hac nostrà regione ipsi extranea afficitur, & extinguitur. Nihil autem se movet ab intrinseco per eam operationem, quæ sibi solùm convenit per accidens, & præter seũ statum connaturalem. Viventia autem ex propria ratione indigent pabulo, & se nutriunt, atque augent: quia ex conditione propria suæ naturæ constant qualitatibus contrarijs, subeuntque intrinsecam earum pugnam, & activitatem caloris interni, qui, nisi adveniret alimentum ab extrinseco, ageret in humidum radicale, illudque absumeret. Præterea, cùm constent partibus heterogeneis, sive dissimilibus, potest aliqua illarum esse per se movens cæteras ac proinde vivens se movere ab intrinseco ratione eius partis. Plura alia huc spectantia vide eodem loco.

(∴)

SE-

SECTIO SEXTA.

Corollaria ex dictis, præſertim circa diviſionem vitæ in vegetativam, ſenſitivam, & intellectivam.

62 INFERTVR Ex dictis progreſſu totius diſputationis, viuens in actu primo eſſe generatim, & abſtrahendo à creato atque increato, *quod ſe mouet ab intrinſeco*: vitam verò in actu ſecundo, *motum à principio intrinſeco*: abſque eo quòd ſit opus ſuperaddere quidquam aliud. In eà verò communiſsima & analogà ratione abſtrahitur à ratione motus intentionalis, ac phyſici, ſive, vt loquuntur D. Thomas, & plerique Philoſophi, abſtrahitur, tum ab illo motu, qui dicitur *actus imperfecti*, tùm & ab eo, qui *actus perfecti* appellari ſolet. Conuenitque proportionaliter omnibus viuentibus, vnicuique iuxta ſuum modum.

63 *PORRO* Plantis conuenit infimum genus vitæ, ſcilicet, nutritiuæ: quæ vera & ſtricta vita eſt, quidquid olim opinati fuerint Stoici, negantes plantis veram vitam. Ideo illam latè probant in præſenti Recentiores, potiſsimùm ex ſacris litteris, & Patribus, ac præſertim Auguſtino *tom.* 10. *ſerm.* 29. de verbis Apoſtoli, vbi inquit: *Non viuunt ligna arida, & lapides: nos autem viuimus. Sed adhuc nobis idipſum viuere, cum plantis & frutetis commune eſt: dicuntur enim & vites viuere. Nam ſi non viuerent, non dictum eſſet in Pſalmo: Occidit in grandine vineas eorum. Vivit enim vinea cùm viret, areſcit cùm moritur: ſed vita iſta non habet ſenſum.* Et paucis interiectis: *Habemus igitur ipſum eſſe cum lignis & lapidibus: viuere cum arboribus, ſentire cum beſtijs intelligere cum Angelis.* Ratio eſt: quia plãtis conuenit moueri ab intrinſeco, tum ad nutriẽdum ſe per intus-ſumptionem, tum ad ſe augendum, poſt primum eſſe completum à generante acceptum. De quo iam plura, quæ ſufficiant rei illuſtrandæ, dedimus allegata *diſp.* 53 *ſect.* 5. quæ hoc loco fruſtra reponerentur.

64 *SECVNDVM* Genus vitæ, & medium, conuenit omni animali, quatenus ſe mouet ad actus ſenſionis, & cognitionis materialis, per formam, immanentem quidem, ſed receptam à materiali obiecto, & modo materiali, id eſt, cum affixione neceſſariâ ad organum corporeum. Cæterùm quemadmodum diſputatione præcedenti *ſect. vlt.* dictum eſt ſenſitivum & loco-motivum conſtitue duos gradus viuendi, ſeparabiles in quibusdam animalibus imperfectis; ita etiam dici poteſt vitam purè ſenſitiuam ſolorum conſtituere gradum diuerſum à loco-motiua. Aut, ſi placet, dic gradus illos ſolùm accidentaliter diſtingui, ſimiliterque vitam ſenſitiuam à loco-motiua; quia nullum animal eſt quod non habeat motum aliquem localem ab intrinſeco, ſaltem dilatationis & conſtrictionis. Quare animalia in motu locali ſolùm videntur differre penes magis & minùs, ſicut & in hoc quod eſt habere formas obiectorum diſtantium magis vel minùs.

65 *TERTIVM*, Et perfectiſsimum, eſt intelligentium: quæ, quoniam formà & vi cognitiuà ſpirituali prædita ſunt, in ſeipſa reflectunt, & rationes omnino abſtractas a materia cognoſcunt per ſpecies omnino immateriales, ſiue adquiſitas miniſterio ſenſuum, ſiue per ſe inditas: vt in Angelis & animà rationali ſeparatà. Porrò intelligentes ſubſtantiæ magis coniunctum & inſeparabile habent ſuæ cognitionis principium & terminum: quia Angeli, & animæ ſeparatæ, ad cognoſcẽdum ſe non egent ſpecie diſtincta à propria ſubſtantia: animæ autem rationales coniunctæ corporibus, longè tenaciùs apprehendunt ſpecies adquiſitas ſpirituales in intellectu & memoria, quam ſenſitiuas in ſenſu, qui paſsim infirmitati & mutationi ſubiacet.

66 *DENIQVE* Huius ſupremi vitæ gradus ſumma perfectio inuenitur in Deo ſolo: qui, tum ad intelligendum ſeipſum, tum & alia quælibet à ſe, nõ eget potentia, ſpecie, aut intellectione diſtincta à propria ſubſtantia: ſed in illa ipſa, ſolùm penes diuerſas expreſsiones, exercet munus naturæ, intellectus, ſpeciei impreſſæ, intellectionis, & verbi. Quo ſenſu Marius Victor lib. 4. contra Arium dixit: *Viuere Dei non eſt quale noſtrum, ſed eſt viuere ſummum, viuere à ſemetipſo.* Et Ariſtot. lib. 12. Metaph. textu 28. inquit Deum perfectiſsimè viuere, quia eſt ſua actio, ſiue ſuũ intelligere. Verba exhibeo: *Cæterùm vita profectò inexiſtit, ſiquidem operatio intellectus vita eſt: actus verò per ſe illius, vita optima eſt.* Quo etiam loco docuit Deum eſſe immutabilem; vt proinde nemo colligat ex mente Ariſtot. Deum ſubire mutationem, ex eo quòd habeat in ſe motum

vitæ. Est enim motus perfectissimus, qui nullam arguit mutationem. Addunt aliqui ne quò ad modum quidem concipiendi, distingui in Deo actualem intellectionem ab ipsius naturâ, sed metaphysicè per eam constitui. Verùm hæc opinio semper mihi displicuit, & ex professo illam refutabo *tom.* 1. *Cursus Theologici.* Modò Philosophicas res discutienti sufficiat in eam impugnandam, quòd nequeat vitæ divinæ convenire analoga & communissima ratio motus à principio intrinseco, adhuc intentionaliter: quia in prædicta opinione nihil est, quod comparetur ad intellectionem divinam per modum principij intrinseci, seu potentiæ vitalis, adhuc ex parte modi concipiendi, sed primùm omnium apprehendatur ipse motus, aut quasi motus, absque vllo principio, etiam virtuali. Verùm de his legendus Aldrete, etiã quæ spectant ad institutum Philosophicum, 3. *p. disp.* 6. *sect.* 4. in quem casu post elaboratam hucusque disputationem incidimus.

DISP. SEPTVAG. SEPTIMA.

DE INFORMATIONE ANIMÆ.

Vtrùm quidquid est in corpore viventis informetur ab Animâ?

Num. 1. NVLLI *Dubium est, quin omne corpus viventis indefinitè loquendo, & abstrahendo ab his vel illis partibus, informetur seu vivificetur ab animâ: cùm hæc sit actus corporis organici, cui proinde effectum formalem animationis ex propriâ atque essentiali ratione præstat. Difficultas autem est, quænam corporis partes, quæ complementa, seu quoquo modo spectantia ad ipsius integritatem, jubeant immediatam animæ informationem, seu ab eâ vivificentur: in quo est magna vtrimque Philosophorum contentio. Porrò eodem spectat vestigare vtrùm anima verè informet eas omnes corporis partes quæ indubiè vivunt: an potiùs ad vnam aliquam restricta sit, veluti fontem vitæ cæterarum. Habet locum disputatio hæc apud Aristotelem in omnibus locis huius tractatus infrà indicandis,* num. 5. *ac pluribus alijs.*

SECTIO PRIMA.

Animam non informare solùm certam aliquam corporis partem, sed totum corpus. Plures Veterum explicati, aut rejecti, & argumenta soluta.

2 PHILOSOPHORVM Veterũ plures existimârunt, animæ sedem esse in vna aliquâ corporis parte, è qua, veluti centro, regat cætera omnia membra. Illorum placita referunt S. Gregorius Nyssæ Antistes *lib. de Opificio hominis cap.* 12. Cicero 1. *Tuscul. QQ.* Tertullianus *libr. de Animâ cap.* 15. Lactantius *lib. de Opificio Dei c.* 16. alijque plures. Nonnulli animam in capite veluti præcelsa arce posuerunt, è quâ alijs membris præsideret: verùm diuisi sunt in assignanda speciali capitis parte. Hippocratem in cerebro animam collocasse, aiunt nonnulli; sed immeritò, vt pòst apparebit. Hierophilus eam posuit in concavo cerebri, in membranulis Strato, & Erasistratus, Xenocrates in vertice, Strato Physicus, alius a præcedenti, in supercilliorum meditollio: alij denique in diversis partibus capitis. Porrò Platonem ab hac sententia fuisse, quatenus animæ in capite sedem assignat, testatur Alcinous lib. de Doctrina ipsius Platonis *cap.* 23. his verbis: *Animam hominis immortalem à primo Deo suscipientes dij mortalium generum conditores, partes duas mortales illi, vt diximus, adiunxerunt. Verùm ne vis animæ immortalis atque divina*

desi-

deliramentis mortalibus inficeretur, in ipsâ corporis arce sedem eius, vtpote principis omnium, statuerunt. Etenim habitaculum eius caput esse voluerunt, eâ figurâ, quâ mundus est elaboratus. Reliquum corpus huic ad ministerium, quasi vehiculum, subiecerunt. Iracundiæ quippe præcordia: cupidini locum medium inter vmbilicum atque diaphragma: ibique vim eam, quasi furiosum, & agreste animal, ligaverunt.

3 *E* Contrà verò Stoici, non in capite, sed in corde, aut circa cor, animæ receptaculum esse arbitrati sunt. Ita de ijs generatim tradit Plutarchus *lib.4. de Placitis, cap.4.* per hæc verba: οἱ Στωικοὶ πάντες ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ἢ τὸ περὶ καρδίαν πνεύματι: *Omnes Stoici in toto corde, aut in spiritu, qui circa cor est*, scilicet, τῷ ψυχῷ ἐθεντο, *animam posuerunt*. Idem tradit Hippocrates *lib. de Corde*, dum ait: γνώμη γὰρ ἢ τοῦ ἀνθρώπου πέπυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, καὶ ἄθχει τοῦ ἄλλης ψυχῆς. *Cogitatio enim, sive mens hominis, sinistro ventriculo hominis insita est, & reliquæ animæ imperat.* Nec videtur ab ijs dissensisse Tertullianus *vbi suprà*, dicens, *summum in anima gradum, vitalem, & sapientialem, quem ἡγεμονικὸν appellant, certo in corporis recessu consecratum*, scilicet, *in corde: quoniam & inspectorem cordis Deum legimus, & corde credi ad iustitiam, & corde suo vnumquemque reprehendi.*

4 *VERVM* Fortasse mens omnium prædictorum fuit, animam in aliquâ corporis parte potissimùm vires suas ac virtutem præcipuam exerere, quamvis & cæteris partibus adsit, vt vitam præbeat. Quidquid tamen sit de hoc, certum inter Catholicos est, saltem animam rationalem esse totam in toto corpore humano, & totam in qualibet eiusdem corporis parte. Durandus *in 1. dist. 8.* dixit esse fidei dogma. Bañez *1.p.q.76. art. vlt. d.1.* censet oppositum in fide erroneum. Rubius in præsenti *lib. 2. tract. de modo quo Anima informat corpus*, arbitratur esse saltem periculosum in fide. Ac tandem Eximius Suarez hìc *cap.14. num.7.* asserit, sententiam, quæ ponit animam rationalem in toto corpore, esse valde conformẽ doctrinæ fidei in Concilio Lateranensi *sess.6.* vbi docemur, animam rationalem per se & essentialiter vniri corpori humano. Nomine autem corporis humani palam est, non intelligi vnam aliquam partem, quamvis præcipuam, sed totum humanum corpus. Quidquid tamen sit de censura, & abstrahendo nunc specialim ab ijs, quæ spectant ad rationalem animã, & loquendo de animâ generatim, asserendum est, illam secundùm suam substantiã, & essentiam, non in vnâ aliquâ parte, sed in toto viventis corpore residere, totumque corpus penes omnes sui partes integrales & intrinsecas esse verè animatum. Ita omnes Peripatetici, Medici, ac Theologi.

5 *SANE* Aristoteles in hoc tractatu, & plerisque alijs, ita expressè habet. Nam *lib.1. cap.1. textu 9. & cap.5. textu 90.* ac sequentibus, id probat ex professo contra Platonem, qui tres animas distinguẽs ponebat vnam in cerebro, aliam in corde, aliam in iecore: & concludit, vnicam esse animam, per totum corpus diffusam. Idem docet probatque *lib.2. cap.2. à textu 20.* constatque ex definitione præcipuâ animæ, quam assignat capite primo eiusdem libri secundi, per hoc vt sit *actus corporis physici organici*. Non dixit, alicuius organi, sed simpliciter corporis organici: quia eo ipso significare voluit totum corpus diversis organis constans animæ informationem subire. Quæ est observatio S. Thomæ *2. contra Gent. cap.72. & 1.p.q.76. art.8.* vbi id confirmat, quia actus debet esse in eo, cuius est actus, & quod complet atque constituit in certo esse. Anima autem est actus totius corporis, illudque totum complet, atque constituit in certo esse. Ergo anima est in toto corpore.

6 *RATIONE* Idipsum suadetur à priori, & ex ipsâ corporis, sive totius animati, essentiâ, quæ consistit in compositione ex corpore & animâ. Ergo hæc debet esse in toto corpore animato. At totũ corpus animatum, non est caput, aut cerebrum, aut cor, aut aliud membrum speciale, sed totum vivens, totus equus, v.g. totus homo, vt patet. Ergo anima non est in solo capite, aut cerebro, in corde, aut alio membro speciali; sed in toto vivente.

7 *CONFIRM.* Discurrendo per omnes partes viventium, sive purè vegetabilium, vt plantarum, sive purè sentientium, vt brutorum, sive etiam rationabilium, vt hominum. Omnes illæ vt minimùm vegetant, nutriuntur, & augentur per intus sumptionem: multæ earum cognoscunt, aut sentiunt: aliquæ præterea sunt officinæ ad ratiocinandum instituꝛe.

At-

Atqui omnes eæ sunt propriæ animatorum operationes, vt patet, & superioribus statutum est. Ergo omnes partes quorumcumque viventium exercēt proprias animatorum operationes. Ergo & omnes illæ sunt intrinsecè animatæ, atque adeò per animam intrinsecè informantem: quia quod intrinsecè inanimatum est, nequit ab intrinseco vivere, seu exercere operationes viventium proprias. *Præterea.* Nequeunt exerceri operationes vitæ, nisi vbi adest principium proximum & intrinsecum illarum, quod est potentia vitalis operativa. Hæc autem nequit existere, nisi vbi est anima, sive ab ea distinguatur realiter, sive non. Ergo cùm in omnibus partibus viventis exerceantur operationes vitæ, debet ijs inesse potentia vitalis operativa, ac proinde etiam anima. Eam verò esse vnicam in quolibet vivente, ac proinde se indivisim extendere ad omnes illius partes, non est huius loci probare, & plena disputatione seorsim examinabitur.

8 *QVOD* Præmonuisse placuit ne quis fortè occurreret rationi præiactæ, asserendo, vt partes omnes animantium vitaliter operentur, fat esse quòd in qualibet illarum existat propria ac specialis anima vniuscuiusque, quæ proinde in eà sola sedem sibi vēdicet. Oppositum enim modò supponendum est, donec proprio loco probetur. Verùm non propterea opus est asserere, animam in qualibet viventis parte obire omnes functiones vitæ, sed eas tantùm quæ vnicuique partium accōmodatæ sunt. Quamvis enim nulla possit esse vitæ operatio, vbi non est vitalis potentia & anima; attamē potest esse anima & potentia aliqua, vbi non est omnis vitæ operatio, sed quædam tantùm eidem potentiæ conveniens. In oculis enim est quidem anima & potentia videndi, non tamen vitalis audiendi operatio; & è contrà in auribus. In pede quoque hominis est anima & potentia sensitiva ac loco motiva; non tamen cognitio, aut appetitio. Rursus in sententia veriore, quę distinguit realiter potentias, præsertim sensitivas, ab animà, non vbilibet anima est, quælibet potentia sensitiva est, sed in parte aut organo proportionato. Itaque non modò visio, sed nec potentia ad videndum, est in auribus: nec auditus, aut ipsius operatio ineſt oculis, sed auribus tantùm.

9 *OPPONES I.* Quædam testimonia Aristotelis in quibus oppositum docere videtur. Nam *lib. de Iuventute cap.* 1. innuit, animam in certa viventis parte residere. Et *libro de Motu Animal. capit.* 7. tradit non oportere animam esse in qualibet parte animalis, sed sufficere quòd sit in quodam principio corporis, sive primà & præcipuà animalis parte, quam alijs locis ait esse cor: vt constat ex *lib.* 2. *de Partibus Animal. cap.* 1. *& lib.* 3. *c.* 4. Quæ causa fuit Alberto Magno *lib.* 2. *de Animâ tract.* 1. *cap.* 7. vt existimaret, animam secundū essentiam residere in solo corde: secūdùm facultates verò & potentias, etiam in alijs membris. Quare dixit, cor esse organum essentiæ, alia verò corporis membra, esse organa potentiarum animæ. Immò & Andræas Cisalpinus, Aristotelis doctrinā ex instituto probandam suscipiens *libr.* 9. *Peripateticarum QQ. q.* 6. absolutè censet, animam in solo corde sedem habere.

10 *RESP.* Aristotelis sensum in ijs locis debere ita exponi, vt non contradicat sibi in alijs testimonijs suprà *num.* 5. indicatis. Quare cùm ibidem docuerit, animam esse diffusam per totum corpus, superest vt hic solum velit animam speciatim residere in certà aliquà parte animalis, quatenus in eà potissimum exercet operationes vitæ proprias. Licèt enim omnes viventis partes conveniant in hoc, quod est informari ab anima vtcumque; adhuc tamen est diversitas, quatenus contingit in aliquà parte præ alijs residere potentiam vitalem operativam, operationemque, quæ sit veluti fons & origo cæterarum. Hoc sensu asserit Philosophus animam esse in corde, quatenus in eo inchoat exercitium vitæ, indeque diffundit motum in alias partes; quæ ita à corde dependent in suis motibus, vt eo læso, aut divulso, penitus extinguantur. Nimirum, in corde perficiuntur spiritus vitales, quorum ope animalis vita persistit, & cætera membra vitaliter exercentur. Sic etiam licèt lux informet sive illuminet actu quodlibet hemisphærium secundùm omnes partes extimas, adhuc tamen principaliter residet in Sole, veluti principio seu origine totius lucis, quo vtcunque abscondito, vel à moto, nihil lucis diurnæ in hemisphærio maneret.

11 *PRÆTEREA* Ratione specialium potentiarum & operationum sensitivarum, quæ non exercentur in toto corpore, sed in determinato organo, di-

dixit Ariſtoteles ipſe in hoc tract. *text.* 49. animam ſenſitivam non reperiri in oſsibus: ſcilicet, quatenus in ijs nullum videtur elicere actum proprium ſenſionis, quemadmodum in carne: quamvis alioqui, & quò ad operationes vitæ vegetativæ adſit. Idque neceſſarium eſt in eius ſententiâ, iuxta quàm anima ſenſitiva cuiuslibet animalis eſt realiter indiſtincta ab animâ vegetativâ eiuſdem. Ergo cùm hæc ſit diffuſa per totum corpus, vt patet ex nutritione & incremento omnium partium per intus-ſumptionem; conſequens eſt vt etiam ſenſitiva anima quò ad entitatem & ſubſtantiam diffuſa per totum corpus exiſtat. Et ita ad ſenſum patere videtur in animalibus imperfectis, quæ fectilia & annuloſa appellat idem Philoſophus, quoniam diſſecta viuunt, & rediguntſe in annullos, aſsiduâ motione ſecundùm locum, quæ eſt indubia nota animæ ſenſitivæ, in qualibet eorum parte exiſtentis.

12 *INSTABIS.* Anima nequit per ſuam entitatem extendi ad informandũ partes, quæ nullam habent continuationem inter ſe: quia ſolùm eſt forma conſtitutiva vnius corporis continui. Atqui partes aliquæ animalis iuxta Ariſt. nullam habent continuitatem inter ſe; nam *lib. 2. de Part. Animal.* docet, cerebrum nullã habere continuationẽ cum partibus ſenſitivis. Idque communiter tradunt Anatomici: iuxta quorum obſervationem cerebrum obtegitur duplici membranâ, quarum prima & ipſi proximior dicitur pia mater: ſecunda autem, quæ cranium capitis tangit, vocatur dura mater: quare videtur, cerebrum gemino illo quaſi muro diviſum à reliquo corpore non poſſe cum eo continuari. Ergo aliquæ partes ſunt animalis, ad quarum informationem vnica & eadem anima extendi non poteſt.

13 *RESP.* Negando minorem: quia omnes viuentis corporis partes ſunt continuatæ inter ſe, etiam in animalibus, quorum quodlibet eſt vnum numero ſimpliciter, & totum continuum, conſtans vnica anima. Cæterum ad id opus non eſt quamlibet partem ſecundùm ſe totam continuari cum aliâ ſibi proximâ; ſed ſatis ſi per aliquid ſui, vel minimũ, continuetur. Quare non ſolùm carneæ partes continuantur in animali, vt ad ſenſum patet; ſed etiam oſſa dura cum carne molli; idque per ligamina quædam, ſive manifeſta, ſive tenuia, quæ facillimè franguntur, & vix percipiuntur in ipſo actu anatomiæ. Similiter dicimus de cæteris partibus, & de ipſo cerebro: quod licèt non continuetur cum membranis, aut cranio capitis, adhuc veram continuationem habet cum medullâ dorſi, quæ dicitur ſpinalis, & deducitur à cerebro, vt idem Ariſtoteles notat eodem loco, qui nobis obijcitur. Vnde procul ab ipſius mente videtur omnimoda carentia continuationis partium.

14 *OPPONES II.* Et difficiliùs. Quatuor humores, ſcilicet, ſanguis, flava bilis, atra bilis, & pituita, ſunt veræ partes corporis humani; præſertim ſanguis, ſine quo viuere, aut conſervari non poteſt. Similiter licèt non in omnibus animalibus ij humores omnes inveniantur; ſunt nihilominus alij æquivalentes, ſive inſtar eorum. Ideoque vbi nuper *cap. 2.* dixit: *Omnino animalibus alijs dedit naturâ ſanguinem: alijs vice ſanguinis partem eiuſmodi aliam.* In plantis quoque ſunt quaſi humores, per organa diffuſi, ſcilicet, ſuccipor poros attracti, quanquam longè diverſi ad humoribus animalium. Atqui omnes prædicti humores, & præcipuè ſanguis, non informantur ab anima: quia habent rationem alimenti, & alimentum conſtat formâ ſubſtantiali diverſa à viuente, quod ex illo alitur. Ergo non omnes partes corporis viuentis informantur ab animâ.

HÆC Obiectio eſt difficilis, & celebris apud Authores: ideoque oportet illam expendere paullò accuratiùs.

SECTIO SECVNDA.

Sanguinem non informari ab Animâ, ex ſententiâ Ariſtotelis, & probabiliore. Teſtimonia, & rationes illius expenduntur, atque evaſiones Recentiorum præcluduntur.

15 CENSEO Probabiliorem illam ſententiam, quæ docet, ſanguinem non vivificari ab animâ. Ita Ariſt. & D. Thomas locis infra expendendis, Seneca *lib. 2. Natur. QQ. cap. 3.* Albertus Magnus *lib. 3. de Animalibus*, Galanus *lib. 2. de Elementis*, & *lib. 2. de vſu partium*, Theophilus *lib. 2. de Animâ ad textum* 122. Alenſis 2. *p. q. 29. membro 7.* Durandus *in 4. diſt. 44. q. 2.* Scotus *ibid. q. 2.*

Bo-

Bonaventura 1. *p. eiusdem distinct. q.* 1. Richardus *q.* 2. Paludanus *q.* 1. *art.* 1. Capreolus *in* 2. *dist.* 15. *art.* 3. *& in* 4. *dist.* 10. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. Sotus *ibid. q.* 1. *art.* 2. Ledesma *dist.* 44. *eiusdem libri q.* 7. Caietanus 1. *p. q.* 119. *art.* 1. *&* 3. *p. q.* 54. *art.* 2. Conradus 1. 2. *q.* 64. *art.* 1. (quamvis hi duo de sanguine residente in corde oppositum doceant) Suarez *lib.* 2. *de Potentijs Animæ c.* 5. *n.* 6. Vazquez 3. *p. disp.* 36. *cap.* 5. Fonseca 7. *Metaph. cap.* 12. *q.* 1. *sect.* 3. Conimbricenses 1. *de Gener. cap.* 4. *q.* 24. *art.* 2. Rubius 2. *de Animâ cap.* 3. *q.* 8. Granado *de Incarn. l.* 6. *q.* 4. Mæratius *ibid. disp.* 21. Lessius *q.* 5. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 12. vbi testatur esse communem Philosophorum, Medicorum, & Theologorum, Cardinalis Lugo *de Euchariſt. disp.* 8. *sect.* 5. Cornelius à Lapide, Lorinus, & Tenna *ad Hebræos c.* 2. *v.* 14. Aversa *in Cursu Philos. q.* 45 *sect.* 4. Castelvi *in præsenti disp.* 1. *dub.* 11. alijque plures ex omnibus Scholis.

16 *PROBANTI.* Ex Arist. *lib.* 3. *de Partibus Animal. c.* 5. à principio ferè, vbi statuit sanguinem contineri in venis, tanquam in vase. Idemque præmisserat *cap.* 4. præcedenti. Vnde inferunt, ex ipsius mente sanguinem non esse continuatum cum reliquis partibus corporis viventis, ideoque non informari ab eàdem animâ, quia hæc nequit informare, nisi vnicum corpus continuum. Cæterùm hæc probatio infirma est: quia Philosophus ipse eodē cap. 4. expressè docet *sanguinem ex corde ad venas derivari.* Ergo iuxta ea testimonia præcisè, non ita est intra venas conclusus, vt non posset continuari cum corde, a quo profluit. Vnde & subdit statim: *Cor enim statim omnium partium primum consistens, sanguinolentum est.* Præterea & lib. 3. Histor. Animal. cap. 2. eandem doctrinam tradens, inquit: *Ex venis, quasi vase, vniversus sanguis effunditur: quippe qui omnis in venis contineatur, præter exiguum, qui in corde est.* Ergo saltem ille sanguis, qui in corde continetur, non est in venis, tanquam in vase, ideoque continuatus esse posset cum corde. Cumque alioqui ille sanguis exiguus cordis continuetur cum sanguine in venis clauso, hic etiam continuabitur cum ipso corde, nisi aliunde probetur oppositum.

17 *MELIVS* Itaque idipsum suadetur ex eodem Arist. *lib.* 2. *de Partibus Animal. cap.* 3. prope finem: vbi inquit: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est: sed in corde ac venis, quasi vasis, continetur.* Vbi adhuc de illo sanguine, qui in corde est, continuari negat cum carne eiusdē cordis. Suaderique idipsum potest ratione: Quia cum sanguis sit humor valde liquidus, videtur non posse continuari cum partibus solidis venarum, ossium, carnis, cordis, aut iecoris, &c. sicut videmus liquores eapropter non continuari cum vase, in quo sunt. Quo planè reijciuntur, non modò Authores vniversim asserentes, totum sanguinem ab animâ informari, sed etiam qui id negant de sanguine in venis clauso, & affirmant de sanguine defæcato & existente in corde: vt Caietanus, & Conradus, alijque Recentiores. Reijciuntur, inquam: Tum, quia de ipso cordis sanguine negat Arist. continuum esse carni, docetque in corde, veluti in vase, contineri: tum etiam quia, cùm lib. 3. eiusdem Operis cap. 4. expressè asserat sanguinem è corde ad venas derivari, vt nuper vidimus; consequens est, vt totus omnino sanguis sit continuus, atque adeo ab eàdem omnino formâ, sive animâ informetur: quia vnica forma, sive anima, nequit informare, nisi vnicum corpus cōtinuum.

18 *CONFIRM.* Speciatim contra Arriagam, & Oviedum *controv. 7. puncto* 5. alioſque ex Adversarijs, existimantes rarefactionem fieri per admissionem corpusculorum extrinsecè advenientium, quę *solemnia* vocant; condensationem verò per expulsionem eorundem. Eo namque ipso, dum sanguis rarefit intra venas (rarefit autem sæpè) plures eius particulæ, aut ferè omnes, discontinuantur invicem, vtpotè divisæ per interiecta corpuscula. Ergo eo ipso, plures particulæ sanguinis, aut ferè omnes, non vivificantur ab anima: quia hæc non vivificat, nisi vnicum corpus continuum. Quòd si dicas, particulas illas sanguinis, quæ discontinuantur à cæteris, iam non informari ab animâ, sed illas tantùm, quæ manent continuæ reliquo corpori, vt antea; contrà est: Quia hac ratione rarefactio fiet per substantialem corruptionem, scilicet, per mutationem formæ substantialis: nam materia sanguinis, quam antea supponis fuisse sub forma viventis, postea mediâ rarefactione, seu corpusculorum admissione, iam erit sub aliâ formâ non vivente: quæ planè est substantialis corruptio & mutatio. Similiter & condensatio erit generatio sub-

ſubſtantialis mediâ extramiſsione corpuſcutorum, & reditu ad præcedentem formam, vt expendenti conſtabit. Conſequens verò quam abſurdum ſit in omni Philoſophia, patet.

19 *PROBATVR II.* Authoritate, ſimul & ratione deducta ex eodem Ariſt. *lib. 1. de Gener. Animal. cap. 19.* initio fere, vbi inquit: *Sed enim ſanguinem eſſe vltimum alimentum in ſanguinario genere animalium, proportionale autem in exſangui, dictum antea eſt.* Scilicet, idipſum tradiderat *lib. 4. de Partibus Animal. cap. 4.* expreſsè docens, *ſanguinem eſſe vltimum alimentum.* Et cap. 5. immediatè ſequenti, loquens de oſsibus, ait: *Alimentum autem omnibus eſſe ſanguinem, dictum iam eſt.* Idemque habet *lib. de ſomno & vigiliâ, cap. 4. & lib. de Iuvent. & c. cap. 2.* Ex quâ doctrinâ conficitur hoc efficax argumentum. Nullum alimentum animalis informatur ab animâ ipſius. At ſanguis eſt alimentum animalis. Ergo ſanguis non informatur ab illius anima. Conſequentia eſt in modo & figura perfectâ. Minor non ſolùm expreſsè traditur ab Ariſt. locis allegatis vniverſim loquente de toto ſanguine; ſed præterea conſtat ex toto apparatu & progreſſu nutritionis, à nobis explicato *diſp. 53. ſect. 1.* Cibus enim convertitur priùs in ſanguinem (vt alia omittam) virtute hepatis: deinde verò ſanguis diffuſus per venas in omnes corporis partes, convertitur in carnes, oſſa, nervos, & cætera membra animalis. Maior præcipua, in qua videtur eſſe tota difficultas, probatur dupliciter. *Primò:* Quia omne alimentum debet eſſe diſsimile in naturâ nutrienti ſe: vt docet probatque idem Philoſophus *lib. 1. de Gener. cap. 5. textu 37. & 38.* necnon in præſenti *lib. 2. cap. 4. textu 45. & 46.* & omnes Medici ac Philoſophi cum ipſo. At omne quod informatur ab animalis anima, eſt eiuſdem naturæ cum ipſo animali, vt patet. Ergo nullum alimentum animalis informatur ab anima ipſius. *Secundò* ſuadetur eadem maior. Omne alimentum animalis media nutritione convertitur in ipſius ſubſtantiam. At nihil ex iis, quæ informantur ab animâ animalis, convertitur in ipſius ſubſtantiam; quin potiùs eſt ipſamet illius ſubſtantia. Ergo nullum alimentum animalis informatur ab anima ipſius.

20 *RESP.* Hurtadus loco infrà allegando, id, quod vivens eſt, poſſe eſſe alimentum viventis; vt vnum animal alterius animalis; & in eodem animali carnē, quamvis animatam, converti in oſſa, eſſeque illorum alimentum. *SED Contrà I.* Oppoſitum enim probatur efficaciter argumento præiacto, nullaque eius ſolutio adducitur, niſi voluntaria, vt patet. *CONTRA II.* Nullum enim animal immediatè, & in ipſo manens, eſt alimentum vltimum animalis alterius, niſi poſtquam mortuum, & comeſtum, convertitur in ſanguinem animalis ſe nutrientis, vt demum tranſeat in carnem, aut oſſa, &c. Deinde neque caro eſt alimentū oſsium: quoniam hæc ex ſanguine nutriuntur, vt vidimus ex Philoſopho *num. præced.* Præterea, eſto caro convertatur in oſſa, converſio eiuſmodi non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis, penes figuram, duritiem, & lineamenta externa; quæ non ſufficit ad veram & ſubſtantialem nutritionem, quæ fit ex alimento.

21 *VNDE* Confirmatur & inſtauratur argumentum. Eo ipſo quòd ſanguis ſit alimentum animalis, forma ſanguinis debet deſinere ſubſtantialiter, vt tranſeat in ſubſtantiam aliti: quia nutritio eſt ſubſtantialis converſio alimenti in ſubſtantiam aliti, iuxta omnes Philoſophos. At ſi ſubſtantialis forma ſanguinis eſſet eadem, quæ animalis, non deſineret ſubſtantialiter, nec tranſiret in ſubſtantiam rei alitæ, ſed permaneret ſubſtantialiter invariata, atque eadem, vt antea. Ergo eo ipſo quòd ſanguis ſit alimentum animalis, non habet eandem formam ſubſtantialem cum animali: atque adeò non informatur, ſeu vivificatur ab eiuſdem animalis animâ.

22 *RESP. II.* Quiros *diſp. 77. ſect. 1. num. 1.* dupliciter. *Primò*, ſanguinem non eſſe vltimum alimentum animalis, ſed remotum, & mediatum, quod proinde priùs convertitur in alias ſubſtantias intermedias, atque inanimatas, quarum prima dicitur *Ros*, ſecunda *Cambium*, tertia *Gluten*; atque adeò locum eſſe, vt ſanguis priùs extiterit animatus, ac poſtea convertatur ſubſtantialiter in prædictas ſubſtantias inanimatas, antequam in carnē aut oſſa tranſeat. *Secundò* inquit, eſto ſanguis ſit vltimum alimentum, adhuc locum eſſe converſioni ſubſtantiali, ratione partium heterogenearū, quæ diſtinguuntur ſpecificè, ac proinde ſubſtantialiter. Cùm enim ſanguis convertitur in carnē, aut oſſa, à quibus ſpecie ſubſtantiali differt,

ne-

nequit ea conuersio non esse substantialis, quamuis fiat retenta eadem anima, siue substantiali formâ.

23 *SED* Vtraque solutio reijcitur. *Prima* quidem ex eo, quòd sanguis non sit quodcumque alimentum, sed vltimum animalis; vt toties audiuimus ex Arist. Quare si immediatè conuertitur in Rorem, Cambium, & Gluten; aut illa conuersio non est substantialis, sed accidentalis, quæ ad nutritionem non sufficit: aut si substantialis est, Ros, Cambium, & Gluten, sunt partes animatæ per formam animalis: quia alimentum animalis immediatum & vltimum, nequit substantialiter converti, nisi in substantiam ipsius animalis, ac proinde in partes animatas. *Præterea.* Incredibile apparet sanguinem semel animatum conuerti in alias atque alias substantias inanimes, vt postea resultet denique pars animata. Omnis enim progressus naturæ in nutritione tendit ab imperfecto ad perfectionem, & materiã primi alimenti gradatim evehit sub perfectioribus & perfectioribus formis; vtpote proximioribus formæ animalis. Ergo si semel sanguis constat perfectissima formâ animalis, nullus iam est locus vt materia ipsius iterum atque iterum ponatur sub formis substantialiter imperfectioribus, idque in ipso nutritionis progressu.

24 *SECVNDA* autem solutio, quam etiã reddit Oviedo, reijcitur: Quia esto partes heterogeneæ animalis, quæ informantur ab anima secũdùm gradum sentiendi, distinguantur substantiali specie ab ijs, quæ ab ea informantur secundùm gradum purè vegetativum, atque adeò hæ posteriores possent conuerti substantialiter in priores; attamen partes illæ heterogeneæ quæ ab eàdem animâ secundùm eundem gradum sensitivum, aut purè vegetativum informantur, nequeũt specie substantiali differre. Non enim ex parte materiæ, vt patet. Neque etiam ex parte substantialis formæ, quæ vnica formaliter & penes gradum est. Nec denique ex parte vnionis: quæ in omnibus est vna specificè. Ergo eæ partes solùm accidentaliter differunt penes dispositiones, figuram, organa, & potentias proximè operatiuas. Ergo vna earum nequit substantialiter conuerti in aliam, vt requiritur ad veram nutritionem. At si sanguis informatur ab anima equi v.g. informatur vtique ab illa formaliter, aut penes gradum purè vegetativum, sicut ossa; & ita non poterit substantialiter in ossa conuerti: aut penes gradum sensitivũ, quo & caro; ideoq; nequibit substantialiter conuerti in carnem: cuius contrarium admittitur in solutione.

25 *DICES.* Sanguis debetur homini pro eo statu, in quo non est debita nutritio: scilicet, debetur homini in primo instanti animationis, in quo nequit elicere motum successivum nutritionis: debetur quoque post perfectam ætatem, in quâ, iuxta aliquos, non est necessaria nutritio, per se loquendo, & seclusis contrarijs: debebitur denique post resurrectionem, quando iam nullus erit nutritionis locus, nec alimento. Ergo falsò asserimus cum Arist. sanguinem esse alimentum; sic enim solùm deberetur homini, quandiu potest, aut exigit nutriri; non autem in relatis statibus, in quibus aut non potest, aut non exigit. Quòd si verò respondeatur (arguit Quiros vbi suprà) sanguinem non modò esse alimentum, sed etiam aliquid requisitum ad integritatem humani corporis; ideoque mansurum post resurrectionem sub hac posteriori ratione, licèt non sub priore; iam deseritur Aristoteles, qui lib. 2. de Partibus Animal. c. 3. docet, *solùm alimenti gratia datum sanguinem animalibus.*

26 *RESP.* Sanguinem potissimùm deberi homini a primo instanti (sicut & cuilibet animali sanguinarij generis) ex fine nutritionis, quamuis in eodem primo instanti nequeat nutriri: sicuti in primo instanti debetur ipsi potentia nutritiua, & augmentatiua ex fine nutritionis & augmentationis, quamuis in eodem instanti nequeat nutriri aut augeri. Nõ enim exigitur quòd pro omni instãti, immò nec tempore, in quo existit potentia, aut dispositio, aut materia *ex quâ*, alicuius actus, existat ipse actus: sed potiùs, & frequenter accidit, quòd actus sit posterior duratione, & potentia ab ipso generationis momento præsupponatur. Idque etiam patet in sensibus, tum internis, tum & externis cuiuslibet animalis. Quòd si verò ratione alicuius status nouiter superuenientis reddatur impossibilis, aut non conueniens operatio, ad quam potentia erat per se instituta; adhuc manebit ipsa potentia in subiecto ad naturalem illius integritatem. Et hoc modo persistet sanguis in corporibus glorificatis, quamuis per accidens, &

ar-

ratione ſtatus, non exerceat in ijs munus alimentificum & manebunt potentiæ, generativa, nutritiva, & augmentativa. Neque hoc eſt contra Ariſt. qui loco in obiectione allegato non habet illam excluſivã *ſolùm*, relatam à Quiros: ſed tantùm inquit circa finem capitis: *Igitur ſanguinem alimẽti gratiâ datum eſſe hominibus ſanguine prædictis, apertum ex ijs, aliiſque rationibus eſt.* Quare licèt eo potiſsimũ fine natura ſanguinẽ dederit animalibus, non tamẽ ſolo; ſed præterea ab naturalẽ illorũ integritatẽ cui deſerviet poſt ſtatum reſurrectionis.

27 *INSTABIS*: Si ex fine primario nutritionis, quamvis non ſolo, dediſſet natura animalibus ſanguinem; totus ille in ſubſtantiam ipſorum converteretur, & brevi temporis morà manerent exſanguia: quia cùm ſit debito modo applicatus animali prædito virtute activà, & neceſſariâ ad convertendum illum in ſe, breviter totum illum abſumeret. Conſequens autem falſum eſt, vt patet. *Confirm. I.* Si alimentum externum applicetur viventi, non poteſt illud ex eo non nutriri, quia operatur vt cauſa neceſſaria circa alimentum externum. At etiam animal operatur, vt cauſa neceſſaria, & longè potentior, circa alimentum internum. Ergo ſi totus ſanguis eſt alimentũ ipſius, non poterit ex toto illo non nutriri. *Confirm. II.* Licèt vivens abundet ſanguine, non ideo minùs indiget alimento. Ergo quia ſanguis ipſi alimentum non eſt. Alioqui enim poſſet nutriri ſanguine, ideoque minùs egere externo alimento.

28 *RESP.* Negando ſequelam: quia vis activa caloris naturalis in animali finita eſt, quamvis neceſſariò operans, & præterea invenit reſiſtentiam in qualitatibus conſervativis ſanguinis, ne totum illum abſumat, ſed illam ſolùm partem ſanguinis, cui prævalet in activitate, & quæ ſufficiat vltimo animalis nutrimento. *AD I. Confirm.* retorqueo inſtantiã: Quia ſi multũ externi alimenti applicetur animali, non poterit operari vis converſiva in totum illud, ſed ſolùm in partem viribus inferioxẽ, & quę vincatur à calore naturali. Vnde homines helluones, & ingluvici dediti, paſsim ſuffocantur, & opprimũtur à nimio cibo. *AD II.* dico, quamvis animal abundet ſanguine, adhuc egere externo alimento, iuxta proportionem caloris naturalis, quo vltimo convertit ſanguinẽ in ſuam ſubſtãtiam, & eo ceſſante imminuendũ iri ſanguinem, quoniam hic mediatè fit ex alimento externo. Quod luculẽter docet, ac probat Ariſt. vbi nuper, dicens: *Quamobrẽ, quoties cibus non ingeritur, ſanguis deficit: quoties ingeritur, augetur. Et ſi alimenta bona aſſumuntur, ſanguis integer eſt, ſi prava, vitioſus.*

26 *CONFIRM.* Præcipua probatio à poſteriori: Quia in ſanguine, præter rationem alimenti, nullum munus vitæ deprehenditur, nullumq; eius ſignum apparet, ſicut nec in alijs tribus humoribus. Non enim ſentiunt, vt experimento patet quoties inſenſibiliter emittimus ſanguinem, quamvis ille fluat, commoveaturq; per totius corporis venas; & obſervat Ariſt. locis ſupra allegatis. Sed neque etiam nutriuntur augenturvè per intus-ſumptionem, ſed ſolùm ab extrinſeco, ſive ab alijs membris, præſertim ab hepate, qualiter augetur aqua per aliam atque aliam aquæ ſuperadditionem. Ita enim docet intentiſsimus humani corporis contemplator Hippocrates *lib. de Alimento*, loquens de ſpiritibus, tum vitalibus, tum animalibus: qui ſunt quædam ſubtiliſsimæ ac tenuiſsimæ partes ſanguinis, quæ primò elaboratæ in corde, & inde per arterias in totum corpus diffuſæ, deſerviunt vitalibus & animalibus potentiarum operationibus, vt inſtrumẽta, vel adminicula quædam: ideoq; præciſè vitales & animales ſpiritus appellantur, quamvis omni nutritione, & ſenſione ab intrinſeco careant. Si autem vel tenuiſsimæ partes ſanguinis, nec vegetant, nec ſentiunt; multo minùs ſanguis impurior, & cæteri humores, minùs defæcati, quàm ſanguis.

30 *PROBANT II.* Et communiter plerique AA. noſtræ ſententiæ ratione aliâ deſumptâ ex Ariſt. loco ſupra allegato ex *lib. 2. de Partibus Animal. c. 3.* vbi negat ſanguinem continuari cum carne. Id autem, præterquamquod probatum inſuper à nobis eſt *num.* 17. ſuadetur ab abſurdo. Si enim ſanguis continueretur cum partibus vivis animalis, per informationem ab eàdem animâ, hæc ſæpè non ſolum eſſet in corpore, ſed etiam ſimul extra corpus. quod quam abſurdum ſit, probatione non indiget. Probatur ſequela: Quoties enim ſanguis fluit è venâ, continuatur in ipſo exitu cum reliquo ſanguine intra venas manente: & oppoſitum aſſerere, frivolum eſt (inquit modeſtiſsimus Suarez) & contra oculorum experimentũ.

Ergo ratione eius continuationis sanguis è venis erumpens informatur ab eàdem animà, à quà sanguis intra venas manens. Ergo si hic informatur ab animà, simul etiã ille ab eàdem informatur; proindeque anima eàdem simul erit intra & extra corpus.

31 *RESPONDENT* Oviedo, & Quiros, negando sequelam: Quia sanguis, cùm primùm è venis fluit, amittit debitũ temperamentum, vt continuetur cum manente intra venas, & animetur ab animà. Quòd si visus nullam discontinuationem ibi percipit inter vtrumque sanguinem, non propterea illi assentiendum est, sed rationi, quæ suàdet eandem animam non posse simul esse intra & extra corpus. *SED Contrà I.* Quamvis enim sensus debeat corrigi ab intellectu vbi est ratio vrgens & magni ponderis, non tamen vbi illa deest, qualiter in præsenti: quia licèt nimiùm vrgeat impossibilitas præsentiæ animæ intra & extra corpus simul, hoc inconveniens vitatur asserendo, sanguinẽ neque intra, neque extra venas informari ab animà, sed ab aliâ formà specie diversa, quæ totam sanguinis continui materiam informat, vbicumque ille sit; sicut eadem forma actuat totam materiam aquæ continuæ, sive stantis intra alveum fluminis, sive decurrentis extra alveum. *CONTRA II.* Si enim in re adeò manifesta, qualis apparet oculis continuatio sanguinis intra & extra venas, aiunt Adversarij sensum debere corrigi ab intellectu; cur eandem doctrinam respuunt in Thomistis aientibus, non eadem numero accidentia persistere in genito, quæ fuerant in corrupto; sed alia distincta & similia; quamvis eadem oculis appareant? Licebit itaque nobis ea accidentia distinxisse *tract. de Gener. disput.* 49. quantumvis sensus refragentur.

32 *FATEOR* Argumentum præiactum apud me non esse magni ponderis, quia responderi facilè posset, quamvis anima informaret sanguinem extra venas continuatum cum eo qui intra venas manet, adhuc non extituram simul & simpliciter intra atque extra corpus, sed intra illud tantùm: quoniam nomine ac re corporis viventis, intelliguntur omnes eius partes, qualitercumque inter se continuitatem habeant, retineantvè, licèt aliqua illarum non servet suum naturalem locum ac situm. Sic certè quoties intestina fluunt è visceribus animalis vulnerati & viventis adhuc, servant continuitatem extrà cum aliâ intestinorum parte intra corpus manente, ideoque simul ab eàdem animà informantur; quin exinde sequatur animam ipsam simul esse intra & extra corpus. Nimirum, intestina dum nõ amittunt continuitatem cum alijs partibus manentibus intra viscera, integrant idem numero corpus; ideoque anima in ijs perseverans non ideo extra corpus existit. Sufficiat itaque argumentum præcedens ad extorquendum ab aliquibus Adversariorum, in corruptione sanguinis corrigi debere visum ab intellectu circa realem vtriusque distinctionem; ideoque eos immeritò commoveri, dum à nobis audiunt diversam esse figuram, cicatrices, colorem, &c. in cadavere, ac in vivente, quamvis eadem oculis appareant.

SECTIO TERTIA.

Eandem sententiam esse satis conformem sacris litteris, Tridentino, Patribus, & D. Thomæ, quidquid in oppositum velint aliqui, quorum obiectiones enervantur. Vbi de sanguine Christi, an fuerit immediatè assumptus à Verbo.

33 *QVONIAM* Adversarij pro se accumulant argumenta Theologica, priusquam illa objiciam & solvam, placuit alia itidẽ proponere eiusdem generis: ac primum omnium ex integritate Beat. Virginis, quæ in conceptu Christi nullam corruptionem passa est, quoniam nulla pars animata fuit ablata ex eius corpore, quæ deserviret generationi & cõpositioni Christi D. At nihilominus fuit ablata pars sanguinis purissimi illius in generationem, & compositionẽ Christi. Ergo Virginis purissimus sanguis non erat actualis pars corporis viventis ipsius, ac proinde neque animalium quorumlibet. Restat igitur, vt sanguis, etiam purissimus, sit solùm in potentia pars corporis viventis, quatenus converti potest in carnem & ossa. Hoc argumentum est desumptum ex D. Thomâ 3. *p. q.* 31. *art.* 5. vbi docet ex professo corpus Christi formatum fuisse ex purissimis sanguinibus B. Virginis. Cumque in primo argumento obiecisset sibi Verbum Divinum assumpsisse carnem ex Virgine; sic

ſic reſpondet ad 1. *Dicendum quod cùm B. Virgo fuerit eiuſdem naturæ cum alijs fœminis, conſequens eſt quòd habuerit carnem & oſſa eiuſdem naturæ. Carnes autem & oſſa in alijs fœminis ſunt actuales corporis partes, ex quibus conſtituitur integritas corporis: & ideo ſubtrahi non poſſunt ſine corruptione corporis, vel diminutione. Chriſtus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati Matris ſuæ inferre debuit, vt ſuprà dictum eſt*, quæſt. 21. art. 1. & 2. *Et ideo non debuit corpus Chriſti formari de carne, vel oſſibus Virginis; ſed de ſanguine, qui nondum eſt actu pars, ſed eſt potentiâ totum, vt dicitur* lib. de Gener. Animal. *Et ideo dicitur carnem de Virgine ſumpſiſſe: non quòd materiâ corporis eius fuerit actu caro, ſed ſanguis, qui eſt potentiâ caro.* Quibus non modo tradit expreſsè noſtram ſententiam, ſed etiam illam probat efficaci argumento, deſumpto ex integritate Virginis Matris. Idē docet *in 3. diſt. 3. q. 5. art. 1.* omneſque, aut ferè omnes Antiquiores Thomiſtæ, vt vidimus ſuprà *num.* 15. quidquid alij Recentiores ex eàdem ſchola velint. Et permiſſo quod in alijs locis S. Doctor videatur favere opinioni cōtrariæ, præferri debet hæc vltima ipſius ſententia, quam tradidit 3. *p.* circa finem vitæ ſuæ.

34 *CONFIRM.* Omne corpus vivum, è quo aufertur pars aliqua actualis, non manet naturaliter integrum & perfectum, vt ex ſe conſtat. At corpus vivum B. Virginis in conceptione Filij Dei manſit naturaliter integrum & perfectum, vt ex SS. Patribus conſtat, probátque D. Thom. locis nuper ab ipſo allegatis. Ergo à corpore vivo B. Virginis in conceptu Filij Dei non fuit ablata pars aliqua actualis. Atqui ab eodem corpore ablatus fuit ſanguis puriſsimus in eum finem. Ergo ſanguis, quamvis puriſsimus, & defæcatiſsimus, non eſt corporis viventis pars actualis, ideoque nec informatur actu ab animà corporis vivi. Reſtat igitur, vt ſanguis ſolùm informetur in potentià, non autem actu ab animà, ſicut ſolùm eſt pars corporis vivi in potentià, non autem actu, vt ex ipſo S. Doctore audivimus, & Ariſtoteles tradit loco ab ipſo allegato lib. 1. de Generat. Animalium.

35 *EODEM* Quoque modo loquitur idem S. Thomas agens de ſemine *q. 5. de Potentia art. 12. corpore*, & pluribus alijs locis apud Alamanium in præſenti *lib. 1. q. 55. art. 3.* vbi multipliciter probat, ſemen nō animari: quia aliàs animalia, dum generant medio ſemine à ſe decilo, non tam generarent, quàm traducerent animas ſuas, communicando illas filijs ſuis ex toto, ſi ſint indiviſibiles; aut ex parte, ſi ſint diviſibiles. Quæ illatio, aut nullius roboris eſt, aut pariter probat, ſanguinem puriſsimum B. Virginis non fuiſſe animatum: quia aliter Deipara, medio ſanguine ſubminiſtrato generationi Chriſti, non tam ipſum genuiſſet, quàm ex toto communicaſſet illi animam ſuam, vtpotè indiviſibilem.

36 *DENIQVE* Idipſum ſuadetur authoritate Tridentini *ſeſſ. 13. cap. 3.* vbi definitur, ſanguinem Chriſti in Sacramēto Euchariſtiæ non poni ex vi verborum conſecrationis panis, ſed ſolùm per concomitantiam. At ſi ſanguis Chriſti informaretur ab animà, ſive, quod in idem recidit, eſſet actu pars corporis ipſius, nulla eſſet ratio, ne poneretur ex vi verborum conſecrationis panis. Ergo ſanguis Chriſti non informatur ab anima, nec eſt actu pars corporis Chriſti. Probatur minor. Nam in conſecratione corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, integrum eius corpus ponitur ex vi verborum, ac proinde cum omnibus partibus, quibus actu conſtat: alioqui enim non integrum, ſed imperfectum & mutilum poneretur. Si ergo ſanguis ab eàdem Chriſti animà informatur, & corporis eius eſt pars actu; non per concomitantiam ponetur, ſed ex vi verborum, quibus Chriſti corpus ſub panis ſpeciebus ponitur.

37 *NEQVE* Satis occurrit huic argumento Hurtadus, dum inſtat, etiam ex vi verborum cōſecrationis corporis Chriſti poni præſentes pilos & vngues, qui tamen animati non ſunt. Contrà enim eſt, quòd ſi pili & vngues, quamvis inanimati, ponuntur ex vi verborum; multò magis ponetur præſens ſanguis, ſi ſemel animatus eſt. Dicunt aliqui, & inter eos Oviedus, nomine corporis, quod ponitur ex vi verborum conſecrationis panis, non intelligi corpus metaphyſicè ſumptum, ſed ſolidum, & quod habet rationem cibi: ſanguinem verò, nec ſolidū eſſe, nec ſpectare ad rationem cibi, ſed potus: ideoq; hunc non poni præſentē vi conſecrationis corporis. Veroſimilior ſolutio. Sed in oppoſitū eſt, quòd ſi ſemel ſanguis eſt actu pars

corporis Christi, quamvis non solida, sed fluida, in consecratione corporis ipsius habebit etiam rationem cibi, quamvis seorsim in cõsecratione vini habeat ex vi verborum rationem potus. Ergo quamvis sanguis nõ sit pars solida corporis, sed fluida, si semel est actu pars corporis Christi ponetur in consecratione panis ex vi verborum. Consequentia patet, & antecedẽs probo: tum quia mustum intra vuam, licèt sit fluidum, habet rationem cibi, quoniã est actualis illius pars; licèt seorsim acper se ligni ficatum exprimat rationem potus. Ergo pariter sanguis Christi, si est actu pars corporis eius, licet fluida, quatenus intra corpus existens, pertinet ad rationem cibi; quamvis in consecratione vini seorsim habeat, exprimatque rationem potus. Ergo quemadmodum partes solidæ Christi ponuntur ex vi verborum consecrationis corporis, ita etiã & partes fluidæ. Hæc impugnatio longè diverso modo à nobis proposita est, quàm ab alijs, qui vt præiactam solutionem reijciant, assumunt, sanguinẽ Christi manentem intra carnem non posse habere rationem potus. quo planè impugnant veritatem mysterij Eucharistiæ, iuxta quod sanguis Christi verè permanẽs intra ipsius venas, ponitur præsens per modum potus, vi consecrationis vini. Nos autem in sensu formali solùm, sive ex vi verborum procedimus, iuxta stylum Cõcilij, vt consideranti patebit.

38 *VNDE* Corruit obiectio Adversariorum, qui ex eodem Concilio probare conantur, sanguinem esse partem actu corporis Christi, quia in ipso loco à nobis allegato dicitur, corpus & sanguinem reipsa simul esse tam sub speciebus panis, quam vini, *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur.* Quo planè supponitur sanguinem esse partem corporis Christi. Corruit, inquam, quia nomine *partium* ex communi vsu loquẽdi non solùm intelliguntur, quæ sunt actu partes, sed etiam quæ in potentia; qualem esse sanguinem fatemur; præsertim cùm spectet ad veram constitutionem hominis, sicut & tres alij humores, vt docet Innocentius III. in quadam Extravag. de Celebrat. Missarum. At quemadmodum exinde neque ipsi Adversarij colligunt cæteros humores esse actu partes hominis, aut ab animâ informari, sic neque de sanguine id colligere debent.

39 *INSTANT* Advertarij dupliciter, vt sanguis, non potentiâ solùm, sed actu sit pars corporis Christi, & informetur ab anima. *PRIMO*: quia Levitici 17. vers. 10. dicitur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Vbi Patres & Interpretes aiunt, sermonem esse de animâ ratione vitę corporalis, quæ innititur sanguini. Ergo anima actu informat sanguinem. *SECVNDO*: quia Verbum divinum hypostaticè sibi vnivit sanguinem, quoniam spectabat ad constitutionem humanæ naturæ. Ideoque in Concilio Ephesino definitur, *Verbum fuisse factum hominem assumptione carnis & sanguinis.* At non vnivit sibi hypostaticè aliquid inanimatum, sicut nec ratione carens. Ergo sanguis Christi animatus est animo ipsius rationali.

40 *HÆC* Tamen non obstant. *AD I.* Respond. ex S. Augustino *tomo 4. quæst. 57. & tomo 6. contra Adverss. leg. cap. 6.* & Menochio, Tirino, Cornelio, ac Sa, in eundem locum Levitici, sensum esse tantùm, quòd vita omnium animalium pendet à fomento sanguinis, diffuso per omnes venas, & totum corpus, instar eiusdem animæ; non autem tanquam à subiecto. Est etiam anima in sanguine, tanquam in signo ipsius, & instrumento vitæ: ideoque idem S. Augustinus sæpe ex Hebræo legit: *Anima omnis carnis sanguis eius est*: non quidem formaliter, vt volebant nonnulli, quos ille reijcit; sed significanter solùm & causaliter. Ideoque subdit: *Res, quæ significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupatur: & sic sanguis, quoniam animam significat, anima dictus est.* Quare immeritò ex Adversarijs Hurtadus, Arriaga, & Oviedo, aiunt S. Augustinum apertè tradidisse animationem sanguinis; vt meritò insimulet eos Sancta-Crucius, etiam Societatis Scriptor, quòd dicitanter legerint S. Doctorem: cuius testimonia pro nobis ipse exscribit, & expendit, nullo in oppositum invento. Adducitque satis ad rem illud Sanct. Gregorij Nazianzeni Orat. 26. aientis: *Quomodo à sanguine & spiratione id, quod corpore vacat, tenetur* (nimirum, rationalis anima ab ijs tenetur iuxta corpus) *eo modo horum defectio, animæ discessio est.* Quemadmodum vero ex eo quod anima intra corpus permanere nequeat sine respiratione auræ, male

infer-

inferretur hanc animari; ita & de sanguine malè idem colligitur, ex eo quòd sine illo anima in corpore nequeat permanere.

41 *AD II.* Prætermissa opinione Durandi, Gabrielis, & Richardi, negãtium sanguinem fuisse hypostaticè vnitum Verbo divino, ideoque malè audiẽtium apud Theologos (quorum variæ in eam censuræ videri possunt apud Amicum *tom.6. Cursus Theolog. disp.15. s. et.7*) concedo fuisse quidem sanguinem hypostaticè assumptum, sicut & carnem. Quæ duæ partes enumerantur speciatim a Cõcilio, non quòd ambæ sint primariæ, aut informatæ animo rationali: sed quoniam fuerunt magis sensibilia instrumenta redemptionis nostræ per passionem & mortem. Quare neque annumerantur ibidem aliæ partes primariæ ex assumptis à Verbo, vt anima, & ossa. Quod tamen fieret, si mens Concilij eo loco fuisset exponere, vel omnes partes primarias humanitatis assumptas hypostaticè, vel eas omnes, quæ ab anima assumpta informantur. Ex eo verò quòd Verbum hypostaticè sibi copulaverit sanguinem Christi, etiã prout spectantem ad veram humanæ naturæ constitutionem, malè inferunt Adversarij sanguinem vivificari ab ipsius animà: quoniam & creditur pariter assumpsisse cæteros humores, ipsectantes ad eandem naturæ humanæ constitutionem, cùm tamẽ ij ab anima nullatenus vivificentur. Itaq; omnes ij assumpti fuerunt à Verbo, veluti partes secundariæ naturæ humanæ, & necessario requisitæ ad vitam humanam, quam fovent, quamvis inanimes sint. Sic etiam spiritus vitales ex communi sentẽtiâ inanimes sunt, & tamen assumpti à Verbo censentur, atque æquè necessarij ad vitam humanam. Immò & multi aũt, formam cadaveris in triduo assumptam fuisse à Verbo. Vide Suarez *tom. 2. in 3. p. d.38. §. Occurrit igitur.*

42 *IAM* Verò, dum additur, Verbum non assumpsisse aliquid inanimatũ, aut ratione carens; concedendum est, si sermo de jis quæ primariò assumpta sunt à Verbo, aut tanquam principales partes naturæ assumptæ: negãdum autem de ijs, quæ solùm secundario assumpta fuere, ac veluti partes minus principales, quamvis necessariæ ad naturæ assumptæ conservationem: qualis est sanguis, sicut & alij tres humores, & vitales spiritus, qui omnes sunt inanimes substantiæ, invicem diversæ; concurrentes tamen & necessariæ ad integritatem connaturalem vnius naturæ assumptæ. *Dices:* Inde colligeretur posse absolutè proferri hanc propositionem: *Verbum vnitum sanguini, est inanime*, seu *ratione carens*. quod videtur absurdum, & piarum aurium offensivum. *RESP.* si ita licet Adversarijs arguere, licebit quoque nobis inferre ex eorum opinione, veram esse absolutè propositionem hanc: *Verbum est sanguis*, & *vnitum sanguini ratione caret*: quia esto sanguis iuxta illos vivificetur ab anima secundùm gradum vegetativum, aut etiam sensitivum, non tamen penes rationalem; ideoque in omni sententiâ sanguis ratione caret. Ergo & Verbum vnitum sanguine caret ratione. Similiter & ossa humanitatis Christi carent ratione atque assumpta fuerunt hypostaticè à Verbo. Licebit itaque in omni sententia inferre, iuxta Adversarios, Verbum vnitum ossibus carere ratione. Videant ergo quomodo se expediant ab hac eadem illatione, quâ & ipsi vrgentur, dum nos vrgent.

43 *AT* Revera non vrgent, quia tota hæc quæstio est magis de modo loquendi, quàm de ipsa re, vt recte monet Eximius Suarez *in 3. p. disp. 15. sect. 6.* vbi & addit, abstinendum merito esse ab his locutionibus, *Deus est sanguis*, vel *Sanguis est Deus*; idque sive sanguis animetur, sivẽ non: quia hæ denominationes, prædicationes, & idiomatum communicationes, ex communi Theologorum stylo, solùm proferuntur de tota naturâ assumptâ; non autem de partibus, & præsertim integrãtibus. Quare licèt explorarũ sit ossa Christi Domini immediatè assumpta fuisse à Verbo, vivificarique ab ipsius anima; adhuc nemo has, similesve propositiones vsurpat: *Ossa sunt Deus*, aut *Verbum est ossa*. Nimirum, apparet quædam indecentia in modo loquendi: quæ tamen non apparet in his enuntiationibus, *Deus est caro*, & *Caro est Deus*, quoniam vsu communi PP. & Theologorum receptę sunt, quamvis metaphysicè loquendo, eadem in omnibus ratio sit.

SECTIO QVARTA.

Recenſentur Authores opinionis adverſæ, eorumque argumenta nondum ſoluta enervantur. Vbi ſingillatim de ijs, quæ informationem animæ ſubeunt.

44 OPPOSITAM Sententiam, quâ ſanguis cenſetur vivificari ab animâ, tuentur ex Thomiſtis Medina, Bañez, & Complutenſes *diſp. 6. q.* .Ex PP. Societatis Toletus, Valencia, & Salmeron, quos allegant & ſequuntur Hurtadus *diſp. 1. ſect. 6.* Oviedo *contr. 1. p. 4.* Arriaga *diſp. 1. ſect. 4.* Lynce *lib. 10. Phyſ. tract. 2. cap. 1.* Quiros *diſp. 77. ſect. 2.* Fuente Hurtado *diſſert. 13. cap. 5.* Ex alijs Scaliger, Auguſtinus Buccius, & Spinula *diſp. 1. ſect.* .ac Lalemandet. *diſp. 11. p. 5. reſol. 2.* vbi & eandem doctrinam ampliat ad cæteros humores, contra doctrinam prædictorum, qui ſolum ſanguinem animari aiunt. Et, præter plura alia argumenta, quibus pro ſanguine decertant, præſertim theologica quæ iam diſputationis progreſſu præoccupata ſunt,

45 *ARGVVNT I.* ex Ariſtot. varijs locis. Nam *lib. 2. de Partibus Animal. c. 2.* recenſens partes animalium, ex vno capite aſsignat partes fluidas & humidas, atque inter has ſanguinem, adipem, ſævum, medullam, ſemen, & lac: eaſque omnes ſæpe appellat partes corporis in animalibus. Poſteaque *capit. 7.* eiuſdem libri innuit animam reſidere in ſanguine, ſive in ſpiritibus, qui ſuo calore ſunt quaſi ignea corpora, & vi caloris perficiunt operationes vitæ. Ac ſpeciatim *lib. 3. Hiſt. Animal. cap. 19.* inquit: *Semper, quãdiu vita ſervatur, ſanguis vnus animatur & fervet.* Ac præterea: *Palpitat ſanguis intra venas omnium animalium, pulſuque ſimul vndique movetur, ſoluſque omnium humorum ſparſus eſt per totum corpus animalium.* Quæ omnes ſunt propriæ notæ & operationes viventium. Ergo ſanguis iuxta Philoſophũ verè & propriè animatur.

46 *RESP.* Satis conſtare ex dictis *à num. 16.* Ariſtotelem apertè negaſſe ſanguinem vivificari ab animâ. Neque obſtant teſtimonia obiecta in oppoſitum. Ad primum illorum dicimus, Philoſophũ *partiũ* appellatione amplè cẽſuiſſe ea omnia, quę vtcũque ſunt partes, vel integrant compoſitum animalis, ſive ſint viva, ſive nõ: ſiquidem eo loci etiam enumerat excrementa, quæ certè non ſunt animata. Ad ſecundum reſp. ſenſum eſſe, animam reſidere in ſpiritibus ſanguineis, non vt in ſubiecto, ſed tanquam in inſtrumento vitæ, & operationum ipſius. Iam in tertio & quarto, non eſt ſenſus de propria animatione, & motu ab intrinſeco, quem toties expreſsè ſanguini negat: ſed ſolùm de animatione latè dicta, & motu ſive agitatione proueniente ab alijs membris: quorum quædam virtute propriâ immittunt ſanguinem, quædam attrahunt, & pleraq; calore ſuo fervere faciunt, ſicut ignis facit fervere aquam, & muſtum fervet per agitationem partium calidiorum. Sic etiam ferè chylus agitatur ex ventriculo ad hepar, & tamen animatus non eſt. Addunt aliqui, *τὸ animatur*, non extare in alijs exẽplaribus Ariſtotelis.

47 *DICES.* Magis intimus eſt ſanguis animali, magiſque neceſſarius ad vitam, quam ſemen. At hoc propriè & verè animatur. Ergo multò potiori iure ſanguis. Probatur minor: quia ſemen exequitur actum vitalem generationis, ideoque eſt virtus generativa viventis ex vivente, vt principio coniuncto. Nequit autem ea munia obire, quod vivens ſeu animatum non eſt. *RESP.* negãdo minorem, quia ſemen iuxta dicta *numer. 35.* non eſt animatum, vt ibidem teſtimonio & ratione D. Thom. probatum eſt. Solùm enim agit & producit terminum viventem per virtutem formativam inſtrumentalem, quæ vitalis non eſt, ſiquidem ſeparatur à ſubiecto vivente & generante, quod certè repugnat potentiæ vitali. Nec pars, quæ deciditur à generante, eſt animata: quia etiam trãſit in externam materiam, quod repugnat parti animatæ: ſed tantùm eſt ſubſtantia inanimata ſeminis, ió quà continetur vis formativa geniti, ſolùm inſtrumentaria, & virtute generantis operans. Vnde & planè colligitur, ipſam actionem generativam non eſſe vitalem ſubiectivè, ſed terminativè & denominativè tãtùm, ſicuti & ſubſtantialis dicitur ſolùm eodem ſenſu.

48 *INSTABIS:* Quia filius procedit de ſubſtantia patris & matris, tanquam ex principio coniuncto: ideoque videtur neceſſarium, vt pars, quæ deciditur à generante, ſit vera portio ſubſtantiæ ipſius, ac proinde animata. *RESP.* filium dici procedere de ſubſtantia patris, tumen-

do ſubſtantiam pro toto corpore integrali ipſius, quatenus non ſolùm continet partes animatas, ſed etiam inanimes, dum tamen pertineant ad ipſius integritatem, & virtutem formativam. quod certè convenit ſemini, quamvis animatum non ſit. Sed de hoc latiùs *diſp.* 80.

49 *ARGVVNT II.* Sanguis non minùs neceſſarius eſt ad vitam animalis tuendam, quàm dentes, vngues, capilli, & ſubinde, pila, ac roſtra, & plumæ aviũ: ſiquidem abſque his vita conſervari poteſt, & ſine illo non poteſt. Ergo potiori ratione eſt pars animalis, atque ideo animatus. *RESP.* Conceſſo antecedente, negando conſequentiam: quæ patitur manifeſtam inſtantiam, non ſolùm in tribus alijs humoribus, etiam ſimpliciter neceſſarijs ad vitam, ſed etiam in quatuor primis qualitatibus, ſine quibus animal omnino conſervari non poteſt; cùm tamen non propterea animentur. Solùm ergo probatur, ſanguinem eſſe partem animalis; & præcipuam quidem, ſi attendatur eius vtilitas & neceſsitas; abſolutè autem ſecundariam & minùs præcipuam, quia ratione fluiditatis ſuæ non continuatur cum aliquà ex partibus ſolidis animalis, nec cũ iecore quidem. In quo certè exceditur à dentibus, qui ratione quorundam nervorum continuantur cum gingivis, vt docet Ariſt. 2. *de Gener. Animal. c.* 4. ideoque ſentimus ingentem dolorem, vbi eradicantur ante tempus. Similiter & exceditur ab alijs in obiectione aſsignatis: quoniam iuxta Ariſt. in præſenti *text.* 39. & infrà *lib.* 3. *textu* 13. ac D. Thomam ibi, communemque ferè Recentiorum doctrinã, vegetant ab intrinſeco, & continuantur cum ſolidis partius corporis, ideoque dolorem excitant, vbi evelluntur: quamvis de capillis diſſentiat Suarez, & ſatis difficile videatur animam rationalem exiſtere in fine longiſsimorum capillorum. Verùm & hoc ipſum ſatis probabile eſſe docet idem *tom.* 1. *in* 3. *p. diſp.* 15. *ſect.* 7. quoniam pertinent ad integritatem naturalẽ; ideoque aſſumptos fuiſſe à Verbo Divino colligit.

50 *MVLTO* Autem magis idem ſentiendum eſt de alijs partibus principalioribus animalis, & ſpectantibus ad primam eius integritatem. Eæ autem ſunt generatim caro & oſſa, atque ijs cognata, vt cor, iecur, lien, &c. viſcera, cerebrum, nervi, venæ, arteriæ, fibræ, ligamina, membranæ, cartilagines, cutes; & quæ ijs correſpondent in piſcibus, atque inſectis, & in plantis, vt fructus, flores, folia, lignum, cortices, medulla, radix, &c. Omnia enim illa videntur vegetare ab intrinſeco, & continuari cum præcipuis totius partibus, ac proinde ab eadem ipſius animà informari. Oppoſitum vero dicendum eſt de reſpiratione, cibo, & chylo, exiſtentibus in ſtomacho & venà mefaraica, quãquam adeò neceſſarijs ad vitam: & multò magis excludi debent ab animatione lachrymæ, ſudor, ac ſaliva, & reliqua excrementa: quoniam nihil eorum cum partibus viventibus continuatur, neque in ijs apparet verus aliquis vitæ motus.

SECTIO QVINTA.

Occaſione vltimi argumenti proponitur recens opinio media inter vtramque præcedentem, & probabilis Authori, breviterque exponitur quomodo facilè defendi poſsit.

51 *RESTAT* Vltima, & mihi præcipua difficultas, quæ oritur ex vnitate formæ in quolibet compoſito ſubſtantiali, quam latè ſtatuimus *tract. de Gener. diſp.* 51. per totam, & infrà diſp. ſequenti ex profeſſo aſſeremus in quolibet vivente. Ea verò doctrinà ſuppoſitâ, arguitur debere ſanguinem informari ab animà, quoniam aliàs in eodem compoſito ſubſtantiali & vivente oportebit ponere plures formas ſubſtantiales, ſpectantes, tum ad eius conſtitutionem eſſentialem, tum & ad integritatem naturalem: nimirum, humorum, quos pariter cum eo excludimus ab informatione animæ. Hoc autem videtur eſſe contra illam doctrinam communem. Ergo & quòd ſanguis alijque humores habeant formam ſubſtantialem diſtinctam realiter ab animà.

52 *PROPTER* Hanc difficultatem, quæ facilè & multipliciter vrgeri poteſt, fateor me nimiùm propendere in quandam opinionem mediam inter duas hucuſque examinatas, & quã in nullo Auctore vnquã mihi videre contigit, ne à lõgè quidẽ inſinuatam. Ea verò eſt, ſanguinẽ quidẽ nõ vivificari ab animà, vt hactenus ſtatuimus: informari tamen ab ea ſecundũ gradum corporis. Itaque, quemadmodũ

ex

ex communi ferè sententiâ materia prima recipit ab animâ, etiam rationali, gradum corporis, & vngues gradum vegetativum, non tamen sensitivum, & pedes gradum sensitivum, non tamen intellectivum formaliter: sic etiam posset dici, sanguinem informari ab anima penes solum gradum corporis, &, si placet, generabilis ac mixti; non tamen penes reliquos gradus, quicumque ad vitam attinent.

53 *PRIOR* Pars suaderi potest ijs ferè argumentis, quibus *sect. 2. & 3.* probatum à nobis est, sanguinem nullatenus animari; ita tamen efformatis, vt solam animationem excludant, non tamen omnem informationem. Secunda verò suadenda erit argumentis ipsis sententiæ posterioris, non quatenus tendunt ad probandam animationem, sed præcisam animæ informationem, aut abstrahendo à speciali gradu, aut determinando saltem gradum corporeitatis. Porrò statutâ vtraque huius opinionis parte, facilè conciliari possunt plurima Aristotelis testimonia progressu disputationis relata, & specie tenus inter se disidentia; asseriqúe potest satis verosimiliter, non negasse sanguini informationem animæ, quatenus forma corporis est, sive quatenus præstat gradū corporis aut mixti præcisè; sed solū prout communicat gradus ad vitam vtcumque spectantes. Hoc verò posteriori sensu negavit continuationem sanguinis cum carne: quia non continuatur sanguinis cum illa prout vegetante aut sentiente, sed solùm quatenus cum ea integrat vnicum compositum substantiale corporeum. Similiter & id sufficit, vt sanguis sit alimentum vltimum, convertaturqúe substātialiter in carnem: quia licèt forma sit eadē penes entitatem, qua informat carnem, & sanguinem, non tamen penes gradum. Vnde sanguis verè corrumpitur dum trāsit in carnem, eiusque materia vnitur substantialiter animæ, prout anima est, vnione nova ac realiter distincta à præcedenti, quâ vniebatur eidē animæ, vt præstanti solum corporeitatis gradum: ideoqúe tunc non erat actu pars vivens, sed potentia tantùm. Qua ratione etiam exponi possunt testimonia D. Thom. conciliariqúe.

54 *DENIQVE* Hoc pacto, cōpositum vivens strictissimam vnitatem per se habet intra genus substantiæ, vtpote constans vnica formâ substantiali, quâ non solùm caro, & ossa, & quælibet partes solidæ informentur, sed etiam fluidæ, vt sanguis, & tres alij humores, quoniam simul cum eo ad veram constitutionem humani corporis pertinent, vt ex Innocētio III. suprà audivimus. Componitur præterea, nullam naturam animâ rationali carētem fuisse assumptam à Verbo, dum hypostaticè assumpsit sanguinem, & reliquos humores: quia ij verè non carent animo rationali, sed illum reipsa habent intrinsecè constituentem, quamvis non penes omnes gradus formaliter, sed secūdùm eos, qui à vitâ præscindunt. Demum vix aliquam difficultatem notabilem inveniet, quisquis ingenio præditus periculum facere voluerit tuendæ huius opinionis; dum tamen intentè observet doctrinam hac sectione traditam, & iuxta eam accipiat, quæcumque in præcedentibus dicta sunt, tum ad removendam animationem sanguinis, tum & ad stabiliendam eius informationem ab anima, vt præstāte alios, quàm vitæ, gradus.

55 *CÆTERVM* Persistendo in sententia, quam antea prosequebamur ad obiectionem *n.* 51. propositam dicendum est, formā, quâ compositum vivens in seipso, & quò ad propriam entitatem constituitur essentialiter, debere esse vnicam, & præstantem ipsi omnes gradus à supremo substantiæ vsque ad specificum & infimum. Verùm id non prohibet quòd præterea in ijs, quæ ad eius integritatem, dispositionem, & instrumenta necessaria vitæ, quamvis non viventia, spectant, admittat alteram ipsorum formam substantialem, qualem iuxta omnes admittit in chylo, iuxta plerosque Adversariorum in tribus alijs humoribus præter sanguinem, & iuxta nos in sanguine. Disputatione autem illa 51. *de Gener.* exclusimus à quolibet composito plusquam vnam formam substantialem, loquendo de illo quò ad essentialem & primariam cōstitutionem; non verò quò ad integralem & secundariam, quæ se habet quoddammodo vt instrumentum, sive dispositio ad illam priorem. Et hoc modo tantùm comparatur sanguis ad animal: ideoqúe non tollit vnitatem eius simpliciter & per se intra genus substantiæ. Verùm hoc ipsum amplius elucidabitur disputatione ven-

tura.

IL-

ILLVSTRISSIMO ET NOBILISSIMO HEROI

D. D. ANTONIO DE RIAñO ET SALAMANCA,

CALATRAVENSIS ORDINIS EQVITI, SVPREMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

DISPVTATIONEM Philosophicam, simul & Christianam, de naturâ Rationalis Animæ, nulli melius inscribendam, quam TIBI, censui, CLARISSIME HEROS. Scilicet, in tanto generis splendore, & rerum affluentia, semper vitus es Philosophum, simul & Christianũ agere. Faceſſant, quibus occaſioni sunt ea naturæ ac fortunæ præſidia, vt animæ immemores sint. Faceſſant Athei, quibus nulla Numinis lux. Epicurei, qui tex aſſe indulgent genio: & plus æquo Politici, qui vni prosperitati caducæ temporariæque aras erigunt. Faceſſant demum quotquot splendidiſsimam rationalis animi lucem simul cum vitâ corporis extingui censent, aut potiùs extinguunt. Ijs enim, pluſquam alijs hominibus, *ossa circumvoluta nervis* (vt cum Seneca ad Marciam loquar) *& obducta cutis, vultusque, & ministræ manus, & cætera, quibus involuuntur, vincula animorum, tenebræque sunt. Obruntur ijs animus, infuscatur, inficitur, arcetur à veris & suis in falsa coniectus.* Sive, vt eſt apud Plutarchum, Ψυχὴ τῷ σώματι συνεζευκται βραδεῖ; *tenetur inclusa anima in tardo corpore.* Nec inclusâ modo, sed cæca. quippe quæ, si oculos haberet, recognoſceret in ſe *divinum illum ignem ingenij & mentis*, quem S. Auguſtinus lib. 4. contrà Pelagium ex Cicerone obſervat. Longè alia TIBI cogitatio eſt de anima ipſa, cui excolendæ ſtuduiſti, amplisſimo litterarum & virtutum cultu, veluti æternùm manſuræ. Nimirũ, hæc Tuis semper cura fuit. Clariſsimi Maiores Tui, Burgenſis vrbis immortale decus, quà litteris, quà armis, quà regimine illuſtres, æternaturis animis potiorem impendère curam. Parentes, Avi, Atavi, in RegioNoſtro Monaſterio D. IOANNIS Burgenſis, ita depoſuerunt corpora, vt longè maiora animarum monumenta relinquerent. Ibidem quieſcit, & anaſtaſim futurã expectat, Illuſtriſsimus Patruus Tuus D. DIDACVS DE RIAñO ET GAMBOA, Summi Caſtellæ Senatus Præſes: cui meritò quis adaptet illud Maronis Æneid. 2.

——————— *iuſtiſsimus vnus*
Qui fuit in vobis, & ſeruantiſsimus æqui.

Vir sanè omni elogio maior: quique poſt ſummam rerum tandiu humeris geſtatam, poſt diuturnam & æquiſsimam Hiſpaniarum Præfecturam, ſponte tuâ ceſſit amplisſimo Cõſulatu, & vnius animæ intuitu OMNIA reliquit. Vt iure ac merito de ipſo vſurpetur ſententia illa S. Gregorij Nazianzeni Orat. 19. *Quemadmodùm Sol matutinis radijs ſuaviſsimè incidens, meridianis feruidior & ſplendidior ſtat; eodem modo ille, cùm haud parua pietatis officia primùm oſtendiſſet, poſtremo lumine magis ſplenduit.* Eodem quoque loco quieſcit, germanus eius Frater, & Patruus ſimiliter Tuus, Reverendiſsimus P. Noſter, Magiſter Fr. MARTINVS DE RIAñO, Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Generalis, Concionator Regius, inſignis Theologus, & iam penè Legionenſis Epiſcopus, niſi præmatura mors eum nobis invidiſſet. Verùm nullo obliterabitur ævo ipſius memoria, quæ in pectoribus noſtris habet *monumentum ære perennius*. Illorum omnium pietatem, doctrinam, & humanitatem, quaſi cum lacte ſuxiſti. Hæc TIBI forma vitæ fuit ab ineunte adoleſcentiâ, tum & in Maiori S. CRVCIS Collegio Valliſoletano, tum & in variis Senatibus. Ingenua libertas, & infractus iuſtitiæ zelus, TIBI omni auro pretioſior eſt. Cùm adeò pauci ſint, qui Philoſophiam opere profiteantur, vt Veteres illi; curaſti adhuc, ne ipſorum Schola penitus obſoleſceret. Habet ætas noſtra ſuos etiam Diogenes, & Epictetos: idque in ipſa fortunarum copia. Sunt & nonnulli, quorum mens imperet opulentiæ, & ancillari faciat. Feciſti id planè, & dignitas ipſa, quâ fulges, non rapuit animum, ne allexit quidem. Immentorem, & nihil præterea deſiderantem, Iuſtitia tulit ad ſuum Prætorium, è Senatu Militarium Ordinum. Vtinam id cedat in poſteritatis documentum. VALE, & æternum vive, qui vſque adeò ſtudioſè immortalis animæ cauſam agis.

DISP. SEPTVAG NONA.

DE ANIMA RATIONALI.

Quid ſit ſecundùm Chriſtianam Philoſophiam?

Num. 1. *QVAMVIS Plura præmiſſerimus toto Opere ac præſenti tractatu, circa animam rationalem, non modò ex communi ratione animæ, ſed etiam ſpeciali, prout rationalis eſt; ſuperſunt adhuc multa examinanda, ac breviter reſolvenda in hac diſputatione. Vt verò illa omnia percurramus qualiter Philoſophos Chriſtianos decet, opus eſt primùm ſtatuere præcipua Eccleſiæ dogmata circa rationalem animum contra Ethnicos, & Hæreticos quoſdam, illaque obiter rationibus confirmare. Porrò quidquid ad præſens attinet difficillimum veſtigatu eſt acumini naturali intellectus, & pauciſſimis pervium: vt teſtatur S. Auguſt.* lib. 12. de Trinit. cap. 9. *& ex Gentilibus Cicero* 1. Tuſcul. *vb. fatetur rem ſibi inexploratam eſſe, ſicut & Seneca* lib. 7. Nat. QQ. cap. 24. *atque Heraclytus apud Laertiũ dum ait, controverſiam de anima prorſus omitti debere:* ὡς ψυχῆς πείρατα ἰὼν οὐκ ἂν ἐξεύροις, πᾶσαν ἐπιπορευόμενος ὁδόν· οὕτω βαθὺν λόγον ἔχει: *quia nemo reperiet, etiãſi omnem viam ineat. adeò profundam eam rationem eſſe. Præcunte verò lumine fidei tanta illa difficultas devicta fuit, & res intelligibilior reddita. Habet locum apud Ariſt.* toto lib. 1. *& ſimiliter* lib. 2. c. 1. & 2. *ac* libr. 3. c. 1. & 4. *aliiſque pluribus.*

SECTIO PRIMA.

Errores Veterum de Rationali Anima relati ac reiecti: eorum præcipuè, qui eam extrinſecè corpori aſsiſtentem, aut accidentalem, aut corpoream, aut divinæ mentis partem, aut eiuſdem naturæ cum Angelis aſſerebant.

2 *MONVIMVS Diſp. 75. ſect. 1.* plures fuiſſe Veterum opiniones circa animam, præſertim rationalem, adductis pluribus illorum teſtimonijs, quibus proprium ſenſum exprimebant. Nunc aliquantò diſtinctiùs idem reponendum, memoratis præterea aliorùm, præſertim hæreticorum, erroribus; & reiectis, tum definitione aliqua Eccleſiæ in oppoſitum, tum & Philoſophica ratione.

3 *PRIMA* Opinio eſt eorum, qui cenſuere animam rationalem non eſſe actum informantem corpus, ſed ſolùm ipſi aſsiſtentem, vt motorem mobili. Hæc communiter tribuitur Averroi, & Platoni, quamvis fortè explicari cõmodè poſſit, quaſi negaverit rationali animo ſolam eam informationem, quæ arguit dependẽtiam animæ à materia in ſuo eſſe. Tribuitur etiam ab aliquibus Ariſtoteli quatenus *l. b. 2. de Cælo* animam cœli appellat Intelligentiam, non quidem informãtem, ſed aſsiſtẽtem. Sed immeritò is error Philoſopho adſcribitur: nam 8. *Phyſic. textu* 40. & 41. docet, motorem orbis cœleſtis vniri ſuo mobili per contactum virtutis: quæ vnio certè aliena eſt ab vnione animæ. Et *textu* 48. eiuſdem libri conſtituit motorem cœli in eà ſolùm circunferentiæ parte, vbi ſphæra cœleſtis rapidiſſimè circunvolvitur. Si autem Intelligentia eſſet anima cœli ex mente Ariſt. profectò eam poſuiſſet diffuſam per totam ſphæram, vt eam vivificaret, ſicuti anima diffuſa eſt per totum corpus, vt vivificet quamlibet eius partem. Denique in hoc tractatu *lib. 2. c. 1. textu* 7. definit eſſentialiter animam per hoc vt ſit *actus corporis phyſici, organici.* Si autem anima ex mente Ariſt. non eſſet actus informans, ſed purè aſsiſtens, non definiſſet illam in ordine ad corpus eſſentialiter, ſed ſeorſim ac per ſe: ſicut ineptè definiretur eſſentia Angeli motoris per ordinem ad ſphæram mobilem. Quòd verò idem Philoſophus *textu* 16. ſequenti comparet animam rationalem nauclero moventi navim; exponit S. Thom. 1. *p. q. 76. art.* 1. de comparatione aliquali animæ, quatenus vim loco motricem non exercet in omnibus partibus corporis, ſed in nervis dumtaxat; ſicut nauclerus è loco determinato intra navim, eam movet. Alias enim differt à nauclero in ratione actus informantis.

QVIS-

4 *QVISQVIS* Tamen fuerit author eius erroris, ille anathemate confixus eſt in Concilio Viennenſi ſub Clemẽte V. *Clement. vnica §. Porrò de Summâ Trin.* vbi hæc habentur: *Doctrinam, ſeu poſitionẽ, temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, verè ac perſe humani corporis non ſit forma; vt erroneã, & veritati Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio reprobamus.* Et inferiùs ſubdit: *vt quiſquis deinceps aſſenere, defendere, aut tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis non ſit forma corporis perſe & eſſentialiter; tamquã hæreticus ſit habendus.* Quæ verba poſtea ferè mutuavit Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Porrò ad id definiendũ ſufficiẽtiſsimum fuandamentum fuit in Geneſi cap. 2. vbi de Deo formante primum hominem dicitur: *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Quæ intrinſecam animæ informationem circa corpus humanum oſtendunt: ſicut & verba illa Athanaſij in Symbolo: *Anima rationalis & caro, vnus eſt homo.* Vnde & in alio Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. declaratum fuerat naturam humanam eſſe *ex corpore & ſpiritu conſtitutam*, quod non, niſi impropriſſimè diceretur, ſi anima rationalis nõ informaret corpus, ſed tantùm illi aſsiſteret. Legendi ſpeciatim contra eum errorem S. Cyprianus *ſerm. de Reſurrect. Chriſti*, Ambroſius *lib. de bono mortis cap. 9. & 10.* Tertull. *de reſurr. carnis c. 34.* Irenæus *l. 5. c. 7.* S. P. N. Gregorius Magnus *lib. 14. Moral. cap. 7.*

5 *SVFFRAGANTVR* Eidẽ doctrinæ rationes philoſophicæ. *Prima*: Quia poſsibile eſt compoſitum ſubſtantiale ex materia & formâ ſpirituali informante; cùm in eo non appareat veroſimilis repugnantia. Si autem id ſemel eſt poſsibile, nulla obeſt ratio cur illud non ſit homo de facto exiſtens, qui apertè dignoſcitur exhibere plurimas vitæ operationes, tum materiales vegetandi & ſentiendi, tum ſpirituales intelligendi & volẽdi, ac proinde habere formam ſibi intrinſecam, quâ intelligat & velit, ſicuti illam habet, vt vegetet ac ſentiat. Nec occurritur huic rationi, ſi aliquis reſpondeat, poſſe eas operationes omnes præſtari abſque intrinſeca vnione animæ rationalis ad corpus, per ſolam extrinſecam aſsiſtentiam. Nam in oppoſitum eſt, quòd ſi hæc ſufficeret, anima vnius hominis penetrati cum alio, poſſet in eo operationes vitę efficere. Immò & abſque penetratione, anima hominis vnius tangentis phyſicè alium poſſet in eo actus vitæ operari, ſiquidem iam haberet ſufficientem approximationem ad ipſum, quæ ſola ſufficit in hac opinione, abſque vlla vnione intrinſeca. Quod ſanè ſpecioſum fabulæ genus eſſet, conſonumque illi Phavorini ſententiæ: τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσι οἱ τῷ σώματι ψαύοντες, συνάπτουσι τὰς ψυχάς; *Quid enim aliud faciunt ora iungentes, quàm quòd animas coniungant?* Aut affine poeticæ Petronij licentiæ, dum ait in Satyr.

Et transfudimus hinc inde labellis
Errantes animas.

Secundò idipſum ſuadetur experimentò hominis morientis, in quo ſola forma cadaveris manet, prorſus inanima, & excludens ab eo animum præcedentem; idque naturaliter & eſſentialiter, propter repugnantiam, quæ eſt in eo, quòd idem compoſitum ſimul vivens & mortuum ſit. Si autem rationalis anima non eſſet forma intrinſecè informans corpus hominis, tãquam pars eſſentialis illius, ſed purè aſsiſtens; poſſet æquè bene perſeverare cum homine mortuo, ac vivo: ſicuti Angelus, ſeu ſubſtantia quælibet ſpiritualis ſeparata, æquè bene aſsiſtere poteſt extrinſecè cadaveri & viventi. Vide Suarez in præſenti *l. 1. c. 12. à n. 4.* Denique probari poteſt rationibus indicatis ſuprà *diſp. 78. à n. 39.*

6 *SECVNDA* Opinio eſt eorum, qui cenſuerunt rationalem animam non eſſe ſubſtãtiam, ſed accidens: ſcilicet, vel accidentium harmoniam, vel temperamentum primarum qualitatũ. Ita enim cenſuiſſe legitur Epicurus apud Plutarchũ *lib. 4. de Placitis Phil. cap. 3.* Galenus *libr. de locis affectis c. 6.* quem allegat S. Thomas *diſp. de Anima artic. 1. & lib. 2. contrà Gent. cap. 63.*

7 *VERVM* Adeò ſtupidus error non ſolùm damnatur in verbis Clementinæ ſuprà relatis, vbi *ſubſtantia anima rationalis, ſeu intellectivæ* dicitur, quæ per ſe & eſſẽtialiter humani corporis forma exiſtit; ſed etiã reijcitur manifeſtè: tum quia homo, ſi quodquam aliud ens mixtũ, eſt maximè ac ſimpliciter vnum per ſe in genere ſubſtantiæ: ac proinde forma, qua eſſentialiter conſtituitur, debet eſſe in eodem ge-

nere: Tum etiam, quia operationes nobiliſsimæ intelligendi ac volendi, quæ planè ſpirituales ſunt, nequeunt procedere à ſolâ accidentium harmonia, vel temperamento primarum qualitatum adeò ignobilium: Tum præterea, quia anima noſtra ratione libertatis ſuæ ſolet coërcere paſſiones appetitus corporei: quod repugnat accidentibus ſeu qualitatibus purè corporeis: Tum denique, quia evidens apparet aliquid divinum eſſe in homine præ brutis, quæ tamen ſuam accidentium harmoniam, & qualitatum temperaturam habent. Aliæ impugnationes legi poſſunt apud Ariſt. in præſenti *lib.* 1. *à textu* 54. & D. Thom. *ibidem*, ac S. Auguſt. *tom.* 1. *lib. de Immortal. Animæ cap.* 10. *& tom.* 2. *epiſt.* 28. *ad Hieronymum*, & S. Gregorium Nyſſæ Antiſtitem *diſp. de Anima.*

8 *TERTIA* Eorum, qui animum rationalem aiebant eſſe ſubſtantiam quidem, ſed corpoream; ſive igneam, vt Zeno, & alij; ſive aëream, vt Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras; ſive cœleſtem aut ſideream, vt plerique Stoicorum: quorum verba exhibuimus *diſp.* 75. *ſect.* 1. In eandem ferè exiſtimationem incidiſſe Apollinarem Alexandrinum teſtatur Hiſtoria Tripartita *cap.* 34. Idemque de Tertulliano refert S. Auguſtinus *epiſt.* 157. *ac lib. de Hæreſibus in* 86. vbi cenſet, illum propriam corporeitatem tribuiſſe animæ. Et meritò ſanè: nam lib. de Animâ *cap.* 2. ait Philoſophos illos, qui animam corpoream docuerunt, facilè id perſuadere poſſe. Quin & Ariſtotelem, alioſque docentes oppoſitum, reprehendit, quod animam incorpoream fecerint, *conſtantem*, inquit, *ex neſcio quâ ſubſtantiâ*. At verò *lib.* 1. *de Geneſi ad litt. c.* 24. Tertullianum eûdem, tribuentem & ipſi Deo corporeitatem, piè exponit, quatenus ſolùm voluerit, Deum eſſe ſubſtantiam verè ſubſiſtentem, non autem fictam, qualis Tertulliani ſæculo putabatur omnis res incorporea. Legendi ea de re Iacobus Pamelius in lib. Tertull. de Anima, & Ambianate, vbi illius ſenſum exponunt.

9 *VERVM*, Quidquid ſit de mente Tertulliani, certum fide divina eſt, animam rationalem eſſe ſpiritum, ſive ſpiritualem. Ita enim ſæpe habetur in S. Scripturâ, præſertim adiuncta Conciliorum ac Patrum interpretatione, accipientium rationem *ſpiritus* in omni rigore, dum de anima hominis ſermo eſt: non autem in alia communi acceptione, quâ quælibet animantia, etiam in ſacris litteris, dicuntur habere ſpiritum vitæ. Quippe longè ſtrictiori ſenſu loquuntur de homine, & in eo intelligitur illud Pſalm. 145. *Exibit ſpiritus eius, & revertetur in terram ſuam.* Et Lucæ 2. accinit Deipara: *Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Vbi S. Auguſtinus: *Ideo anima humana, quia eſſe in corpore habet, & extra corpus, ANIMA vocatur: & SPIRITVS Anima dicitur, in quantum eſt vita corporis: Spiritus autem, in quantùm eſt ſubſtantia ſpiritualis.* Conſonant & alia teſtimonia de anima Chriſti Domini: vt Mathæi 25. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Et Lucæ 23. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ac tandem Mathæi 27. *IESVS autem clamans voce magna emiſit ſpiritum.*

10 *IIS* Aliiſque ſimilibus teſtimonijs ducta Eccleſia Catholica in Concilio Lateranenſi ſuprà relato ſub Innocentio III. *capit. Firmiter.* loquens de Deo, ait: *Suâ omnipotenti virtute, ab initio temporis vtrãque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem; angelicam videlicet & mundanam; & deinde humanam, quaſi communẽ, ex ſpiritu & corpore conſtantem.* Idemque ferè habetur in alio poſteriori Cõcilio Lateran. ſub Leone X. verbis infra exſcribẽdis: in quo & additur, non minùs certum eſſe, animam rationalem eſſe incorpoream, quàm immortalem, & à corpore independentem. quod, vt certum fide, poſtea oſtendemus. Præterea & in VI. Synodo Conſtantinop. *Act.* 1. definitur, Verbũ aſſumpſiſſe carnem, & animam rationalem, atque incorpoream. Quare veritatẽ hanc omnes Eccleſiæ Patres tradunt: vt Dionyſ. *cap.* 4. *de Divin. nom.* Damaſcenus *lib.* 2. *Fidei c.* 12. *& lib.* 3. *cap.* 16. Gregorius *lib.* 4. *Dialog. c.* 5. *& lib.* 2. *Moral. c.* 2. Naziãzenus *in Apologia c.* 2. & Auguſtinus *Epiſt.* 157. inter dogmata certa atq; explorata annumerat, *animam non eſſe corpus, ſed ſpiritum; non creatorem vtique, ſed creatum.*

11 *PORRO* Eidem Catholicæ doctrinæ ancillatur Ariſt. & plerique ex Ethnicis. Ille enim *libr.* 2. *de Generat. Animal. cap.* 13. ita loquitur: *Reſtat igitur, vt ſola mens extrinſecus accedat, eaque ſola divina ſit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Vbi ex cõtextu patet, ſermonem non eſſe de mente divina, ſed de noſtra humana, quam luculenter aſſerit cor-

corporis expertem eſſe: præcipuè cùm id diſcriminis ſtatuat in ea à reliquis animis, quas paulo ante dixerat non poſſe ab extrinſeco provenire, neque exiſtere ſine corpore: quia omnis earum operatio corporea eſt, & ab organo corporeo dependens. Aliorum verò Gentilium Philoſophorum teſtimonia, in idem conſentientium, videri poſſunt apud Eximium Suarez *lib. 1. de Anima c. 9. à n. 13.*

12 *RATIO* Præcipua indicatur ab Ariſt. loco nuper exſcripto, & à D. Thoma 2. *contrà Gent. c. 73.* atque in hunc ferè modum proponi poteſt. Vnumquodque operatur ſecundùm quòd eſt in actu, ſive ſecundùm quod habet eſſe. Anima autem rationalis operatur ſpiritualiter, & ſupra omnem materiæ corporiſque conditionem. Ergo & eſt in actu ſpirituali, ſive habet eſſe ſpirituale, ſupra omnē materiæ & corporis conditionem. Probatur minor, tum ex parte intellectus, tum & voluntatis. Ex parte quidem intellectus; quoniam ille percipit naturas communes abſtractas à materia, tum ſingulari, tum & ſenſibili. quod ſanè fieri non poteſt media operatione craſſa & materiali, ſed ſpirituali, & corporeos actus ſupergrediēte. Quin & res immateriales, vt Deum & Angelos, ſpeculatur per conceptus, & ſpecies omni figura, colore, & extenſione molis exemptas: ipſamque Dei incorporeitatem apertis demonſtrationibus convincit. quod ſine vi ſpirituali perceptiva eſſe non poteſt. Ex parte autem voluntatis idipſum probatur. Voluntas enim ſtudio honeſtatis frænat ſæpe appetitum ſenſitivum ad delectabilia prochivem, eique imperat. Hoc autem planè denotat vim animæ ſuperiorem quibuslibet rebus corporeis ac ſenſibilibus; præſertim vbi contemptis bonis omnibus temporalis vitæ, voluntas Deum, ſummum ſpiritum, certò cognoſcere & amare dignoſcitur.

13 *CONFIRM.* Experimentis animæ reflectentis ſupra proprios actus, & operantis cum plena libertate ac deliberatione pro arbitrio, inferentiſque plura in ſpecie ex rationibus vniverſalibus, eorumque connexionem apertiſsimè percipientis, præſertim circa res quas nullo vnquam ſenſu in ſeipſis percepit. Quibus omnibus tam apertè concluditur ſpiritualitas animę, ſive elevatio vltra omne corpus, vt ſolus eam non videatur deprehendere, qui rationis expers eſt.

14 *A* Priori autem oſtendi poteſt ex non repugnantia, vt anima ſpiritualis eminenter extenſa correſpondeat corpori formaliter extenſo per modum actus: ſicuti Deus & Angelus formali extenſione carentes correſpondent ſpatio extenſo loci per contactum virtutis operativæ. Si autem ſemel eſt poſsibilis prædicta anima, non eſt cur de facto non putetur eſſe in homine: præſertim cùm in quibuſdam ſapientiſsimis tanta & tam varia rerum cognitio ſit, vt non, niſi ſpiritus ab omni materia liber, poſſet eas omnes habere perſpectas.

15 *QVARTA* Animam plus nimio extulit, dum illam fecit particulam mentis divinæ, & ex ipſa Dei ſubſtantia prognatam. Carpocrates enim ita ſenſit teſtante Irenæo *lib. 1. adverſus hæreſes cap. 24.* & Cerdo apud Theodoretum *libr. de Divinis decretis*, & Gnoſtici, Manichæi, ac Priſcillianiſtæ apud S. Auguſtinum *libr. de Hæreſibus cap. 46. & 70.* & S. Hieronymum *Epiſt. ad Marcellinum.* Idem ipſum antea tradiderant plures Ethnicorū, quorum teſtimonia dedimus *diſp. 75. allegatâ ſect. 1.* ac præterea Philo Iudæus *lib. Quod deteriùs, &c.* dum ait: *Quomodo autem credibile videtur, tam exiguam mentem humanam membranulâ cerebri, aut corde, aut ampliùs ſpatijs incluſam, tantam cœli mundiq; magnitudinem capere, niſi illius divinæ fœliciſq; animæ particula eſſet indiviſibilis?* Quare cōcludit, τὸν τὸν ἄνθρωπινον εἶναι τῆς θείας καὶ εὐδαίμονος ψυχῆς ἀποσπασμα ἀδιαίρετον: *mentem humanam eſſe divinæ & beatæ animæ particulam, ſed indiviſibilem.* Eodemque videtur alluſiſſe Satyricus, iis verſibus:

——— *corpus onuſtum*
Externis vitijs, animum quoque pergravat vnà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

16 *CÆTERVM* Errorem hunc damnavit S. Leo Papa *epiſt. 91. c. 5.* & Cōcilium Bracharenſe I. *capit. 5.* Reijcitur quoque ab Athanaſio *in libr. QQ. capit. de Anima*, Chryſoſtomo *hom. 13. in c. 2. Geneſ.* Auguſtino *lib. de Origine Animæ c. 2.* ac D. Thoma *1. p. q. 90. art. 1. & 2. contra Gēt. c. 85.* Ratio S. Auguſtini hæc ferè eſt. Deus eſt omnino immutabilis, vt naturæ lumine notum eſt: anima autem rationalis mutationi ſubiacet, vt & cæteræ creaturæ. Ergo anima non eſt particula decerpta ex ipſa mente aut ſubſtantia Dei. Ad hoc

enim necessarium esset, Deum aliquid suę substantiæ amittere, quod ab anima participaretur, ac proinde subire mutationē in suo esse: & animam habere esse divinum substantialiter, ideoque immutabilem esse, tum in deterius, tum in melius. *Confirm. I.* Quidquid est in Deo, est ens increatum, & immutabile: vtpotè ab omni causa independens. Ergo nihil existens in Deo potest per identitatem esse aut fieri aliquid creatum & mutabile, qualis est anima hominis. *Confirm. II.* Deus ex ratione entis à se est actus purus, omni partium compositione carēs. Ergo nullus locus est vt anima rationalis sit pars quædam Dei. *Confirm. III.* Deus per animarum rationalium productionem nullum patitur in sua perfectione dispendium. Ergo animæ rationales non sunt eius *particulæ* & *decerptæ*: quia sic imminuerent Dei perfectionem, quamvis maximam, sicuti aliæ atque aliæ guttæ è mari desumptæ imminuunt verè, quamvis parum, magnitudinem maris. Deo autem non minùs parva, quàm magna imminutio perfectionis repugnat.

17 *QVINTO* Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν, c. 5. & 8. & lib. 2. c. 8. dixit, animam rationalem non distingui in naturà ab Angelis. Similiter, & consequenter, eidem tribuitur, quòd affirmaverit homines iustos in cœlo indistinctos esse ab Angelis, impios autem in gehenna non differre à dæmonibus.

18 *VERVM* Ex testimonijs S. Scripturæ expressè constat, Angelos diversæ omnino naturæ esse ab hominibus, & animabus ipsorum, etiam in ipsa resurrectione. Nam loquēdo de eà dicitur Mathæi 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Et c. 25. sequenti, in homines impios, postquam resurrexerint sentētia illa profertur: *Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quo planè supponitur eorum diversitas à dæmonibus. Quare & in Lateranēsi Concilio sub Innocentio III. verbis suprà relatis, apertè distinguitur creatura angelica & spiritualis, ab humana coalescente ex corpore & spiritu. Præterea & in V. Synodo Generali indicitur anathema errori Origenistarum aientium, Christum D. in futuro sæculo crucifigendum iri pro dæmonibus, sicut & pro hominibus, quasi eiusdem naturæ sint. Verba exhibeo: εἴ τις λέγει, ἢ ἔχει, ὅτι δεσπότης Χριστὸς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι σταυρωθήσεται ὑπὲρ δαιμόνων, καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dixerit, vel senserit, Christum Dominum in futuro sæculo crucifigendum iri pro dæmonibus, sicut & pro hominibus; anathema sit.* Deniq; idipsum reijcit S. Thomas 2. *contra Gent. c. 94. & in Disputatis Q. de Animà, ar. 7. & 1. p. q. 75. art. 7.* tum, quia rationalis anima essentialiter est actus, sive forma corporis; quod non convenit naturæ angelicæ, vtpotè spiritui completo & perfecto: tum etiam, quia diverso modo operatur anima quàm Angelus: hic quidem per simplicem intuitum, vt docet S. Dionysius *de Divin. nomin. c. 7.* illa verò per apprehensionem, compositionem, & discursum, cognitionemque deductam ex obiectis & sensationibus materialibus. Modus autem vsque adeò diversus operandi, apertè probat diversitatem naturæ, sive quò ad *esse*. Hic etiam referendus & impugnandus videbatur error alius statuentium in quolibet homine duas rationales animas. Verùm iam reiectus est *disp. præced. sect. 2.* veluti fidei, & simul naturali rationi adversus.

19 *SEXTO* Averroes, & quidam ex Philosophis Ethnicis (quibus malè non nulli accensent Aristotelem) dixerūt vnicam omnibus hominibus inesse animam & intellectum. Qui error in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 8.* proscribitur, dum rationalis anima dicitur, *pro corporū multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda.* Deinde & ratione reijcitur: quia cùm anima rationalis in Petro v.g. sit, tamquam in subiecto connaturali, quod intrinsecè animat; nequit simul esse in alijs, atque alijs hominibus, sicut neque in subiectis & locis adæquatè diversis. Ergo distincta est anima Petri ab animabus aliorum hominum. Deinde absurdissimum apparet eandem animam & intellectum simul esse sapientissimo & stultissimo homini, eandēque iusto atque impio; eandem denique vnà tot, & tam diversa cogitare ac velle, ac cogitant voluntque innumeri ferè homines eodem momento temporis.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Animæ immortalitas ex penitiori eruditione ſacrâ & profanâ aſſeritur contra plures Veterum, quorum teſtimonia producuntur. Ariſtotelem eſſe ab hac ſententia, quidquid alij negent.

20 *SEPTIMVS* Error eſt eorũ, qui cenſuerunt rationales animas eſſe mortales, ſive quòd ſimul cum corpore intereant, ſive quod non in æternũ maneant. Ita, præter Epicureos, & alios decurtũ ſectionis allegandos, Plinius lib. 7. cap. 45. vbi, *Omnibus*, inquit, *à ſupremo die eadem, quæ ante primum: nec magis à morte ſenſus vllus, aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem.* Idem fere Euripides dum accinit in Troadibus: τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν, ἴσον λέγω. *Non eſſe natum, & mortuum eſſe, idem puto.* Seneca quoq; licèt variis locis faveat immortalitati animæ, illã negaſſe videtur dũ dixit, eodem fere ſtylo, ac præcedentes: *At ego mortem diu expertus ſum. Quando? Antequam naſcerer. Mors eſt nõ eſſe. Id quale eſt, iam ſcio. Hoc erit poſt me, quod ante me fuit.* Idemque confirmat *de Conſol. ad Marc. cap. vlt.* delumptis ferè verbis ex Epicteto *Diſſert. 3. c. 13.* qui, licèt alioqui ſapientiſsimus, idipſum ſenſiſſe videtur. Eundem errorem altè defixum habent omnes Athei, quorũ vbertima ſeges, hoc etiam ſæculo, præcipuè apud vaſtiſsimas Sinarum regiones: cuius rei authenticum penes me teſtimonium habeo in epiſtolà recenti, & digniſsimà lectu, in eo Regno ſcriptà à Venerab. P. F. Antonio à S. Maria, Sacerdote Profeſſo in Monaſterio Salmantic. S. Petri de Alcantara, & nuper pro Chriſti fide occiſo: quam mihi humaniter communicavit Reverendiſs. & doctiſsimus P. Fr. Antonius de los Martyres, Miniſter eiuſdem obſervantiſsimæ Provinciæ.

21 *VERVM* Catholicà fide certum eſt animam rationalem immortalem eſſe, ac perpetuò duraturam: idque perſpicuè traditur Sapient. 3. dum dicitur: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*: Ideſt, eorum animas: nam iuſti quò ad vitam corporis palam moriuntur. Et ſupponitur locis ſuprà indicatis, quibus de reſurrectione agitur, dicturque vnumquemque hominem reſurrecturum, ad recipiendum præmium, aut pœnam æternam. Paulus quoque contra eos, qui reſurrectionem negabant, quaſi ab abſurdo infert: *Ergo qui dormierunt in Chriſto, perierunt*: ſcilicet, etiam quò ad animas. Vnde & colligit: *Ergo vana eſt fides veſtra.* quà, ſcilicet, creditis animam poſt hominis mortem manere. Similiter & Eccleſiaſtis 12. de homine dicitur: *Revertatur pulvis in teram ſuam, vnde erat: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illam.* Sunt & alia æquè, aut magis expreſſa divinæ Scripturæ teſtimonia in idem probandum.

22 *QVARE* Patres Concilij Lateranenſis ſub Leone X. eandem doctrinã, tanquam fidei articulum definierunt *ſeſſ. 8.* his graviſsimis verbis: *Cùm diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de naturâ animæ rationalis quòd mortalis ſit, & aliqui temerè philoſophantes, ſecundùm ſaltem Philoſophiam, verum eſſe aſſeverarent: ſacro approbante Concilio damnamus ac reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe: cùm illa non ſolùm verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm immortalis.* Quæ verba poſtea expendemus pro immortalitate animæ, non qualicumque, ſed intrinſecà & eſſentiali. Vnde non ſolùm omnes SS. Patres eandem doctrinam paſſim tradunt: ſed & S. Auguſtinus *ad Voluſ. epiſt. 3.* loquens de hominibus poſt doctrinã Chriſti receptam, inquit: *Quis eſt nunc extremus idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque poſt mortem futuram?* Et Chryſoſtomus Homil. de Provid. Dei audet dicere, *eos, qui de animæ immortalitate dubitant, debitare etiam poſſe, an me ridie dies ſit.*

23 *PHILOSOPHORVM* Veteri labor in eà veritate inveniendà multus fuit à principio, vt teſtatur idem Auguſtinus *lib. 12. de Trinit. c. 9.* per hæc verba: *Humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes* (ſcilicet, quæ ad animam rationalem ſpectant) *vix pauci, magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinaſque, ſubtiliſsimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem pervenire potuerunt.* Ampliùs poſtea eadem immortalitas animi apud Philoſophos pervagata fuit: nam, vt inquit Origenes lib. 7. contra Celſum, *perſuaſum habent non ſolùm Chriſtiani, & Iudæi, ſed etiam multi, tam Græci, quàm barbari, ſupereſſe & vivere humanam animam poſt diſceſſum a corpore.* Idem ipſum de plurimis eorum teſtatur Tertullianus lib. de

de Anima c. 1. & 54. dum ait: *Omnes Philosophi, qui immortalitatem animæ, qualiter volunt, tantùm vindicant, vt Pythagoras, & Empedocles, vt Plato, & Stoici, suas solas, ideſt, SAPIENTIVM ANIMAS, in supernis mansionibus collocant.* Quippe aliqui eas solùm immortalitate donatas arbitrati sunt. Ideoq; Tacitus *in Agricolâ*, inquit: *Si, vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur MAGNÆ ANIMÆ.* Et Laertius: Κλεάνθης μὲν πάσας ἐπισταμένας φασὶ, μέχρις ἐκπυρώσεως. Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνων. *Cleantes omnes animas permanere ait vsque ad conflagrationem: Chrysippus verò solas sapientum.*

24 *CÆTERVM* Quamvis pro immortalitate animæ referat Tertullianus Stoicos generatim, saltem quò ad sapientum animas, adhuc nonnulli ex ijs oppositum docuerunt, aut rem dubiam existimarunt. Seneca, inter eos præstantissmus, vbi suprà dissentit, alijsque locis timidè loquitur. Etenim epist. 63. inquit: *Cogitemus nos citò eò perventuros, quò illum* (mortuum) *pervenisse mæremus. Et fortasse* (si modò sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) *quem putamus perijsse, præmissus est.* Alio item loco ait, *æternitatem animorum promitti magis à magnis viris, quàm probari.* Et Cicero 1. Tusc. *Stoici*, inquit, *vsuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant.* Similiter & Dionysius Halicarnassæus *lib. 5. c. 2.* dubitanter & sub disiunctione loquitur illis verbis: εἰ δὲ ἀφθαρτοι μέχρι τοῦ πανὸς συγχύσεως αἱ ψυχαὶ, &c. *Sin autem incorruptibiles in perpetuum animæ, vt quidam censent; aut tempus aliquod post solutionem corporum permanent: longissimum quidem, bonorum virorum: brevissimum, malorum: sufficiens bonos habeatur virtutis cultoribus.* Alij verò longè liberaliùs, scilicet, in omne reliquum tempus, indulsère animis vitam: vt Antiphanes, dum accinit:

Πενθεῖν δὲ μᾶλλον τοὺς προσηκόντας φίλους, &c.
Modicè propinquos luge amatores tui.
Nam mortui haud sunt, sed iter emensi prius,
Emittendum cæteris quod omnibus.
Et in quod ij venère diversorium,
In illud ipsum post modum aggregabimur,
Reliquum omne tempus commoraturi simul.

25 *QVOD* Ipsum luculentius alij ex Philosophis tradidere. Paucorum testimonia è multis seligam. Mercurius ille Ter Maximus in Asclepio à principio: *O Asclepi, omnis humana anima immortalis, sed non vniformiter cunctæ: verùm aliæ alio modò, vel tempore.* Quia nimirùm diversam post fata sortem assequentur, & alio, atque alio tempore æternitatem suam inchoabunt. Plato in Phædro: *Anima immortalis est, quæ semper à seipsa movetur.* Quibus ferè verbis vsum S. Bernardum obiter notare placuit: nam serm. 81. in Cantica inquit: *Immortalis est anima: quia cùm ipsa sibi vita sit, sicut non est, quo cadat à se, ita non est, quò cadat à vitâ.* Idem Plato in Axiocho: *Anima, immortale animal, in ergastulo mortali clausum.* Isocrates Orat. 2. de Regno: *Postquam mortale corpus, immortalem autem animam consecutus es, conare animæ numquam interitura memoriam relinquere.* Maximus Tyrius serm. 25. *Hoc, quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitatis initium, & futuræ vitæ procreatio: pereuntibus, scilicet, suâ lege, suoque tempore corporibus; animis verò ad proprium locum, propriamque vitam abscedentibus.* Quid illustrius? Nisi fortè illud Plotini lib. 7. Ennead. 4. cap. 8. *Hæc anima rationalis motus principium est, alijs exhibens motionem, movens interim semetipsam, & vitam animato corpori præstans; ipsam verò ex seipsâ possidens, amissura numquam: vtpote quæ hanc habeat à seipsâ, ideſt, non à vitâ aliâ, vel aliunde pendens.* Quæ est ipsissima Platonis, ac Bernardi sententia nuper exscripta. Denique communiter ferè in hoc consenserunt sapientes Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorumque cum suo Mercurio Trismegisto, & Gallorum, quos Druidas vocabant, & Platonicorum, ac Pythagoreorum: quamvis hi aliunde erraverint in metempsycosi asserendâ: de quâ *disp. 81.*

26 *DENIQVE* Aristoteles indubiè pro immortalitate animæ est, quidquid in oppositum interpretentur ipsum Pomponatius & Caietanus, eumque pro se habere glorientur Arhei quidam præcedentis sæculi, fortasse & præsentis; sicut & *Epicuri de grege porci*, & nonnulli ex asse Politici, quorum totus census & cura in temporali conveniențiâ est. Etenim lib. 10. Ethic. ad Nicomachum cap. 7. inquit: *Oportet immortales nos ipsos facere, cunctaque efficere, vt eâ vitâ vivamus, quæ ab eo manat, quod est eorum, quæ in nobis sunt, præstantissimum.* Supponit ergo post hanc mortalem corporis vitam superesse aliam animæ, ad quam honestatis studio promerendam, & feliciter assequendam hortatur. Et lib. 1.

cius

eiuſdem Operis cap. 10. præmiſerat: *Videtur eſſe aliquod mortuo malum & bonum: QVIA VIVIT, ETSI NON SENTIAT.* Scilicet, vivit ſpirituali & intellectuali vitâ animus cuiuſcumque poſt mortem, quamvis non vitâ ſenſibili & materiali. Et *lib. 12. Metaph. cap. 3.* agens de formis, quæ ſunt in materia, docet, nullam materiam eſſe ante compoſitum: nihil tamen prohibere, aliquam formâ eſſe poſt compoſiti deſtructionem; & hanc eſſe animam intellectivam. Et cap. 7. eiuſdem libri inquit: *Intellectus operatio vita eſt, ille verò eſt actus: actus verò per ſe illius vita optima & perpetua eſt.* Atqui in præſenti *lib. 2. de Anima c. 2. textu* 21. docet, intellectivam potentiam eſſe perpetuam atq; à corpore ſeparari poſſe. Inquit enim: *De intellectu verò contemplativaque potentiâ nondum quidquam eſt manifeſtum: ſed videtur hoc animæ genus eſſe diverſum:* καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀίδιον ἀπὸ φθαρτοῦ: *idque ſolum perinde atque perpetuum ab eo, quod occidit, ſeiungi ſepararique poteſt.* Idemque apertè confirmat infra *lib. 3. c. 4.* & pluribus locis: quamvis fatear in alijs dubiè loquutum, aut nonnihil inclinaſſe in oppoſitum. Mitto quod lib. 2. de Gener. Animal. cap. 3. aſſerat, intellectivam animam de foris venire, & eductam non eſſe de potentia materiæ. Quo planè tradit eſſe independentem à corpore, atque ideò immortalem, vt ſtatim expendam.

SECTIO TERTIA.

Eadem veritas ſuadetur ratione ex Ariſtotele erutâ; quâ & probatur, animam non vt cumque immortalem eſſe, ſed ab intrinſeco, & eſſentialiter; idque vt fide certum ſtatuitur.

27 PRIMAM Rationem deſumo ex Ariſt. tum locis nuper allegatis, tum & lib. 1. huius Operis textu 12. & 13. eamque propono ſub hac ſeveriore argumenti formâ. Omnis anima, quæ à corpore non dependet in ſuo eſſe, eſt immortalis, ſeu incorruptibilis. At rationalis anima in ſuo eſſe eſt indepẽdens à corpore. Ergo immortalis & incorruptibilis eſt. Maior ſuadetur multipliciter. *Primò.* Omnis enim anima, quæ à corpore non dependet in ſuo eſſe, eo ipſo poteſt exiſtere ſeparata à corpore. Omnis autem anima potens exiſtere ſeparata à corpore, eo ipſo immortalis eſt, & incorruptibilis: quia eo ipſo vincere poteſt mortem hominis, & perſeverare poſt illam. *Secundò* ſuadetur eadem maior. Omnis enim forma, quæ in ſuo eſſe non dependet a corpore, eo ipſo eſt aliquid ſuperius naturâ corporeâ & materiali. Omne autem quod eſt ſuperius naturâ corporeâ & materiali, eſt immortale & incorruptibile: quia in eo non ſunt duæ partes, quarum vna ſit corpus, alia verò anima, in quarum ſeparatione conſiſtit mors, ſeu corruptio viventis. *Tertiò.* Omnis forma non depẽdens à materia in ſuo eſſe, eo ipſo caret materiâ in ſuo eſſe, ac proinde caret principio corruptionis, quod in materiâ conſiſtit. Omne autem quod caret principio corruptionis, eo ipſo immortale & corruptibile eſt.

28 *IAM* Minor illa præcipua ſuaderi poteſt ex eo, quòd anima rationalis de facto ſeparatur ab homine moriente, & ſeparata permanet. Verùm quoniã Athei id impudenter negant, neque vllî animarum redeuntium apparitioni, aut revelationi divinæ circa id aſſenſum præſtant, ſed quaſi animantia bruta ijs ſolùm aſſentiunt, quæ palam apparent; probatur à poſteriori: Quia anima in ſuis operationibus intelligendi non dependet a corpore, ſive ab aliquo inſtrumento corporeo. Ergo neque in ſuo eſſe. Conſequentia patet: quia vnumquodque ita ſe habet in eſſe, ſicut & in operari: ac præterea repugnat operationem, quæ ratione perfectionis ſuæ elevatur vltra corpus, eſſque ab eo indepẽdens, naſci, niſi ex principio, & virtute æqualis vt minimum perfectionis. Antecedens verò probat Ariſt. loco indicato *ex 3. de Anima textu* 5. & 7. oſtẽdens intellectum nullo organo corporeo vti ad intelligendum, ſicut anima vtitur ad ſentiendum: ideoque intellectum appellat *ſimplicem impermiſtum*, ſicut & textu 3. *impaſſibilem*, ſive non ſuſceptivum formæ, aut contrarij, quo deſtruatur, ſed ſolùm ſpecierum, & actuum, quibus perficiatur. Et præterea ſuadetur ratione idẽ antecedens: quia operatio intellectus attingit veritates vniverſales abſtrahentes ab omni materiâ, vt rationem entis cõmuniſſimam; rationem ſpiritus qui excludentis omnem materiam; & reflectit ſupra ſeipſam, vt experimẽto patet. Eiuſmodi autem operationes planè indepen-

den-

dentes ſunt ab organo corporeo. Ergo animus rationalis elicit operationes indepẽdentes ab organo corporeo.

29 *DICES I.* Iuxta eundem Ariſt. & omnes Chriſtianos Philoſophos, nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; & oportet intelligentẽ ſpeculari phantaſmata. Ergo anima in intelligendo dependet ab organo corporeo, ſive ſenſu, & à ſenſibilibus ſpeciebus. *RESP.* nihil eſſe in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu; non tamen eodem modo, ſed diverſo: nam in ſenſu obiecta ſunt materiali, ac ſenſibili modo, ſecundùm eas conditiones individuales & corporeas, quas ſpecies ſenſibiles, ſive phantaſmata, repræſentant ſenſui, & ſubinde intellectui: cæterùm in intellectu obiecta, etiam materialia, & ſenſibilia, ſunt modo immateriali & inſenſibili; vtpote abſtracta ab omni materiâ, ſaltem ſingulari. Quare licèt omnis operatio intellectus præſuppoſitivè pendeat à ſenſu, tanquam ab inſtrumento immediatè verſante circa ſingularia & externa; non tamen tanquam à virtute elicitivà, quæ debet eſſe independens à corpore, ſicut ipſe actus intelligendi in ſeipſo. Et id quidem ſolùm pro hoc ſtatu, ac ſecundùm communem modum intelligendi, quem habet anima, dum corpori cõiuncta eſt: nam poſtquam ab eo ſeparatur, nullo pacto pendet à corpore in intelligendo, ideoq; meliùs intelligit. Quare idem Ariſt. lib. 1. huius Operis *textu* 49. inquit, *melius eſſe animæ ad intelligendum ſine corpore eſſe.* Idque eleganter præ alijs exponit Maximus Tyrius ſuprà allegatus *Serm.* 27. dum ait: *Poſtquam animus depoſito corpore decedens, hinc ſe in illum locum ſtatuerit cæleſtem, corpuſque terræ corrumpendum reliquerit; ipſo momento longeque ex homine evadit animus, ideſt, ſuis puriſque oculis ſpectacula intuetur, nihil à corporeis illicitis atque obſtaculis impeditus, nihil à varietate confuſus figurarum, aut ab aëris caligine obſeſſus: verùm meram pulchritudinem meris oculis cernens, exultat.*

30 *DICES II.* Gratia habitualis & cætera dona ſupernaturalia, non pendent ab organo corporeo in eſſe, neque in ſuis operationibus, vtpote ſpiritualibus: & tamen corruptibilia ſunt, ac ſæpè corrumpuntur de facto per peccatum. Ergo ex eo quòd rationalis animus in ſuis operationibus minimè pendeat ab organo corporeo, malè colligimus debere eſſe incorruptibilem, ac proinde immortalem. Similiter & actus ipſe intelligendi ſpiritualis eſt, ac proinde independens ab organo corporeo, non ſolùm vt principio activo, ſed etiam paſsivo. Et tamen corrumpitur, ſeu deſinit eſſe, quoties anima deſiſtit ab intelligendo, aut pro libito divertit ad alium cognitionis actum. Ergo ex ſpiritualitate & independentiâ animæ ab organo corporeo in eſſendo & operando, perperam infertur non poſſe eam corrumpi, ſeu deſinere eſſe.

31 *HÆC* Obiectio non eſt Atheorum, quibus ignota eſt gratia Dei; ſed Philoſophorum quorundam Chriſtianæ & Philoſophicæ Scholæ, quibus videtur ratione præiactâ non demonſtrari evidenter immortalitatem animæ, adhuc dato quòd demonſtretur eius immaterialitas. Ego tamen, licèt nec audeam diſcurſum præcedentem, quaſi omnino demonſtrativum tueri; adhuc efficaciſsimum reputo, & diſcrimen aſsigno: quia dona ſupernaturalia, licèt nec in ſuo eſſe, nec in ſuis operationibus pendeant à corpore, ideoq; ſpiritualia ſint; pendent tamen in ſui conſervatione à libertate ſubiecti, potentis pro ratione arbitrij ea conſervare, aut reſpuere, per conſenſum in peccatum lethale, oppoſitum ex naturâ rei, immò & eſſentialiter, gratiæ iuſtificanti. Non enim auferunt, aut impediunt plenam viatoris libertatem in bonum & malum: ideoque corrumpi poſſunt abſolutè, & nullo modo manere in ſeipſis; vtpotè accidentia, quamvis ſpiritualia, immò & ſupernaturalia. Cæterùm anima rationalis quò ad ſuum eſſe, operationeſque intelligendi neceſſarias (loquamur de his) nec pendet à corpore, neque ab arbitrio; nec homo in ſeipſo manens poteſt inducere aliquid incompoſsibile cùm abſolutâ exiſtentiâ ipſius animæ. Nam quamvis poſsit occidere ſeipſum, ac proinde in materiam, ſive corpus ſuum, inducere aliquid oppoſitum animæ, nimirùm, formam cadaveris; hæc non eſt incompoſsibilis cum exiſtentiâ abſolutâ animæ rationalis, quàm poteſt habere extra corpus; ſed tantùm cum determinatâ illius vnione ad corpus, quod ſimul nequit ſubire informationem duplicis formæ ſubſtantialis. Quare anima rationalis non habet vnde, aut quomodo corrumpatur: neque ex capite ſubiecti; neque etiam ex parte ſui: quia non ſolùm eſt independens à corpore in ſuo eſſe, verùm

rùm etiã forma ſubſtantialis, ac per ſe ſubſiſtens. Intellectio autem, ſeu libera, ſeu neceſſaria, pendet ab actuali applicatione animæ ad illam conſervandam, quæ applicatio ſæpè deficit, ſive ob libertatem, ſive ob impedimentum naturale animæ.

32 *ARGVMENTO* Præiacto, ſi rectè expendatur, non ſolùm extorquetur immortalitas & incorruptibilitas animæ, ſed eſſentialis, & ab intrinſeco ipſi conveniens. Eo namque ipſo quòd ſubſtantia ſpiritualis ſit, & independens à corpore, habet id, non ratione alicuius ſtatus, aut prædicati accidentalis, ſed ratione entitatis ſuæ, ac prædicatorum eſſentialium. Ergo & eſſentiale ipſi eſt quod immortalis & incorruptibilis ſit. Hac ratione etiam, & potiſsimùm, Angeli naturâ ſuâ immortales ſunt: quoniam cùm eſſentialiter habeant rationem ſubſtantiæ ſpiritualis, repugnat ipſis habere contrarium, ex cuius introductione omnis corruptio & mors oritur. Atqui & animæ in ſuo eſſe abſoluto repugnat habere contrarium, quoniam etiam ſubſtantia ſpiritualis eſt. Ergo & ipſi naturâ ſuâ repugnat omnis mors & corruptio. Quare tam Angelus, quàm rationalis anima, ſolùm poſſunt deſtrui a Deo mediâ annihilatione, ſive ſuſpenſione concurſus conſervativi.

33 *CONFIRM.* Dupliciter. *Primò*: Quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: vt eſt notiſsima regula iuris, fundatâ in naturis rerum: cui conſonat vulgatum illud axioma Philoſophorum, omne quod eſt corruptibile eſſe generabile, & è contra. Atqui vt docet Philoſophus *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 13.* anima rationalis ſolùm ab extrinſeco advenit: ideſt, non generatur, non educitur ex materiâ præiacente, vt reliquæ formæ, ſed tantùm apta eſt naſci per creationem: quod ex profeſſo probabimus *diſp. ſequenti.* Ergo neque moritur, neque corrumpitur vt cæteræ formæ, ſed tantùm apta eſt diſſolvi per annihilationem. Vnde ſicuti ex natura ſuâ ingenerabilis eſt, ita etiam incorruptibilis & immortalis. *Secundò*, & quaſi à priori. Poſsibilis eſt abſolutè anima, quæ eſſentialiter exigat nullam ſubire corruptionem ſtrictam, ſeu non habere contrarium, à quo deſtruatur: tum, quia in hoc nulla repugnantia apparet, neque hactenus ab Atheis, aut Epicurcis adducta eſt. Si autem illa ſemel eſt poſsibilis, videtur nulla alia melius, quam rationalis anima actu exiſtens: vtpotè ſpiritualis, independens à corpore, & principium nobiliſsimarum operationum. Ergo illa eſſentialiter exigit nullam ſubire corruptionem ſtrictam, ſeu nullum habere contrarium.

34 *QVID QVID* Autem ſit an diſcurſus precedens ſit demonſtrativus (quod doctioribus expendendum reliquo) certum ſecundùm fidem eſt, immortalitatem convenire animæ rationali ab intrinſeco, ſive ſecundum naturam ſuam: quia teſtimonia Scripturæ allegata *num. 21.* & alia pleraque, in eo ſenſu accipiuntur vnanimiter à Patribus & Doctoribus, quorum denſum agmen allegat Suarez *l. 1. de Animâ cap. 10. à num. 9.* præſertim accedente declaratione Concilij Lateranenſis ibidem exſcriptâ: in quâ eodem tenore verborum exprimitur, animam per ſe & eſſentialiter eſſe formam humani corporis, atque immortalem: *Damnamus*, inquit, *ac reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe: cùm non ſolùm verè, perſe, & eſſentialiter, humani corporis forma exiſtat, verùm immortalis.* Neque in eo Concilio differebatur præcipuè, an reipsà animæ hominum vtcumque immortales extituræ eſſent: cùm apertè conſtaret, duraturas in æternum; idque haberetur expreſsè cap. 25. Mathæi, vbi dicitur, malos ituros in ignem æternum, iuſtos autem in vitam æternam: ſed potiſsima contentio erat, vtrùm rationalibus animis ab intrinſeco conveniat ea perpetua incorruptio. Quare illam negantes, à Concilio damnantur. Vnde reijciendus error contrarius aliquorum, & præſertim Laertij *in Zenone*, aientis, τὴν ψυχὴν μετὰ θάνατον ἐπιμένειν· φθαρτὸν δὲ εἶναι: *Animam à morte permanere: mortalem tamen eſſe.*

SECTIO QVARTA.

Selectæ aliæ rationes rationalem animum ab interitu, ſeu mortalitate, vindicantes, adverſum Atheos, Epicureos, & Politicos quoſdam.

35 *SECVNDO* Probarur eadem veritas variis rationibus à D. Auguſtino *tom. 1. toto libro de Immortal. Animæ* Suarez *vbi ſuprà cap. 11.* Percio *lib. 6. de Rebus Nat. c. 19.* Leſsio *tom. Opuſc. lib. 2.* de hoc ipſo argumento, ſicut & à Petro Gre-

Gregorio tribus integris libris, qui habentur *tom.* 4. Operum ipsius, parte posteriori. Nobis non licet tam fusè rem hanc stabilire, præsertim scribentibus intra ipsum Catholicæ Ecclesiæ sinum, atque in Hispania, vbi (vt verba Augustini resumam) *nullus est extremus idiota, vel mulierecula, quæ immortalitatem animæ non credat.* Quare paucas illarum proponam, & breviter, vt apud prædictos Authores plenius videantur. Itaque,

36 *SECVNDA* Ratio sit, ac præcedenti cohærens, ex subtilitate operationum, quibus anima penetrat, aut saltem penetrare conatur, rerum quidditatem, proprietatesque intimas: præscindit, seu dividit, quæ idem realiter sunt: iudicat quænam necessariò, quænam contingenter rei conveniant: varias rerum habitudines fingit, aut considerat: ex effectis, etiam minimis, ad summam causam omnium ascendit: in seipsam reflectit, & dijudicat an certò, an probabiliter, an erronea consideratione obiectum attigerit, distribuatque varios suæ ipsius substantiæ sinus, seu gradus, quamvis realiter indistinctos, & ijs formaliter tribuat varias ac diversas operationes: nova entia, novos mundos, eorumque combinationes, atque hypotheses molitur: ipsam denique æternitatem, prout distinctam ab omni aliâ finitâ duratione, definit, at vividissimè speculatur. Hæc autem omnia divinũ aliquid in eâ ostendunt, longè superius corruptibilibus crassisque brutorum animis, ac propterea naturâ suâ immortale & incorruptibile.

37 *CONFIRM.* Contra Epicureos, & Atheos, ex hac ipsâ disputatione, quam cum ijs habemus, differentes de ipsâ spiritualitate & immortalitate animæ, vt obiecto nostræ controversiæ: idque expendendo rationes à materia abstractas, quas nos vrgemus, & ipsi enervare studebunt variis evasionibus, hinc inde petitis. Hoc autem fieri non posset, nisi tam nos, quàm ij, constaremus animo formis materialibus & corruptibilibus superiore, qui proinde vim habeat spiritualem discernendi, minimè mortalem, aut caducam. Quod si eam se habere negent, & belluarum more tantùm sibi vitam cogitandique vim adscribant; frustra cum ijs certamen litterarium initur, quod totius animi vires, intentionemque mentis ad differendum exigit.

38 *TERTIA.* In homine est naturalis appetitus ad sempiternam vitam. Ergo anima per totam æternitatem immortalis permanebit. Consequentia patet: Quia appetitus naturalis nõ est frustaneus. Antecedens verò multipliciter suadetur. *Primò* cum Aristot. *lib.* 1. *Ethic. c.* 10. ex desiderio, quod omnes fere homines habemus, gloriæ nominis comparandæ: quod in quibusdam adeò vehemens est, vt nullo labori, aut sumptui parcant, tum in voluminibus scribendis, tum & in extruendis monumentis, superbisque ædificijs, in quibus æternetur ipsorum memoria. Hinc elevata in cœlum vsque turris Babel, Babyloniorum muri, Pyramides Ægypti, Colossus Rhodius, & alia Orbis prodigia. *Secundò* ex desiderio diutius ac semper vivendi: quod tam potens ac vividum quãdoque fuit, vt Theombrotus lecto Platonis dialogo, cui *Phædon* nomen est, quo ille de immortalitate animæ differit, non dubitaverit se ex alto præcipitem dare, vt statim vitam immortalem inchoaret. Ita enim refert S. August. *lib.* 1. *de Civit. c.* 22. post Ciceronem lib. 1. Tuscul. QQ. *Tertiò* ex innato amore degendi assiduo in aliorum societate & convictu: cuius causâ, & fora, & templa, & atria, & populi, & vrbes, & leges, & omnis humanæ vitæ ratio. *Quartò* ex naturali appetitu sciendi, intuendique, non modò quæ apud nos visibilia sunt, sed etiam quæ sensus latent, & neque intellectui ipsi in hac vitâ mortali plenè perspecta habentur: vt substantiam ipsam animæ prout est quidditativè in se, substantiam Angelorum, & pleraque alia, quæ solùm in alia venturâ vitâ plenè videri possunt. Quod enim existant spiritus invisibiles, & distincti ab eo, qui est in vnoquoque nostrùm; palam apparet in quibusdam energumenis mira dicentibus & operantibus, & ex effectibus admirandis magiæ superstitiosæ: quamvis evidenter non probetur ex ijs præcisè existentia dæmonum determinatè, sed vel dæmonum, vel animarum fontum, à corpore separatarum.

39 *QVARTA* Ex dominio animæ supra corpus, ac plenâ libertate supra effectus carnis & sanguinis, quibus ita superior est, vt quandoque ob studium honesti non dubitet in proposito suo persistere, etiam cum dispendio bonorum omnium, & ipsius temporalis vitæ. Id constat innumeris Martyrum exemplis, & luculenter

ostens-

oſtēdit Ioſephus in Opuſc. cui epigrapha: Ὅτι αὐτοκράτωρ τῶν παθῶν ὁ λογισμός: *Quòd Ratio affectuum ſit domina.* Eius verò imperij nulla idonea ratio aſsignari poteſt, niſi præſupponatur in animo naturæ ſublimitas vltra mortalia omnia & caduca, ac proinde vita poſt corporis corruptionem ſuperſtes. *Confirm.* Si enim anima poſt mortem non maneret incorrupta, nihil homo æqualiter horreret ac mortē; nihilque aliud eſſet, cuius ſtudio mortem ipſam admitteret: ſiquidem cum eà amitteret pariter omnia bona, nullumque iam de cætero bonum ſperare poſſet. Cùm ergo infinitis experimentis conſtet homines contemnere vitam ipſam, etiam ſupereffluentem omnibus fortunæ bonis, ſive ſtudio honeſti, ſive gloriæ comparandæ; palam eſt, animis ſupereſſe aliam & meliorem vitam.

40 *QVINTA* Ex naturali appetitu beatitudinis conſequendæ, qui nullis vitæ huius bonis vnquam ſatiari poteſt, nec ſi omnia pro voto alicui accidāt, nec ſi fortuna omnium voluptatum lenocinio ipſi blandiatur: adhuc enim in ſuam beatitudinem, quæcumque illa ſit, vehementer inclinat, & nunquā in præſenti vita ad illam conſequendam pertingit. Ergo quia poſsibilis eſt homini poſt hanc vitā plena beatitudo, quam ſanè ſine vita, & immortalitate obtinere non poteſt. Quam rationem inſinuat David Pſ. 16. dum accinit: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Id eſt, nullo alio bono ſatiari poſſum, niſi gloriā tuā, ſeu beatitudine, quam exopto. Idemque elucidat S. Auguſt. *lib.* 1. *Confeſſ. c.* 1. dicens: *Feciſti nos ad te; & inquietum eſt cor noſtrū, donec requieſcat in te.*

41 *SEXTA* Procedit, ſuppoſitā contra Atheos exiſtentia Dei, quam multipliciter demonſtrāt Philoſophi ac Theologi, & nos cum ijs tomo præced. *diſp.* 40. per totam, atque vberiùs in Metaphyſica. Eo namq; ipſo quòd Deus exiſtat, debet eſſe infinitè ſapiens ac iuſtus: ideoque conſcius meritorum & demeritorum, vt illis præmium, his verò pœnam tribuat, iuxta modum vniuſcuiuſque. Videmus autem mori quoſdā hominum ſceleratiſsimos, qui interfelicitates, ac voluptates, turpitudineſque totam vitam traduxerunt; & è cōtrà alios, quamvis honeſtiſsimos, & aſsiduos virtutum cultores, in perpetua calamitate, ægritudine, ac laboribus vitam tranſigere & finire. Ergo vtrorūque animæ permanent immortales ad ſubeundam pœnam, vel obtinendum præmium. Si enim immortales nō manerent, nullus eſſet locus ad ſupplicium & præmium, quod Deus titulo iuſtitiæ tenetur conferre: ſed omnes, iuſti, atque iniuſti, æqualem poſt fata ſortem, immò nullam experirentur.

42 Quæ conſideratio graviter & elegāter proponitur a D. Chryſoſtomo ſerm. 4. de Providentia, vbi ita loquitur: *Si nihil eſt poſt hanc vitam* (nempe, ſi anima poſt mortem non permanet) *ergo neque Deus eſt. Nam ſi Deus eſt, iuſtus eſt. Si iuſtus eſt; iuxta merita vnicuique diſtribuit. Si autem nihil eſt poſt hanc vitam, vbi accipient ſinguli pro ſuis meritis? Multi hīc bene habent, & in honore degunt, licèt mali. Alij verò afflīguntur licèt iuſtè vivant. Si ergo poſt hæc nihil eſt, emigrabunt iuſti affecti iniuria, & iniuſti immeritā felicitate potiti. Vbi manebit ergo iuſtitia? Si enim nemo, quæ meritus eſt, accipiat; neque Deus ſecundùm ſe iuſtus eſt. Si autem Deus non eſt iuſtus; neque Deus eſt.* Et inferiùs. *Atqui Deū eſſe, creatura clamitant. Igitur iuſtus eſt. Quòd ſi iuſtus eſt; tribuit vnicuique quod iuſtum. Si vnicuique quod iuſtum eſt tribuit; neceſſe eſt poſt hanc vitā eſſe tempus, in quo ſinguli iuxta merita accipiant.* Quid nervoſius?

43 *CONFIRM.* Si enim anima ſimul cum corpore extinguitur, nec manet poſt obitum ad recipiendam operum retributionē; non ſolùm erunt homine beatiora pleraque animantia bruta, quæ ſine dolore aut moleſtia fere vllā vitam tranſigūt; ſed etiam inter homines beatior erit qui longiori tempore ſeſe totum tradit ingluvici, ac ventri, & voluptatibus carnis, quàm qui aſsidua virtutum exercitatione, & maceratione carnis, ac ſui ipſius abnegatione, vitam ærumnoſam traducit. Quare quò ſanctior quis fuerit, eò infelicior erit; quo autem nequior, eò beatior. Conſequēs autem ſine horrore audiri nequit, nec proferri abſque iniuria Providētiæ ac iuſtitiæ Dei. Quæ ratio fere eadem eſt cum illa Apoſtoli 1. Corinth. 1. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus* (ſcilicet; ſi nihil præmij ſupereſt Chriſtianis poſt vitam hanc) *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus?* Nimirum, nullis delectationibus potiti in hac vita mortali, quibus alij abundant, poſtea carebimus omni vitā & præmio. Et Dionyſius Halicarnaſſæus, quamvis Ethnicus, idem agnoviſſe videtur *lib.* 8. vbi de Marcio Coriolano infeli-

citer extincto loquens, inquit: *Si igitur anima etiam interit, haud video quomodo beatos dicam, qui nullo ex virtute fructu, ob ipsam etiam pereunt.* Verùm hæc pauca libasse satis.

SECTIO QVINTA.

Quibus argumentis nitantur, aut niti possint qui animæ rationali mortalitatem adscribunt, & illorum solutio. Vbi quo sensu rationalis anima, adhuc ex propria ratione, sit forma corporis.

44 *OPPONVNT I.* Similitudinẽ corporum, quæ intercedit hominibus & animãtibus brutis. Tam enim homines, quàm bruta, videm⁹ similiter concipi in vtero matris, formari, nasci, nutriri, augescere, senescere, ægrotare, mori. Videmus præterea similibus constare partibus, organis, sensibus, tũ internis, tum & externis. Ergo & simili forma constant: ideoque quemadmodum moriente bruto anima eius dissolvitur, atque omnino desinit esse; ita etiam rationalis anima moriente homine.

45 *RESP.* Esse quidem magnam similitudinem & affinitatem homini cum brutis, si solùm portio sensitiva spectetur, consistens potissimùm in organica corporis structura, ac singularum partium vsu, & operationibus ad sensum spectãtibus. Cæterùm si de parte rationali sermo sit, & de ijs, quæ ad hominem in propria specie cõsiderata attinent, ingens & propemodũ infinita distantia ac dissimilitudo est. Vt enim omittam nobilissimas animæ rationalis operationes vtràque sectione præcedenti indicatas, quæ omnium brutorum operationes longissimo superãt intervallo; quis non videat quàm humilis & ferè nulla sit cognitio in brutis, etiam ijs, quæ videntur cæteris vividiora? Canes dico (amicũ mihi genus, fateor) qui, licet multa satis admiranda præstent, præcipuè ad fidelitatem & obsequium spectantia; adhuc nesciũt an dominus sit dives, vel pauper; servus, an liber; nobilis, an ignobilis; civis, an barbarus; bonus, an nequam. Non communicant domino in negotijs, aut consilijs. Non distinguunt inter honestum, aut turpe. Non rimantur, non scrutantur, non curant substãtias, aut quidditates, vel propietates rerum, nec structuram quidẽ internam corporis sui. Tota vis perceptiva illorum ad pauca & visibilia restringitur, tum fugienda, quia sibi nociva repræsentãtur in phantasia; tum & quærenda, quia apparent ijs delectabilia, aut congrua suæ vitæ, sive propagationi. Patet igitur brutorum operationes quàm longissimè distare ab ijs, quarum principium est rationalis anima, vt rationalis.

46 *OPPONES II.* Anima rationalis, etiam quatenus rationalis, est actus informativus corporis. Ergo dependet in suo esse à corpore, tanquam à causa materiali receptiva: sicut omnes aliæ formæ, tum substantiales, tum & accidentales, dependent à subiectis, quorum sunt actus informativi, tanquam à causis materialibus. Ergo sicuti ob hanc rationem cæteræ formæ nequeunt conservari extra subiecta propria; sic neque anima rationalis extra corpus. Cùm igitur cæteræ formæ eam ob causam mortales sint, etiam rationalis anima est mortalis.

47 *RESP.* Aliqui ex doctrina Caietani 1.*p.q.*76.*art.* .*in solut.ad* 1.& Ferrariæ 2.*contra Gent.c.*58.*dub.vlt.* §. *Ad primum*, animam rationalem vt rationalem non esse actum informativum corporis, sed solùm quatenus vegetativam & sensitivam. *SED Contrà I.* Quia in Concilio Lateran. suprà allegato definitur animã rationalem *non solùm verè, per se, & essentialiter humani corporis formam existere, verùm & immortalem.* Vbi sermo est planè de anima rationali secundùm quòd rationalis est, sive secundùm propriam & specificam rationem: quia secundùm hanc est forma hominis, & immortalis. *Contrà II.* Anima enim hominis secundùm eandem indivisibilem entitatem realem est sensitiva & rationalis. Ergo nequit informare realiter materiam secundùm vnam rationẽ, quin etiam secundùm aliam. Informat enim corpus, quatenus ipsi vnitur; & quemadmodum vnio non præscindit realiter inter extrema vnita, si sint realiter identificata, nec productio terminata ad vnionem potest præscindere producendo vnum, & non producendo realiter aliud cum eo identificatum; sic etiam anima nequit informare corpus humanum secũdùm quòd sensitiva est, nisi etiam secundùm quod rationalis. *Contrà III.* Homo est intrinsecè rationalis formaliter. Ergo ab aliqua forma intrinsecè constituente ipsum rationalem, & non extrinsecè assistente, vt aie-

bat

bat Averroes ſuprà *n.* 19. ab Eccleſia reiectus. Ergo cùm in homine non ſit alia forma, à qua intrinſecè rationalis conſtituatur, niſi anima rationalis vt talis; hæc vt talis eſt forma intrinſecè conſtitutiva hominis. Ergo & quatenus talis eſt actus informativus humani corporis: quia nulla forma conſtituit intrinſecè aliquod totũ, niſi informando materiam ipſius.

48 *DICES*: Anima rationalis non præſtat materiæ vt ſit rationalis. Ergo neque informat materiam quatenus rationalis eſt, neque vnitur ipſi ſub ea conſideratione. *RESP.* negando conſequentiam: quia neque anima rationalis præſtat materiæ vt ſit forma, neque, vt ſit per identitatem vegetativa, aut ſenſitiva, ſicut ipſa forma. Nullum enim prædicatum habet per identitatem realem materia ſub aliqua forma, quod ſub alia quacumque non habeat: nec fieri poteſt vt ſub anima rationali, vel alia quacumque anima, idẽtificet ſibi aliquod prædicatum, quod antea non haberẽt: aut poſtea habitura non ſit: quia quæ ſemel realiter ſunt idem, ſem per ſunt idem. Solùm igitur informat anima materiam, quatenus per modum formæ, ſive actus incompleti, terminat intrinſecam vnionem illius, & ſimul cum eà conſtituit vnum aliquod totum eſſentialiter includens vtramque vt partem ſui. Anima autem rationalis terminat vnionem materiæ, non modò penes gradum vegetandi, aut ſentiendi, ſed etiam ratiocinandi: ideoque totum ipſum conſtituit rationale: quamvis non in quálibet parte corporis exerceat indifferenter omnes actus vitæ correſpondentes ijs gradibus, ſed ſolùm iuxta cuiuſque partis capacitatẽ & diſpoſitionem.

49 *QVARE*, Quidquid ſit de mente Caietani ac Ferrariæ, quos piè ſimul ac rationabiliter exponere operoſum non eſſet; ad argumentum concedo antecedẽs, & nego conſequẽtiam, ac paritatem aliarum formarum. quæ non ideo præcisè dependent in ſuo eſſe à ſubiectis, quoniam illa informant: ſed quia non ſunt ſpirituales ſubſtantiæ, ſive per ſe ſubſiſtentes, quẽadmodum anima rationalis: ſed vel ſunt materiales ſubſtantiæ; ac proinde pendentes à materia in *fieri*, & *eſſe*. vel ſunt accidentia, quæ nequeunt conſervari extra ſubiectum: quoniam ſunt entia in alio, ac proinde impotentia exiſtere per ſe.

50 *OPPONES III.* Concilium Conſtantinop. VI. *act.* 11. vbi definitur, *animam rationalem non eſſe immortalem per naturam ſed per gratiam*. Similiter & illud Apoſtoli de Deo aientis: *Qui ſolùs habet immortalitatem*. Ergo rationalis anima natura ſua mortalis, ac proinde generabilis & corruptibilis eſt. *RESP.* Eandem obiectionem fieri ſolere circa Angelos, de quibus Scriptura & Patres eodem modo loquuntur. Solutio autem ex D. Auguſt. *lib. 4. contra Maximin. c. 3.* aliiſque locis, eſt, ſolùm Deum natura ſua immortalem eſſe, quia ſoli illi repugnat naturaliter mors, ſive per peccatum, ſive per mutationem ſui: ſecus autem rationali creaturæ, quæ ex ſe peccare poteſt, & mutationibus obnoxia eſt, quamvis per grátiam, ſive gratuitam Dei conceſsionem, ab ijs malis præſervetur. Adde ex dictis in Phyſica, *diſput.* 45. præſertim *n.* 35. nec animam rationalem, nec Angelos habere ius aliquod naturale, ne annihilentur à Deo; ſed ſolùm ne corrumpantur per inductionem alicuius formæ contrariæ, quæ nulla eſt: ideoque dici mortales naturà ſuà, quia non habẽt perfectionem aliquam, ratione cuius ijs repugnet annihilari à Deo; quamvis intrinſecè ſint ſubſtantiæ ſpirituales, ideoque oppoſitionem eſſentialem habentes cum ſtricta corruptione.

51 *OPPONES IV.* Omne quod eſt generabile eſt etiam mortale & corruptibile. Atqui rationalis anima eſt generabilis, & de facto generatur. Ergo & corruptibilis eſt. Maior eſt axioma Ariſt. & probatur præterea: Quia omne quod eſt generabile, eo ipſo eſt educibile à generante ex potentia materiæ, ac proinde dependenter ab illa in *fieri*, & *eſſe*, vt oportet ad rationem eductionis. Omne autem quod producitur dependenter à materia in *fieri*, & *eſſe*, eo ipſo corruptibile eſt, & ſeorſim à materia exiſtere nõ poteſt. Iam minor præcipua probari poteſt pluribus argumentis examinandis diſputatione ſequenti.

ILLMO. ET CLARISSIMO HEROI
D. D. IOANNI REMIREZ DE GVEVARA ET ARELLANO,
CALATRAVENSI EQVITI, MARCHIONI DE MIRANDA, SVMMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

DVM Rationalis Animæ initium consídero, statim occurrit tritum illud: *mihi genus ab Iove summo.* Quid enim singularis gloriæ affert, quod omnibus commune est? Nullius hominum è media plebe, nullius pauperis mens aliunde processit, quàm ab vno & summo Deo. *Animus*, inquit Seneca ad Helv. c. 6. *si primam eius originem inspexeris, non est ex terreno, gravique concretus corpore: sed ex illo cœlesti Spiritu descendit.* Ipse animorum omnium idea, origo, fons: & quidem ipse solus. quod huius Dissertationis præcipuum institutum est. Verùm & præterea singularis gloriæ est, vitam corporis, sanguinem, indolem, à claris parentibus accepisse. Sic enim corpus quoddãmodo æmulatur nobilitatẽ animæ, & cò magis, quo ex illustriori stirpe processerit. Latissimus modò patebat campus, vberrimaque seges, ad congerendos manipulos elogiorum illustrissimæ Domus Tuæ, CLARISSIME PRINCEPS. Si paternam genesim consídero, totius Rivogiæ Nostræ splendidissimam; illa sex retro sæculis à Sereníssimis Navarræ Regibus ortum duxit. In tanta rerum ac temporum vicissitudine, eadem est ac fuit; &, vt cum Poeta dicam, NECDVM SVA FORMA RECESSIT. Prodierunt, prodeuntque ex eà Toparchæ *de Alcanadre*, Comites *de Aguilar*, Hispaniæ Magnates, & subinde tot Heroes, Duces, Consiliarij Regum, Principes, vltra numerum ferè. Anno Christi circiter M.XCIX. Maiores Tui sanctam Hierosolymorum vrbem aggressi, quà parte murus Probaticæ Piscinæ respondebat, illam eripuere Barbaris, & Christiano Imperio asseruère. Ideo ab eo tempore Domus Tua ab ipso Navarræ Infante, vertice tuo, REMIREZ DE LA PISCINA, cognominata est. Cuius rei, tum Historici fidem faciunt, tum vetus traditio, tum & monumenta Regij & antiquissimi Monasterij S. ÆMILIANI in Rivogia. Si autem ad maternã genesim oculos convertam, nihil tota Hispania sublimius est. Recta enim linea ducitur ab Excellentissimis Ducibus *de Osuna*, Comitibus *de Vreña*, quibus esse ac fuisse Hispaniæ Magnates, non summa laus est. Quare iàm non est quòd ampliùs immorer commendandæ posteris nobilitati Tuæ, quam indigitasse sufficerit. At præterire non licet, hæreditariæ gloriæ accessionem factam cultu litterarum in hac Salmanticensi Academia, vbi Togam Maioris Collegij D. BARTHOLOMÆI adeptus es, & meruisti alium atque alium ascensum in tot Senatorij Ordinis gradus, vsque ad summum hunc, quem dignissimè obtines. In ijs omnibus ea integritatis & iustitiæ Tuæ opinio fuit, quæ tantum Heroem decuit. Vt animam divina origine nobilissimam turpant, quicumque siniſtrè operantur; ita & sanguinem, & generis claritatem obscurant. Rei sanguinis, & animæ sunt, qui vtrique eripiunt originis decus. TV amborum splendori & æternaturæ felicitati operaris studio IVSTI ET ÆQVI. Liceat igitur Disputatione hac DE ORIGINE ANIMÆ Virum gravissimum alloqui: quæ nec minorem adire dignaretur. Ijs enim honoribus decorata olim fuit, vt intrepida procedet ex humilibus Philosophorum caveis ad intimiora Regum cubicula. Et S. Augustinus, clarissimum Ecclesiæ lumen, eam controversiam dignam putavit, quæ Maximo Doctori Hieronymo inscriberetur. VALE itaque, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, meque fa vorum ac clientum Tuorum numero accense.

DIS-

DISPVT. OCTVAGESIMA.

DE ORIGINE ANIMÆ.

Vtrùm Animæ medio ſemine propagentur?

Num. 1. HÆC Controverſia à priſcis ſæculis celeberrima fuit inter Philoſophos: vt Platonem, Pythagoram, Ariſtotelem, alioſque plures. Meruit etiam à graviſſimis & præſtantiſſimis Eccleſiæ Doctoribus Patribuſque exagitari, ac præſertim ab Auguſtino, qui librum integrum de hoc ipſo argumento ſcripſit, & dicavit Hieronymo, præter ea quæ circa eandem ſcripſit lib. 3. de Libero arbitrio c. 21. *Quàm verò difficilis ſit, idem Hieronymus ingenuè atque humiliter fatetur* in Apolog. adverſus Ruffinum *dicens*: De animâ fateor me apud plurimos diverſa legiſſe. Legi quoſdam, dicentes quòd pariter cum corpore per humani corporis traducem, etiam animæ diffundãtur. quod puto inter Latinos Tertullianum ſenſiſſe, vel Lactantium fortaſsis, & nonnullos alios. Alij aſſerunt quòd formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas & infundat. Alij factas iam olim, id eſt, cùm omnia creavit Deus ex nihilo, nunc eas iudicio ſuo naſci diſpenſet in corpore. Hoc ſentit & Origenes, & nonnulli alij Græcorum. Ego verò, cùm hæc ſingula legerim, Deo teſte dico, quia vſque ad præſens certi & definiti aliquid in hac quæſtione non teneo. *Vbi ferè omnia capita opinionum circa animæ originem refert: quas omnes examinare oportet: longè tamen operoſiùs eam quæ docet animas, præſertim rationales medio ſemine propagari. Excitari poteſt controverſia hæc in omnia illa Ariſt. loca, in quæ diſputatio præcedens: ſiquidem in ijs agitur de animæ incorporeitate & immortalitate: ex quibus potiſsimè pendet difficultas præſens.*

SECTIO PRIMA.

Opinio quorundam Veterum de propagatione animæ rationalis medio ſemine, innovata à Semerto, rejicitur ex cenſura Patrum, & immortalitate Animæ.

2 PRIMA Opinio relata à D. Hieronymo, aſſerit rationales animas ex ſemine propagari. Ita cenſuere Luciferiani, vt refertur *in libr. de Eccleſiaſticis Dogmat.* & Apollinaris apud Auguſtinum *lib. de Hereſibus ad Quod vult Deum c.* 86. ac Tertullianus, tum apud S. Hieronymum nuper allegatum, tum & *lib. de Animâ c.* 27. vbi traduci animam, ſeu particulam animæ, cenſet medio ſemine generantis. Ait enim: *In illo ipſo vltimæ voluptatis æſtu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid quoque de anima ſentimus exire, atque adeò marceſcimus, & deviceſcimus, cùm lucis detrimento?* Idem ipſum Zeno apud Plutarchum *lib. 5. de Placit. c.* 4. qui cenſuit ſemẽ corpus ſpirituoſum, & τ᾽ ψυχῆς ἀπόσπασμα, *animæ particulam evulſam.* Senſumque Zenonis pluribus profert Numenius in Euſebio his verbis è Græco latinitate donatis: *Semen ait Zeno eſſe, quod vir emittit cum humido, animæ partem & avulſionem, ſeminis progenitorum temperiẽ, & mixturam occultam animæ partium.* Sicuti & Epicurus docuit, σωέρμα, τ᾽ σώματος καὶ ψυχῆς ἀποτμῆσμα: *ſemen, corporis & animæ detractam partem.* Denique ij omnes qui animam corpoream eſſe docuerunt, ſive igneam, ſive aëream, ſive in temperatura quadam conſiſtentem; nihil mirum quòd & generabilem aſſererent, ac vi generantis productivâ traductam in fœtum.

3 *VERVM* Animas rationales nullatenus ex ſemine propagari, ſeu traduci à parentibus, certa doctrina eſt, definita *in Decretis c. Moyſes* 32. *q.* 2. & oppoſitam erroris nota inurit S. Auguſtinus loco nuper allegato, ac D. Thomas 2. *contra Gent. c.* 86. qui & præterea 1. *p. q.* 118. *art.* 2. adhuc hæreticam, & non ſolùm erroneam, cenſet; quia quotquot aſſerunt rationalem animam generari à parentibus, convincuntur apertè illam negare immortalem. Alphonſus de Caſtro *lib.* 2. *Adverſus Hereſes v. Anima*, vindicare illam conatur à nota hæreleos: cæterùm adhuc erroneam eſſe ſtatuit. Denique Romæ anno 1645. die 20. Maij a Suprema Inquiſitione Generali damnata fuit hæc pro-

propositio: *Anima rationalis cum semine à parentibus propagatur.* Nescio an si id decretum vidisset Sennertus, in V Vitembergensi Academia Medicinæ Professor, qui circa initium huius sæculi scripsit, temperasset ab opinione contraria, quàm *in Hypomnematis Physicis* tuetur, in quarto illorum, vbi *De Generatione Viventium* differit per varia capita. In quibus, licèt fateatur animam non educi de potentia materiæ (sicut neque vlla alia forma educitur in ipsius sententia) & immortalem esse; adhuc consentit Tertulliano, Zenoni, & alijs *num. præced.* allegatis in eo quod rationales animæ propagentur medio semine, & ipsum sit animatum, vtpotè vehiculum animæ rationalis à parentibus ad prolem. Nescio, inquam, vtrùm viso eo decreto temperasset ab opinione, quàm post tam severas Augustini, D. Thomæ, & aliorum censuras, post apertamque Decretorum Iuris Pontificij decisionem post testimonia SS. Patrum infrà allegandorum, & omnium Philosophorum Catholicæ Ecclesiæ, in oppositum, tueri ausus est.

4 *PROBATVR I.* Ratione desumpta ex D. Thom. allegato loco Primæ partis. Omnis anima, quæ medio semine propagatur à generante, eo ipso est corruptibilis, seu mortalis. At rationalis anima non est corruptibilis, seu mortalis. Ergo nec propagatur à generante medio semine. Consequentia est optima in quarto modo secundæ figuræ. Minor certa secundùm fidem, atque expressè definita in Concilio Lateranensi, ac præterea demõstrata, au saltem efficacissimè probata *disp. præced. sect. 4 & 5*, Iam maior suadetur multipliciter. *Primò.* Omnis anima, quæ medio semine propagatur à generãte, eo ipso est generabilis ab eo: neque aliâ ratione, iuxta Aduersarios, anima equi & leonis generabilis est, & de facto generatur, quàm quia à generante propagatur medio semine. At omnis forma generabilis, eo ipso est corruptibilis, ac proinde mortalis, & è contrà; iuxta cõmune Philosophorum axioma. Ergo omnis forma, quæ medio semine propagatur à generante, eo ipso est corruptibilis, ac proinde mortalis.

5 *Secundò* suadetur eadem maior. Omnis anima, quæ à generante propagatur medio semine, eo ipso producitur virtute principali ipsius, sicut & cæteræ formæ. quod & Aduersarij fatentur. At omnis anima, quæ producitur virtute principali generantis, eo ipso est corruptibilis, seu mortalis. Ergo &c. Probatur minor. Eo ipso quod intra vires naturæ creatæ sit principalis virtus ad eam producendam, est etiam ad eam destruendã: tum quia *facilius est destruere, quàm ædificare*, vt in proverbio est: tũ etiam, quia si semel naturalis & præcipua virtus in est rebus creatis ad aliquid producendum; nulla repugnantia est, neque afferri potest, vt ijsdem rebus insit præcipua etiam virtus ad illud destruendum naturaliter loquendo: quod præterea & inductione patet. Ergo omnis anima, quæ producitur virtute principali generantis creati, eo ipso est destruibilis virtute principali alicuius generantis creati: ac proinde corruptibilis & mortalis est.

6 *Tertiò.* Omnis anima, quæ medio semine propagatur, seu producitur à generante, eo ipso dependet physicè in suo primo *esse*, sicut & in suo *fieri*, à dispositionibus corruptibilibus, introductis ab ipso generante: vt patet in omni generatione. At omne quod in suo primo *esse*, sicut & in suo *fieri*, dependet physicè ab aliquo corruptibili, eo ipso corruptibile & mortale est: siquidem per corruptionem illius, à quo physicè dependet, destrui potest. Ergo omnis anima, quæ medio semine propagatur, seu producitur à generante, eo ipso corruptibilis & mortalis est.

7 *Quartò.* Omnis anima, quæ medio semine propagatur à generante, dependet à materia in suo *fieri*, & *esse*. Omne autem quod ita dependet à materia, corruptibile & mortale est: siquidem solutà vnione naturaliter possibili, esse non potest. Ergo omnis anima, quæ medio semine propagatur à generante, corruptibilis, seu mortalis est. Minor cum consequentia patet. Maior probatur. Omnis anima, quæ medio semine propagatur à generãte, non creatur, sive non advenit purè ab extrinseco, sed educitur ex potentia materiæ. Omnis autem forma, sive anima, quæ educitur ex potentia materiæ, dependet ab eà in *fieri*, & *esse*: vt ex communi Philosophorum sensu, & propria ratione eductionis, prout distinctæ à creatione, probavimus in Physicâ *disp. 6*. Ergo omnis anima, quæ medio semine propagatur a generante, eo ipso dependet a materia in suo *fieri*, & *esse*.

8 *HVIC* Probationi vltimæ oc-

cur-

curres dupliciter. *Primò* negando cũ Sennerto formas ſubſtantiales educi ex potẽtia materiæ: quia nequeunt educi ex materia, niſi antea intra eam exiſterent: ſicut nequit educi nummus ex cramena, niſi in ea præexiſterit. Cùm ergo nullæ formæ ſubſtantiales ante primam ſui productionem præexiſtant in materia, ſed primò in illa fiant, nullæ quoque educuntur ex potentia materiæ; proindeque nec anima rationalis, quamvis propagetur medio ſemine.

9 *SED* Contrà. Nam, vt eo loco probatum a nobis eſt ex profeſſo, formas educi ex potentia materiæ, non eſt ita produci, vt aliquid entitatis illarum in materia præexiterit quaſi abſcõditum, quod à generante detegatur, aut augeatur. Hoc enim eſt nimiùm grammaticaliter, & nõ philoſophicè accipere *eductionem*. Quare educere formam ex materia, vt contrapoſitum creationi, eſt producere formam dependenter à materia præſuppoſita in fieri & eſſe: vtpotè præſtante concurſum paſſivum & ſuſtentativum formæ. Si igitur anima rationalis non creatur, ſed propagatur medio ſemine a generante, producitur vtique ab illo dependenter a materia in ſuo fieri & eſſe. quod nos appellamus eductionem. *Confirm.* Nullum agens creatum habet virtutem connaturalem ad producendam aliquid, niſi dependenter à ſubiecto in fieri & eſſe: ideoque ſoli Deo adſcribitur vis creandi, ſaltem connaturalis, vt infra amplius patebit: quia cùm ſolus ille ſit infinitæ virtutis, nullatenus pendet à ſubiecto, vt aliquid extra ſe operetur. Ergo nullum agens creatum habet vim connaturalem ad producendam rationalem animam, niſi dependenter à ſubiecto in *fieri*, & *eſſe*. *Confirm. II.* Eo ipſo quòd anima rationalis producatur per actionem generativam, dependet ab eà in ſuo eſſe, tanquàm à cauſalitate, qua fit. Ergo quemadmodum ea actio in ſuo eſſe dependet a ſubiecto, ita vt extra illud eſſe non poſsit; ita etiam rationalis anima dependebit ab eodem ſubiecto, ita vt extra illud eſſe non poſsit. Nulla enim ratio eſt vt ipſum eſſe animæ pendeat ab actione generativa, quin etiam dependeat à ſubiecto, à quo dependet ipſa actio.

10 *OCCVRRES Secundò*, dicesque, adhuc in noſtra & communi ſententia animam rationalem debere educi, ſiquæ cæterarum animarũ educitur. Propterea enim illæ educi dicuntur, quia producuntur dependenter a materia in ſuo fieri & eſſe. Hoc autem etiam convenit animæ rationali: ſiquidem nec fit, neque habet ſuum primum eſſe, niſi intra materiam organizatam, & dependenter ab illa vt ſubiecto naturali receptivo. Ergo etiã anima rationalis educitur, aut nulla alia animarum educitur ex materia.

11 *SED* Contra. Cæteræ enim animæ, & formæ ſubſtantiales ideo educuntur ex potentia materiæ, quia dependent à materia in ſuo fieri & eſſe: ideo autem dependent à materia in ſuo *fieri*, quia actio qua fiunt, dependet a materia; & ideo dependent ab ea in ſuo *eſſe*, quia recipiunt illud media actione à materia dependente. In noſtra autem & communi ſententia, anima rationalis non dependet à materia in *fieri*, quia actio, qua fit, nimirum, creatio, eſt independens a materia; neque in *eſſe*, quia non recipit illud per actionem a materia dependentem, ſed per ipſam creationem independentem à materia: quæ iuxta D. Thomam eſt actio immanens Dei. Vnde evidens eſt in noſtrà ſententia rationalem animam non educi. Verùm quidem eſt, animam non aliter à Deo produci, quàm intra materiã organizatam, & vltimo diſpoſitam: quia, cùm ſit pars ſubſtantialis, exigit naturaliter conſortium alterius partis ad componendum totum vnum per ſe; & ideo non aliter producitur, nec alio tempore, quam opportuno ad eam diſpoſitionem. Cæterùm non ideo dependet à materia tanquã à ſubiecto receptivo, ſeu cauſa materiali: cùm certum ſit fide divina ſeparatam extra materiam conſervari: & quidem abſque miraculo illo, cùm ſit natura ſua ſpiritualis ſimul & immortalis. Solum itaque dependet à materia quò ad vnionem, & operationes corporeas.

12 *CONFIRM.* Ratio præiacta, hoc dilemmate. Quoties homo generat alium hominem, aut verè producit animam rationalem ipſius; aut non producit, ſed ſolùm vnit illam, iam productam ab alio. Si primum dicatur, vt revera dicitur à Sennerto; inquiro rurſum, an homo generans producat animam illius dependenter à ſubiecto in fieri & eſſe: an independenter? Si dicas hoc ſecundum; concedere teneris, hominem, dum generat alium, creare ipſius animam; ſiquidem creatio eſt productio rei independen-

subiecto. Si primum dicas; concedis planè rationalem animam dependere à materia in fieri & esse: ideoque tollis de medio ab ea spiritualitatem & immortalitatem. Æqualiter verò repugnat doctrinæ Catholicæ asserere, animam rationalem creari ab homine generante, ac negare illam esse spiritualem & immortalem. Restat igitur de primo ad vltimum, vt quoties homo generat alium hominem, non producat ipsius animam, sed solùm vniat illam, iam productam ab alio; ac proinde à solo Deo; quę est prima huius confirmationis pars. Si autem rationales animæ nō producuntur ab homine generante, sed à solo Deo; ergo non propagantur cum semine. Nam quid, quæso, est propagari cū semine, nisi produci à generante, & medio semine traduci in genitum?

13 *CONFIRM. II.* Quia dum asseritur rationalem animam à generante propagari medio semine, aut sensus est animam, quæ propagatur, priùs esse intra ipsum generans, & ab eo emitti foras medio semine, tanquam vehiculo: aut solùm est dicere, iam emisso semine, produci intra illud animam à generante. Primum dici non potest: quia fide sanctum est, in vnoquoque homine non esse nisi vnicam rationalem animam, vt expressè definitū est in Concilio Lateranensi: vt vidimus *disp.* 78. *sect.* 1. Ergo anima, quæ dicitur propagari medio semine, non est priùs intra generans, neque ab eo mittitur foras medio semine, tanquam vehiculo. Qua etiam impugnatione probatum iterū manet, hominem generantem non produxisse intra se animam rationalem quæ postea est in genito: nam sic illam simul cū propria anima præhaberet intra se. Immò (quod speciosum esset) vir verè pareret virum instar prægnantis fœminæ: quia animam illius simul cum corpore, siue semine, mitteret extra se. Neque etiam dici potest secundum: Quia iam probatum est manifestè rationalem animam non produci vllo modo à generante, & mox iterum probabitur. Nullo ergo vero sensu rationalis anima medio semine propagatur à generante.

14 *PROBATVR II.* Ratione à priori. Nulla potētia generativa materialis potest producere substantiā spiritualē. At potentia generativa hominis est materialis, anima autē rationalis est substātia spiritualis. Ergo potentia generativa hominis non potest producere animam rationalem alterius hominis. Ergo anima rationalis non propagatur ab homine generante, seu non producitur medio semine. Hæc secunda consequentia est evidens ex primà, & directè adversa opinioni contrariæ, quæ statuit animam propagari, quia à generante producitur medio semine. Prima consequentia est in modo ac figurà perfectà. Maior suadetur *I.* Quia nulla potentia generativa materialis potest producere substantiam superioris ordinis, qualis est omnis substantia spiritualis. *II.* Quia nulla potentia generativa materialis potest aliquid producere, nisi per actionem materialem. Nulla autem materialis actio potest producere substantiam spiritualem: quia hæc, sicut nequit dependere à materia in suo *fieri*, & *esse*, ita neque à materiali actione. III. Quia nulla potentia cognoscitiva materialis potest cognoscere, ne imperfectè quidem, substantiam spiritualem. Ergo neque potentia generativa materialis illam producere potest. quod sanè est longè magis, quàm illam cognoscere. Iam minor præcipui syllogismi, quò ad spiritualitatem animæ, quæ est secunda pars, fide certa est: quò ad materialitatem verò potentiæ generativæ hominis, est evidens. In homine enim nulla alia potētia spiritualis est, quàm intellectus, & voluntas, ac memoria: quas omnes patet à potentia generativa differre, & ab ea separari realiter in anima, vbi existit extra corpus.

15 *DICES I.* Potentiam generativam, licèt materialis sit, posse producere formam spiritualem, non per modum causæ principalis, sed instrumentariæ & virtute alterius formæ spiritualis, quæ est rationalis anima generantis. Cuius solutionis instantiæ plures afferri possunt. *Prima* in accidēte, quod est longè inferius quacumque substantia; & tamen potest illam instrumentaliter producere in virtute alterius substantiæ: vt diximus in Physica *disp.* 15. cōtra Scotum. *Secunda* in opinione asserente animam rationalem coniungi corpori vnione spirituali: quæ tamē producitur media potentia generativa materiali. *Tertia*: in imaginativa hominis, quæ per subordinationem ad intellectum agentem potest instrumentaliter producere speciem impressam spiritualem. Ergo pariter potentia generativa materialis per subordinationem ad animam ratio-

tionalem & ſpiritualem generantis poterit in genito producere animam aliam æquè ſpiritualem.

16 *SED* Contrà. Licèt enim rationalis anima generantis ſit æquè ſpiritualis & perfecta, ac anima hominis geniti, ac proinde attento præcise hoc capite habeat æqualitatem in actu primo requiſitam ad eam cauſandam; aliunde & ſimpliciter impotens redditur, quia omnis eius operatio ad extrà dependet à ſubiecto, ac proinde impotens eſt producere ſubſtantiam ſpiritualem, quæ ex propriâ ratione exigit fieri independenter à ſubiecto. Quæ ratio non ſolum excludit actionem potentiæ principaliter concurrentis, ſed etiam inſtrumentaliter, ſaltem ex naturâ rei. Repugnat enim naturæ ſubſtantiarum ſpiritualium, vt ſi eſſentialiter ſunt independentes a ſubiecto, fiant per actionem inſtrumentalem dependentem à ſubiecto. Quare ſicut anima rationalis medio viſu materiali, adhuc vt inſtrumento, nequit cognoſcere animam geniti, ſic neque producere medio ſemine materiali, etiam vt inſtrumento.

17 *VNDE* Corruunt inſtantiæ adductæ in ſolutione. *Primâ* quidem: quia ſubſtantia materialis, quæ fit medio accidente materiali, vt virtute inſtrumentaria alterius ſubſtantiæ, neque eſt ſubſtantia ordinis ſuperioris ad ipſum accidens, ſed eiuſdem ordinis materialis cum ipſo; nec exigit ratione ſuæ perfectionis fieri per actionem a materiâ independentem: cuius oppoſitum per omnia contingit in animâ rationali relatè ad ſemen materiale. *Secundâ*, quia in mea ac verâ ſententiâ, quam docui in Phyſicâ *diſp.* 14 *ſect.* 4. vnio rationalis animæ cum corpore, non ſpiritualis eſt, ſed materialis. Permiſſo autem quòd ſpiritualis ſit, non eſt ſubſtantia ſpiritualis ſimpliciter, quæ proinde exigat eſſe & fieri independenter ab omni materiâ; ſed tantùm modus ſubſtantiæ ſpiritualis, quatenus informantis materiâ, cui proinde non repugnat à materiâ dependere. *Tertiâ* denique inſtantia negari poteſt, aſſerendo imaginativam non producere, adhuc inſtrumentaliter, ſpeciem impreſſam ſpiritualē, ſed ſolùm diſponere phantaſmata, eo ordine, vt ſolus intellectus agens illam producat: ſicut & potentia generativa hominis diſponit materiam, vt in eâ producatur rationalis animus à ſolo Deo. Verùm permiſſa imaginativæ potentiæ cauſalitate activâ inſtrumentali in ſpeciem ſpiritualem, eſt diſparitas quod hæc non ſit ſubſtantia ſpiritualis, ſed accidens, quod longè minoris perfectionis eſt, & ſimpliciter corruptibile, ac nullatenus exigens produci independenter à ſubiecto. Patet verò, omnia hæc in animâ oppoſito modo ſe habere.

SECTIO SECVNDA.

Refutatio vlterior eiuſdem opinionis Sennerti, quatenus aſſerit omne ſemen, etiam humanum, eſſe animatum, ideoque aptum propagandis animis. Oppoſitum tam generatim de omni ſemine, quàm ſpeciatim de humano, demonſtratur.

18 *PROBATVR III.* Veritas præiacta, ſimul & impugnatur contraria Sennerti opinio, quatenus docet, omne ſemen, etiam humanum, eſſe animatum; ideoque aptum vt eo mediante animæ propagentur. Atqui nec ſemen generatim animatum eſt, nec ſpeciatim humanum. Ergo ex falſo fundamento aſſerit Sennertus animas medio ſemine propagari. Tota difficultas eſt in probanda minore, quæ bimembris eſt, ideoque ſeorſim quò ad ſingulas partes probanda.

19 *PRIOR* Pars ſuadetur multipliciter. *Primò*, & à priori, ex definitione animæ, quæ eſt *actus corporis phyſici organici*: vt omnes ex Ariſt. ſtatuunt. At ſemen non eſt corpus organicum: ſiquidem non conſtat heterogeneis partibus, ſed homogeneis. Ergo anima non eſt actus ſeminis; proindeque neque illud conſtituit animatum. *Confirm.* ex Ariſt. *l.* 2. *de Generat. Animal. c.* 1. aiente: *Nulla anima poteſt eſſe, niſi in eo, cuius eſt actus.* Anima autem eſt actus corporis organici. Ergo cùm probatum ſit, & manifeſtum, ſemen non eſſe corpus organicum, nequit anima in eo eſſe. *Confirm. II.* Experimur enim paſſim animam per abſciſsionem, aut læſionem notabilem alicuius organi ex primis & præcipuis, ſtatim corrumpi in brutis, & in hominibus ſeparari à corpore. Ergo multò minùs eſſe poteſt, aut permanere in ſemine, quod neque ex toto, neque ex parte eſt corpus organicum.

20 *CONFIRM. III.* Simul & præoccupatur evaſio, quæ eſſe poterat ex doctrina Sennerti *vbi ſuprà c.* 7. Eo ipſo quod anima ſit actus corporis organici, aut illud de-

debet esse corpus organicum actu, aut solùm in potentiâ. At semen non esse corpus organicum actu patet. Solum ergo anima erit actus seminis, quatenus illud est corpus organicum in potentiâ. At neque hoc esse potest. Ergo nullo modo anima est actus seminis. Probatur minor hęc subsumpta. Aut enim semen dicitur corpus organicum in potentiâ, quatenus habet potentiam passivam vt organizetur: & hoc patet non sufficere, vt animam actu habeat: quia materiæ entium inanimatorũ, præsertim chyli, & excrementorum, & alimenti, eandem potentiam passivam, seu non repugnantiam habent, vt organizentur: & tamen actu non animantur. Aut semen asseritur esse corpus in potentiâ activâ, quatenus efficere sibi potest organizationem. Hoc autem est absurdissimum: quia cùm organizatio sit dispositio requisita ad animam in materia recipiendam, hæc non est actu in corpore potente seipsum organizare, sed actu organizato: sicut habitus scientiæ non est in intellectu potente illum sibi efficere, sed in eo solo qui actu se disposuit & vltimò ad assequendum habitum.

21 *CONFIRM. IV.* Certum enim est aliquam dispositionem determinatam & vltimam prærequiri in materiâ, vt potiùs recipiat actu animam, quàm aliam formã. Illa autem non est quantitas; non primæ qualitates; non temperamentum ex ijs resultans: cùm hæc omnia quibuslibet mixtis, etiam inanimatis, communia sint. Nec etiam potentia passiva ad organizationem, quæ etiam convenit materiæ terum actu inanimatarum. Nec denique potentia activa ad illam efficiendam, quæ iuxta Sennertum est ipsa anima: anima autem non est dispositio ad recipiendam seipsam. Ergo de primo ad vltimum sola actualis organizatio est dispositio propria & vltima ad recipiendam in materiâ animam. Proindeque cùm semen non sit actu organizatum, anima in eo non est.

22 *SECVNDO* Probatur eadem pars retorquendo potissimum argumentum, quo Sennertus pro se vtitur *cap. 6.* ex operationibus vitæ, quas appatere dicit in semine. Atqui nulla in semine operatio vitæ est. Ergo ex falso fundamento colligitur, semen esse animatũ. Probatur minor multipliciter. *Primò*, & ratione à priori, quâ sæpe alias vsi sumus, præcipuè *disp. 76.* agentes de vitâ, quæ consistit in motu ab intrinseco. Omne quod habet operationẽ vitæ, se movet ab intrinseco, ac proinde habet partẽ per se moventẽ, & partem per se motam. At semen non habet partẽ per se moventẽ, & partem per se motã: siquidem non constat partibus heterogeneis. Ergo non habet operationem vitæ, sive, quod perinde est, non se movet ab intrinseco. Neque vberiùs prosequor hanc probationem vrgentem, quoniam ex prædicto loco, & dictis in Physica *disp. 40.* apparet, quàm efficax sit. *Secundò*: Quia ex communi Philosophorũ sententiâ, triplex tantũ est operatio vitæ generatim loquẽdo: scilicet, nutritio, sensatio, & intellectio. At nulla ex ijs convenit semini: neq; enim sentit, neque intelligit, vt evidens est. Nec præterea nutritur ab intrinseco: quoniam hoc est proprium corporis iam formati & organizati: vtpotè habentis virtutem tractivam alimẽti, coctivam, conversivam, & distributivam per totũ corpus viventis: quæ certè, nisi in corpore iam formato & organizato, locum habere non possunt.

23 *CONFIRM. I.* Quia in seminibus plantarũ, & ovis, quæ avibus loco seminis sunt, experimento quotidiano constat, diu persistere absq; vllo nutritionis actu, & sine alimento aliquo. Quis enim dicat, grana in horreo, aut ova in canistro, habere alimentum aliquod, aut nutriri ab intrinseco? Porrò eadem ratio est de omni alio animalium semine generatim loquendo. Nam si grana & ova sunt vera plantarum & ovium semina, quæ diu persistentiâ absque vllo vitæ actu, & sine omni animâ, adhuc postea ad generationem plantarum ac pullorum concurrunt; similiter & omnia semina animalium possunt concurrere ad generationem, quamvis sine omni vitæ actu, & absque animâ sint.

24 *CONFIRM. II.* Quoniam nutritio propria viventium, prout à simplici aggeneratione differt, consistit in adquisitione novarum partiũ per intus-sumptionẽ. At in semine non apparet vestigium aliquod adquisitionis novarum partium per intus-sumptionẽ, sed solùm per iuxta positionẽ: per hoc scilicet, quòd semini præexistenti addatur nova pars, sicuti augescunt vinum & aqua. Non ergo in semine apparet nutritio propria viventium, prout à simplici aggeneratione differt.

25 *QVARE*, Quemadmodum *disp. 77.* statuimus ex Aristotele, sanguinẽ non esse

eſſe animatum actu, ſed potentiâ ſolùm, quatenus media nutritione poteſt proximè tranſire in carnem & oſſa, ſubintrante animâ in materiam, quæ immediatè antea erat ſub formâ ſanguinis; ſic etiam, & multò certiùs, ſemen non eſt actu animatum, ſed potentiâ tantùm, quatenus mediâ generatione ſubſtantiali materia ipſius tranſit a formâ ſeminis, ſub quâ erat, ad recipiendam formam viventis, ſub quâ nondum erat. Quod idem Ariſtoteles pluribus locis docet: potiſsimum vero in præſenti *lib. 2. cap. 1. textu* 10. vbi inquit, ſemen ſolùm in potentiâ vivere. *Et 2. de Gener. Animal. c. 3.* planè docet idipſum his verbis: *Animam igitur vegetativam in ſeminibus haberi potentiâ ſtatuendum eſt, non actu, priuſquam eo modo, quo conceptus, qui iam ſeparantur, cibum trahant, & officio ejus animæ fungantur.* Vbi & omne vitæ officium negat ſeminibus, donec ex ijs oriatur fœtus, qui ratione animæ exequatur operationem vitæ, quæ eſt tractio alimẽti. Quommodo vetò virtus activa ſeminis non ſit in toto ſemine, ſed in ſpiritibus qui in ipſo ſemine includuntur, & quænam illius pars poſtea fiat materia viventis, aut non fiat; diximus ſuprà *diſp. 49. num. 51.* ex doctrinâ D. Thomæ, quæ maximè notanda eſt.

26 *POSTERIOR* Pars, quâ ſpeciatim aſſeritur, ſemen humanum non eſſe animatum, præter argumenta præcedentia, quæ in eo pariter vrgent, probatur: Quia aut eſſet animatum anima geniti, aut generantis. At neutrà. Ergo nullâ. Non quidem animâ geniti, quia hæc non introducitur ante permiſtionem ſeminum intra vterum fœminæ, vt fatetur Sennertus, & evidens eſt: quia dum ſemen exiſtit intra lumbos generantis, aut in ipſa emiſsione, patet nondum animam geniti eſſe productam, niſi fingatur in viris facultas ad pariendum, qualem refert Alva in ſuo Nodo Indiſſoluvili fuiſſe viro cuidam in Germaniâ, qui virum alium in femore concepit, ac peperit. Sed neque etiam animatum eſſe poteſt animâ ipſius generantis. Permiſſo enim, & nullatenus admiſſo, quod ſemen, dum eſt intra hominem generantem, informaretur ab animâ rationali ipſius; adhuc exploratum debet eſſe, in ipſo exitu realiter ab eâ non animari. Solùm enim poſſet ab eâ animari, aut ita, vt eadem anima manens in homine generante extenderetur ad informandum ſemen foras emiſſum: & hoc patet eſſe impoſsibile, quia vnica anima non informat, niſi vnicum corpus continuum, neque eſſe poteſt naturaliter ſimul intra & extra corpus. Aut ita, vt pars animæ generantis tranſiret in ſemen, parte alterâ intra genitorem manente, vt ſenſit Tertullianus, & alij ſupra *num. 2.* relati: & hoc eſt contra ſpiritualitatem animæ, omnibus Catholicis exploratam: repugnat enim animam purè ſpiritualem in partes dividi, ſeu habere partes, in quas realiter dividatur. Aut denique eſſet ita, vt anima genitoris, deſerto ipſo, & examini manẽte, tranſiret in ſemen, ac ſubinde in ſobolem. quod delirium, ne Pythagorici quidam, inferiùs refellendi, ſomniarunt. Nullo igitur modo ſemen emiſſum a genitore informatur ab animâ rationali ipſius.

27 *CONFIRM.* Propterea enim Sennertus aſſerit ſemen humanum eſſe animatum, vt animæ transfundantur, ſeu propagentur medio ſemine, tanquam vehiculo, ſive aquæductu. Ergo oportet vt in eius opinione nunquam exeat a genitore ſemen, niſi deferens ſecum rationalem animam. Aut ergo defert animam genitoris, aut geniti, aut aliam diſtinctam. Si animam genitoris, quæ certè ſpiritualis & indiviſibilis eſt; aut neceſſum erit ſtatim genitorem manere ſine animâ, quod eſt delirium: aut eandem animam manere ſimul in genitore, & in genito, quod eſt hæreticum, vt vidimus *diſp. præced. num. 19.* vtpotè contra expreſſam definitionem Concilij Lateranenſis, in quo aſſeritur animas multiplicari iuxta numerum hominum. Si autem ſemen exit deferens animam geniti; iam erit facta generatio ipſius in ipſo exitu ſeminis ex viro, antequam à fœminâ recipiatur. Vnde illa non concipiet, non generabit prolem, ſed excipiet vtero, iam conceptam a viro. Quin immò, & ſi illa nolit intra ſe recipere, minimè impediet veram productionẽ compoſiti illius ex animâ rationali & materiâ, quæ præceſsit in ſemine. Quæ, quam abſurda ſint, & inaudita monſtra in Philoſophiâ, tum Chriſtianâ, tum & Naturali, indicaſſe ſufficiat, quoniam probare pudet. Si denique ſemen defert in exitu animam aliam diſtinctam ab vtraque; quid fiet hęc cùm primùm fœtus acceperit animam ſibi propriam? Manebitne cum illâ ſimul in fœtu, an non? Si affirmas; indicis in hæreſim eorum, qui duas rationales animas ſi-

simul in homine ponunt, damnatam in VIII. Synodo Generali verbis suprà relatis *disp. 78. num. 18.* Si neges; rogo iterum, quidnam facta est anima illa intermedia, quæ in semine exeunte erat? Non enim est in genitore, nec in genito, vbi ex semine oritur fœtus, & hic suam propriam animam accipit. Quò igitur misera illa anima avolavit?

28 *CONFIRM. II.* Si enim semen in ipso exitu è viro animatum exit rationali anima distincta ab anima genitoris, sequuntur plura alia absurda. *Primum* est, quod semen ipsum sit iam tunc substantialiter homo, vtpotè constans materia & anima rationali vnitis inter se. Quare in ipso exitu poterit baptizari. *Secundò*, & consequenter, erit aliquis homo substantialiter in rerum naturâ, qui nondum contraxerit originale peccatum: siquidem hoc solùm contrahitur in ipsa conceptione intra vterum fœminæ. Vnde præterea inquirendum est, an compositum illud rationale ex materia seminali & rationali anima, eo temporis interstitio, quo exit existat in purâ naturâ, an in statu iustitiæ originalis, seu gratiæ iustificatis: quoniam tunc nondum sub originali peccato est. *Tertiò*, quamvis semen ex parte viri sit proficuum generationi, potest non recipi à fœmina, aut recipi indebito modo, aut cum impedimento sterilitatis, infirmitatisvè ad concipiendum. Quid igitur fiet de illa anima, quæ in semine erat? Corrupta est? Sed hoc est contra immortalitatem animæ, fide certam. Annihilata fuit? Novum aliud monstrum in Theologia. Superest igitur, vt vel in gloriâ abeat sine Sacramento Baptismi, vel in pœnam æternam absque peccato: vel denique, si placet, manebit in medio quodam statu, qualiter apud Lucanum, alioſque Ethnicorum, *terras inter, cœlique meatus, Semidei Manes habitant.* Desino tandem, quia ad refutandam eam opinionem, eiusq; fundamenta labefactanda, non multo ariete opus est, & pauca è multis, quæ præposuimus, sufficiebant. Hucusque scripseram, cùm videre contigit eandem difficultatem contra Sennertum subtiliter exagitatam a præstantissimo Academiæ Complutensis Doctore, ac Primario Medicinæ Antecessore, Regioque Archiatro, D. Francisco Henriquez de Villacorta, *tom. 1. Laureæ Medicæ disp. vnica de Semine, cap. 2.* Lege illum, nec pœnitebit.

SECTIO TERTIA.

Præcipua argumenta pro animarum propagatione medio semine, huiusque animationе, obiecta & soluta.

29 *ARGVITVR I.* Homo per generationem alterius hominis homo verè communicat animam rationalem ipsi. At non communicat illam, nisi medio semine. Ergo rationales hominum animæ communicantur, seu propagantur medio semine. Consequentia patet, & minor similiter: quia vnus homo in generationem alterius hominis nullatenus concurrit, nisi medio semine, eoque deciso nihil amplius confert, & sæpe iam mortuus, seu longè absens est, vbi ponitur generatio. Iam maior præcipua suadetur: Quia generatio hominis, sicut & aliæ viventium, est actio vnivoca, quâ vnum simile generat aliud sibi simile in naturâ. At similitudo in naturâ humana non est in materia tantùm, neque in vnione sola partium, sed etiam, & præcipuè, in anima rationali genitoris & geniti. Ergo homo per generationem alterius hominis, non solùm ipsi communicat materiam, & vnionem, sed etiam rationalem animum. *Confirm.* Ideo omnis alia generatio viventium communicat non solùm materiam, & vnionem genito sed etiam animam vegetantem, aut sentientem, quia ex conceptu actionis vnivocæ producit simile in natura; & natura non constituit in materia & vnione sola, sed præterea, & præcipuè, in forma. Ergo pariter, quia generatio hominis est actio vnivoca, debet producere simile in naturâ, ac proinde & rationalem animam geniti, penes quam est præcipua naturæ humanæ similitudo.

30 *HOC* Argumentum, quod sæpe inculcat Sennertus, vsque adeò antiquum est, vt à D. Thomâ proponatur ac diluatur *2. contra Gent. c. 86. & 1. p. q. 118. art. 2.* vbi hanc difficultatem ex professo discutit: & solutione ad tertium respondet, *hominem generare alium hominem, in quantùm per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ.* Ex quâ doctrinâ, & alijs, quæ in eodem articulo continentur, dicimus, actionem generativam hominis, quamvis sit actio vnivoca, quæ proinde tendat ad effectum similem in naturâ producendum; non de-

bere

bere producere rationalem animam, ſicut nec materiam: quæ tamen eſſentialiter ſpectat ad ſimilitudinem in naturà, nõ minus, quàm rationalis anima: cùm vtraque ſit hominis pars eſſentialis. Quemadmodum ergo non ideo materia producitur quoties homo producitur, eò quòd materia prima ſit ingenerabilis: ita etiam nec rationalis anima producitur per eandem generationem hominis, quia ingenerabilis eſt, vtpotè ſubſtantia ſpiritualis, & independens à materia in fieri & eſſe. Sufficit itaque vt generatio hominis vnivoca ſit, quòd media virtute ſeminis, vt inſtrumento connaturali, diſponat materiam ad receptionem animæ eiuſdem ſpeciei cum anima generantis, efficiatque vnionem cum illa. Sic enim homo evadit perfectè ſimilis in natura homini generanti, qui neque alio modo ortus eſt à genitore ſuo, neque aliam naturam habet, quàm ex materia, anima rationali, & vtriuſque vnione, conſtantem.

31 *AD Confirm.* In maiori eius ſyllogiſmi non exprimitur adæquata ratio, vt animæ aliorum viventium producantur per generationem, ſed inadæquata: cùm præterea ideo producantur, quia materiales ſunt, ac proinde dependentes in ſuo eſſe & fieri à materia, & actione corporea: cuius oppoſitum patet in anima rationali. Quare ad ſummum admittitur in ſeminibus aliorum animantum vis activa ſeminis in ipſam animã, quæ producitur, quoniam in eo eſt virtus aliqua communicata à generante, quam aliqui calorem innatum, alij ſpiritũ largo quodam ſignificatu, alij denique vim reſpondentem elemento ſtellarum eſſe volunt; Ariſtoteles autem tria hæc ſimul. Ita enim docet 2. de Generat. dum ait: *Ineſt in ſemine, quod facit vt fœcunda ſint ſemina; ſcilicet, quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur; & natura, quæ in ſemine eſt, reſpondens elementõ ſtellarum.* Quibus conſonant quæ diximus allegata *diſput. 49. num. 51.* In homine autem non admittitur vis ſeminis activa, pluſquam diſpoſitionum ad animam rationalem, & vnionis illius cum materia.

32 *INSTABIS.* Virtus productiva vltimæ diſpoſitionis ad formam, nequit non eſſe productiva eiuſdem formæ: vt communiter Philoſophi docent cum Ariſtot. 7. Metaph. texru 30. dicente, *cauſam potentem adhibere medium ad certum finem, poſſe ipſum exequi & obtinere.* At vltima diſpoſitio ad aliquam formam, eſt medium ad illam obtinendam, vt finem; & quidem medium ex naturà rei connexum. Ergo virtus & actio productiva vltimæ diſpoſitionis ad animam rationalem, nequit non producere animam rationalem. Ergo ſi ſemini cuiuslibet hominis ineſt virtus & actio productiva diſpoſitionis vltimæ ad rationalem animã ſobolis, erit quoque ipſi virtus & actio productiva in eandem rationalem animam. Eademque obiectio fieri poteſt de vnione animæ generantis ad materiam, eſſentialiter connexa, quamvis non mutuò, cum eadem anima: vt quemadmodũ homo generans medio ſemine producit vnionem materiæ cũ anima alterius hominis, ſic & ipsã animã producere poſſit.

33 *RESP.* Aſſumptum obiectionis eſſe verum, quando vltima diſpoſitio & forma conveniunt in eàdem ratione formali producibilitatis; falſum autem quoties vltima diſpoſitio & forma exigũt naturà ſuà terminare productiones primò diverſas, quales ſunt alteratio (ſicuti eductio, generatioque) & creatio. Eo etenim ipſo vltima diſpoſitio exigit procedere à cauſa operante deſpendenter a ſubiecto; forma autem à cauſa & actione independentibus à ſubiecto. Et ita contingit in vltima diſpoſitione ad generationem hominis, quæ videtur eſſe organizatio hominis propria; & pendet à ſubiecto, actioneque materiali, in fieri & eſſe, quoniam eſt quid materiale: ideoque immediatè a ſemine, & mediate à genitore fieri poteſt actione alterativa materiali. Similiter & vnio materiæ hominis cum anima fieri poteſt actione generativa materiali, vel quia vnio materialis eſt, vt ſuprà *n.* 17. dixi: vel quia, permiſſo quòd ſpiritualis ſit, nõ eſt ſubſtatia ſpiritualis ſimpliciter, quæ proinde exigat eſſe & fieri independenter ab omni materia; ſed modus quidam imperfectus in eo genere. Animus autem rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis ſimpliciter, & per ſe ſubſiſtens, vtpotè ſeparabilis à corpore, & abſque vllo miraculo exiſtẽs per ſe. Vnde repugnat ipſi fieri per alterationem, eductionem, generationẽ, actionẽve vllam à materia dependentem. Quare ſolùm actione creativa fieri poteſt.

Sic etiam vltimæ diſpoſitiones ad gratiã iuſtificantem, habituſque ſupernaturales, fiunt ab homine mediante auxilio : & tamen non propterea ab eodem homine fiunt, ndhuc mediante auxilio, gratia ipſa & habitus ſupernaturales; quoniam, ſcilicet, ſunt per ſe infuſę qualitates, quibus repugnat fieri per actum creaturæ.

34 *DICES*: Potentiæ paſsivæ naturali debet correſpondere potentia activa eiuſdem ordinis naturalis : vt communiter tradunt Philoſophi, & conſtat, quia alioqui potentia paſsiva naturalis intra ſuum genus formaliter eſſet fruſtanea. Atqui materiæ primæ ineſt potentia paſsiva naturalis ad rationalem animam recipiendam prçeunte diſpoſitione vltima, & media vnione. Ergo & ipſi correſpondere debet aliqua virtus activa ordinis naturalis ad rationalem animam producendam. Hæc autem virtus non eſt divina & creatrix, quæ ſupra naturalem ordinem eſt; ſed virtus animæ generantis, in qua æqualis perfectio invenitur, ac in alia rationali anima. Ergo homo generans habet vim productivam alterius rationalis animæ.

35 *RESP*. Poſſe in primis concedi totum ſyllogiſmum, & negari minorem ſubſumptam: quia potentia creativa Dei, quatenus creativa præcisè, pertinet ad ordinem naturalem : ſiquidem Deus non creat vt ſupernaturalis Author, ſed vt Author naturalis. Idque colligitur, quia creatio animæ non eſt formaliter ſupernaturalis, ſiquidem connectitur ex naturâ rei cum diſpoſitione vltima ad formam hominis, intrinſecè naturali. Repugnat autem entitati intrinſecè naturali connexio ex natura rei cum aliquo ſupernaturali. Aliter quoque enervari poteſt obiectio, concedendo eodem ſenſu potentiam activam intra ordinem naturalem, quo & paſsivam potentiam. Materia autem non habet potentiam paſsivam rationalis animæ, per cauſalitatẽ materialem in illam, ſed tantùm in eius diſpoſitiones, vnionẽque; quoniam non ſuſtentat animam in ſuo eſſe, ſicut formas materiales, ſed tantùm illam recipit vt compartem ſui, abſque vlla in eam cauſalitate. Quare ſufficit quòd eidem materiæ intra ordinem naturalem creatum correſpondeat potentia generantis activa, tum in diſpoſitiones, tũ & in vnionem, abſque eo quòd inſuper ſit virtus productiva animæ.

36 *ARGVITVR II*. Ratio enim præcipua, quâ probavimus rationalem animam non fieri medio ſemine, aut generatione materiali, eſt quòd ſubſtantia ſit ſpiritualis, non autem corporea. At è converſo eſt ſubſtantia corporea, & non purè ſpiritualis. Ergo fit medio ſemine, ſive generatione materiali. Probatur minor dupliciter. *Primò* ratione: quia anima rationalis, etiam vt rationalis, eſt actus corporis, vt ſuperiùs ſtabilitum eſt ex Cõcilio Florentino. At potentia & actus debent eſſe in eodem genere iuxta Ariſtotelem & alios Philoſophos. Ergo debet eſſe in eodem genere cum corpore, ac proinde corporea. *Secundò* ſuadetur eadem minor ijs Patrum teſtimonijs, quibus tribuitur animæ aliquid corporeitatis: vt legere eſt apud Suarez *lib. 1. de Angelis cap. 5.* & Vazquez *1. part. diſp. 178. cap. 2.* Verùm & id ſpeciatim atque vrgentiùs videtur ſuaderi authoritate Ioannis Teſſalonicenſis Epiſcopi, qui in Concilio Nicæno loquens de Angelis (in quibus videtur eſſe maior ſpiritualitatis ratio) ait: *Ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles; ſed non omnino corporis expertes, & inviſibiles; verùm tenui corpore præditos, & aèreo, ſivè igneo.* Quæ propoſitio non videtur reijci à Concilio, ſed potiùs probari, dum approbatur concluſio illata ab ipſo Ioanne, nimirùm, pium ac rationale eſſe vt Angeli pingantur, eorumque imagines adorentur. Eo namque ipſo videtur approbaſſe doctrinam, ex quâ à Ioanne Teſſalonicenſi illata fuit: nimirum, Angelos eſſe corpore præditos, quamvis tenui, ſive aèreo, aut igneo.

37 *RESP*. Negando minorem: cuius doctrina eſt omnino falſa, propter definitionem Concilij Lateranenſis *cap. Firmiter* in oppoſitum, vt oſtendimus ſuprà *diſput. præced. AD I.* Probationem iam ſuprà dictum eſt, vt anima ſit actus corporis quatenus rationalis eſt, non exigi corporeitatem in illa, ſed ſufficere exigentiam corporis, quaſi compartis in ordine ad totum ſubſtantiale hominis conſtituendum, & terminationem vnionis ipſius ad animam. Potẽtia autem & actus ſolùm exigunt eſſe in eodem genere entis, ſive in eodem genere prædicamentali ſupremo ; non autem proximo, ſive intermedio : vt in eodem genere, aut quaſi genere tranſcendentali accidentis, ſunt potentia generativa, quæ

eſt

eſt qualitas, & generatio, quæ eſt actio: & in eodem genere, aut quaſi genere tranſcendentali ſubſtantiæ, ſunt eſſentia ſubſtantiæ creatæ, eiuſque exiſtentia, quæ eſt actus ipſius. Sufficit itaque quòd rationalis anima ſit ſub eodem genere aut quaſi genere tranſcendentali ſubſtantiæ cum materia, vt ſit actus ipſius, nec requiritur præterea vt ſit ſub eodem genere intermedio corporis. Niſi quis velit dicere, animam quatenus rationalem eſſe eminenter corpoream, ideoque etiam ſpectare ad genus corporis: de quo legantur quæ diximus *diſp. 78. ſect. 5. à n. 50.*

38 *AD II.* Probationem, omiſſis aliorum ſolutionibus, ſeu veriùs evaſionibus, reſp. ſenſum eorum Patrum, qui negant Angelos, ſive etiam rationales animas eſſe prorſus immateriales, ſolùm intelligi de immaterialitate ſummâ, ſeu perfectiſsima, quæ vni Deo convenit; nō autem de abſolutâ immaterialitate, quæ ſit talis ſimpliciter per excluſionem totius materiæ phyſicæ: vt videre eſt apud Suarez & Vazquez locis indicatis. Ad teſtimonium Ioannis Theſſalonicenſis dicimus, illud non eſſe approbatum à Concilio Nicæno, ſed ſolùm relatum. Quamvis enim in ea Synodo approbetur, mos pingendi Angelos, & cultus ijs exhiberi ſolitus; non tamen omnis ratio propoſita ibidem à Theologis quibuslibet in id probandum; de quâ non definitur, an omnino efficax, an inefficax ſit. Neque oportet haberi definitam ab Eccleſia omnem rationem Patrum ibidem adductam, ſed id tantùm quod concluditur, ſive tanquam certum fide divina ſtatuitur, nimirum, Angelorum imagines pingi & adorari debere. Quæ doctrina pro ijs & ſimilibus Conciliorum locis maximè notanda eſt ex Valentia *1. p. diſp. 9. p. 1.* Maximè cum habeamus ab Eccleſiâ definitam ſpiritualitatem, tum Angelorum, tum & animarum, vt ſuprà monui.

39 *ARGVITVR III.* Semen eſt animatum. Ergo aptum vt eo mediante propagentur animæ. Conſequentia patet, & antecedens ſuadetur ex Ariſtotele, qui videtur ita docere varijs locis. Etenim *1. de Gener. Animal. c. 18.* docet, ſemen eſſe fructum, ſum ait: *Semen & fructus inter ſe differunt prioris poſterioriſq; ratione: fructus enim, quod ex alio eſt: ſemen ex quo aliud: nam alias ambo idem ſunt.* Sed fructus generantis eſt quid animatum. Ergo & ſemen. Alioqui non eſſet idem cum fructu. Similiter & *2. libro* eiuſdem Operis cap. 1. inquit: *Omnia quæcumque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu eſt, fiunt, ex eo, quod potentia tale eſt. Semen igitùr tale eſt, motumque & principium tale in ſe habet, vt motu peracto vnaquæque pars exiſtat, quæque eadem ſit animata.* Semen igitur ex ſententia Ariſtotelis eſt animatum.

40 *CONFIRM.* Ratione. Si enim ſemen non eſſet animatum, maximè quia organicum non eſt, vt ſuprà arguebamus. Atqui organizatio non requiritur ad animationem. Ergo quamvis ſemen non ſit organicum, ſtat optimè eſſe animatum. Probatur minor multipliciter. *Primò*: Quia certa quantitas, magnitudo, figura, & ſitus partium, non exiguntur ad receptionem animæ: ſiquidem mutatis ijs proceſſu temporis in animali perſiſtit eadē numero anima recepta. At in ijs videtur cōſiſtere organizatio. Ergo hæc non requiritur ad animationem. *Secundò*: Quoniam anima primò & per ſe non eſt in partibus organicis, ſeu heterogeneis, ſed in ſimilaribus, ſive homogeneis: non enim eſt in dente, talo, tibia, & vlna, quatenus heterogeneæ, ſive organicæ partes ſunt; ſed quatenus oſſa ſunt, ac proinde quatenus ſunt partes homogeneæ inter ſe. *Tertiò*: Quia omnis diſpoſitio neceſſaria ad coexiſtentiā formæ eſt immutabilis, ſeu neceſſariò permanens cum illa. Atqui organizatio non eſt immutabilis, ſeu neceſſariò permanens cum anima, ſed paſsim mutatur, variaſque ſubit vices. Ergo organizatio non eſt diſpoſitio neceſſaria ad coexiſtentiam animæ.

41 *RESP.* Satis conſtare ex Ariſt. in præſenti *lib. 2. text. 10.* ſemen eſſe ſolùm in potentia animatum, non actu. Immò & in eodem capite 18. quod allegatur in obiectione, ſæpe docet Ariſtot. ſemen eſſe excrementum animalium, quamvis vtile, ſeu proficuum. Manifeſtum eſt autem nullum omnino excrementum eſſe actu animatum. Semen igitur ex mente Ariſt. animatum non eſt. Quando itaque ait eo capite, ſemen & fructum eſſe idem, niſi quod diſtinguuntur penes prius & poſterius, & quatenus fructus eſt id, quod ex alio eſt; ſemen verò, ex quo aliud; potiùs doctrinam noſtram confirmat, quam impugnet. Cōvincit enim quod ſemen ſit cauſa productiva fructus naſcentis ex ſemine, tanquā ex aliquo priori, ſeu præſuppoſito: ideoq;

ſemen non eſſe animatum, qualiter fructus, ſive fœtus viventis, eſt animatus. Dicuntur tamen ambo aliàs idem eſſe, quia ſemen in potētia eſt fructus, ſicuti ſanguis eſt in potentia pars viventis, licèt nō actu. Materia enim vtriuſque eadem eſt, & in ſemine proximè apta ad recipiendam formam carnis, vel oſsis: vtpotè alimentum vltimum animalis, vt vidimus *diſput.* 77. *ſect.* 2. Alterum quoque teſtimonium ex *lib.* 2. *de Gener. Animal.* manifeſtè pro nobis eſt. Quod apertè probo. Iuxta verba Ariſt. omne quod fit, fit ab eo, quod actu quidē eſt, ex eo, quod ſolùm in potentia eſt tale. Ergo & animatum fit ab eo, quod actu quidem eſt, ex eo, quod ſolùm in potentia eſt animatum. Atqui vnum animatum, ſive vivens, ab alio fit, ex ſemine. Ergo id à quo fit, nimirum generās, eſt animatum actu; ſemen verò, ex quo aliud animatum fit, ſolùm eſt in potentia animatum. *Præterea.* Dum inquit Ariſtoteles, motu peracto, ſcilicet, generatione, quamlibet ſeminis partem eſſe animatam, planè ſupponit ante peractum motum, nullam ſeminis partem animatam eſſe. quod hucuſq; probavimus.

42 *AD Confirm.* negatur minor, quæ multipliciter à nobis refutata eſt *ſect. præced. AD I.* Probationem nego antecedens, & illus probationem: quia licèt organizatio in vivente penes diverſos ſtatus, præcipuè in ſtatu augmenti, ſubeat paulatim, & imperceptibiliter variationem aliquam accidentalem, & de minori fiat maior, ſicut & quantitas, & figura; adhuc permanet eadem numero quò ad eſſentiam; ſive ſubſtantiam, & ſufficienter accommodata vt vivens idem ſpecie ac numero perſeveret: de quo iam latis dictum eſt ſuprà *diſp.* 52. *ſect.* 1. *AD II.* nego antecedens: Quia cùm anima ex ratione eſſentiali ſit actus corporis organici, potiùs, quàm homogenei; per ſe primò eſt potiùs in partibus organicis, vt organicis, quàm prout ſingulæ illarum partibus homogeneis conſtant. *AD III.* patet ex ſuprà dictis organizationem eſſe immutabilem quò ad ſubſtantiam, licèt accidentaliter varietur: ideoque eſſe ideneam & neceſſariam diſpoſitionem ad recipiēdam animam. Quæ quidem non ſolum exigit organicum corpus vt operetur, ſed etiam vt ſit: tum quia in ſuo eſſe eſſentiali definitur id ordine ad corpus organicum: tum etiam quia nulla alia diſpoſitio propria ipſius aſsignari poteſt, quatenus diſtinguitur ab alijs omnibus formis elementorum & mixtorum inanimatorum: tum denique, quia pereunte organizatione, immò & notabiliter læſa in præcipuis partibus, vt cerebro, aut corde, anima nō ſolùm deſinit operari, verùm & eſſe in corpore. Plura alia argumenta Sennerti omitto, quia facilia ſolutu. Quare ſupereſt tandem, vt nec animę irrationales propagèntur medio ſemine animato; nec rationales producantur à generante, ſed à ſolo Deo. Quod ex profeſſo elucidabimus diſput. ſequenti.

(·:·)



ILLMO. ET NOBILISSIMO HEROI
D. D. GVNDISALO FERNANDEZ DE CORDOBA;
ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITI, SVPREMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, REGIÆQVE GAZÆ SVMMO ADMINISTRO IN EMPORIO HISPALENSI.

QVISNAM Animorum Rationalium sit Author, & quo tempore ij corporibus inserantur, Dissertatione hac examinare visum. Quoniam verò in eâ nonnihil sacræ & profanæ eruditionis est, oportuit, vt Tuo Nomine decorata prodiret in lucem, ILLVSTRISSIME HEROS. Is enim es, qui non modo in hac Salmanticensi Academia, & Maiori Tuo Collegio Conchensi, severioribus Iurisprudentiæ studijs profeceris, vsque ad Vespertinam Cathedram, insigni doctrinæ opinione comparatam; sed etiam exornaveris mentem politioribus disciplinis, sine quibus graviores quoddammodo marcent, aut minùs splendent, instar adamantum brutorum. Neque aliter faceres satis splendidissimis incunabulis Domus Tuæ, tum Paternæ, tum & Maternæ, nisi quàm potissimùm, & tot iam retro sæculis, militari gloria illustrem accepisti, eandem litterarum cultu illustriorem redderes. Synonimus ille Tuus, vnusque ex Maioribus, fuit Excellentissimus Princeps, D. GVNDISALVS FERNANDEZ DE CORDOBA, tot Hispaniæ Magnatum Atavus, tot Ducum, & Heroũ progenitor. Ille novus Hispaniæ Alcides, & belli fulmen, totam sibi vendicavit militaris disciplinæ gloriam, vt solus inter mortales MAGNI DVCIS antonomasticam appellationem meruerit. Quemadmodum enim Sol antistat sideribus, etiam primæ magnitudinis, adeò vt coram eo non appareant; ita ille cæteros Heroas Domus suæ antegressus, quamvis præcellentissimos Duces, & cum primis alijs comparandos, quasi obscurasse videtur. Restabat itaque, vt è Domo ipsa prodiret alius D. GVNDISALVS FERNANDEZ DE CORDOBA, qui in mitioribus Musarum castris, & Academicâ Iurisprudentiæ Palestra, MAGNVS etiam audiret, & strenuissimus Dux haberetur. Hanc doctrinæ opinionem, nec minorẽ iustitiæ, integritatisque, in tot Regijs Senatibus, sartam tectam curâsti: vt nemo de TE existimare potuerit, nisi quod Christianum simul & gravissimum Senatorem decet. Pietas porrò ac religio ea est, vt non dubitaveris cum dispendio generis Tui, & impedimento splendidissimæ sobolis, alioqui futuræ, sacris Ordinibus consignari. Inde assidua illa orandi, ac Deo vacandi cura, inter penitiores recessus. Inde frequens & intentus Sacramentorum vsus. Indidem animus rebus caducis superior, & in tanta rerum ac negotiorum mole, nunquã suæ originis nobilitatisque immemor. Plato, quem in hac Dissertatione refello, putavit rationales hominum animos à Deo ante corpora fuisse conditos: postea verò terrenarum rerum amore captos, in vindictã eius sceleris detrusos in carcerem corporum. quasi putaverit indignum, quòd mens humana originis suæ splendorem amore rerum temporalium & fæculentarum obscuret. Quis, nisi prodigus, aut amens, chrystallina vasa, Veneta, aut Sinensia, flatibus Aquilonis obijciat? Quis luto inquinet, aut per terrã rotare sinat, frangivè; maximè si ea naturæ artisq; miracula delicio ac cordi sint? Atqui hominũ animæ è manu Creatoris chrystallinæ prodeunt, ac cœlo ipso visibili lucidiores: quas non, nisi insipiens, nisi immemor sui, nisi insanus, deturpat, lordidarumq; rerum desiderio, quasi afflatu pestifero, infestat. Scientem alloquor, & chrystallum sibi commissam à Deo curantem. Meritò TIBI præ alijs Regia Gaza commissa est, quamquam videaris è Summo Castellæ Senatu nonnihil ad minora divertisse; immò descendisse. Cui enim melius cõmittenda fuit, quàm integerrimo Cõsuli, cui animus à caducis hisce liber, & à philargyria alienus? Divitiarum cupido frequẽter παραλλάσσει φρένας χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματα, *evertit bonorum mentes ad res turpes*, vt aiebat Sophocles in Antigono. Quomodo & pravorum animos non rapiet? Raræ itaque laudis est TIBI, & cuilibet Viro Summo, inter opes ferè immentas, quas Oceanus ex America superimpositas defert, nullo illarum desiderio tãgi. Sic & chrystalli in Norvegiæ montibus æstivo tempore igneis Solis ardoribus circunfusæ, non liquescunt, sed rigent. Eadem quoque antiperistasis est ijs, quibus chrystallina mens, vbi totus ferè mundus in circulum ardoribus philargyriæ vritur. VALE igitur, CLARISSIME VIR, & quam primùm summam rerum humeris gesta, in quam cœlum videtur TE quà naturæ, quà gratiæ dotibus, destinasse.

DISP. OCTVAGES PRIMA.

DE CREATIONE ANIMÆ.

Vtrùm Rationales Animæ à ſolo Deo creentur, & quando?

Num. 1. *VIDIMVS Diſputatione præcedenti rationalium animarum originem non eſſe à generante, neque illas propagari medio ſemine. Quare ſolùm reſtat vt proueniant per creationem: quia nulla alia actio videtur ſupereſſe, quâ fiant. Dubitatur verò in præſenti, vtrùm à ſolo Deo per creationem fiant, & quo tempore; an, ſcilicet, præceſſerint creatæ ab initio Vniverſi, vel ſaltem ante vnionem ad proprium vniuſcuiuſque corpus: cuius dies & hora, tot diſſidentium Philoſophorum opinionibus involuta eſt, vt hactenus nemo ex mortalibus eam certò deprehendiſſe inveniatur, vt conſtabit ex dicendis* diſp. ſeq. *Quo ex capite, quamvis plurima alia deeſſent, ſuſpecta aut malæ fidei reddunt ur Genethliacorum prædictiones, ſuprà* diſp. 73. ſect. 6. *refutatæ, etiam quò ad naturalia effecta, & indolem, complexionemque hominum, quæ maximè pendent ex inſtanti primo animationis vniuſcuiuſque, prorſus ignoto. Excitari poteſt ſoletque diſputatio hæc in totum librum primum Ariſtotelis de Anima, & in 2. cap. 1. & 2. & 4. ſimiliter & in nonnulla loca libri tertij.*

SECTIO PRIMA.

Rationales Animas habere quidem eſſe per creationem; non tamen ab Angelis, ſed à Deo. Oppoſitus Hæreticorum quorundam error multipliciter reiectus.

2 *ANIMAS* Rationales non à Deo immediatè, ſed ab Angelis, ſive Intelligentijs, creari, exiſtimarunt Avicenna, Seleucus, & Hermias: vt teſtatur Hiſtoria Tripartita *lib. 7. cap. 11.* In eodem errore verſati ſunt Galitæ, quorum exemplo diſſeminata fuit hæreſis Meſſalianorum. At is multò antiquior eſt, & ab initio ferè legis Evangelicæ traditus invenitur: ſiquidem Simõ Magus, & Menander eius diſcipulus, ac poſtea Saturninus, Cerinthus, Carpocrates, & Baſilides, docuerunt mundum hunc (proindeque & animas, & quidquid in eo fuit a principio) creatum fuiſſe, non à Deo ſed ab Angelis: vt teſtãtur Patres, qui eam exiſtimationẽ profligarunt, vt Tertullianus *lib. de Præſcript. cap. 46. & ſeqq.* Epiphanius *hæreſi 20. & ſeqq.* Irenæus *lib. 1. cap. 20.* Theodoretus *lib. 1. Hæret. Fabul.* Auguſtinus *lib. de Hæreſibus*, alijque plures, qui omnes prædictam opinionem vt hæreticam reijciunt, & oppoſitam Symbolo Nicænæ, fidei, in quo fatemur Deum *Creatorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.* Vnde & poſtea in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. cap. Fiamiter, dicitur: *Deus eſt creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium: qui ſua omnipotenti virtute vtramque de nihilo condidit creaturam, & ſpiritualem, & corporalem; angelicam, videlicet, & mundanam, & dein humanam quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtitutam.* Et S. Leo Papa in epiſt. 93. ad Toribium Aſturicenſem Epiſcopum definit, animas hominum à nullo incorporari, præterquam a Deo ipſarum Creatore.

3 *NEC* Mirum ita definitum fuiſſe à Concilijs & Patribus. Nam in ſacris litteris expreſsè habetur eadem veritas. Dicitur etenim cap. Eccleſiaſt. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul, &c.* Et cap. 24. ſequenti: *Tunc præcepit mihi Creator omnium.* Ac 2. Machabæorum cap. 7. *Peto, mate, vt aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis, & intelligas, quòd ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Denique, præter plura alia, ad Hæbreos 3. dicitur: *Qui autem omnia creavit, Deus eſt.* Ex quibus omnibus conſtat omnes creaturas, tam viſibiles, quàm inviſibiles, fuiſſe ex nihilo à Deo factas; proindeque & Angelos ipſos, & rationales animas, quæ ſunt creaturæ inviſibiles. Speciatim verò animas nullo modo ab Angelis creatas fuiſſe, ex eiſdem Scripturæ teſtimonijs probant Patres: maximè Athanaſius *ſerm. 3. contra Arianos*, cum inquit: *Condere & creare, ſolius Dei eſt, eiuſque Verbi, & Sapientiæ.* Auguſtinus quoque lib. 3. de Trinitate c. 6. *Neque Angeli boni*, inquit, *neque ma-*

mali; poſſunt eſſe creatores alicuius rei. Idem ferè habet S. Hieronymus *Epiſt.* 17. *ad Damaſum*, cui epigrapha, *Explanatio Symboli*; Hilarius *lib.* 10. *de Trinitat.* Chryſoſtomus *Homil.* 23. *in varia loca Mathæi*, S. Gregorius Nyſſæ Antiſtes *lib. de Anima cap.* 6. Cyrillus *lib.* 1. *in Ioannem c.* 9. Bernardus *ſerm.* 27. *in Cantica*, Ambroſius *lib. de Noe & Arca*, ac tandem S. Thomas plurimis locis, præcipuè 2. *contra Gent. c.* 21. & *cap.* 87. & *q.* 3. *de Potentia, art.* 4. & 1. *p. quæſt.* 45. *art.* 5.

4 *RATIONIBVS* Philoſophicis idipſum breviter & luculenter oſtendi poteſt. *Primò* quidem, animas rationales fieri per ſolam creationē, ſuadetur ſic. Omnis enim ſubſtātia, quæ producitur, aut generatur per ſe, aut per accidens, aut creatur. Nullus enim alius modus eſt, quo ponatur in rerum naturà. Anima autem rationalis, quando producitur, nec generatur per ſe, nec per accidens. Ergo creatur. Non generari animam per ſe, liquet: quia animæ rationales non conſtant materiâ & formâ: quod erat neceſſarium ad terminandam generationem per ſe, quæ ſolùm tendit ad producendum compoſitum. Similiter nec per accidens: quia ſic produceretur, ſicut aliæ animæ materiales, à generante per virtutē ſeminis. quod repugnat immateriali ſubſtantiæ, qualis eſt anima intellectiva: vt vtraque diſput. præcedenti abundè probatum eſt.

5 *CONFIRM. I.* Subſtantia, quæ in ſuo eſſe non dependet à materia, nequit fieri, naturaliter ſaltem, & de facto, niſi per actionem à materiâ independentem. Atqui rationalis anima in ſuo eſſe non dependet à materiâ, cùm ſit ſubſtantia ſpiritualis, & extra corpus exiſtens in ſtatu ſeparationis; omnis autem actio generativa rei, ſive per ſe, ſive per accidens, dependet a materiâ, cùm ſit actio materialis: creatio verò eſt actio ſpiritualis, & à materia independens. Ergo rationalis anima, nec per ſe, nec per accidens, fit per generationem, ſed per ſolam creationem. *Confirm. II.* Anima rationalis vi ſuæ naturæ præſtantiſſimæ cæteras omnes formas ſubſtantiales longiſſimo ſuperat intervallo. Ergo naturà exigit fieri per actionem ſuperioris ordinis; ac proinde non per generationem, ſed per creationem.

6 *DICES.* Materia prima, quamvis ſit imperfectiſsima in genere ſubſtantiæ, nequit fieri per generationem, vt in Phyſicâ *diſp.* 4. diximus, ſed per ſolam creationem. Ergo perfectio animæ rationalis impertinens eſt, ſeu nihil confert, vt propterea fieri debeat per ſolam creationem. *SED Contrà.* Materiam enim primam ſolùm fieri poſſe per creationem, provenit ex ſpeciali ratione: nimirum, quòd vi naturæ ſuæ imperfectiſsimæ ſit primum ſubiectum vniuſcuiuſque, ac proinde fieri nequeat ex præſuppoſito ſubiecto, qualiter fit omne quod generatur; ſed independenter a ſubiecto præſuppoſito, qualiter fit omne, quod creatur. Anima autem rationalis vi ſuæ perfectionis excellentiſsimæ eſt independens à præſuppoſito ſubiecto, ac proinde exigit fieri per actionem ab illo non dependentem, qualis eſt creatio. Vnde intra ipſum genus ſubſtantiæ exigit anima ratione perfectionis ſuæ idipſum ferè, quod materia ratione ſuæ imperfectionis.

7 *IAM* Verò, quòd anima de facto, aut naturaliter, non creetur ab Angelis, oſtenditur, indicatis ſolùm rationibus, quas vberiùs in Curſu Theologico proſequemur, contra Durandum, Gabrielem, Leſsium, Arriagam, Dolam, Lalemandet, & alios exiſtimantes, præiactum fidei articulum non poſſe firma aliqua ratione convinci. *Prima* ita eſt: Quoniam actio creativa, ſaltem in causà principali, exigit intrinſecè infinitam vim activam: ſiquidem perfectio potentiæ, ſeu virtutis activæ, non tam æſtimatur ex perfectione effectus, quàm ex modo operandi; quatenus, ſcilicet, paucioribus præſuppoſitis indiget ad operandum: ſic enim vniverſalior virtus & perfectior erit ad totum effectum producendum. Si autem nihil omnino præſupponat ſui effectus, erit vniverſaliſsima in producendo, ac proinde omni limitatione carens, & per conſequens infinita. At creatio rationalis animæ, immo & cuiuslibet entitatulæ, ex modo proprio operandi, nihil eius rei præſupponit, ex quo producat; cùm ſit productio rei ex nihilo, ideſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto. Ergo creatio rationalis animæ, & cuiuſcumque alterius rei, ſaltem in genere principalis cauſæ, exigit virtutem intrinſecè infinitam. Cùm igitur Angeli virtutem activam habeant prorſus finitam, conſequens eſt, vt ſaltem per modum cauſarum principalium, nullam rationalem animam, nullam omnino rem producant media creatione.

SE-

8 *SECVNDA*: Quia producere existentiam sub ratione formali existentiæ, est actio propria causæ primæ, & omnium vniversalissimæ; ac proinde aliena ab Angelo, & omni creaturâ. At creatio animæ rationalis, & cuiuslibet alterius rei, est productio existentiæ sub ratione formali existentiæ. Igitur creatio animæ rationalis, & cuiuslibet alterius rei, est actio propria causæ primæ, & omnium vniversalissimæ; ideoque aliena ab Angelo, & omni creaturâ. Maior constat: quoniam existentia sub ratione formali existentiæ, est actus vniversalissimus entis, vtpotè conveniens omni enti: ideoque eius productio est actio propria primi entis, & causæ omnium vniversalissimæ. Minor autem probatur: Quia creatio animæ rationalis, & cuiuslibet alterius rei, sicut generatim quælibet actio productiva, tendit ad producendum sub ratione formali id, quod ad ipsam nullo modo præsupponitur, sed potiùs consequitur per se. Atqui ad creationem, vt creatio est, non præsupponitur existentia rei creatæ, sed potiùs consequitur per se: tum quia directè extrahit rem ex puro *non esse* in actum essendi, tum quia producit terminum sub ratione communissima entis, cui in sensu formali respondet actus existentiæ. Ergo creatio animæ rationalis, & cuiuslibet alterius rei, est productio existentiæ sub ratione formali existentiæ. Verùm de his satis vsque ad locum indicatum: vbi clarius eadem veritas apparebit, simulque repugnantia vt creatura aliqua existens, aut possibilis, sit instrumentum connaturale ad creandum: Lege interim eruditissimum Ruiz de Montoya, *de Trinit. d.* 10. *sect.* 8. vbi latè probat ex PP. potentiam creandi esse propriam Deo in quarto modo: ac proinde incommunicabilem creaturis.

9 *OPPONES* Aristotelem in præsenti *lib.* 2. *cap.* 4. *textu* 34. docentem, perfectū esse id, quod aliud sibi simile producit. Atqui immateriales substantiæ Angelorum sunt longè perfectiores substantijs materialibus. Ergo quemadmodum hæ producunt alias materiales, ita etiam, & potiori ratione, immateriales substantiæ Angelorū producere possunt alias immateriales, ac proinde spirituales hominū animas. *Præterea.* Maior ac divinior est ordo in spiritualibus rebus, quam in corporeis. At res corporeæ administrantur, fiuntque potestate spirituum superiorum, vt docet S. Dionysius *cap.* 4. *de Divin. nomin.* Ergo multò magis inferiores spiritus, quales sunt rationales animæ, fiunt potestate Angelorum, qui sunt spiritus superiores.

10 *VERVM* Obiectio hæc, siquid probat, evincit sanè superiores Angelos habere vim creativam, non animarum tantùm, sed & inferiorum Angelorum, immò & æqualium, si supponantur omnino æquales. quin & pariter probat in quolibet animo rationali vim productivā alterius animi sibi similis. Quare nihil demum evincit vtraque impugnatio. *Non prima*: Quia dum Aristoteles docet perfectum esse, quod aliud sibi simile producit, loquitur de viventibus corporeis & corruptibilibus; non autem de incorporeis, & incorruptibilibus rebus; quales sunt in eius sententiâ Intelligentiæ separatæ, & hominum animæ, vt superioribus ostensum est. Hæ enim perfectionem suam aliunde habent: scilicet, ex maiori immaterialitate, & intellectualitate. Et idem Aristoteles *lib.* 2. *de Gener. Animal. cap.* 13. expressè nostram doctrinam tuetur, dum ait: *Restat igitur, vt sola mens extrinsecùs accedat, eaque sola divina sit* (scilicet, à solo Deo producatur) *nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Et lib. de Propriet. Elementorum docet, *in vtero fieri spiritum vitæ iussu Dei, & ita videri non esse traductum à patre.* Lege Alamanium *q.* 89. *art.* 2.

11 *NEC Secunda* obiectio vrget. Nam maior ac divinior ordo in spiritualibus rebus non est quò ad mutuam illarum productionem inter se; sed tantùm quo ad Hierarchias, & munerum administrationem, illuminationemque, & alia eiusmodi. Quare tota vis productiva illarum continetur intra limites operandi ex præsuppositō subiecto, sive dum medio motu cœli agunt in hæc inferiora; sive vbi speciatim corpora movent, aut quomodolibet in ijs operantur. Nulla enim causa secunda aliter potest quippiam producere: vt supra dictum est, & monet D. Thom. 1. *p. q.* 90. *art.* 3. vbi præiactum discrimen assignat.

(*)

SE-

SECTIO SECVNDA.

Animarum rationalium antegressio, seu creatio ante vnionem ad corpora, simul & transmigratio in alia atque supposita, suis Auctoribus consignatæ, ac reiectæ.

12 ALIVS Error fuit eorum, qui asseruerunt, animas quidem à Deo creari, non tamen eo tempore, quo homines generantur, sed longè antea. Scilicet, omnes animas simul fuisse creatas ante corpora, & in comparibus stellis constitutas: eas verò cœlestium rerum tædio, & terrenarum amore tactas, fuisse postea à Deo coniectas in corpora, vt luerent iustas eius sceleris pœnas. Ita docuit Plato *in Timæo*, Empedocles, Apollonius Thyanæus, ac & Pythagoras: qui & addiderunt μετεμψυχωσιν illam, sive *transanimationem*, vulgò transmigrationem animarum rationalium in alia, atque alia corpora: de quâ plura & selecta obseruauimus *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo I. excursu* 10. *sect.* 3. per totam, vbi eruditus Lector plura scitu iucunda, & minimè obvia inveniet. Porrò eam fabulis accensendam arbitratur Aristoteles in præsenti *lib.* 1. *cap.* 3. *textu* 53. dum quosdam ex Veteribus impugnans, ait: *οἱ δὲ μόνον ἐπιχειροῦσι λέγειν, ποῖόν τι ἡ ψυχὴ. περὶ δὲ τοῦ δεχομένου σώματος, οὐδένα τίθεσθαι διορίζοντα, ὥσπερ ἐνδεχόμενον καὶ τοὺς πυθαγορικοὺς μύθους, τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα· δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος, καὶ μορφήν. At illi dicere quidem quale quid sit ipsa anima enituntur: de susceptivo verò corpore nihil penitus dicunt, atque determinant; ac si fieri possit, quamvis animam sine vllo discrimine corpus ingredi quodlibet, vt Pythagoricorum fabulæ dicunt. quodvis enim animantium propriam speciem, formamque habere videtur.*

13 *NIMIRVM*, Cùm Pythagorici existimarent animas omnes à principio Vniversi fuisse creatas, consequenter putarunt eas sine vllo discrimine ingredi successivè in varia corpora, ne otiosæ existerent: ideoque aiebant, ipsam animam quâ quis constat vno tempore, transmigrare solitam alio tempore in aliud corpus; & quidem non hominis tantùm, sed & bruti. Quare ab animalium carnibus abstinebant, ne fortè quis comederet animam alicuius è progenitoribus suis, sive *ne contingeret quòd bubulam de aliquo proavo quisquam personaret*, vt loquitur Tertullianus *in Apolog. c.* 48. vbi eos irridet. An verò Plato eam transanimationem tradiderit, variant Authores. Plutarchus *l.* 5. *de Placitis c.* 10. Plotinus *Enn.* 3. *l.* 4. *c.* 2. & D. Nemesius *lib. de Nat. huma c.* 2. affirmant. E contrà negant alij, vt Proclus, Iamblichus, & Porphyrius, atque Albertus Magnus 22. *de Anima lib.* 9. *cap.* 5. idque colligere sibi videntur ex Cratylo, Thæeteto, & Phædone ipsius Platonis. Dicendum tamen est ipsum tradidisse saltem transmigrationem animarum in corpora humana, vt ex eisdem libris allegatis patet, & præsertim ex Timæo: non tamen in bellua corpora. Platoni existimatur subscripsisse Origenes lib. 1. *περὶ ἀρχῶν*, vt testatur S. Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum. Similiter & plures alij, quos eo loco allegavi, eidem errori adhæserunt.

14 *NVNC* Obiter noto, nonnullos Iudæorũ, præsertim Rabbinos, tum olim, tum & hisce sæculis, vsque adeò immani fabulæ fidem dedisse, daresque; & ideo solitos transanimationem, sive μετεμψυχωσιν, appellare סוד הגלגול, *sod hagalgol*, scilicet, *secretum revolutionis*. Et quemadmodum Pythagoras (vt Laertius lib. 8. de vitâ Philos. refert ex Heraclide Ponto) primùm Æthalides Mercurij filius fuisse putabatur, inde Euphorbus, mox Aspasia Periclis scortum, iuxta Lucianum *in Gallo*, deinde Crates Cynicus, per eiusdem animæ transmigrationem in tot corpora: sic & Iudæi plures aiunt, animam Adami per סוד הגלגול, *secretum revolutionis*, migrasse in Davidem; huius in Messiam, qui adhuc lateat propter Iudæorum peccata: idque litteris nominis אדם *Adam*, hoc est אדם דור משה *Adam dor moseh*, Cabalisticè designari volunt. Vnde & obiter singularis lux interrogationi illi Iudæorum ad Christum Dominum Ioannis 9. *ῥαββεί τίς ἥμαρτεν οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ. Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* scilicet, altè imbiberant errorem hunc transmigrationis animarum: indeq; dubitabant, vtrùm illius hominis anima propter scelera, in alio corpore commissa, tunc cæcitate puniretur.

15 *VERVM* Prædictus error, quatenus in eo asseritur creatio animarum ante corpora, anathemate confixus fuit à Leo-

Leone Papa I. in epist. suprà indicata ad Turibium Episcopum: vbi contra illius assertores inquit: *Eos Catholica fides à corpore suæ vnitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere.* Idem ferè habetur in Concilio Bracharensi I. *cap.* 6. & ex professo explodituràPatribus: vt Epiphanio, vbi suprà, Theophilo Alexandrino *lib.* 1. *Paschali*, Augustino *epist.* 28. *ad Hieronymum*, Cyrillo Alexandrino *lib.* 1. *in Ioannem cap.* 9. in verba nuper exscripta, vbi viginti argumentis eam existimationem refellit, Hieronymus *epist. ad Pammachium* contra Ioannem Hierosolymitanum.

16 *DAMNATA* Verò antegressione animarum, seu creatione, antequam suis corporibus inspirentur, eo ipso damnata est transmigratio de vno corpore in aliud: quoniam eo ipso quòd anima Pythagoræ, priùs fuisset in Euphorbo, &, vt ille aiebat, vulneratus fuisset hastà minoris Atridæ; aut anima Empedoclis antea fuisset in quodam pisce, vt idem suis carminibus accinebat; iam animæ hominum extitissent in rerum natura priusquam suis inspirarentur corporibus. quod ab Ecclesiâ contra Origenistas, & alios hæreticos, reiectum est. Similiter & in Albanensibus, Albigensibusq; illum errorem damnat S. Athanasius *lib. de Beatitudine Filij Dei*: vbi ostendit eum esse contra fidem. Expressiùs verò ab Ecclesiâ proscriptus in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 8. vbi rationalis anima dicitur *pro corporum multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda.* Quo planè definitur singulis hominum esse singulas animas vnamquamque cuiuslibet propriam: ideoque nullius animam esse, aut fore animâ alterius. Denique idipsum satis expressè damnatur in ijs Scripturæ locis, quibus asseritur, omnes homines resurrecturos cum corpore & animâ, & Deum vnicuique redditurum mercedem iuxta opera sua. Quod tamen fieri non posset statutâ transmigratione animarum in varia hominum corpora: nam duo aut plures non possent simul resurgere cum eadem animâ. At certè ficta hypothesi contrariâ, eadem anima simul in cœlo beatitudine donaretur, & pœnam subiret æternam in gehennâ; vt puta, si simul esset anima vnius hominis pij, & alterius impij.

7 *REIICITVR* Præterea rationibus Philosophicis eadem animarum antegressio; idque multipliciter & breviter. *Primò*: Quia cùm anima rationalis sit actus, sive forma corporis, naturale ipsi est quod corpori vnita sit, potiùs quàm ab eo separata. Alioqui compositum ex ipsa & corpore esset aliquid præter naturam. Ergo putari debet animam à principio suæ creationis esse vnitam corpori: quia vnaquæq; forma priùs debet cogitari & existere in statu connaturali, quàm in præternaturali. *Secundò*, vt observat S. Thomas 1. *p. q.* 76. *art.* 1. *ad* 6. alijq; Philosophi communiter, rationalis anima innatâ atque naturali inclinatione propendet in corpus: ideoque connaturali perfectione caret, dum eidem copulata non est. Ergo Deus, qui vniversa opera à principio condidit perfecta & optima, non est putandus animas creasse à corporibus abiunctas, aut ea perfectione connaturali carentes. *Tertiò*. Si enim aliter factum fuisset, profectò animæ à corporibus separatæ non extitissent otiosæ: quia vt rectè docet Aristot. *lib.* 10. *Ethic. c.* 8. natura nihil in mundo otiosum omnino patitur, sive absque propria operatione existens. Ergo cùm propria animarum rationalium operatio sit cognitio, & rerum notitia, aliquam sibi comparassent animæ in eo separationis statu: immò & maximam; vtpotè diuturno tempore, & absque corporeis impedimentis. Ergo posteà vnitæ corporibus plurimùm, aut saltem aliquid eius scientiæ retinerent. Consequens verò falsum esse, experimento omnium hominum, constat. Nemo enim in se deprehendit notitiam aliquam, sive scientiam naturalem, nisi quam studio suo ac labore comparavit, nec recordatur, nisi eorum tantùm, quæ aliquando didicit; neque anima ipsius meminit se vnquam gessisse aliquid, nisi in eo corpore, in quo actu est.

18 Quòd si verò vltimæ huic impugnationi occurras cum Academicis, & Platone ipso *in Phædro*, & 10. *de Republ.* dicasque, animas, quoties deijciuntur in corpora, oblivisci eorum quæ antea gesserunt, propter coniunctionem cum hac terrena fœce, quasi in eâ hauriant lethæum oblivionis poculum; *CONTRA* Est. Præter plura enim argumenta, quibus hanc evationem præcludunt Tertullianus *lib. de Animâ*, S. Augustinus *lib.* 12. *de C. vit. c. vlt.* Albertus Magnus 1. *Metaph. tract.* 1. *c.* 8. & D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 83. reijcitur illa,

illa, vel hac vna ratione: Quia nulla res ex ſtatu connaturali amittit perfectionem, quam in ſe habet ante illum. At vnio rationalis animæ ad corpus convenit ipſi in ſtatu connaturali, vt ſuprà probatum eſt, paretque in omni forma corporis. Ergo ſi ante hunc ſtatum anima ſibi comparavit notitiam, ſeu perfectam rerum cognitionem, abſurdum dictu eſt quòd illam amiſerit per vnionem ad corpus. Aut certè, permiſſo quod aliquid, aut plurimùm eius amiſerit, incredibile apparet, totam omnino fuiſſe abolitam, ac ſi nunquam extitiſſet in mente. Sic enim omnibus rationalibus animis contingeret, quod Abulenſis narrat, veluti rem ſingulari notâ dignam: nimirum, fratrem Ioannem Ægidium Zamorenſem, Ordinis Minorum, virum doctum, & qui plures libros ediderat in Sacram Scripturam, eò ſenectutis & ſuporis veniſſe, vt iam nec recordaretur librorum eorundem, nec proprij quidem nominis.

19 *PORRO* Ariſtotelem repugnaſſe animarum ortui ante corpora, quidquid alij ſentiant, patet multipliciter: Quia eam Platonis opinionem, & oblivionem animarum, nuper ex ipſo & Academicis relatam, impugnat, tum in præſenti *lib. 3. c. 4 textu* 14. vbi docet, intellectum hominis eſſe inſtar nudæ tabulæ, in qua nihil depictum eſt, ideoque ante vnionem ad corpus nullam notitiam habere. Tum & 1. *Poſter. c.* 1. expreſsiùs adhuc in eandem oblivionem invehitur. Tum denique *libr.* 12. *Metaph. cap.* 3. *textu* 16. & 17. tradit, cauſam efficientem præcedere poſſe ſuũ effectum duratione; non autem cauſam formalem. Cùm ergo rationalis animus ex mente Ariſtotelis ſit corporis actus, ſive formalis cauſa; conſequens eſt, vt non præceſſerit in aliqua temporis duratione ante ipſum corpus, ſed ſimul a Deo creetur, ſive (vt loquar verbis ipſius 2. *de Generat. Animal. c.* 3.) extrinſecus adveniat, & corpori infundatur. Quo eodem ſtylo oculos invenio plures Veterum. Plato, & Stoici apud Tertull. *cap.* 25. *de Animâ*, dixerunt animam, *nondum vivo infanti EXTRINSECVS IMPRIMI*. Idem Stoici, & Pythagorici apud Lactantium *lib.* 3. *cap.* 18. aiebant, *NON NASCI ANIMAS, SED INSINVARI POTIVS IN CORPORA*. Quare haud rationabiliter Plotho antegreſsionem animarum inquit non fuiſſe negatam ab Ariſtotele; idque probare conatur in libro de his, in quibus Ariſtoteles à Platone diſſentit, *cap.* 9. Oppoſitum enim videtur conſtare ex dictis.

20 *DENIQVE*, Animas hominum peccaſſe ante vnionem ac corpora, quæ eſt altera opinionis relatæ pars, præter impugnationes præcedentes, ſpeciatim refellitur ex ſacris litteris: Quia ex doctrina Apoſtoli *ad Romanos* 5. peccatum per vnum hominem introivit in mũdum. Ergo antequam peccatum eſſet in hoc mundo, iam erat homo, ac proinde iam erat anima rationalis vnita corpori humano, ſine qua vnione nullus eſt, aut eſſe poteſt homo. Ergo anima rationalis primi hominis non peccavit ante vnionem cum corpore. Deinde refellitur ratione philoſophicâ: Quia ſi in pœnam alicuius ſceleris præcedentis conjectæ fuiſſent animæ rationales in corpora, vnio cum ijs non eſſet bonum per ſe inſpectum & quæſitũ a naturâ, ſed potiùs malum aliquod pœnæ. Conſequens verò abſurdum eſſe patet: quia natura per ſe amat & quærit generationem omnium animalium, præſertim verò hominis, veluti omnium perfectiſsimi. *Confirm.* Quoties ex malo provenit aliquod bonum, non eſt bonum directè & per ſe, ſed ſolùm indirectè & per accidẽs. Ergo ſi vnio rationalis animæ ad corpus eſt bonum pœnæ cauſatum ex malo culpæ, vnio ipſa non eſt bona directè & per ſe, ſed ſolùm indirectè & per accidens; ideoque hoc ſolùm modo quæretur & amabitur à natura. quod patet eſſe falſum.

21 *QVARE* Non ſolùm aliorũ hominum, ſed & Protoparentis anima, vna cum corporis formatione incepit, ſeu creata eſt: quamvis nonnulli Veterũ Scholaſticorum, ac præſertim Hugo Victorinus, Magiſter Sentiarum, Author Hiſtoriæ Scholaſticæ, & nonnulli alij apud Sixtum Senenſem *lib.* 5. *Biblioth. annot.* 208. de eo dubitaverint. Præterquam enim quòd lõgè rationabilius eſt animam creari intra corpus, vt ſtatim in eo connaturalem ſibi ſtatum obtineat, & perfectionem, quam res omnes in prima rerum geneſi habuerunt; ita docent Patres: vt Nyſſenus *libr. de Homine cap.* 29. & 30. Damaſcenus 2. *de Fide cap.* 12. Hieronymus *Epiſt.* 69. *ad Pammachium*, & 139. *ad Cyprianum*, ac Leo Papa *Epiſt.* 91. vbi dum definit, veluti fide certum, animas non fuiſſe, ſive non extitiſſe, antequam inſpirarentur corporibus, vide-

videtur quoque id definire de anima Protoparentis: quoniam loquitur vniversaliter, & absq; vlla restrictione, de animabus hominum. Præsertim quia verbum illud *inspirarentur*, videtur alludere ad verba Geneseos 2. vbi de Deo condente primum hominem dicitur: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Quare censeo indubitanter & firmiter credendum, ne animam quidem Adami antegressam fuisse vnionem ad corpus.

22 *IAM* Transmigratio ipsa animarum de alijs in alia corpora, quamvis suprà *n.* 16. ex doctrina fidei, præsertim circa resurrectionem singulorum hominum, præmiumque ac pœnam vniuscuiusque, pro ratione meritorum, reiecta fuerit; eàdem ferè ratione experimentali *num.* 17. vltimo loco proposita contra animarum antegressionem, refutari potest. Si enim anima, quæ modo in vno homine est, antea fuisset in alio, præsertim adulto, seu ratione vtente; profectò recordaretur aliquorum saltem ex ijs, quæ in eo gessit; conservaretque species spirituales in eo statu adquisitas, quibus excitarentur ad revocandum ea in memoriam. At cõsequens falsum esse, experimento patet. Neque Empedocles aut Pythagoras ipse, oppositum de se contestantes, aliud obtinere potuerunt, quàm vt in eo deliri, vel fanatici homines haberentur. Quod verò plerique; ex Pythagoricis addunt, eam trãsmigrationem animarum etiam fieri in bruta; planè probat bruta ipsa habitura vim intelligendi & discurrendi: quia cùm eisdem speciebus sensibilibus, eisdemque phantasmatibus prædita sint, quibus homines, nihil ijs deficit ad discurrendum, si verè rationali animo constent. Verùm pudet immorari amplius in refutãda eiusmodi fabellà, quam vix Poëtis finxisse licet, vt Orpheo, & Virgilio, apud quos prævaluisse censetur.

23 *OPPONES* Testimonium illud Geneseos secundo, in quo Deus requievisse legitur die septimo, & cessasse ab vniverso opere suo, quod patraverat. Ex quo videtur colligi, post primam rerũ molitionem, sive post hexaëmeron, Deũ nullius hominis animam creasse. Ergo omnes animæ à principio creatæ fuerunt, & longè antea, quàm corporibus vnirentur

24 *RESP.* Verbis prædictis asseri, Deum requievisse, non absolutè, sed ab opere quod patraverat sex illis diebus: quoniam in eo temporis spatio condiderat mundi machinam, & die septimo destitit ab eius creatione. Inde verò non prohibetur quòd postea plura alia operatus sit & incessanter operetur singulis temporũ momentis, iuxta illud Christi D. apud Ioannem c. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Vel dici potest cum Alberto Magno *in Summâ de Homine q.* 15. & D. Thoma 2. *contra Gent. c.* 84. & *in* 2. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 7. Deum quievisse à novis speciebus condendis, non tamen à novis individuis intra quamlibet speciem, quæ quotidie & passim multiplicantur. Quare cùm omnes homines, ipsorumque animæ, sint eiusdem speciei, nihil mirum quòd quotidie producantur.

25 *INSTABIS:* Quamvis Deus quotidie nova opera in individuo moliatur, non tamen ea, quæ nequeunt fieri sine ipsius concursu in peccatum. At creatio animarum nequit esse à Deo in instanti vnionis ad corpus, quin ipse concurrat ad peccatum originale, quod singuli homines contrahunt in eo instanti. Ergo Deus non creat animas hominum in instanti vnionis ad corpus, sed longè antea.

26 *RESP.* Ex doctrinâ S. Augustini *l.* 5. contra Iulianum c. 3. D. Thom. 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 5. & S. Bonaventuræ *in* 2. *d.* 30. *q.* 2. *ad* 2. negando minorem: quia licèt rationalis anima in eodem instanti, in quo creatur, contrahat peccatum originale, non tamen quatenus creatur à Deo, sive quatenus terminat actionem ipsius creativam; sed quatenus cum corpore constituit prolem Adami, quæ in ipso, vt capite, peccaverat à principio. Quare tunc solus homo genitus contrahit in seipso originariam noxam, quam antea solùm in capite suo contraxerat. Ideoque Deus dumtaxat permissivè se habet in eam peccati contractionem actualem, idque ex fine excellentiorum bonorum, præsertim Incarnationis. Verùm hæc extra orbitam Naturalis Philosophiæ sunt, ideoque sufficiat ea breviter tetigisse, alibi operosius discutienda.

(***)

SE-

SECTIO TERTIA.

Vtrùm Rationales Animæ ex vi creationis, & pro priori naturæ ad vnionem cum corporibus, ſint inæquales perfectione individuali?

27 RESP. Probabiliùs videri rationales animas ex ſe, prout terminant creationem, & pro priori naturæ ad vnionem cum corporibus, eſſe perfectione inæquales. Hanc animarum inæqualitatem videtur inſinuaſſe Salomon *Sap.* 8. dum ait: *Puer ingenioſus eram, & ſortitus ſum animam bonam.* Quo planè indicat aliquid ſpeciale bonitatis in anima ſua vi creationis. Favet Ariſt. in præſenti *lib.* 2. *c.* 9. *textu* 94. vbi inæqualitatē animarum ex inæqualitate corporum cēſet, aitque inter alia: *οἱ μὲν γὰρ σκληροσαρκοι, ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν· οἱ δὲ μαλακόσαρκοι, εὐφυεῖς. Qui nāque ſunt duri carne, ij ſunt ineptimente: qui verò ſunt molles carne, ij ſunt ingenioſi, menteque dextri.* Conſonat D. Thomas pluribus locis, *vt in* 1. *diſt.* 8. *q.* 5. *art.* 2. *ſolut. ad* 6. vbi docet, *animam, quæ ad corpus melius diſpoſitum ordinatur, perfectiorem eſſe.* Et *in* 2. *diſt.* 21. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. aſſerit, animam Adæ digniorem fuiſſe, quàm Evæ, ratione proportionis ad perfectius corpus. Atque eodem libro *diſt.* 32 *q.* 2. *ar.* 3. inquirens ex profeſſo, vtrùm animæ in ſui creatione æquales ſint, reſpondet, æquales quidem eſſe in natura ſpeciei: ſed differre numero ex diverſitate corporum, per quæ individuantur; & vnā cò nobiliorem eſſe aliā, quò melioris temperamenti corpus adipiſcitur.

28 *QVARE* Caietanus 1. *p. q.* 85. *ar.* 7. tam expreſſum iudicat S. Doctorem pro hac ſententia, vt cæcos exiſtimet, qui aliter de illo ſentiunt. Ideo illam ſimiliter amplexantur præſtātiores Thomiſtæ, vt Capreolus *in* 2. *diſt.* 32. *q.* 1. Hiſpalenſis *q.* 1. Ægidius *q.* 3. Ferrara 1. *cōtra Gent. c.* 3. Iavellus 8. *Metaph. q.* 6. In eādem quoque ſunt Albertus Magnus *in* 2. *diſt.* 32. *art.* 6. Richardus *q.* 3. Lychetus *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 1. Abulenſis *in c.* 15. *Matthæi.* Leſsius *l.* 12. *de Div. Perf. c.* 18. *n.* 145. Tellez *diſp.* 78. *ſect.* 4. Laiemandet. *diſp.* 15. *p.* 5. plureſque alij.

29 *PROBATVR* Multipliciter, curſim tamen, ne in hoc nimiùm immoremur. *Primò* & à priori: Quia poſsibilis eſt abſolutè inæqualitas perfectionis animarum rationalium intra eandem ſpeciem: tum quia id nullo ex capite repugnare cōvincitur, neque oſtenſum eſt ab Adverſarijs infrà referendis: tum quia quemadmodum animæ intra eandem ſpeciem diſtinguuntur numero per ordinem ad diſtincta corpora, ſic & poſſunt individuali perfectione inæquales eſſe per ordinem ad corpora ſecundum numericam perfectionem inæqualia: tum denique, quia cæteræ rerū ſpecies contrahuntur per individua perfectionis inæqualis. Ergo & id poſsibile eſt in ſpecie rationalis animæ. Si autem id ſemel poſsibile eſt, longè veroſimilius eſt ita accidere de facto, quam non accidere: tum propter Vniverſi varietatem; tum quia animam Chriſti decuit cæteris perfectione præeminere, ſicut & Adami, & quorundam inſignium ſapientiſsimorūq; virorum, comparatione facta cum animis aliorum rudium & inſipiētum: inter quas omnes videtur eſſe apertiſsimam perfectionis inæqualitatem de facto, ſi ſemel ea aſſeratur poſsibilis.

30 *Secundò.* Rationalis anima ſecūdùm ſuam naturam ſua eſt actus corporis; ideoque oportet vt eidem commenſuretur in ſua perfectione. Cum igitur animæ quædam ſortiantur corpora perfectiora, ſcilicet, aptioribus organis, melioriq; temperamento prædita, quam aliæ, etiam ijs perfectiores cenſendæ ſunt. *Confirm.* Rationalis enim anima ſecundum ſe ſumpta nō ordinatur ad quodlibet corpus, ſed ad certum aliquod & determinatum, in ordine ad quod individuatur. Ergo cum corpora ipſa inæqualis perfectionis ſint inter ſe, vna anima ex ſe reſpicit perfectius corpus quàm alia. At reſpicere ex ſe perfectius corpus, ſive ſubiectum, nequit proevenire, niſi ex maiori perfectione animæ, ſive formæ. Ergo rationalium animarū quædam ex ſe perfectiores ſunt, quam aliæ. Tota difficultas huius diſcurſus conſiſtit in primo antecedente. Quod probatur, quia ſi quælibet anima rationalis ſecundùm ſe non ordinaretur ad certum & determinatum corpus, ſed indefinitè ſe haberet circa vnum & aliud, Deus infundens animam Socratis in eius corpus, poſſet iuxta naturæ ordinē, & abſque vllo miraculo infundere in illud Platonis animam, quam poſtea creavit: atque adeo Sophroniſcus loco Socratis, quē genuit tunc, poſſet gignere Platonem. Conſequēs autem abſurdum eſſe, vel ex eo patet, quia idem ſingularis effectus, qualis eſt Plato, nec

produci à duobus causis totalibus, saltem naturaliter, iuxta veriorem sententiam Philosophorum. *Præterea.* Reijcitur idem consequens: quia iuxta illud non repugnaret ex natura rei transmigratio Pythagorica, superiùs reiecta. Si enim anima Platonis secundùm se considerata nō magis exigit corpus determinatum ipsius, quàm aliud, poterit naturaliter infundi, sive communicari alterius corpori, postquam per mortem à corpore Platonis recesit. Quod absurdissimum esse patet, nec concedere audebit, nisi qui pythagorizare audeat.

31 *Tertiò.* Non enim solùm videtur possibilis, sed necessaria quoque inæqualitas perfectionis individualis rationalium animarum: quoniam aliter secundùm perfectionem individualem cōvenirent vnivocè: siquidem æqualia simpliciter, in quantum æqualia, vnivocè convenire possunt, nisi aliunde ostendatur specialis repugnantia, qualis in præsenti non apparet. Inde autem sequeretur processus in infinitum: quia sic animæ rationales in ipsis differentijs individualibus, quibus dissident inter se, convenirent simpliciter; ideoque oporteret in ijs assignare alias differentias individuales, penes quas non convenirent. Cumque in his etiam deberet apparere æqualitas perfectionis, iuxta opinionem contrariam, quærendæ essent aliæ & aliæ differentiæ individuales absque termino, donec tandem assignarentur individuales perfectiones animarum inter se inæquales. Cùm igitur eiusmodi processus in infinitum exosus sit Philosophis, dicendum est à principio, rationales animas ex se, & vi creationis suæ, esse individua perfectione inæquales. Quæ doctrina tam certa olim fuit Doctoribus Parisiensibus, vt non dubitaverint oppositam inurere erroris notæ, sic decernentes: *Siquis dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat: quoniam aliàs anima Christi non esset perfectior, quàm anima Iudæ.* Ita enim definitum ab ijs testantur Henricus Gandavensis *Quodlib. 3. quæst. 5.* & Durandus *in 2. distinct. 32. quæst. 5.* Porrò neque nostra, neque Adversariorum sententia ex Patrum testimonijs promoveri potest: nam apud eos non invenitur exagitata hæc difficultas, sed solùm statuta æqualitas specifica omnium rationalium animarum, quæ in præsenti supponitur.

32 *VLTIMO* Aliqui probare eandem doctrinam solent: quia vnūquodque operatur iuxta perfectionem naturæ suæ: animæ autem quædā perfectiùs operantur, seu principia sunt perfectiorū operationum quàm aliæ: ac proinde perfectioris in individuo naturæ sunt, quàm aliæ animæ. Verùm ratio hæc, nisi aliunde robur accipiat, debilis est: quia adhuc in eadem anima eiusdem individui constat, secundùm alia & alia tempora esse principium inæqualium operationum, & perfectiorum plerumque circa virilem aut devexam ætatem. Constat præterea experimento, quosdam gravi morbo amisisse ingenij vim, ac memoriæ: alios è contrà ex vulnere inflicto, aut medicamentorum vsu, auxisse vires ingenij & memoriæ, vique ad miraculum ferè. Cuius rei plura & admiranda se experimento deprehendisse in plurimis hominibus, testatur receter Zacutus, varia medicamenta præscribens ad cōparandum memoriam admirandam. Carneades quoque, vt subtiliter scriberet contra doctrinam Stoicorū, ingeniūque exacueret, legitur vius helleboro albo in corporis purgatione: similiter & alij studiorum causa, vt refert Plinius *lib. 35. c. 5.* Si ergo in eadem anima substantialiter invariata potest accidere, & sæpe accidit magna inæqualitas & vicissitudo operationum, penes perfectionem individualem; quid mirum quod duæ aut plures animæ, quarum vis æqualis omnino perfectionis essent, concurrerent in diversis subiectis ad inæquales operationes? Dicet enim Adversarij, id provenire, nō ex inæqualitate animarum, sed organorum, & temperiei in cerebro exactæ.

33 *CONTRARIAM* Opinionem tuentur Argentinas *in 2 dist. 32. q. 1. art. 2.* Durandas *ibid. q. 3.* Zumara *1 theorem. 54.* Soncinas *8. Metaph. q. est. 26.* Sotus *in Prædicam. cap. de Substantia q. 2.* Conimbricenses in præsenti *lib. 2. cap. 2.* Fonseca *5. Metaph. c. 28 q. 19 sect. 2.* Aversa *q. 57. sect. 7.* Salas *in 2. 2. q. 85. tr. 13 disp. 13 sect. 2.* Hurtado in præsenti *d. 2 sect. 7.* Arriaga *d. 1 sect. 7.* Martinō *de Incarn. d. 10 sect. 1.* Vazq. *1. 2. dis. 82.* aliíq; plures Recentiorū: è quibus latissimè illa exagitat S. Crucius *in præsēti l. 3. dis. 3. q. 1.* Et prætermissis aliis argumentis levioribus, seu mōris notæ, probant præcipuè: Quia omnes intellectivæ animę haberent inter se inæqualem perfectionem quoad naturas singulares;

idem

idem quoque dicendum esset de omnibus alijs individuis, saltem substantiarum eiusdem speciei infimæ: siquidem in ijs omnibus eædem rationes militant. At consequens videtur absurdum. Si enim eiusmodi individua necessario essent inæqualis perfectionis, sequeretur omnia singularia effecta perpetuò degenerare à suis causis, seu passim imperfectiora & imperfectiora fieri. Cùm enim nullus effectus possit excedere perfectione suam causam, si aliunde omnino æqualis cum illa esse nequit, necessarium est vt imperfectior evadat. Quo demum fieret, vt omnia tãdem post tot sæculorum flaxum in extremam pene imperfectionem venissent, corrueréque axioma Philosophorum docentium, quálibet causam vnivocam producere effectum sibi omnino similem. In hoc argumento maximè nituntur Adversarij.

34 *RESP.* Concedendo sequelam: quia cum individuum sit, *cuius proprietates aggregatæ in nullo alio reperiuntur*, nihil mirum quòd omnia individua substantialia, ex aliquo saltem capite, inæqualia sint secundùm perfectionem. Ad impugnationem consequentis potest cõcedi sequela, dicíque omnia effecta, quæ per generationem fiunt à causis secundis, perpetuò degenerare, & imperfectiora evadere. Quod sapientes quique iam multis retro sæculis lamentabãtur, tum in hominibus, tum & in animalibus cæteris, ac plantis, immo & in moribus. Esdras sacer Scriptor *lib. 4.* quamvis non computato inter libros Canonicos ab Ecclesia, sic loquitur cap. 5. *Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. Dices dum ei: Quare quos peperisti nunc non sunt similes his qui antè, sed minores statura? Et dicet tibi ipsa: Alij sunt, qui in iuventute virtutis nati sunt: & alij qui sub tempore senectutis, deficiente matrice sunt nati. Considera ergo & tu quoniam minori statura estis præ his, qui ante vos: & qui post vos, minori, quàm vos: quòd senescentes creaturæ & fortitudinem iuventutis præteruntes.* Similiter & Plinius suo tempore animadvertit, *in plenum cunctis mortalium generi minorem in dies mensuram fieri, rarosque parentibus proceriores; consumente vbertatem seminũ excussione, in cuius vices nunc vergat ævum.*

35 Eandem doctrinam confirmat & illustrat Philo Iudæus *lib. de Opificio Mundi*: vbi loquens de Protoparente ait: *Talis mihi primus homo videtur factus, & corpore, & animo reliquos omnes qui vel nũc sunt, vel antè fuerunt, excelluisse.* Addítque rationem, quæ nimiũm congruit nostro instituto: *Illum enim Deus condidit: nos verò ex hominibus gignimur: quantò autem melior maiorque auctor, tantò & opus oportuit. Deinde, quidquid viget, senescente & effœto melius est, SIVE ANIMAL, SIVE PLANTA, SIVE FRVCTVS, SIVE ALIVD EORVM, QVÆ IN NATVRA SVNT.* Itaque par est, *primum illum hominem robur & vigorem extitisse tatius generis*: τὸν δ' ἐπεισαγόμενον ὁμοίως ἐπανυμάσαι, τῇ τῆς γενεᾶς ἀμαυροτέρας καὶ τὰς τοιαύτας καὶ τὰς δυνάμεις λαμβανούσας: *at secutos deinceps haud ita viguisse, per ætates, & successiones, deteriores semper formæ & viribus factos.* Consonãt & alij ex Veteribus, quos consultò omittimus. Itaque nihil mirum quòd effectus geniti à causis secundis frequenter declinent ab earum perfectione. Id tamen ingentem latitudinem percurrendam habet, ne aliqua species rerum extremè imperfecta inveniatur: præsertim supplentibus causis vniversalibus defectum particularium, in communis naturæ conservationem. Quare nonnunquam videmus ex viro & fœmina statura pusillis, aut mediocribus, nasci proceros homines, & ex debilibus robustos; atque ex parentibus vita brevibus in extra naturalem complexionem, oriri filios vivaciores cornicibus; quia, scilicet, sub benigniore cœli aspectu concepti sunt. Ad rationem verò causæ vnivocæ sat est producere omnino simile in naturâ specifica, quamvis effectus in individuo aut sit perfectior, aut imperfectior: vt passim accidit, neque ipsi Adversarij negare possunt.

(:·:)

ILLMO. ET NOBILISSIMO HEROI

D D. IOSEPHO BELTRAN DE ARNEDO,

IACOBÆO EQVITI, SVMMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO.

DISSERTATIONEM Philosophicam *de Animatione Fœtus*, sub astro Nominis Tui videre primam lucem, non dedignaberis, CLARISSIME VIR. Obstrictus enim es Naturæ eo insigni animationis beneficio, & cæterorum fonte. Nec ea solùm lege, quæ cæteris omnibus communis est: sed strictiore alia. Non enim obscura aut ignobili origine contigit in hanc lucis vsuram prodire; sed ex illustri genere, sub Tuo, meoque, Rivogiæ clarissimo cœlo. Nec TIBI tantùm, sed & nobilissimis Fratribus Tuis D. PETRO, & D. MARTINO, Togatis in Maiori Ovetensi Collegio; quorum prior, post plura litterarum trophæa, in Supremo Senatu Indiarum Consiliarium egit; posterior, post Primariam Iuris Pontificij Cathedram in Salmanticensi Academia, in Vallisoletano Prætorio Senator est. Nimirum, nescio quo cœlesti genio Domus Tua, tam Paterna, quàm Materna, his honoribus, ac summo Senatuum splendori, iam diu præfinita fuit. In Tuo D. BARTHOLOMÆI Collegio Togatos habuisti Illustrissimum D. D. MARTINVM DE ARNEDO, Avunculum Tuum, Supremi Castellæ Senatus Consiliarium, eiusque dulcissimum Filium, ac Consobrinum Tuum, D. D. IOANNEM EMMANVELEM DE ARNEDO, Iacobæũ Equitem, & Vespertinum Salmanticæ Antecessorem in Iure Pontificio; qui cœlo iam maturus immatura ætate, floribus ac fructibus simul editis, in Paradisum raptus est. Nimirum eò transferri digna fuit insignis illa probitas, & mentis candor, ac præcox virtutum totiusque honestatis decus. Nullum in eo locum habet illud Platonis 10. Polit. *τῶν δὲ τοιούτων γενομένων, ὀλίγον χρόνον βιώσαντων περὶ ἄλλα τε λέγειν οὐκ ἄξια μνήμης: De his qui paulò post quam nati sunt, decessere, ac vixère tempus breve, quædam parùm digna memoria recensebat.* Quippe pijssimus ille exiguo tempore plura ac dignissima sui nominis monimẽta reliquit, præsertim à litterarum & virtutũ eximio cultu. Erràrunt planè qui apud Tertullianum *lib. de Anima* putarunt, mentes hominum *immaturà morte præventas, eousque vagari isthic, donec reliquatio compleatur ætatis, quà cum pervixissent, si non intempestivè obijssent.* Erràrunt, inquam, & præsertim circa mentes piorum, quibus melius digniusque consulitur, si post acerbum obitum liber sit in cœlum aditus, quàm vaga quædam apud nos mansio. Verum & Tuus ille, probatus cœlo terræque, ita in ætheream regionem præpropero exitu avolavit, vt quoddammodo apud nos maneat, eximia virtutum opinione. At quamquam his alijsque Tuorum ornamentis nullatenus effulgeres, ea TIBI litterarum, integritatis, & iustitiæ gloria fuit, tum in hac Salmanticensi Academia, & honorificentissima Digesti Veteris Cathedra, tum & in alijs atque alijs Senatibus Regijs, vt, quamvis cætera deessent, dignus esses immortali nomine. Hæc omnium, qui TE norunt, vox est: & quidem non meritis solùm, sed & felicitati adscribenda. Sunt qui rectè & laudabiliter operentur, nec tamen laudem apud homines assequantur. Sunt quibus ipse iustitiæ cultus & integritas Vatinianum odium pariat. An quia non plenam à Deo felicitatem sortiti, an quia imprudenti zelo ægrotant, an quia non rectè dispositæ aliorum mentes; non disputo. TIBI certè nihil eiusmodi contigit in diuturno atque integro iustitiæ vsu. Vel eorum, quibus abiudicari contingit, hic sensus est. Prosequere igitur, ILLVSTRISSIME D. honestissimæ vitæ periodum, & pro ratione meritorum grandesce vsque ad prima & summa præmia, in Patriæ Nostræ singulare decus.

DIS

DISP. OCTVAG SECVNDA.

DE ANIMATIONE FOETVS.

Quando Rationalis Anima incipiat informare fœtum?

Num. 1. *POSTQVAM Constitutum est disputationibus præcedentibus rationalem animam non traduci à parentibus cum semine, nec fieri à generante, sed produci à solo Deo per creationem, idque non ante vnionem cum proprio vniuscuiusque animæ corpore; restat vestigandum quo tempore fiat hæc vnio: an à principio coniunctionis seminum vtriusque parentis; an in ipso instanti, quo fœtus incipit edere primam vitæ operationem, quæ est vegetatio; an secundam, quæ est sensio; an verò postea. Si autem postea, oportebit assignare certum diem, tum creationi animæ rationalis, tum & vnioni ipsius ad corpus, quæ duæ certè in eodem temporis momento ponuntur. Habere potest locum disputatio hæc in eadem Aristotelis loca, ac præcedens.*

SECTIO PRIMA.

Variæ Authorum opiniones circa tempus animationis, sive vnionis animæ ad corpus, refutatæ, & plenior quarundam impugnatio in alium locum remissa.

2 *ADHVC* Statuta creatione rationalis animæ a Deo solo, & non ante vnionem ad corpus cuiusque hominis, sunt variæ ac dissidentes opiniones Philosophorum circa tempus, sive instans, quo creatur à Deo & simul vnitur corpori. Sennertus, quem toties impugnavimus *disp. præced.* veluti asserrorem traditionis animarum omnium medio semine, postquam idipsum de rationali statuit loco ibi allegato *c.* 10. subdit, saltem sibi certissimum esse, animam mox à prima conceptione, cùm primùm semen patris & matris coniunctum est, & in vtero matris retinetur, & corpus formari incipit, adesse; & qui contrariũ statuit, sive traducis, sive infusionis animæ patronus sit, eum à verò aberrare. Quod ibidem ex Macrobio, & quibusdam alijs probare tentat. Itaque ex opinione apud Sennertum certissima, rationalis animus, si non traducitur a parentibus medio semine, saltem adest cum primùm coniunguntur semina vtriusque parentis, & corpus hominis à longè formari incipit, nondumque formatum est. Hanc opinionem late refutavimus disputatione 8o. quantũ ad id quod tũpponit.

Quantũ ad id verò quod affirmat, reijci potest breviter ex dictis eo loco. *Primò*: Quia quando primum semen maris & fœminæ coniungitur, non est corpus organicum, sed tantùm in via ad organizationem. Ergo nondum est animatum, sed tantùm in vĩa ad habẽdam animam: quia hæc est actus corporis organici. *Secundò*: Quia semẽ in eo statu nullum vitæ actum exercere dignoscitur, ne nutritionis quidem: quia hæc, adhuc iuxta prædictum Authorem *cap.* 9. est propria corporis iam formati. *Tertiò*: quia incredibile apparet in ea materia adeo rudi & impolita esse dispositiones necessarias ad recipiendum formam perfectissimam, qualis est rationalis, quod à fortiori constabit ex dicendis sect. sequenti. *Quartò*, & gravius, quia videtur esse contra sensum sacrorum Canonum, præsertim *cap. Sicuti* 32. *q.* 2. vbi dicitur, non committi homicidium ab eo, qui fœtum occidit in vtero ante infusionem animæ. Supponit ergo aliquod esse tempus quo fœtus sit intra vterum absque animâ. Vide omnino sapientissimum ac subtilissimum Doctorem Bravo, Regium Archiatrum *P.* 1. *Resolut. Medic. disp.* 10. *sect.* 3. *resol.* 11.

3 *SECVNDO* Alij volunt è converso rationalem animam non infundi corpori humano quandiu gestatur in vtero matris, sed solũ in ipsa nativitate. Ideoque aiunt operationes vitæ, quæ in embryone, seu fœtu ante nativitatem apparent, non procedere ab aliqua anima ipsius propria, sed ab animâ matris, cuius vteri pars sit ipse fœtus. Hanc opinionem recenter docuit, & prælo commisit Ioannes Marcus, Primarius Medicinæ Professor in Progensi Academia. Eam latissimè,

& quantùm capio, iudicaruntque doctissimi homines, efficacissimè refutavi *tom. 1. Theologiæ Florulentæ, Ludo 5. per totum.* Videantur quæ ibi diximus, nec repetere vacat, aut moris est. Nunc obiter adeo, eâ ipsam existimationem antiquissimam esse, & Stoicorum. Amplissimum testimonium do ex Tertulliano *lib. de Anima c. 25.* vbi hæc habet: *Sunt qui præsumunt, non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi, atque produci, sed & effuso iam partu, nondum vivo infanti, extrinsecùs imprimi. Cæterùm semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, compingescere in solam substantiam carnis eam editam, & de vteri fornace fumantem, & calore solutam, vt ferrum ignitum, & ibidem frigidæ immersum, ita aëris rigore percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere. Hoc Stoicis cum Æneside mo, & ipse interdum Plato.*

4 *SIMILITER* Chrysippus apud Plutarchum *lib. de Pugnis Stoic.* eandem opinionē apertissimè tradidit. Verba exhibeo: τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστρὶ φύσα σπέρματος νεμῖσα καθάπερ φυτόν. &c. Chrysippus *censet fœtum in vtero alvt plantam. Cùm autem in lucem editus est, frigefactum ex aëre & induratum, mutare spiritum, & fieri animal.* Ipsissimum equidem, quod Ioannes Marcus tuetur, qui infanti in vtero solam animam matris concedit, nascenti autem animam propriam. Idem Plutarchus *lib. 5. de Placitis cap. 15.* generatim ait Stoicos censere, fœtum in vtero, μέρος εἶναι αὐτὸ τῆς γαστρὸς, ἄλλον: *partem esse ipsius vteri, non animal.* Quod eiusdem opinionis consectarium est. Verùm, præter impugnationes plurimas, quibus id paradoxon eo loco infectatus sum, patet iuxta illud, priùs tempore esse constitutionem, seu formationem corporis in vtero, quàm originem, sive infusionem animæ. Vide autem quid de eâ doctrinâ sentiat S. Gregorius Nyssenus lib. de Anima & Resurrectione: *Posteriorem esse originem animarum,* inquit, *ipsasque recentiores esse corporum cōstitutione. NEMO SANA MENTE PRÆDITVS IN ANIMVM INDVXERIT.*

5 *RATIONEM* Subdit statim: *Quia manifestum est, quòd nihil ex inanimatis vim in se habeat movendi, itemque crescendi. At eorum, qui in vtero aluntur, neque augmentum & incrementum, neque motus de loco ad locum controversus est. Relinquitur ergo, vt censeamus, vnum & idem animæ & formationis corporis principium esse.* Quæstio est ipsissima S. Thomæ *1. p. q. 118. art. 2. ad 2.* vbi refellit eandem opinionem, & disposita iuxta severam arguendi methodum, vix diversam ab hac, quam subiungo. Omne quod habet in se, vim, vt moveatur & crescat, est intrinsecè animatū. At manifestum est, fœtum in vtero habere in se vim vt moveatur & crescat. Ergo manifestum est fœtum in vtero esse intrinsecè animatum. Proindeque NEMO SANA MENTE PRÆDITVS putet, fœtum in vtero formatum esse, antequā ipsius anima producatur & corpori infundatur. Quod si verò dicas, fœtum quidem in vtero animatum esse, verùm ab eadem matris anima; præcludit vterque Doctor Sanctus hanc evasionē: tum quia loquitur de anima propriā fœtus, & hanc aiunt habere suam originem, seu fieri, ciam primùm fœtus formatus est, quod patet locū non habere in anima matris, pluribus retro annis producta. Tum præterea, quia vterque Doctor asserit, manifestum esse, fœtum in seipso habere motus vitæ: quos patet ab extrinseco, sive ab alienâ anima, provenire non posse, sed à propriâ. Tum denique, quia fœtus in vterò non magis penes locum coniunctus est matri, quam vnus homo vivens, aut mortuus, & penetratus cum alio per miraculum, ipsi coniungeretur. At vnus homo vivens, aut mortuus iam, & penetratus cum alio vivente, non exerceret motus vitales ratione animæ illius coniunctæ. Ergò neque fœtus illos exereet ratione coniunctionis ad animam matris.

6 *TERTIO* Alij apud eundem D. Thomam vbi nuper, aiunt, fœtum humanum in vtero formatum statim habere animam vegetativam, quæ ipsa postea virtute seminis fiat sensitiva, ac tandem vi superioris agentis, nimirum, Dei, transeat in intellectivam. *SED Contrà 1.* iuxta hanc opinionem assignari non potest tempus creationis animæ intellectivæ, siquidem in eâ asseritur, vegetativam & sensitivam animam, quæ vi seminis producitur, esse eandem cum anima intellectiva. Cum quo vix, aut ne vix quidem federari potest quòd anima intellectiva secundùm suam entitatem à solo Deo producatur; siquidē ipsa eius entitas & realitas intrinseca præsupponitur virtute seminis producta, quam vis sub solo munere vege-

vegetandi & sentiendi. Ergo anima intellectiva secundùm, suam entitatem non fit per creationem, sed per generationē, sive seminis propagationem. quod disputatione præcedenti refutavimus, & idem S. Thomas eodem loco hæreticum censet, veluti contrarium immortalitati rationalium animarum.

7 *CONTRA II.* Quia iuxta eandē opinionem, nulla erit generatio hominis simpliciter, sed alteratio. Generationi enim simpliciter tali repugnat per se præsupponere subiectum, quod sit ens in actu ex corpore & anima. At iuxta eam opinionē generatio hominis, seu communicatio animæ intellectivæ, per se præsupponit subiectum, quod sit ens in actu ex corpore & anima: scilicet, præsupponit per se materiam informatam ab anima vegetativa, & sensitivâ. Ergo non erit generatio hominis simpliciter. Erit igitur solùm motus quidam continuus, paulatim procedens de imperfecto ad perfectum, ac proinde alteratio.

8 *CONTRA III.* Creatio tendit ad producendam rem secundùm totam suam entitatem ex nihilo: ideoque nihil ipsius præsupponit, sed totum extra causas constituit. Dum ergo ex doctrina inter Catholicos certa supponimus, rationalem animā à Deo creari; supponi etiam certò debet ipsius animæ entitatem sub nullo antea munere præexistisse. *Confirm.* Quia sive esse intellectivum in anima sit aliquid realiter indistinctum, sive gratis distinctum permittatur à gradu vegetativo & sensitivo, his duobus præsuppositis, nullus est locus creationi animæ, prout intellectiva est. Sicuti nullus est locus creationi gradus intensioris in qualitate iam antea productę penes gradus remissos, sive hi distinguantur realiter à gradu intenso, sive non. *Confirm. II.* Quando anima humani fœtus dicitur transire ex vegetativa in sensitivam, & ex hac in intellectivam, vel ille transitus, sive mutatio, est penes solam maiorē intensionem; & sic non erit creatio: vel est penes novam perfectionem specie distinctam; & sic iam non est eadem entitas, neque anima, quæ antea: quia repugnat ex terminis aliquam entitatem in seipsâ manentem mutare speciem substantialem; cùm hæc sit ipsa entitas cuiusque rei.

9 *QVARTA* Opinio docet, animam rationalem à Deo creari, & corpori simul infundi, cùm primùm fœtus est formatus sufficienti modo ad vivendum qualitercumque. Itaque non priùs in eo esse animam vegetativam, quàm sensitivam, neque hanc, quàm rationalem: sed eodem temporis momento à formatione fœtus infundi animam à Deo, quæ sit indivisibiliter vegetativa, sensitiva, & rationalis simul: licèt non à principio eliciat simul omnes operationes ijs gradibus correspondentes, sed paulatim, ac successivè. Hæc videtur fuisse mens Hippocratis, dum in Stobæanis eclogis asseruisse legitur, animam, scilicet, rationalem, adesse *statim à formato semine*. Maximè, cùm idem *lib. 1. de Diæta* perspicuè doceat, *animam non mutari, sed solum temperamentum.* Ita etiam Petrus Garcia *disp. 38. cap. 2.* Hurtadus *de Gener. disp. 2. sect. 8. n. 108. & 109.* Theophilus Raynaudus *de Ortu infantis c. 10. n. 48.* Dandinus *lib. 2. de Anima comm. 13. digr. 8.* Hanc eandem opinionem recenter ac subtiliter illustrat Doctor D. Franciscus Henriquez de Villacorta, Catholicæ Maiestatis Medicus à Cubiculo, in sua celebri Laureà *tom. 1. disp. unicâ de Semine, cap. 11.* illamque tot rationibus fulcit, vt vindicatur impugnatu difficillima: cui fortè subscriberem, nisi expressè contrarium asserrent Aristoteles, ac D. Thomas, vt infrà apparebit. Eandem ex parte tuetur Quiros in *Cursu Philos. disp. 75. sect. 2. num. 12.* quatenus docet, animam sensitivam non priùs tempore communicari fœtui, quam rationalem; quamvis parè vegetans communicetur seorsim ante sensitivam.

SECTIO SECVNDA.

Animam rationalem non priùs creari & vniri corpori humano, quam præcesserint, & corruptæ fuerint, tum anima parè vegetativa, tum & alia posterior vegetativa & sensitiva simul. Opposita quorundam Recentiorum opinio impugnatur.

10 VLTIMA Sententia & probabilior est quæ docet, in fœtu humano non esse animam rationalem, immò nec sensitivam, cùm primò incipit vivere intra vterum: sed primò omnium, vbi fœtus, sive embryo, est sufficienter formatus ad vivendum, produci in eo virtute seminis animam parè vegetativam: deinde vbi vlti-

mo

mò dispositus est ad sentiendum, produci virtute eiusdem seminis aliam formam simul vegetativam, & sensitivam, corruptâ illâ priore, quæ tantùm vegetativa erat: denique vbi iam fœtus est vltimò dispositus ad gradum specificum hominis, creari à Deo, vnirique materiæ ipsius animam rationalem, quæ simul & indivisibiliter sit vegetativa & sensitiva, corrumpíque illam præcedentem, quæ solùm vegetativa & sensitiva erat. Hæc opinio est expressa Aristotelis, mox allegandi & expendendi, aliorumque Philosophorum, quos suppresso nomine refert Porphyrius apud Lipsium *lib.* 3. *Physiologiæ Stoicorum Dissert.* 7. dicens: *Alia etiam est opinio, quæ plures statuit facultates, aut naturas animæ, opportuno dein tempore aliam aliàs aduenire, prout corpus idoneum, aptumque factum. Primùm igitur naturam accipere* (scilicet, vim vegetandi) *deinde sentientem vim, tum appetitum, tum rationalem animam.*

11 *IDIPSVM* Apertissimè tradit S. Thomas, 1. *p. quæst.* 118. *art.* 2. *ad* 2. vbi rem ex professo discutit, & post refutatas aliorum opiniones, sic demum mentem suam exponit: *Dicendum est, quòd cùm generatio vnius sit corruptio alterius, necesse est dicere, quòd tam in homine, quàm in animalibus alijs, quando perfectior forma aduenit, fit corruptio prioris; ita tamen, quòd sequens forma habet quidquid habebat prima, & adhuc amplius. Et sic per multas generationes & corruptiones peruenitur ad vltimam formam substantialem, tam in homine, quàm in alijs animalibus. Et hoc ad sinsum patet in animalibus ex putrefactione generatis. Sic igitur dicendum est quòd anima intellectiua creatur à Deo in fine generationis humanæ, quæ simul est sensitiua, & nutritiua, corruptis formis præcedentibus.* Quid expressius? Porro ex Thomistis nullum inveni, qui discussérit hanc controversiam: licèt ij omnes teneantur eidem sententiæ subscribere. Ex Societate quoque pauci, qui eam controvertunt, subscribunt S. Doctori, vt Toletus in præsenti *lib.* 2. *cap.* 4. & Conimbricenses *c.* 1. *q.* 4. quamvis id obiter solum tetigerint: ideoque oporteat rem penitiùs examinare.

12 *PROBATVR* Assertum simul authoritate & ratione Philosophi *lib.* 2. *de Gener. Animal. cap.* 3. vbi ex professo docet, probatque, prius in materiam, sive fœtū, induci formam vegetantem, quam sentientem, prius etiam sentientem, quam intelligentem. Et inter alia, inquit: ὁ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον, καὶ ἄνθρωπος, ὁ δὲ ζῶον, καὶ ἵππος. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων. *Non enim simul & animal fit, & homo; nec animal, & equus. Eademque in cæteris animalibus ratio est.* Rationemque eius doctrinæ statim subdit: ὕστερον γὰρ γίνεται τὸ τέλος. *Finis enim postea contingit.* Vnde sic argumentari possumus. Natura communiter procedit de imperfecto ad perfectū, & à medijs ad finem: qui, licèt sit prior in intentione, posterior tamen in executione est. Ergo in fœtu non subitò producit formam valde perfectam, qualis est sensitiva; & multò minùs perfectissimam omnium, qualis est intellectiva; sed gradatim, & procedendo à minùs perfectâ ad perfectiorem formam. Ergo in fœtu humano priùs producitur forma vegetativa, deinde sensitiva & vegetativa simul, ac tandem vnica, & perfectissima, quæ indivisibiliter sit vegetativa, sensitiva, & intellectiva.

13 *RESPONDERI* Potest ex doctrina Henriquez vbi supra, Philosophū solùm loqui de vita accidentali: vt sensus sit, fœtum humanum priùs elicere operationes vitæ vegetativæ, scilicet, nutritionem & augmentationem, quàm vitæ sensitivæ, & intellectivæ, quæ sunt sensio, & discursus: non autem de vita, sive forma substantiali, quæ eadem est à principio in fœtu, & postea perseverat, varias operationes eliciens, prout exigit perfectio maior eiusdem fœtus. Sic in toto homine, & singulis eius partibus, tota est rationalis anima: & tamen non in omnibus ijs quascumque operationes elicit, sed iuxta cuiusque membri dispositionem. Ergo stat optimè animam rationalem esse in fœtu recenter formato, reipla continentem gradus viuendi, sentiendi, intelligendiq; & tamen non se explicare à principio in omnem vitæ operationem, sed priùs in infimam vegetandi, deinde in perfectiorem sentiendi, ac tandem in perfectissimam intelligendi. Sic quippe natura tendit de imperfecto ad perfectum, non quidem quantùm ad formam in se ipsà, quæ semper eadem est, sed solùm quantùm ad operationem.

14 *SED Contrà. I.* Philosophus enim non solùm loquitur de operationibus vitæ, quasi prior sit operatio vegetandi, quā sentiendi, & hæc, quam intelligendi: sed etiam, & expresse de substantia ipsa vi-

viventis, dicens non fieri simul animal & hominem neque vivens & equum. Ergo & negat fieri simul formam substantialem hominis, atque equi, vbi primùm in fœtu producitur forma viventis. Deinde idipsũ manifestè convincitur ex mente Aristotelis. Cùm enim dixisset eo loco debere necessariò fieri formam vegetativã priùs quam sensitivam, & intellectivam, subdit statim: προϋπάρχειν δὲ καὶ τὴν αἰσθητικὴν, καθ' ὃ ζῷον ἐστὶ φανερόν. *Sensitivam verò, quà animal est, tempore præcedenti recipi* (scilicet quàm rationalem) *manifestum est.* Sic enim ad litteram vertitur, & eo loci interpretatur Theodorus Gaza, Græci sermonis, pariter ac Latini, tum naturâ, tum & arte scientissimus. Et S. Thomas eodem sensu Philosophum intellexit, vt constat ex testimonio supra relato, vbi luculenter tradit, solam formam vegetativam produci primùm in fœtu; deinde, ea corrupta, generari sensitivam, quæ simul vegetativa sit; & denique, hac corrupta, creari intellectivam, quæ simul sit vegetativa & sensitiva. Idemque tradiderat *q.* 76. præced. *art.* 3. Si autem non esset successio entitativa formarum substantialium, sed operationum tantùm, nulla quoque in fœtu humano esset series generationum & corruptionum penes formas: sicuti nulla est in infante iam edito, cùm primùm incipit discurrere, seu elicere vitæ intellectualis operationes, quas antea nõ præstitit. Quare manifestum est Arist. & D. Thomam pro nobis esse. Veniamus ad rationem ipsam.

15 *CONTRA II.* Non solùm enim terminus productus à natura tendit de imperfecto ad perfectum, tanquam ex medio ad finem; sed etiam natura producens, quia in ea militat eadem ratio. Ergo sicut in termino producto à naturâ, priùs tempore exercentur operationes imperfectæ, quàm perfectæ; ita etiam natura ipsa priùs producit formam imperfectiorẽ, vt medium, quàm perfectam, vt finem. Finis enim naturæ producentis, saltem primarius, non est operatio elicienda a suo termino, sed forma ipsa substantialis in termino producta, à quâ specificatur generatio. *Confirm.* Non est verosimile simul fieri organizationem necessariam ad introductionem formæ viventis, & eam quæ requiritur ad formam animalis: quia hæc longè operosior est, quàm illa, & exigit diversissima organa, mirabili modo dispositа ad sensationem eliciendam. Ergo nec verosimile est simul fieri formam vegetativam à principio, & formam sensitivam. Cùm verò intellectiva præterea exigat organizationem longè perfectiorem, quàm sensitiva, consequens etiam est, vt post illam introducatur. *Confirm. II.* Vbi vltima dispositio ad formam introducitur priùs tempore, etiam forma ipsa: vt potè quæ cum eâ necessariò connectitur. At vltima dispositio ad animam, seu formam vegetativam, priùs tempore introducitur, quàm vltima dispositio ad formam sensitivam, & hæc quàm dispositio ad intellectivam. Longè enim facilius & breviùs fit naturaliter quod est minùs perfectæ structuræ, & pauciora requisita exigit. Ergo anima seu forma vegetativa priùs tempore introducitur, quàm sensitiva, & hæc, quàm rationalis.

16 *CONTRA III.* Si enim anima vegetativa realiter non præcedit sensitivam in generatione animalis, neque etiam motus vitæ vegetativæ præcedit motum sensitivæ vitæ. Ergo repugnanter & inconsequenter in solutione præiacta negatur præcedentia in anima, & conceditur in motu. Probo antecedens. Quia hoc ipso quòd anima vegetativa & sensitiva sit simul ac realiter in fœtu, hic simul vegetat, & elicit actum sensionis. Transacto enim primo instanti generationis, in quo nequit elicere motum aliquẽ successivum, vt in Physicâ disp. 38. ex cõmuni sententia Philosophorum docuimus, statim incipit moveri cor animalis, qui est motus proprius vitæ sensitivæ, prout differt à purè vegetativa: ideoque nulli plantæ convenit, sed animalibus tãtùm. Nequit autem esse motus alius prior in fœtu animalis, quàm prædictus, quia alij motus nutritionis, & augmentationis, pariter sunt successivi, ideoque nequeunt existere in primo instanti generationis, sed ad summum immediatè post illud. Ergo de primo ad vltimum, si anima vegetativa non præcedit realiter sensitivam in fœtu, neque etiam motus vegetationis præcedit reipsa motum sensionis.

17 *CONTRA IV.* Possibile est absolutè introduci primùm in materiam, sive fœtum, animam purè vegetantem, deinde, hac corrupta, vegetantem simul sentientem; & denique, destructa hac, intelligentem, quæ præterea vegetativa & sensitiva sit. In hoc enim nulla ap-

pa-

paret, nec ab Adversarijs affertur repugnantia, sine qua nihil negari debet absolutè possibile. Eo autem statuto, non est cur negetur ita de facto accidere: cùm id sit longè connaturalius generationi, eiusque processui, vt tendat de imperfecto ad perfectum; nec videatur structura hominis tā exiguo dispositionum agere apparatu, ac simplex vermiculus, aut humilis quæque planta.

18 *CONTRA* Denique: Si enim quoties adest qualiscumque motus vitæ in fœtu, adest entitas rationalis animæ, licebit eiusmodi fœtum absolutè, & nullà conditione appositâ baptizare. Vnde eo modo baptizari licitè poterunt abortivi fœtus, non solùm quando deprehenduntur exercere aliquos actus sensionis, sed etiam vbi qualēcumque vegetationis motum. Consequens autem absurdum esse patet ex praxi Ecclesiæ totius; quę nunquā consuevit eiusmodi fœtibus impendere Sacramentum Baptismi, nisi sub conditione tantùm. Iam sequelam præcipuam probo: Quia eo ipso quòd existat in extremâ necessitate subiectum, certò, aut probabiliter capax Sacramenti necessarij ad salutem (quale est Baptismi, aut Pœnitentiæ) potest & debet eidem absolutè impendi eiusmodi Sacramentum, & non sub conditione tantùm: vt ex Theologia Moral notum est. At fœtus qualēcumque motum vitæ ostendens, in opinione contrariâ, est subiectum certò, aut probabiliter saltem, capax Sacramenti Baptismi necessarij ad salutem: vtpotè constans verò corpore & animâ rationali quantùm ad totam vtriusque entitatem. Ergo poterit ac debebit eidem impendi absolutè, & nullâ appositâ conditione. Quæ ratio vrgentiùs adhuc instituì potest contra opinionem Sennerti supra *à num.* 27. improbatam: quia cùm ille certissimum existimet animam rationalē ad esse statim à coniunctione seminum, si contingat conflatum illud paulo pòst ex abortu proijci à fœminâ conscia fui fœtus (qualem ille statuit ex Macrobio, & alijs) quamvis nullo signo vitæ edito; poterit ac debebit fœmina ipsa absolutè, & sine conditione vllâ, ipsum baptizare. Quo tamen quid insolentius à communi Ecclesiæ praxi?

19 *RESPONDERI* Potest secundò ex doctrina P. Quiros *disp.* 75. *Cursu Philosoph sect.* 2. *num.* 12. animam vegetativam recipi in materiâ priùs tempore, quam sensitivam; hanc verò non priùs, quàm rationalem, vbi homo generatur. Priorē partem probat: quia ante informationem animæ rationalis materia seminis crescit, & quidem ab intrinseco: nam & semina plantarum statim vbi inseruntur crescunt ab intrinseco. Ergo materia seminis habet animam vegetativam: quia sine illa non posset ab intrinseco crescere. At tunc nondum habet animam rationalem. Alias in abortu magnæ cuiuspiam materiæ deberemus administrare Baptismum fœtui informi: quod tamen non facimus. Igitur in fœtu præcedit tempore anima vegetativa rationalem. Posteriorem verò partem probat: quia statim vbi in abortu experimur motum aliquem sensationis administramus Sacramentum Baptismi. Ideo ergo est, quia agnoscimus simul existere in eo animam sensitivam & intellectivam, ac proinde vnam tempore non esse priorem altera.

20 *SED* Præterquam hæc doctrina videtur contradicere Aristoteli ac D. Thomæ *locis allegatis*, difficilia plura involvit. Ac primò quidem, materiam seminis statim incipere ab intrinseco crescere, sicut & semina plantarum recens missa in terram. Vtrumque enim falsum videtur defectu organizationis necessariæ ad quemlibet vitæ motum: & maximè hoc posterius; cùm ferè ad oculum pateat grana seminis vbi primùm iaciuntur in terram humidam, eaque operiuntur, solùm crescere per dilatationem partiū, non autem vero nutritionis motu, donec omnino corrumpantur, & nascatur planta vivens, quæ incipiat moveri ab intrinseco. Quod in Evangelio Ioannis *c.* 12. *v.* 25. innuitur illis verbis: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. id est, nullum fructum refert. Prius ergo moritur, seu corrumpitur granum illud, quàm generetur planta, & incipiat motus augmentationis, nutritionisque ab intrinseco; licèt videatur crescere ex se, dum in terrâ humidâ disponitur ad generationem plantæ. Ergo similiter licèt materia seminis statim & à principio crescat in fœtu humano, non propterea asserenda est statim crescere ab intrinseco; sed solum per dilatationem partium præcedentium, & aliarum subsequentium, donec materia vltimò disposita sit ad receptionem animę vegetantis. *Præterea*, si statim & à principio materia se-

seminis ab intrinseco crescit in fœtu humano per animam vegetantem: ergo saltem probabile est statim illam esse simul cum anima rationali: cùm probabile censeatur, animam vegetativam in fœtu humano nunquam esse realiter sine sensitiva ac rationali: ac proinde in quolibet aborsu fœtus inchoati oportebit administrare Baptismum. At negat Quiros baptizari debere eiusmodi fœtum. Ergo asserere tenetur no in omni fœtu abortivo esse animam vegetantem. Sed de hoc postea.

SECTIO TERTIA.

Argumenta Recentiorum, præsertim Doctoris Henriquez, Regij Archiatri, pro infusione animæ rationalis à prima fœtus animatione, objiciuntur, & eludantur. Vbi quædam obiter de animatione corporis Christi.

21 *ARGVNT I.* Quia nulla apparet necessitas multiplicādi successivè formas in fœtu humano; neque ex parte materiæ, cùm hæc sit æquè indifferens ad omnes formas, propterea què possit æquè immediatè recipere rationalem, ac pure vegetativam; neq; ex parte hominis generantis, cùm hic solum intendat generare aliū hominē, proindeque communicare ipsius materiæ rationalem animum; nec deniq; ex parte ipsius formæ rationalis: quia quamvis hæc prærequirat idoneas dispositiones in materia ad sui introductionē, non tamen animas alias, quarum vna solùm sit principiū vegetandi, altera simul vegetandi & sentiendi. Ideo enim tantùm probari potest harum præexigentia, quia priùs deprehēdimus in homine actum vegetationis, quā sensionis, & huius, quàm ratiocinationis. Hinc autem solùm colligitur, priùs esse in fœtu dispositiones ad vnum actum elicien dum, quàm alium; non tamen ad recipiendam formam aliam priusquam rationalem: quæ tota in materia existēs potest diversas dispositiones exigere ad eos actus; sicut de facto ratione diversarum dispositionum in quibusdam membris solùm exercet rationem principij vegetandi, in alijs præterea sentiendi, in cerebro denique ratiocinandi. Poterit ergo induci rationalis anima vi dispositionū inductarum a semine, absque eo quod præcedant aliæ formæ imperfectiores viventis.

22 *RESP.* Esse naturalem necessitatem ex omni capite assignato in argumēto ad multiplicandum successivè eas formas. Ac primò quidem ex parte materiæ; quia licèt secundùm se considerata respiciat indifferenter omnes formas substantiales, quasi in ratione potentiæ remotæ; adhuc tamen sub ratione potentiæ proximæ respicit quasdā formas substantiales, veluti præparantes viam necessario ad introductionē alterius: vt patet in forma embryonis, quam recipere nequit, nisi receperit priùs formā seminis; & in formā cadaveris, quàm non, nisi præeunte viventis formā. Et ita accidit in rationali animā: quæ ratione summæ perfectionis suæ intra lineam substantialis formæ præexigit materiam priùs esse sub vltima dispositione ad formam viventis, ideoque illam statim recipere; deinde sub dispositione vltimā ad formā animalis, quam mox recipiat; ac deniq; sub vltima dispositione ad formam intellectivam, quæ denique, corruptis prioribus, infundatur. Neque hoc solum colligimus ex eo quòd prius in homine appareat operatio vegetandi, quam sentiendi, & hæc, quam intelligendi, vt in obiectione assumitur: sed ex eo præcipuè quòd natura tendat de imperfecto ad perfectum: ac proinde prius debeat producere vltimam dispositionem, seu organizationem ad animam vegetativā, quæ parum operosa est, quàm ad sensitivam, quæ est multò harmoniosior, perfectiorque; & similiter hāc, quàm perfectissimam organizationem, ad rationalem animam recipiendam. Vnde & constat etiam ex parte agentis requiri eam successionē: quia licèt homo solum tendat ad generationē alterius hominis, tāquam ad finem, tendit tamē eo modo, quo licet id obtinere, id est, per media, sive medijs formis interiectis.

23 *INSTABIS* Ex eodem Authore. Minor dispositio exigitur ad introductionem formæ, quàm ad operationem ipsius omnino perfectam: vt constat in fœtu, in quo licèt rationalis anima sit producta, nulla tamen est operatio discursus, defectu temperiei in cerebro exsiccæ. Ergo vt rationalis anima introducatur, non est opus antecessione aliarum animarum in materia seminis. *RESP.* cōcesso antecedēte, negādo consequentiam: quia, cum anima rationalis ex ratione communi formæ vegetativæ præexigat in materia vltimā dispositionē, sive organizationē, ad gradū

sub

ſubſtantialem viventis, quæ citò, & facilè ſit; exigit quoque prius introduci in materia animam vegetativam; vtpotè quæ cum ea diſpoſitione vltima connectitur neceſſariò. Idemque eſt proportionaliter de gradu ſenſitivo, vt conſideranti palam erit. Denique quamvis anima rationalis habeat diſpoſitionem neceſſariam vt ſit in materia, adhuc eget ſpeciali temperie, vt in ſubiecto exerceat perfectiſsimam operationem diſcurſus: ſicuti & animæ brutorum egent ſpeciali temperie in oculis ad videndum: vt patet in canibus, qui ante octavum diem a nativitate non vident; immò & aliqui non, niſi vſque ad tertium decimũ: vti in ijs expertus ſum. Verùm hæc non eſt nova diſpoſitio ad ſubſtantiam formæ, de qua loquimur in præſenti, ſed ad accidentia ipſius.

24 *VRGEBIS* Cum alijs: Ergo etiam in Incarnatione Verbi præcedere debuit anima purè vegetativa ſenſitivam, & hæ rationalem: quia generatio Chriſti D. ex Virgine fuit vera & naturalis, ac proinde facta iuxtà progreſsũ aliorum fœtuum humanorum. Conſequens autem eſt abſurdiſsimum: quia inde ſequeretur Verbum divinum aliquo tempore fuiſſe plantam, alio deinde brutum, alio denique hominem, iuxta durationem earum formarum: vt ſuprà *diſp. 78. an. 29.* arguebamus cum D. Auguſtino contra Apollinarem aſſerentem, Verbum Dei aſſumpſiſſe animam quandam purè ſentientem.

25 *RESP.* Negando ſequelam: quia licèt B. Virgo fuerit vera & naturalis Mater Chriſti, præſtiteritque illum influxum, qui neceſſarius & ſufficiens eſt ad veram maternitatem, adhuc conceptio ipſa fœtus in vtero ex multis capitibus miraculoſa fuit: vtpotè facta virtute Spiritus Sancti, & abſque virili ſemine. Ideoque ſtatim à conſenſu Virginis, formatum eſt Chriſti corpus perfecta organizatione humana, & rationalis anima citra morã introducta, vt paſsim Eccleſiæ Patres docent, præſertim S. Baſilius *Homil. 25. de Humanâ Chriſti Gener.* Damaſcenus *libr. 3. Fidei c. 2.* Fulgentius *lib. de Incarn. c. p. 3.* S. Leo Papa *Epiſt. 11. ad Iulianum*, & S. Tho. *3 p. q. 30. art. 1.*

26 *REPLICABIS*: Sequitur ex ſolutione data, Chriſtum D. naturaliter loquendo debuiſſe nasci ante nonum mẽſem: quia cæteri humani fœtus iuxta noſtram ſententiam poſt receptionem animæ rationalis non ſunt intra vterum novem menſibus, ſed multò minùs, ſcilicet 40. aut circiter diebus detractis à ſpatio novem mẽſium. Ergo ſi Chriſtus præ alijs hominibus anticiparam habuit rationalem animam à primo inſtanti ſuæ animationis, debuit multò ante nonum menſem naſci. Alioqui enim oportuiſſet creſcere ipſum intra vterum longè amplius, quàm cæteros infantes, aut multiplicare miracula abſque neceſsitate vlla.

27 *RESP.* Omiſsis aliorum ſolutionibus, quas refellit Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 11. ſect. 2.* minimam & maximam infantilis corporis quantitatem non conſiſtere in indiviſibili, ſed habere aliquam latitudinem: ideoque Chriſtum D. ex puriſsimo ſanguine Virginis fuiſſe vnico inſtanti formatum ſub minima quantitate poſsibili ad recipiendam naturaliter rationalem animam. Quare Chriſtus abſq; novo miraculo fuit intra vterum novem menſibus, quia oportuit vt maiori temporis mora & diuturniori augmento corporis ſui compenſaretur illa minor quãtitas, quam habuit a momento ſuæ animationis, donec tandem intra vterum evaderet ad iuſtam aliorum infantium menſuram in ipſo nativitatis tempore.

28 *NEQVE* Hoc eſt divinare, aut ex cerebro loqui, vt Adverſarij inſimulant: ſed conforme, tum animationi fœtus Virginei à primo inſtanti Incarnationis, tum & ſpatio novem menſium ab Eccleſia recepto. Idque expreſsè tradunt plures ex Patribus, & Scholaſticis. Petrus Comeſtor *in Hiſtoria Evangel. c. 2.* docet, prolatis à Virgine verbis illis, *Ecce ancilla Domini*, quibus præſtitit Incarnationi conſenſum, *ſtatim conceptum fuiſſe Chriſtum de Virgine plenum hominem in anima & carne: ita tamen, quòd lineamenta corporis & membrorum oculis diſcerni non poſſent.* Nimirum propter ſummam parvitatem. Dionyſius quoque Carthuſianus, Doctor Extaticus, in cap. 2. Lucæ art. 3. *Diſtinctio*, inquit, *membrorum Chriſti, vix fuiſſet perceptibilis, ob corporis parvitatem.* Abulenſis Parad. 1. c. 27. *Fuit parvæ quantitatis, minus quolibet alio corpore humano, cùm perfectam organizationem attigerit.* S. Bernardinus Sen. *tom. 1. Serm. Fer. 3. poſt Domin. 2. Quadrag. art. 1. cap. 7.* expreſsius adhuc. *Cum Chriſtus, inquit, in vterum Virginis venit, & ex nouo aſſumpſit, tanta brevitate ſpatij animatus eſt,*

vt si iam conceptus à Virgine positus fuisset super papyrum, vel palmam manus, vix eum humanus oculus percepisset: licèt divinitus & anima & corpore, & omnibus interioribus, & exterioribus membris, & lineamentis perfectè completus fuisset, &c. Consonat S. Thom. 3. *p. q.* 33. *art.* 2. *ad* 2.

29 *ARGVVNT II.* Anima rationalis per nutritionem informat immediatè materiam alimenti, absque eo quòd in hac sit opus recipiendi prævia aliam formam purè vegetantem, & deinde aliam tantùm vegetantem & sentientem. Ergo pariter in generatione hominis poterit immediatè informare materiam seminis, sive embryonis, absque præcedētia vtriusque prædictæ animæ. *RESP.* negando consequentiam: quia cùm in quolibet homine sit vnica & indivisa anima, vt *disp.* 78. allegata statutum est, eaque simul sit vegetativa, sensitiva, & intellectiva, potest immediatè extendi ad omnes partes vnius corporis continui, & iuxta capacitatem vniuscuiusque partis, quæ in materia alimenti per nutritionem adquisita est, ad gradum vegetativum recipiendum, sicut in alijs partibus ad gradum sensitivum, & in alijs ad rationalem. Quare nihil mirum animam rationalem connaturaliter in toto corpore recipi: cùm in toto eo proportionaliter inveniat organizationem exactam ad omnes gradus secundùm alias & alias partes. At verò vbi primùm incipit vegetare fœtus, nondum in eo corpore continuo est dispositio vltima, sive organizatio ad gradum sensitivum; neque vbi incipit sentire, ad gradum rationalem; cuius introductio plus olei atque operę insumit iuxta solitum naturæ ordinem. Quare cùm neque ex toto, neque ex parte in fœtu recèns animato sit dispositio ad recipiendum gradum rationalem prout rationalis est, consequens fit, vt neque ad animam recipiendam.

30 *ARGVVNT III.* Si in fœtu humano priùs induceretur anima purè vegetativa, ratione cuius viveret vita plantæ; & postea sensitiva per quam viveret vita bruti; deberent in eo assignari determinatæ species, tum plantæ, tum & bruti; subindeque propriæ vniuscuiusque operationes. At consequens est planè falsum: siquidem in fœtu humano non apparent, nisi communes operationes vegetandi & sentiendi. Ergo & falsum est allegare in eo esse speciem determinatā bruti aut plantæ. Restat igitur vt ibi solùm sit anima rationalis, quæ quoniam eminenter vegetativa & sensitiva est, concurrit ad eas operationes vegetandi & sentiēdi.

31 *VERVM* Vir doctissimus debuit advertere, suam ipsius opinionem exturbari pariter hoc argumēto, si quidquam evincit: nam, adhuc iuxta illam fœtus humanus nullam dignoscitur exercere operationem specialem, nisi tantùm communes vegetandi & sentiendi, vt & cæteri fœtus animati brutorum. Ergo neque fœtus humanus constat anima specie distincta ab animabus fœtuum brutorum; ac proinde nec anima rationali. *PRÆTEREA.* Si argumento prætacto stemus iuxta severam differendi methodum, nec fœtus equinus, & leoninus, vbi animati sunt, constabunt animabus specie diversis: quoniam nec prior in vtero hinnit, nec posterior rugit: sed vterque solùm edere dignoscitur communes operationes vegetandi & sentiendi. Si autem dicas, vtrumque differre specie, quia post nativitatem alter hinnire, alter rugire dignoscitur; similiter asseram, fœtum humanum specie distingui à plantis, & brutis, quoniam licèt non in vtero, post nativitatem tamen elicit actum discursus præ brutis & plantis. Et si instes, discrimen esse, quod in contraria opinione idem sit omnino fœtus quo ad animam antea & postea; non autem in nostrà; petis planè principium, & respondes idipsum, de quo procedit quæstio, te asserente, me autem vniversim negante, animam sensitivam produci à principio animationis fœtus, sive humani, sive belluini.

32 *IAM* Ad ipsum argumentum, prætermissa solutione Toleti, quam idem Author multipliciter refellit, quæque haud nimiùm difficulter ab impugnationibus vindicari posset, *RESP.* fœtum humanum, dum est sub sola forma sentiente vere spectare ad determinatam speciē sub genere plantæ. Quo stylo loquitur Arist. *d. lib.* 2. *de Gener. Animal. c.* 3. dum differens de omni fœtu animalium à principio suæ animationis, inquit: *Principio enim hæc omnia VITAM STIRPIS habere videntur.* Quo etiam modo ex Antiquis loquitur Chrysippus apud Plutarchum lib. de Pugnis Stoicorum, dum ait, το βρέφος ἐν τῇ γαστρὶ φύσις τρέφει ΚΑΘΑΠΕΡ ΦΥΤΟΝ

fœtum in vtero ali, *VELVTI PLANTAM*. Semel autem ſtatuta ſpecie determinata, primùm plantæ, & poſtea bruti in fœtu humano, neceſſum eſt vt in eo ſint ſpeciales vitæ operationes, nec ſolùm communes vegetandi & ſentiendi. Quænam autem illæ ſint, difficillimum aſſignatu eſt: tum quia pauci fœtus eo tantùm modo animati, vivunt poſt abortum, & ij vix locum præſtant examini Medicorum, excepto motu dilatationis & conſtrictionis, vbi pungitur fœtus: tum & maximè, quia adhuc in brutis, avibus, & piſcibus iam adultis, vno aut alio excepto, vix deprehendimus ſpeciales vitæ operationes, cùm tamen explorata habeatur, aut ſupponatur ſaltem, illorum ſpecifica diſtinctio. Idemque patet in plantis ſpecie diverſis. Quid ergo mirum quòd fœtus rudis, & impolitus adhuc, quamvis in ſpecie determinata bruti, aut plantæ exiſtens, non oſtendat nobis ſpecialem operationem vitæ intra genus nutritionis, aut ſenſationis? Planè qui id in ſingulis viventibus examinare voluerit, difficilem provinciam aſſumet, cuius vix exiguam partem obtinere queat, licèt cornicibus vivacior ſit, & indefeſsè laboret.

33 *ARGVIT* Denique, ex noſtrâ opinione ſequi fœtum humanum non eſſe eundem numero intra vterum; ſed alium cùm primò vegetat, alium cùm primò ſentit, alium tandem cum vltimò perficitur; & quidem alietate ſpecifica & ſubſtantiali, propter aliam & aliam ſpeciē animam, ſive ſubſtantialem formam. Conſequens autem videtur abſurdum: & præterea reijcitur: Quia ſi forma ſpecifica alterius cuiuslibet animalis ſufficit ſe ſola ad motus vegetationis & ſenſionis; cur non ſufficiet rationalis anima à principio inducta in fœtum humanum, vt ſucceſsivo ordine eliciat prędictos motus, & tandem operationem diſcurſus, iuxta variam ſubiecti temperiem, ſive diſpoſitionem?

34 *RESP.* Concedendo, fœtum humanum in vtero non eſſe eundem numero, vel ſpecificè, loquendo ſtrictè & ſimpliciter. Adhuc tamen eſt vnus phyſicè ex parte materiæ, quæ ſemper eadem eſt; & ex parte formæ eſt vnus vnitate ordinis phyſici, ſive naturalis: quatenus ex intentione & progreſſu naturæ, forma purè vegetans, quæ primò producitur, & forma ſenſitiva, quæ poſtea ſuccedit, generantur intuitu ſoliùs animæ rationalis vltimo loco advenientis, ſive intuitu hominis generandi, qui eſt finis præcipuus generationis. Quod autem additur in obiectione in refutationem diſtinctionis fœtus ſolum probat, quemadmodum in fœtu belluino iam perfecto ſufficit vnica anima ad vegetationem & ſenſationem; ſic etiam in fœtu humano iam perfecto ſufficere vnicam rationalem animam ad vegetationem, ſenſionem, & diſcurſum. quod vltro fatemur, & *diſp. 78. per totā* ſtabilitum eſt. Cæterum cum priùs tempore ponatur diſpoſitio vltima in fœtu ad formam vegetativam, quàm ad ſenſitivam, & ad hanc, quàm ad rationalem; oportet ſingulas ſucceſsivè introduci, & priores corrumpi vbi poſito iam innumerarum ferè diſpoſitionum apparatu, advenit rationalis anima: quæ non ſine tot præludijs & viciſſitudinibus naturæ obtinetur: vt, ſi quando alias, nunc maximè advocare liceat illud Poëtæ: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*: & variatis aliquantulum verbis accinatur: TANTÆ MOLIS ENIM EST HVMANAM CONDERE MENTEM.

SECTIO QVARTA.

Incertum eſſe & ſub plurimis opinionibus poſitum diem animationis humani fœtus. Quæ demum ſententia probabilior? Obſervatio valdè notanda pro Baptiſmo abortivis miniſtrando.

35 *VERVM* Sive fœtus humanus à momento formationis ſuæ animetur ab anima purè vegetante, ſive etiā ſentiente, ſive præterea rationali; dubium adhuc eſt, & incertum inter Philoſophos, quando, ſive quo die animetur fœtus. Ij enim in re adeò arcanā, atque ſenſibus occulta, non tam definiunt, quàm divinant. Et, prætermiſſa ſententia Danielis Sennerti *ſuprà num.* 27. relata & reiecta, tot & tam diſsidentes ſunt opiniones, vt pigeat eas omnes referre. Videri poſſunt ex Antiquis Plutarchus *lib. 5. de Placitis capit.* 21. Hippocrates *lib. de Fœtu*. Ex Recentioribus Rhodiginius *libr.* 15. *Lectionum Antiquar. capit.* 23. Ambroſius Pareus *libr.* 23. *cap.* 11. Riolanus *libr.* 3. *Anthrop. capit.* 6. & Thomas Fienus *libr. de viſu formatrice fœtus quæſt.* 8.

vbi

vbi ipſe docet *concl.* 11. animam rationalem tertio die a conceptione, ſive coitu infundi. Immò & recentiùs adhuc Vopiſcus Fortunatus, Medicinæ Doctor Primarius in Lovanienſi Academia, *lib. 2. de Fũdam. Medicinæ c. 6.* laudans Frenum, aſſerit cum Sennerto, a prima conceptione rationalem animã corpori infundi. Sed vterq; Author, præſertim hic poſterior, habet contra ſe impugnationes, quibus loco indicato reiecimus Sennerti opinionem.

36 Denique legendus præ alijs circa eam opinionum varietatem recens libellus Hieronymi Florentini, Clerici Regularis Congregationis Matris Dei, inſcriptus *De Adminiſtrando Baptiſmo humanis fœtibus abortivorum*, vbi oſtendit multiplici eruditione, tum ſacra, tum & philoſophica, incertum omnino eſſe humanæ generationis horoſcopum, & ſub opinionibus plurimis probabilibus poſitum. Vnde *ſect.* 11. ex profeſſo reſolvit, fœtum abortivũ, quocumque tempore eiectum, poſſe ac debere baptizari ſub conditione; & admiſſo dubio practico in fœtu circa exiſtentiã animæ rationalis, eſſe gravem obligationem charitatis ad impendendum conditionatè Baptiſmum, propter extremam abortivi neceſſitatem, & nullam inde reſultantem Sacramenti iniuriam. Quod ille latiſſimè, & (quantùm capio) efficaciſſimè probat: quamvis in fine libri addat, ſe ita omnibus conſulturum audacter, niſi praxis eſſet tam nova, & à nemine conſque indicata: argumentiſque plurimis in oppoſitum reſpondet, & ſpeciatim oſtendit non eſſe praxim Eccleſiæ in oppoſitum: ſed ſolùm Parochorum & matricum ex ignorantia, aut incuria. Porrò liber à Superioribus ipſius Religionis approbatus eſt, & ab Illuſtriſſimo Caramuele, cuius epiſtola in commendationem Opuſculi initio adducitur. Poſtea Salmanticæ, vbi hæc ſcribo, multi ex Theologis, quibus libenter aſſentior, idem cenſuerunt. Quare (niſi forte conſtet de communi conſuetudine Eccleſiæ in oppoſitum) exiſtimo, omnem fœtum abortivum, de quo dubitari poſsit probabiliter, ſeu rationabiliter, vtrùm animatus ſit, necne, poſſe ac debere ſub conditione baptizari. Debitabitur autem rationabiliter, quotieſcumque in eo apparuerit aliquis vitæ motus, adhuc dubius, & quoties manifeſtè non conſtiterit fœtum prorſus inanimem eſſe. Sic enim conſulitur æternæ ſaluti fœtus humani, & ratione conditionis appoſitæ, *Si ex capax*, nulla irrogatur Sacramento iniuria.

37 Et certè, præter inumera alia, id fieri debere probatur efficaciter à pari hominis moribundi, edentis quæcumque confeſsionis ſigna, adhuc dubia; cui debet impendi abſolutio conditionata, ob extremum ſalutis periculum. quæ ratio æquè vrget in fœtu, probabilem, aut dubiam vitam habente. Et hoc quidem videtur fieri debere, quamcumque opinionem quilibet ſequatur ſpeculativè circa animationem humani fœtus. Cùm enim ea ſit incerta, ſicut & aliorum opiniones accelerantium animationem, poteſt ac debet quiſque, abſtrahendo à veritate obiectivà illarum, practicè adminiſtrare Baptiſmum ſub conditione: ne ſi fortè vera ſit opinio, quæ rationalem animam adiungit cuilibet primo vitæ motui in fœtu humano, fœtus ipſe ſalutis æternæ iacturam patiatur. Argumentis in oppoſitum idem Author facit ſatis. Nõnulla alia quæ vrget Gaſſendus *tom. 2. lib. 4. cap. 4. ſect. 2. Phyſicæ*, expendit & ſolvit nobiliſsimus iuxta atq; eruditiſsimus Ioannes Barbianus, Primarius Theologiæ Anteceſſor in hac Salmant. Academia, ſpeciali opuſculo in eius doctrinæ approbationem.

38 *QVID QVID* Tamen ſit de hoc, quod obiter ſolùm in Opere Philoſophico tetigiſſe licuerit, certum apud omnes ferè eſt, tunc animam, ſive vegetativam, ſive ſenſitivam, ſive rationalem, primò produci & animare fœtum, cùm hic ſufficienter formatus & vltimò diſpoſitus eſt ad eam recipiendam. Communior autem & probabilior ſententia tuetur, formationem diſpoſitionemq; vltimam fœtus humani ad rationalem animam recipiendam, cõtingere quadrageſimo die à coitu in viris, in fœminis autem octogeſimo, quia fœminæ corpus ob defectum caloris, & imbecillitatem vittutis formatricis, tardiùs delineatur. Potiſsima ſententiæ huius cõiectura deſumitur ex eo, quòd in veteri lege fœmina, ſi maſculum pareret, quadraginta diebus, ſi autem fœminã, octoginta, teſe domi continere iubebatur, & ab ingreſſu in templum deſiſtere. Vndq Interpretes ſacri conijciunt deſinitũ fuiſſe id tempus imitatione quadam naturæ & tẽporis, quo fœtus humanus animatur in vtero. Eam verò perfectionem neceſſariam quandoque cenſetur habere fœtus,

dum non est sub maiori magnitudine, quã sit formicæ grandioris: vt testatur Aristot. *lib. 7. de Historia Animalium c. 3.* & Abulensis *in c. 1. Mathæi part. 1. q. 53.* Monet verò Fernelius *lib. 1. de Hominis procreatione cap. 10.* non semper eam quantitatem corporis sufficienter formati æqualem esse, sed sæpe maiorem. Vnde inquit: *Sæpe observavimus die quadragesimo ejectum fœtum semidigiti (vt ait Aristoteles) formicæ maiusculæ magnitudine verè ac prorsus conformatum. Caput erat avelanæ par, & maius, quàm pro reliqui corporis ratione. oculi vt cancris exerti: nasus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes, hisque secreti digiti.* Hæc ille, & plura similia alij ex supra allegatis.

SECTIO QVARTA.

Digressio circa indivisibilitatem animarum rationalium, an sit illarum propria, an verò communis animabus alijs, saltem animalium perfectorum.

39 PLACET Pro coronide disputationum, quibus disseruimus circa ea, quæ ad ipsam animæ substantiam spectant, breviter hanc difficultatem communem expedire. In qua Primò aliqui existimarunt indivisibilitatem non esse propriam animæ rationalis, sed communem omnibus alijs. Hanc opinionem Platoni adscribunt Plotinus, Ammonius, & Numenius apud S. Gregor Nyssenum *lib. 2. de Animâ c. 1.* & Marsilius Ficinus *lib. 1. de Platonis Theologiâ c. 3. & lib. 8 c. 1.* Eandem secuti sunt Caietanus Thienensis, & Hugo Senensis apud Pomponatium *lib. 1. de Nutritione c.* 10. vbi ait non esse a ratione alienam. Reijcitur tamen ab Aristot. in præsenti *lib. 2. cap. 2. text. 20. & lib. de Iuvent. c. 1.* vbi docet, animam plantæ, & quorundam animalium, quæ secta vivunt, esse quidem actu vnam, potestate autem plures, quoniam in plura viventia dividi potest, & de facto dividitur: vt patet in insectis, & annullosis, quæ per medium divisa, in vtraque medietate vitam conservant, magis aut minùs diuturnam. Idem quoque notat Arist. in plantis, & experimento patet in ramo, qui abscissus ab arbore, crescit, folia, & flores edit.

40 *SECVNDO* Alij, quos allegat Sixtus Senensis *lib. 1. Bibliotb. annot. 8.* ex opposito censent, omnes animas, nulla excepta, divisibiles esse. Ijs adiungendi sunt, qui præterea expressè de semine hominis putarunt esse τ ψυχης ἀποσπασμα, *animæ particulam avulsam*: vt superioribus vidimus. Verùm vbi hæc opinio divisibilẽ facit rationalem animam; facit etiam extensam, ac proinde materialem, & a materia dependentem. Facit quoque eam corruptibilem, & proinde mortalẽ: quoniam anima quæ in suo esse dependet à materia, nequit naturaliter extra eam cõservari, ideoque corrumpi debet. Cùm verò hæc omnia absurdissima sint, & contra sensum Ecclesiæ, vt patet ex dictis suprà *disp. 79. & 80.* absurdissimum etiam censeri debet, quòd omnes animæ, nulla excepta, sint divisibiles. Quare Durand. *in 1. dist. 8. q. 3. in 2. p. distinct.* existimat, indivisibilitatem animæ rationalis esse certam eadem fide divina, quà creditur, eam spiritualem & immortalem esse. Quare in hoc non oportet aliquid addere vltra ea, quæ dictis locis exhibuimus, tũ sacra, tum & philosophica, circa rationalis animæ spiritualitatem, & immortalitatem. Solùm itaque est dissidium, an indivisibilitas sit propria ipsius, an potiùs communis alijs animis brutorum.

41 *RESOLVTIO* Sit, indivisibilitatem, seu carentiam partium integralium, convenire animæ humanæ, similiterque formis animalium perfectorum; non autem imperfectorum. Ita S. Thom. *2. contrà Gent. c. 72. & 1. p. q. 76. art. 8.* vbi & Caietanus, alijque plures, tum Veteres, tum & Recẽtiores, præcipuè verò Suarez *lib. 1. de Animâ c. 13.* Conimbricenses *2. de Animâ c. 1. q. 8. art. 2.* Complutenses *disp. 5* Ioannes à S. Thomæ *q. 2. art. 2.* Compton *disp. 8.* Pro cuius intellectu observat idem Caietanus triplex esse genus formarum substantialium. Primum est earum, quæ in se ipsis spectatæ, æquè primò totam materiam, & quamlibet illius partem respiciunt: vt contingit in formis elementorũ, & quorumlibet corporũ vitæ experrium: quoniam, cùm in ijs omnibus nulla sit partium varietas, aut organorum diversitas, sed potiùs omnimoda similitudo, æquè immediatè respiciuntur a formis. Secundum est genus formarum, quæ nõ æquè primo respiciunt totam materiam, & singulas eius partes, quoniam in ijs est varietas, & distinctio organorum, sine quà nequeunt in materia permanere. Hoc modo se habent forma hominis, & cuiuslibet ani-

animalis perfect:quæ in pede abſciſo non manet: quoniam in eo non eſt ſufficiens organorum omnium diſtinctio, diſpoſitioque ad animam ſeorſim detinendam. Tertium denique genus eſt earum formarum, quæ licèt exigant diverſa organa, ita reſpiciũt materiam, vt in qualibet eius parte notabili, aut medietate ſaltem, inveniant ſufficientem organizationem, & diſpoſitionem exactam ad conſervationem ſui, quamvis non omnino connaturalem. Etenim connaturaliùs ſunt indiviſæ in toto, perfectioreſque vitæ operationes in eo exercent, quàm diviſæ in duas medietates.

42 *HIS* Poſitis, ſuadetur concluſio ratione D. Thom. loco alleg. *ex* 1. *p.* Omnis forma, quæ æquè primo totam materiam, & quamlibet eius partem ſeparatã reſpicit, eſt diviſibilis; quæ vero e contra ſe habet, eſt indiviſibilis. Atqui animæ omnes, exceptis humana, & alijs perfectorum animalium, æquè primò reſpiciũt totam materiam, & quamlibet illius partem ſeparatam. Ergo omnes illæ diviſibiles ſunt, hæ autem indiviſibiles. Maior patet: quia omnis forma, quæ æquè primò reſpicit totam materiam, & quamlibet eius partem ſeparatã, æquè bene ſub qualibet parte diviſa ab alijs manere poteſt, atque adeò dividi: cont a autem, quæ nequit eſſe in parte ſeparata, ſed tantùm in toto, a quo ea pars abſcinditur. Iam minor probatur experimento communi, ab Ariſtotele vbi ſuprà, indicato, ſciſionis animalium imperfectorum in duas medietates, immo & in partes notabiliter inæquales, quarum ſingulæ non modico tempore vivunt, & novæ ſciſionis dolore agitantur. Contrà verò partes animalis perfecti, vbi a toto ſeparantur, omni vita carent, vt patet in manu, aut brachio abſcilo.

43 Neque obſtat quandoque mẽbra animalis abſciſa palpitare, & capita jugulatorum ſaltus edere. id enim iuxta Albertum Magnum *in Summà de Homine q.2.art.3.* & alios, nõ provenit ex eo quòd talia membra informentur animo, ſed ratione ſpirituum vitalium, quibus ea abundant. Quod ſi objicias, idem quoque dici poſſe de animalibus imperfectis, vbi poſt ſectionem agitantur partes diviſæ; in oppoſitum eſt, quod hæ diu permanent ſub ea prima agitatione, & nutriuntur, augeſcuntque, vt experimento patet in lumbricib⁹, & quibuslibet annuloſis. Partes autem perfecti animalis, ſi quãdo poſt ſciſionem agitantur, eſt ſolùm ad breviſsimum tempus, & illico putreſcunt abſque nutritione aut augmento vllo. Cùm verò motus localis animalium ſit ab appetitu, & phantaſia, oportet dicere vtrãque potentiam in animalibus perfectis non habere certam aliquam ſedem, vt in perfectis; ſeu diſperſam eſſe per totum corpus, & extenſam: ideoque quamlibet partem notabilem eorum poſſe ab intrinſeco ſe movere.

44 *PORRO* Ariſtotelem eſſe ab hac ſententia, conſtat: quia *lib.1. de Gener. c.5.* diſſerens de accretione perfectorum animalium, docet fieri, permanẽte, quod augeſcit, eodem omnino ſecundùm partes formales; non autem ſecundùm materiales: quoniam, ſcilicet, perfecta animalia, quandiu vivunt, eandem omnino formam, licèt non eandem materiam, retinent. At ſi diviſibiles eſſent, ſive partibus actu conſtantes, formæ animalium perfectorum, ex mente Ariſtotelis, non manerent omnino eædem in accretione & diminutione, ſed pars formæ, ſicut & materiæ, accreſceret, & decreſceret. Ergo formæ animalium perfectorum, indiviſibiles ſunt, ſeu carentes partibus integralibus ex mente Ariſtotelis. Quare animalia perfecta in nutritione & augmentatione nõ adquirunt novam animæ partem, ſed ſolius materiæ, quæ adiungitur animæ præexiſtenti. Similiter neque in diminutione deperdunt partem animæ, ſed ſolius valoris ad partem materiæ præexiſtentis.

45 *OPPOSITAM* Sententiam tuentur Durandus *in* 1. *diſt.8.q.3.* & plures alij ex veteribus Scholaſticis: eamque ſuo tempore communem fuiſſe teſtatur Caietanus, & ex Recentioribus tuẽtur Arriaga *diſp.1.n.158.* Tellez *diſp.78. ſect.5.* Potius *diſput.38.q.8.* cum Soto *in 4. diſt. 44.* Oviedo *Contr.1.p.6.* Lalemandet *diſp.11. p.3.n.7.* Sancta Crucius 1. *de Anima d.1.q.1. ſect.5.* alijque plurimi. Probãtque illam multipliciter. *Primò*: Quia eſſe formam indiviſibilem, ſeu omni partium integralium diſtinctione carentem, eſt proprium formæ ſpiritualis. Cùm igitur brutorum omnium, quamvis perfectorum, animæ ſpirituales non ſint, nequeunt eſſe indiviſibiles. *Secundò*. Omnes irrationalium formæ, ſunt materiales, & a materia dependentes in fieri, & eſſe. Ergo ſequuntur mo

dum essendi ipsius materiæ, & quarumlibet materialium rerum, quæ proinde divisibiles sunt in partes materiales. *Tertiò.* Omnes brutorum formæ, educuntur de potentia materiæ: atque adeò quemadmodum nequeunt ex toto præcontineri in qualibet materiæ particula, sic neque educi ex toto possunt de illa, sed tota forma de tota materia, & pars de parte. Ergo nulla brutorum forma caret partibus. *Confirm.* Actio, quâ forma equi, v.g. educitur ex potentia materiæ, est materialis & divisibilis. Ergo non producit indivisibiliter animam equi, sed tota actio totam, & pars partem.

46 *HÆC* Tamen non admodum vrgent. *AD I.* negatur antecedens: quia etsi omnis forma spiritualis, eo ipso sit indivisibilis, non tamen è contrà. Indivisibilitas enim est prædicatum potens convenire rebus, tum materialibus, vt puncto quantitatis continuæ permanentis, momento temporis, & *mutatis esse* motus; tum & rebus spiritualibus. Neque animæ rationalis spiritualitas vnquam probatur ex indivisibilitate, sed ex immaterialitate in suo esse & operari. *AD II.* Vt animæ brutorum perfectorum sequantur modũ essendi materiæ, à quâ dependent in fieri & esse, non est necessum quòd divisibiles sint: vt patet in punctis, seu momẽtis prædictis, quæ sunt indivisibilia, licèt materiæ modum sequantur, propter dependẽtiam ab eâ in fieri & esse. Idemque constat in relatione prædicamentali materiali, distincta realiter à fundamento, quæ indivisibilis est. Materialitas enim constituitur per physicam & intrinsecam connexionẽ cum materialibus rebus: spiritualitas autẽ per carentiam eiusmodi connexionis. De quo legendus speciatim Quiros *disput.* 79. præsertim *sect.* 2. Sufficit itaque quod eæ formæ sint materiales, & dependentes in suo esse à dispositione corporea, & materiali organo. *AD III.* Formæ non educũtur de potentia materiæ, quasi in ea præexistant, sed quatenus dependent ab ea in fieri & esse. Non dependẽt autem eo modo, nisi à materia sufficientibus dispositionibus prædita ad receptionem vniuscuiusque formæ. Cùm autem dispositiones sufficientes nequeant esse in qualibet materiæ particula ad receptionem cuiuslibet animæ, necessum est, si ea sit educibilis, educi ex congrua materiæ portione, quãvis indivisibiliter: sicut necessum est animæ rationali, quamvis sit indivisibilis, recipi in materia divisibili. *AD Confirm.* nego antecedens: quia actio generativa equi sicut indivisibilis est secundùm durationem, vtpote instantanea, ita etiam secũdùm entitatem: ideoque potest formam equi indivisibiliter producere.

47 *COLLIGITVR* Ex dictis, non solùm animam rationalem, sed etiam equinam, & cuiuslibet perfecti animalis, ratione indivisibilitatis suæ, seu carentiæ integralium partium, esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte corporis: ideoque præsentiam definitivam non esse propriam omnino formarum spiritualium, quidquid alij in oppositum videantur supponere. Quod verò Hurtadus ex Arist. refert, arietem abscisso capite progressivè ambulasse, & ex Galeno, victimas detractis extis progredi solitas; quodque recenter P. Honoratus Fabri testatur se experimento didicisse, caudam cuiusdã galli sectam moveri instar lacertæ, & corda perfectorum animalium cieri regulari motu, postquam extracta sunt, aut tribui debet spiritibus vitalibus, vt suprà dictum est, idque ad solam temporis morulam, aut quandoque in sacrificijs Ethnicorum accidisse putandum est arte dæmonis, vt cæcos homines in cultu inanium deorum confirmaret.

(*)

DIS-

DISP. OCTOGES. TERTIA:

DE POTENTIIS ANIMÆ.

Vtrùm potentiæ distinguantur realiter ab Anima, & inter se?

Num. 1. *POST QVAM Disseruimus de ijs, quæ ad animam in se consideratam spectant, rectè ac ordine procedimus ad investigandum eius potentias, proprietates & operationes. Ac primò quidem inquirendum, an potentiæ vitales, quibus anima operatur, seu movet se ab intrinseco, distinguantur ab ea realiter, & inter se. Quæ difficultas videbitur fortè alicui non necessaria, postquam in Physica* disp. 15. *ostensum est, nullam substantiam creatam esse immediatè operativam: vim sed distingui debere realiter à principio proximo operandi, quod est potentia activa. Ideoque difficultatem hanc brevius solito exegit abimus, quia pendet maximè ex dictis eo loci, & ex ijs locupletari potest, & ex pluribus alijs, quæ dabimus in Metaphysicâ, præsertim circa intellectum & voluntatem. Verùm & omitti non debuit in præsenti, quoniam multi Authores, quamvis ex opposito velint substantiam creatam, & animam ipsam esse principium immediatum operandi, adhuc existimant, necessarias esse potentias realiter superadditas, vt comprincipia partialia operationum, præsertim vitalium. Habet locum apud Arist. in præsenti pluribus locis: præsertim* lib. 2. cap. 1. & 2. *vbi definit animam per ordinem ad actum vitæ: & in caput* 3. *eiusdem libri excitatur à Conimbricensibus* q. 4. *Quantùm verò ad distinctionem potentiarum inter se, excitari potest pluribus alijs capitibus libri secundi & tertij, quibus generatim & speciatim agitur de potentijs animæ.*

SECTIO PRIMA.

Potentias omnes operativas distingui reipsâ & essentialiter ab animâ, atque inter se. Rationes, tum communes, tum & exquisitiores, in rè probandum, breviter præstrictæ, ac roboratæ.

2 *ITA* Docet expressè S. Thomas plurimis locis, præsertim 1. *p. q.* 77. *art.* 1. cum D. Augustino *lib.* 15. *de Trin. c.* 7. qui distinguit ab animâ tres ipsius potentias, & S. Dionysio *c.* 11. *de Divin. nom.* vbi, non in Deo, sed in Angelis, dividit essentiam, potentiam, & operationem. Quare & Angelicus Doctor 1. *p. q.* 54. *art.* 1. vniversim concludit: *Vnde essentia Angeli non est eius potentia intellectiva, neque alicuius creati essentia est eius operativa potentia.* Sequuntur omnes Thomistæ, quos propterea sigillatim non refero, plurimique ex Veteribus Scholasticis, & ex PP. Societatis Conimbricenses hic *lib.* 2. *c.* 3. *quæst.* 4. Fonseca 5. *Metaph. c.* 2. *q.* 6. *sect.* 3. Pererius *lib.* 8. *de Rebus Natur. à cap.* 11. Vazquez 1. *p. disp.* 195. *c.* 1. *num.* 10. Bubalus *de Angelis q.* 54. *art.* 3. Amicus *tom.* 2. *Cursus Theologici disp.* 8. *num.* 23. Suarez *disp.* 18. *Metaph.* Cardinalis Lugo *de Sacram. disp.* 6. *à num.* 56. Ex alijs Aversa *q.* 43 *sect.* 1. Curiel 1. 2. *q.* 110. *art.* 3. Favet q. quodammodo Scotus *in* 2. *dist.* 16. *q. vnica*, & ipsius Discipuli forè omnes prout tradunt potentias distingui ab anima saltem ex naturâ rei. Subscribere demum tenentur quotquot negant substantiam esse immediatè operativam.

PORRO Aristotelem esse constantem pro hac sententia, patet, præter plura alia, quoniam in Prædicamentis *cap. de Qualitate*, potentiam operativam inter species qualitatis recenset, atque adeò inter accidentia. Cùm igitur nullum accidens sit idem realiter cum substantia, necessarium est, vt in opinione Aristotelis, substantia animæ ab omnibus potentijs operativis distinguatur realiter. Præterea *lib. de Sensu c.* 2. decet, ignem, terram, cæteraque similia, non esse nata agere, nisi prout habent contrarietatem, scilicet, calorem, frigus, & alias qualitates, quarum interventu operantur.

3 *RATIONES* Plures sunt, quas summatim solum percurrere oportet, quoniam præcipuas illarum latius prosequutus sum alijs locis, præsertim in Physicâ *disp.* 15 *sect.* 2. & in Metaphysicâ nondum editâ. *PRIMA* sit: Quia habere potentiam operativam, sicut & operationem, identificatam realiter cum substantia, est proprium Dei, & alienum à creaturâ: quoniam claudere in vnica indivi-

si-

sibili entitate perfectionem substantiæ, & & qualitatis, sicut & operationis, est proprium actus puri, qui ratione suæ infinitæ perfectionis, potest extrema vsque adeò dissita indistinctè amplecti. Cùm igitur omnis potentia creata immediatè activa sit qualitas, ac proinde accidens, nequit esse realiter idem cum substantiâ animæ, vel alterâ qualibet creatâ substantiâ. *Confirm.* Quia ob hanc ipsam rationem repugnat, adhuc iuxta Adversarios, animã esse idem realiter cum specie impressâ aut expressâ, saltem ad cognoscendum alia à se, & cum quolibet operationis actu: quoniam eę omnes sunt perfectiones accidentales, quas nulla substantia sibi identificare potest, nisi prætergrediatur terminos omni creaturæ præfixos, quibus se contineat intra proprium, aut solius substantiæ, aut solius accidentis genus.

4 *SECVNDA.* Nulla substantia creata est immediatè operativa: quoniam omnis illa est absoluta perfectè intra proprium genus, ideoque adæquatè speciem sumit in ordine ad substantialem actum existentiæ per se. Omnis autem potentia operativa est in ordine ad actum operationis sibi primarium, & à quo speciem mutuatur. Cùm ergo actus existendi per se, & actus operationis, adæquatè, formaliter, & toto entis genere differant, consequens est, vt & substantia animæ, & quælibet alia in creaturis, non sit potentia immediatè operatrix: siquidem potentiæ desumunt suam speciem essentialem per ordinem ad primarios actus: ac proinde vbi actus essendi & operãdi differũt adeò, nequeunt non differre essentialiter, substantia, & potentia immediatè operatrix. Vnde & infertur, potentias ipsas, tum spirituales, tum & materiales, reipsa atque essentialiter inter se differre, quoniam speciem desumunt per ordinem ad actus essentialiter & adæquatè diversos: vt patet in intellectione, volitione, nutritione, & sensionibus diversis, tum internis, tum & externis, quæ essentialiter & adæquatè differunt inter se: atque adeo nequeunt non refundere distinctionem eandem in intellectum, & voluntatem, ac cæteras potentias vitales, tum internas, tum & externas, de quibus omnibus sigillatim infrà.

5 *VERVM* Præter rationes has communes, & quidem satis vrgentes, in quibus præoccupatæ sunt evasiones Adversariorum, placet alias indigitare exquisitiores, quas ingeniosus Lector expendat, & promoveat, vt de suo aliquid præstet.

TERTIA Itaque in ordine sit generatim. Possibilis enim est anima operans medijs potentijs à se distinctis realiter: quoniam in hoc nulla repugnantia appareret, neque hucusque ab Adversarijs adducta est: quin potiùs plura alia operantur ministerio virtutum à seipsis distinctarũ, vt mox patebit. Aliunde id connaturalius est, vt si anima potest operari absolutè medijs potentijs distinctis, ita operetur. Ergo de facto putari debet animam operari medijs potentijs realiter à se distinctis. Consecutio est recta: quia de facto & communiter accidere putandum est id, quod non solùm est absolutè possibile, sed etiam connaturalius rebus. Porrò id esse rebus connaturalius, patet ab inductione in causis, tum naturalibus, tum & artificialibus. Aqua enim operatur medio frigore, & ignis medio calore, vt potentijs realiter à se distinctis; sicut & duo alia elementa ratione propriarum qualitatum. Similiter & in mixtis inanimatis, ac medicamentis naturalibus, experimur operationes à proprijs qualitatibus secundis procedentes. Pariter in artificialibus, omnis operatio artificis fit medio aliquo instrumento interiecto, vt calamo, pennicillo, malleo, serrâ, &c. Ergo & connaturalius est quòd anima operetur medijs potentijs à se distinctis.

6 *QVARTA.* Necessum est animam rationalem distingui realiter ab intellectu & voluntate, ita vt intellectus ordine naturæ primùm oriatur ab illa, & postea voluntas. Quod probatur, quia alias posset anima rationalis velle absque prævia cognitione: quod in omni Philosophiâ repugnat. Sequelam probo: quia si nec voluntas, nec intellectus est quid realiter distinctum ab animâ ordine prioris & posterioris potentiæ, anima ipsa erit principium immediatum adæquatumque, tum intelligendi, tum & volendi. Ergo pro libito, & sine prævia cognitione, poterit se determinare ad volitionem, non minus, quàm se determinat absque prævia volitione ad cognitionem. Neque dicas animam in amando esse cæcam, ideoq; egere prævio lumine cognitionis. Contrà enim est implicantia terminorum in solutione: quia si anima per suam entitatem immè-

immediatè intelligit, nequit esse cœca in amando: quoniam ab entitate immediatè per seipsam intelligente nequit immediatè prodire operatio, quæ non sit cognitio, sed potiùs opposita cognitioni, qualis est cœca operatio: sicuti à calore nequit immediatè prodire actio contraria calefactioni, qualis est infrigidatio: neque à potentiâ vivente potest immediatè prodire operatio, quæ vitalis non sit. Ergo repugnantiam terminorum involvit solutio, dum dicitur, animam esse cœcam in amando, & tamen immediatè amare, seu velle. Nec dicas secundò esse ordinem à naturâ præscriptum inter actus intellectionis & volitionis, vt ille præcedere debeat; sicut in nostra sententia est præscriptus inter ipsas potentias, vt intellectus pro priori naturæ antecedat voluntatem. Contra enim est, quòd si duo actus immediatè habent procedere ab aliquo liberè operante, neuter est prior altero in existendo ordine naturæ, sed potest operans pro libito suo incipere ab vtrovis illorũ: quia vtrumque immediatè continet in sua potestate, & non in alia potentiâ, quarum vna sit prior naturâ respectu alterius.

7 *QVINTA.* Similiter oportet rationalem animam distingui realiter ab omnibus potẽtijs sensitivis. Omnes enim actus illarum sunt sensiones materiales, & vitales, quæ proinde ab ijsdem potentijs oriuntur, veluti à principijs intrinsecis vitæ. Ergo & in ijs immediatè recipi debent; sicut vniversè loquendo, omnis actus vitæ recipitur in potentiâ, à quâ fit immediatè. At nullus actus sensionis materialis recipi potest immediatè in anima spirituali: quæ sicuti caret organo corporeo in seipsa, ita etiam incapax est recipendi immediatè in se actus materiales ab organo corporeo pendentes. Ergo spiritualis, seu rationalis anima, nequit esse eadem realiter, sed potiùs essentialiter diversa à potẽtijs sensitivis. Neque retorqueas argumentum ex eo quòd ipsæ potentiæ vitales, quamvis materiales sint in nostrâ sententia, recipiuntur in rationali animâ, quamvis spirituali. In oppositum enim est, quòd omnia accidentia materialia, quales sunt potentiæ eiusmodi, & quantitas, iuxta nostram sententiam recipiuntur in toto subsistantiali immediatè, vt *disp. 50. de Gener.* dictum est.

8 *CONFIRM.* Anima spiritualis, vt eliciat actus sensionis materialis indiget alio distincto influente. At non solùm influente ex parte obiecti. Ergo ex parte potentiæ, in quo recipiatur materialis species, & a quo procedat sensio immediatè. *Præterea.* Potentiæ sensitivæ hominis, tum internæ, tum & externæ, quo ad suam entitatem intrinsecam, & rationem specificam formalem, & structuram, & organa, eiusdem omnino rationis apparent cum potentijs sensitivis brutorum, ideoque instar illarum materiales sunt. Ergo nequeunt esse idem realiter cum anima rationali, quæ intrinsecè spiritualis est. *Rursus.* Si visus, aut auditus v.g. esset potentia realiter indistincta ab anima, solumque adderet debitam dispositionem in oculis aut auribus ad exercitium videndi & audiendi; non esset miraculum restitutio visus vel auditus cæco aut surdo facta: quia ad eam restitutionẽ non esset necessum reproducere aliquam entitatem potentiæ priùs corruptam (in quo consistit strictum miraculum) sed sufficeret rectè disponere organa ad videndum & intelligendum, absque vera alicuius entitatis reproductione. quod non repugnat fieri virtute agentium naturalium. Consequens vero falsum esse patet ex sacris litteris, & sensu Ecclesiæ, a quâ eiusmodi restitutiones censentur strictè miraculosæ. Et Arist. *cap. de Oppositis*, sola ratione naturali ductus, dixit: *Neque cæcus factus aliquis, rursus vidit.* Ergo quia potentia videndi & audiendi est realiter diversa ab entitate animæ.

9 *SEXTA.* Dum Adversarij vniversim aiunt, animam rationalem, omnemque substantialem formam esse realiter indistinctam à potentijs operativis, etiam dicere tenentur gravitatem & levitatem esse realiter indistinctas à formis substantialibus corporum gravium & levium, cùm sint potentiæ ipsarum, medijs quibus agunt motum deorsum ac sursum, sive virtute propria, sive nomine generãtis, à quo nunc abstraho. Atqui falsum est gravitatem & levitatem esse realiter indistinctas à formis corporum gravium & levium. Ergo & falsum est, quod vniversim omnes formæ substantiales sint realiter indistinctæ à suis potentijs activis. Probatur minor. A formis enim substantialibus corporum gravium & levium separantur realiter gravitas & levitas: vt patet in Sacramento Eucharistiæ, in quo destructa formâ substantiali panis, manet ipsius

ſius gravitas in accidentibus conſecratis. Hoſtia enim conſecrata tantundem ponderat, & æquè gravitat, ac ante conſecrationem. Cùm itaque ſeparatio realis ſit evidens diſtinctionis realis ſignum, neceſſum eſt vt gravitas diſtinguatur realiter à forma ſubſtantiali panis, & cuiusliber alterius corporis gravis.

10 *SEPTIMA.* Poſsibilis eſt diſtinctio mutua realis & eſſentialis potentiarum intra idem ſubiectum, abſolutè loquendo: quia in hoc nulla, vel apparens, repugnantia hucuſque inventa eſt: & præterea de gravitate & levitate, ac primis qualitatibus inter ſe collatis, conſtat eſſe potentias invicem diſtinctas realiter & eſſentialiter. At nihil haberent in eo ſtatu poſsibili, quod de facto non habeant hæ potentiæ, quas agnoſcimus. Ergo hæ diſtinguuntur invicem realiter & eſſentialiter. Probatur minor: Quia hæ potentiæ, quas de facto agnoſcimus in homine v. g. habent diverſa obiecta adæquata & formalia, eliciuntque operationes realiter adæquatè diverſas, vt intellectionem, volitionem, ſenſionem internam, viſionem, auditionem, &c. quæ prorſus differunt. Nihil autem ampliùs haberent potentiæ realiter invicem diſtinctæ in ſtatu poſsibili, vt mutuam diſtinctionem realem ac diverſitatem ex aliquo capite venaremur, neque illud facilè ab Adverſarijs aſsignabitur.

SECTIO TERTIA.

Sententiæ oppoſitæ Authores recenſentur, & illorum præcipua argumenta ſolvuntur.

11 *OPPOSITAM* Sententiam, quæ docet potentias activas non diſtingui realiter ab anima, tuentur ex Antiquis Gregorius *in* 2. *d.* 16. *q.* 3. Ochamus *diſt.* 16. *q.* 24. & 26. Gabriel *ibid. q.* 1. & generatim Nominales, ac S. Bonavētura *in* 1. *d.* 3. *q.* 3. & quodammodo Scotus loco ſuprà allegato, quatenus ſolam diſtinctionem formalem ex natura rei ſtatuit, qualem & inter metaphyſicos gradus, qui tamen communi ac noſtra opinione non diſtinguuntur ſecundùm entitatem. Ex Recentioribus abſolutè illam docent Hurtado *diſp.* 4. *ſect.* 4. Arriaga *diſp.* 3. *ſect.* 3. *ſubſect.* 4. Navarrus *in Manuali Prælud.* 3. Oviedo *Contr.* 2. Dandinus *lib.* 2. *pagina* 880. & *ſeqq.* Martinon 1. *p. diſp.* 37. *num.* 11. Spinula 3. *ſect.* 3. *art.* 2. Compton *diſp.* 13 *ſect.* 1. Calagurritanus *diſp.* 5. *cap.* 2. Lynce *lib.* 7. *Metaph. cap.* 1. Franciſcus Alphonſus *diſp.* 6. *ſect.* 1. Didacus de la Fuente Hurtado *Diſſert.* 14. rem ſubtiliter & dilucidè tractans. Hoc tamen moneo, opinionem hanc vtilem eſſe, vt quis ſe expediat à difficultatibus pene inextricabilibus, quas examinabimus progreſſu huius tractatus, ad aſsignādam vniuſcuiuſque potentiæ, tum rationalis, tum & ſenſitivæ, propriam rationē, & diſtinctionem ab alijs. Et præter ea argumenta, quibus probare aliàs conantur ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam, quæque iam ſoluta ſunt à nobis allegata *diſp.* 15. plura adhuc præſenti inſtituto adaptant ſpeciatim: quoniam plurimi Authores ex allegatis *ſect. præced.* pro noſtra ſententia, quamvis tueantur ſubſtantiam animæ eſſe immediatè operativam, adhuc volunt eam egere potentijs activis, vt comprincipio partiali ad operationes vitæ eliciendas. Quare in præſenti ſolùm obijcienda ſunt argumenta, quibus videtur evinci realis indiſtinctio potentiarum ab anima.

12 *PROBANT I.* Authoritate quorundam SS. Patrum, vt Auguſtini *tom.* 3. *lib. de Spiritu & Anima cap.* 4. & 13. vbi docet vnicam animam ſortiri varia nomina propter varias operationes, ſubditque: *Dicitur namque ſenſus, imaginativa ratio, intellectus, intelligentia: & hæc omnia in animâ nihil ſunt aliud, quam ipſa. Secundū exercitia, multa ſunt: ſecundùm eſſentiam verò vnum ſunt in anima & idem quod ipſa. Secundùm operis officium anima varijs nuncupatur nominibus. Dicitur namq; anima, dum vegetat; ſpiritus, dum contemplatur; ſpiritus, dum ſapit; ſenſus, dum ſentit; dum intelligit, mens; dum diſcernit, ratio; dum recordatur, memoria; dum vult, voluntas. Iſta tamen non differunt in ſubſtantia: quoniam omnia iſta vna anima eſt: proprietates quidem diverſæ: ſed eſſentia vna.* Præterea & S. Iſidorus libr. 11. Etymol. c. 1. *Hæ potentiæ,* inquit, *ita adiūctæ ſunt animæ, vt vna res ſint. Pro efficientijs enim cauſarum diverſa nomina ſortita eſt anima: nam & memoria mens eſt. Dum ergo vivificat corpus, anima eſt; dum vult, animus eſt; dum ſcit, mens eſt; dum recolit, memoria eſt; dum rectum iudicat, ratio eſt; dum ſpirat, ſpiritus eſt.* Denique S. Bernardus ſerm. 11. in Cantica, ait: *Tria intueor in anima: memoriam,*

riam, intelligentiam, & voluntatem: & hæc tria eſſe ipſam animam. Igitur ex mẽte prædictorum Patrum potentiæ non diſtinguuntur realiter ab anima.

13 *RESP.* Ex teſtimonijs præiactis ſolùm probari eandem animam radicaliter eſſe idem cum omnibus potentijs vitalibus, quæ ab ea prodeunt, & in ipſam quoque ſuas denominationiones transferunt: non autem formaliter in ſeipſis, quia ſic differunt inter ſe & ab anima, veluti virtutes diverſæ. Quod planè exprimit S. Auguſtinus verbis vltimis teſtimonij allegati, dum ait: *Proprietates quidem diverſæ, ſed eſſentia una.* Et hoc quidem, admittendo librum illum eſſe S. Auguſtini, cuius oppoſitum palam convincunt Lovanienſes. Vnde & loco ſupra *num.* 2. allegato pro nobis docuit, tres potentias eſſe diſtinctas ab anima. Similiter & S. Bernardus *tract. de Interiori Domo c.* 7. poſtquam dixit, animam intelligere, velle, ac recordari, ſubdit: *Non tamen tres animæ, ſed una anima, & tres vires.* Quibus ſatis veroſimiliter indicat, ex ipſius mente animam ſolùm radicaliter eſſe tres potentias ſpirituales: quoniam formaliter & in ſeipſis potentiæ ſunt tres vires, tum inter ſe, tum & ab ea diſtinctæ. Quod etiam ſatis indicatur Lucæ 5. verbis illis: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* ijs enim innuitur diſtinctio animæ, tum a mente, tum & à cęteris viribus, ſeu potentijs operativis, quibus iubemur Deum diligere, prout fieri poteſt per vnamquamque illarum; id eſt, ſive directè amando, ſive vtcumque cooperando amori, vt accidit in potentijs perceptivis.

14 *PROBANT II.* Poſsibilis eſt anima operans abſque potentijs realiter ſuperadditis: quia in hoc nulla repugnantia apparet. Aliunde connaturalius id eſt: quia natura compendio ſtudet, & frustrà facit per plura, quod per pauciora fieri poteſt. Ergo connaturalius, ac proinde de facto aſſerendum, animã operari abſq; potentijs realiter ſuperadditis. *RESP.* negando maiorem: nam, quidquid in oppoſitum velit Eximius Suarez vbi ſupra *ſect. 3. numer.* 16. aperta repugnantia eſt in eo quod ſubſtantia identificet ſibi rationem potentiæ immediatè activæ, quæ eſt qualitas, licet eſt impoſsibile quod ſibi identificet operationem, quæ eſt qualitas, aut actio.

15 *DICES.* Ex eo quòd ſubſtantia animæ immediatè influat in potentias realiter ſuperadditas, & ab eà dimanantes, non infertur quòd ſit qualitas, neque quòd ſibi identificet aliquod accidens. Ergo pariter neque ex eo quòd immediatè influat in operationes potentiarum. *RESP.* animam, & quamcumque ſubſtantialem naturam, non influere in potentias per ſtrictam operationem, ſed ſimplici emanatione dumtaxat, & per modum radicis ſolius: quod nullo ex capite probat, debere illam ſibi identificare qualitatem, vel aliud accidens. Potentia autem immediatè operativa ab omnibus collocatur cum Ariſtotele in prædicamento Qualitatis, tanquam ſpecies illius, & verum accidens. Quæ ratio pariter probat de potentijs ſpiritualibus: inter quas fruſtrà aliqui Recentiores diſtinguunt: cùm omnes ad qualitatis genus ſpectent, ideoque nequeant eſſe idem realiter cum ſubſtantia. Deinde retorquetur obiectio, veluti nimium probans: ſcilicet, nullam ſubſtantiam inanimatam indigere potẽtijs realiter ſuperadditis ad operandum: quia omnis ſubſtantia inanimata influit immediatè in ſuas proprietates: v.g. ignis in calorem, & aqua in frigiditatem: atque adeo ignis & aqua poterunt calefacere, & frigefacere abſque calore & frigore realiter ſuperadditis, quod ſanè alienum eſt ab omni Philoſophia.

16 *PROBANT III.* Si potentiæ diſtinguerẽtur realiter ab anima, deberent concurrere vitaliter: v.g. volũtas volendo: ſicut potentia non vitalis, vt calor, concurrit calefaciendo. Alioqui concurſus potentiarum vitalium poſſet ſuppleri ab extrinſeco, ſi vitalis non eſſet. At potentiæ animæ non concurrunt vitaliter, ſeu voluntas non concurrit volendo. Ergo nõ diſtinguuntur realiter ab anima. Probatur minor. Quia voluntas, ſi eſt potentia realiter diſtincta ab anima, nihil cognoſcit. Ergo neq; vult. Solùm enim vult, ſeu concurrit volendo, id quod cognoſcit, ſeu quod habet vim cognoſcendi. *RESP.* admiſſa maiore, negando minorem: quia vt voluntas ſit proximum principium volendi non eſt opus quod cognoſcat, ſed ſufficit vt anima, quæ media ipſa vult, mediante intellectu, vt priore potentia, præcognoſcat. Nec poſsibile eſſet, vt volũtas eliceret immediatè cæcam operationem volendi, ſi ſeipſa immediatè eſſet principium

pium cognoscendi. Deinde supernaturalis habitus charitatis concurrit immediatè ad volitionem, quin tamen sit principium proximum supernaturalis cognitionis; vtpotè distinctus realiter & essentialiter à fide, lumine gloriæ, & quolibet alio habitu intellectuali.

17 *INSTANT.* Si voluntas distincta realiter ab anima & intellectu cōcurrit volendo; ergo voluntas libera volendo liberè. At hoc est impossibile: quia respectu vnius actionis nequeunt dari duo principia libera formaliter. Vt enim duæ causæ indifferentes per se concurrant ad aliquam actionem, vna debet determinari ab alia, ne ambæ casu coniungantur. At repugnat vnam determinari ab alia, & tamen liberè concurrere. Ergo repugnat quod voluntas realiter distincta ab anima simul cum eà concurrat liberè ad eandem actionem. *RESP.* quidquid sit, an duo principia possint concurrere liberè ad eandem actionem, si alterum eorum determinetur ab altero (quod tangit grauissimum illud certamen de efficacia auxiliorum) negando minorem. Ad probationem, admissa maiore intellecta de principijs adæquatè distinctis, dico animam & voluntatem distinctam non concurrere vt duo principia adæquatè distincta, sed tanquam vnicum conflatum ex principio radicali, & virtute, seu potentia proxima; idque per eandem actionem indiuisam, quæ immediatè ducit ortum à volūtate, & mediatè ab anima. Quare solùm est opus, vt vel anima seipsam determinet mediante voluntate libera, & concursu indifferenti oblato à Deo; vel vt vtraque determinetur medio concursu Dei prævio: à quo in alterutram partem decernendo abstrahendum censui in hoc Opere Philosophico.

18 *PROBANT IV.* Si potentiæ essent distinctæ realiter ab anima, deberent esse plures, & seorsim assignandæ à nobis. Hoc autem fieri nequit, sed potiùs videtur repugnare ex multiplici capite. *Primò*: Quia nequit assignari distinctivum illarum, neque ex parte radicis, quæ est eadem anima; neque ex parte modi tendendi actuum, quia ab eàdem potentia provenit assensus & dissensus, amor & odium; quibus æquè diversus modus tendendi est, ac visioni, & auditioni; nec tandem ex parte obiecti, cùm idem visus tendat in lucem, & colorem, album, & nigrum, quamvis adeò opposita inter se. *Secundò*. Quia intellectus & voluntas in idem formaliter tendunt ex parte obiecti: siquidem voluntas nō tenderet in bonum, nisi illud repræsentaretur ab intellectu; neque nos possemus loqui aliquid de bono, quatenus bonum est, nisi illud cognosceremus sub formali ratione boni. Ergo inter intellectum & voluntatem nequit assignari reale distinctivum. *Tertiò*. Quia nec memoria videtur posse distingui ab intellectu, cùm sit præteritorum, seu cognitorum, repræsentativa recordatio, quæ ad lineam intelligendi spectat.

19 *RESP.* Negando minorē. *AD I.* Probationem negatur assumptum quò ad secundam & tertiam partem: quia licèt potentiæ non distinguantur ex parte actuum indæquatorum, quales sunt in intellectu, assensus, & dissensus seorsim & in voluntate amor atque odium, sicut & in visu visio albi, & visio nigri; distinguuntur tamen ex parte actuum adæquatorum, quales sunt intellectio relatè ad intellectum, volitio & eius oppositum contrariè aut contradictoriè circa voluntatem; & visio relatè ad visum. Similiter & formalia obiecta potentiarum omnium distinguuntur inter se, importantque aliam & aliam rationem terminandi, atque specificandi. Intellectus enim tendit ad verum sub ratione veri, voluntas ad bonum sub ratione boni, ita vt, licèt materialiter idem obiectum & sit verum & bonum, & vtrumque ametur cognoscaturque simul, adhuc locus sit diversæ rationi formali. De memoria autem, infrà dicam. Ex quibus patet ad cæteras probationes.

VERVM Pro pleniori illarum solutione agēdum nobis est seorsim ac breviter de singulis potentijs animæ, tum spiritualibus, tum & sensitivis materialibus; ex quarum notitia apparebit pleniùs illarum distinctio. Porrò nunc de spiritualibus sermo erit: de sensitivis autem

disp. seq.

(∴)

()

SE-

SECTIO TERTIA.

Occasione præcedentis argumenti agitur singillatim & breviter de singulis spiritualibus potentijs animæ, earumque distinctione inter se; & primo de Intellectu comparato cum Memoria ac Voluntate, & diviso in Agentem & Passibilem.

20 INTELLECTVS est potentia spiritualis perceptiva veri in tota sua latitudine: id est, abstrahentis à creato & increato, naturali & supernaturali; quamvis ad cognoscendum supernaturalia obiecta indigeat lumine indebito & superaddito. Videtur autē indistinctus realiter à memoria: quod expressè docet S. Thomas 1. *p. q.* 79. *art.* 7. Memoria enim duo importat, nimirum, & esse potentiam cōservativam specierum, & præcognitorum recordari. Vtrumque autem pertinet ad intellectum, & connaturaliter ab eo fieri potest intra suam sphæram, quin sit opus frustra addere potentiam aliam. Deinde, cùm ipsius sit cognoscere verum in tota sua latitudine, potest extendi ad cognoscendum illud in qualibet temporis differentia, atque adeò in statu præteritionis, qui est proprius actus memoriæ. Neque obstat quod ex D. Augustino *lib.* 10. *de Trinit. cap.* 11. solet obijci, nimirum, animam ratione trium potētiarum esse imaginem SS. Trinitatis, atque adeo videri realiter ab intellectu distinctam. Respondetur enim ex D. Thom. eadem 1. *p. q.* 3. *ar.* 7. Augustinum eo loco per memoriam intellexisse retentionem specierum in anima; per intellectum verò & voluntatem, actus intelligendi atque amandi. Hoc autem sensu exprimitur qualiscumque & imperfecta imago Trinitatis: quoniam sicuti in creatis ex memoriâ ratione specierum producitur verbum mentis, & subinde per voluntatem amor; ita in divinis, ex memoria fœcunda Patris, sive ex intellectu fœcundato per essentiam divinam, vt speciem intelligibilem, producitur Verbum increatum; & subinde Amor divinus, sive Spiritus Sanctus, per voluntatem.

21 *VERVM* Statuenda est distinctio realis ipsius a voluntate, quam expressè tradit S. Thomas *de Veritat. quæst.* 22. *artic.* 10. alijque frequenter: quia rationes universalissimæ vsque adeo diversæ, ac verum & bonum, videntur exigere singillatim potentiam aliam atque aliam, inter se diversas. Deinde, quia potentiæ, quarum vna movet, altera dirigit, debent reipsa distingui. Patet verò intellectum dirigere voluntatem, & hanc movere intellectum. Denique cùm res creatæ sint perfectionis finitæ, & quæ divisim participant perfectiones indistinctè Deo convenientes ob eius perfectionem summam, nequeunt in eadem entitate adunare virtutes adeò diversas, quales sunt vis ad cognoscendum & amandum. Vrgeri potest præterea ratio superiùs propolita *n.* 6. & alia infra expendenda *n.* 27.

22 *OPPONIT* Durandus *in* 1. *dist.* 3. *q.* 4. & alij cum ipso, nonnulla, quibus moventur ad tuēdam opinionem adversam. *Primum.* Obiectum voluntatis, quod est bonum, & obiectum intellectus, quod est ens, non distinguuntur reipsa. Ergo nullum est fundamentum ex parte obiecti ad distinguendum realiter vnam potentiam ab alia, vt nuper arguebamus. *Secundum.* Possunt ac solent actus subordinati, quamvis diversi, ab eodem principio activo oriri: ideoque ab eodem Solis lumine prodeunt illuminatio aëris, & calefactio, vt supra *disp.* 73. constitutum est. Atqui cognitio & appetitio sunt actus subordinati: vtpotè quorum prior præcedit alterum, ordine naturæ, ipsique deservit. Ergo possunt quàm optimè procedere ab eadem potentiâ. *Tertium.* Si intellectus distingueretur realiter à voluntate, posset, saltem divinitus, aliquis velle sine eo quòd cognosceret: quia volitio summùm dependeret à cognitione, tanquam à causâ partiali, quàm Deus supplere potest.

23 *HÆC* Tamen non vrgent. *AD I.* patet ex dictis paulo antea, distinctionem realem & essentialem potentiarum non desumi in ordine ad obiectum materialiter sumptum, sed quatenus substans rationi formali, quæ est diversi generis in vero ac bono, immò & supra omne genus. *AD II.* Non sufficit subordinatio actuum quælibet, vt ab eàdem potentiâ oriantur, nisi præterea tendant ad obiectum formale eiusdem potentiæ, quod non accidit in præsenti; aut saltem vnus necessario ex altero sequatur, qualiter calefactio sequitur ex illuminatione Solis. Volitio autem non sequitur necessario ex intellectione. *AD III.* omissa alio-

aliorum solutione, negatur sequela: quia impossibile est voluntatem velle niu ex amore, atque adeò & causalitate finis. Impossibile autem est finem causare aliquid in voluntate, nisi existat intentionaliter, ac proinde in apprehensione, quæ est ipsa cognitio. Itaque quemadmodum omnino repugnat causam physicā causare aliquid sine reali sui existentia, ita & finem sine existentia intentionali, quæ habetur in ipsa cognitione.

24 *MAIOR* Difficultas est, an intellectus agens, quo producuntur species spirituales repræsentantes obiecta, sit potentia realiter distincta ab intellectu passibili, seu receptivo earundem specierum, & ijs mediantibus cognoscitivo obiectorum. Quidam apud S. Thom. *Q. de Anima art.* 5. & in præsenti *lib.* 3 *lect.* 10. dixerunt vtrūque distingui realiter, sicut habitum à potentia, quia existimarunt intellectū agentem esse habitum primorum principiorum, residentem in intellectu passibili, vt in potentiā cognoscitivā.

24 *SED Contrà.* Quia, vt rectè arguit S. Thomas, etiā ipsa principia prima cognoscuntur à nobis per species abstractas à singularibus ministerio intellectus agentis. Ergo antequam generetur in nobis habitus primorum principiorum existere debent species abstractæ per intellectū agētem, atque adeò & ipse intellectus agens: Ergo hic distinguitur tanquam aliquid realiter præsuppositum ab habitu primorum principiorum subiecto. *Deinde.* Certum est, habitum primorum principiorum esse cognoscitivum: quia sicut per habitū scientiæ cognoscimus conclusiones, ita & per habitū primorum principiorum cognoscimus eadem prima principia. Ergo cū nihil cognosci possit nisi præsuppositis speciebꝰ; habitꝰ hic præsupponit species in intellectu, quibus primo cognoscat. Ergo illas non facit, atque adeò distinguitur realiter ab intellectu agente, cuius munus est agere species. Neque opposita existimatio fundamentum habet in Arist. libro tertio huius Operis *textu* 17. & 18. cum videtur docere, intellectum agentem esse sicut habitum & artem. Loquitur enim solùm in sensu quoddammodo comparatiuo, quia sicut ars inducit in materia formam artefacti, ita & intellectus agens in passibili inducit formas intelligibiles obiectorum. Et comparatur habitui, quatenus opposito privationi, per quam aliquid est in potentia. Intellectus verò agens non est in potentia ad recipiendum species, sed in actu productionis illarum. Quæ expositio est Angelici D. loco indicato.

26 *SVPPOSITO* Ergo, intellectū agentem esse potentiam, & non habitū, dubitatur an sit potentia distincta realiter ab intellectu passibili. Quidam negant, vt Niphus, Maior, & Abulensis, quorum opinionem probabilem putat Eximius Suarez *lib.* 3 *de Anima c.* 8. *n.* 13. & absolutè sequitur Quirós *disp.* 86. *sect.* 2. *n.* 71. vbi & inutilem censet omnem distinctionem potentiarum in eodem subiecto inseparabilium: asseritque eam indistinctionem vtriusque intellectus tradi communiter à Thomistis: sed immeritò quoniam oppositum traditur à D. Th. 1 *p. q.* 79. *art.* 7. & 10. & *in* 2. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1. & in præsenti *lib.* 3. *lect.* 10. idemque docent frequenter eius Discipuli, vt videre est apud Complutenses, & Ioannem a S. Thom. *q.* 10. *art.* 1. Sumiturque ex Aristotele cap. quinto eiusdem tertij libri, vbi rem ex professo discutit, ac docet, quemadmodum in quolibet genere aliquid habet rationem materiæ existentis in potentia ad formas, aliud verò rationem efficientis: ita etiam alium esse intellectum passibilem, qui habet rationem potentiæ passivæ ad formas specierum intelligibilium, quibus fit quoddammodo omnia; alium verò agentem, qui eas producit. Et, inter alia, inquit: ἀναγκη δὲ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφορὰς. καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος τῷ πάντα γίγνεσθαι· ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν. *Necesse est in anima differentias has in esse. est enim quidam intellectus, qui omnia fiat, & quidam talis, vt omnia agat.* Potest verò discrimen materiæ & efficientis, sive passi & agentis in vnoquoque genere, non esse absque distinctione reali. Consonat Aversa *q.* 43. *sect.* 6. & plerique alij.

27 *DEINDE* Ratione idipsum suadetur. Quidam probant ex eo, quod idem non possit simul esse principium, saltem proximum, respectu eiusdem effectus & formæ: ac proinde diversa potentia debeat esse, quæ formas intelligibiles agit, ab ea quæ patitur. Verum hæc ratio, nisi aliunde roboretur, insufficiens est: quia intellectus passibilis, & omnis potentia vitalis recipit in seipsa operationem, quā agit, & speciem expressam, quam producit. Ideo aliter suadetur ex summa fere diversitate operationum intellectus agentis & pas-

& paſsibilis. Operatio enim præcipua & prima intellectus agentis nullatenus eſt cognitio, ſeu intellectio perceptiva obiecti: contrà verò operatio intellectus paſsibilis. At duo præcipui actus, quorum alter eſt cognitio, alter non eſt cognitio, exigunt potentias proximas realiter diſtinctas. Ergo intellectus agens & paſsibilis ſunt potentiæ realiter diſtinctæ. Minor conſtat ex ſupradictis, præſertim circa intellectum & voluntatem. Maior quò ad priorem partem, quæ ſola indiget probatione, ſuadetur: Quia omnis actus cognitionis procedit a potentia iam actuata per ſpeciem, iuxta illud Auguſtini notiſſimum: *Ex obiecto & potentia paritur notitia*. At potiſsimus ac primus actus intellectus agentis non procedit ab eadem potentia iam actuata per ſpeciem, ſed potiùs tendit ad producendam primam ſpeciem, vt terminum, ſive effectum ſuæ operationis. Ergo primus ac potiſsimus actus intellectus agentis non eſt cognitio, ſive intellectio perceptiva obiecti. Porrò eadem ferè ratio eſt de cæteris ipſius actibus ſubſecutis, quoniam omnes tendunt ad aliquam ſpeciem producendam, ideoque nullus eorum præſupponit in intellectu cognitionem obiecti, cuius ſpecies abſtrahitur.

28 *CONFIRM.* Et ſimul præoccupatur evaſio, quæ eſſe poterat ex doctrina Adverſariorum ex eo quòd prædicti actus, licèt differant inter ſe, ſint inadæquati, ac proinde poſsint provenire ab eadem potentia ſecundùm rem, vt in actibus ſcientiæ, opinionis, & erroris contingit relatè ad eundem intellectum paſsibilem. Contrà enim eſt: Quòd tunc ſolùm plures actus diverſi ſunt inadæquati reſpectu alicuius potentiæ, quando datur vna aliqua ratio communis, ſub quâ conveniant ij actus, & à qua ſpecificetur vnica illa potentia vtriuſque elicitiva. Atqui reſpectu duorum actuum, quorum alter eſt productio ſpecierum, & non cognitio, alter verò cognitio per ſpeciem & non productio, non eſt aſsignabilis vna aliqua ratio communis ſub quâ conveniant, & à quâ ſpecificetur vnica potentia. Duæ enim rationes adeò diſtantes nequeunt cadere ſub indiviſibili ſphæra eiuſdem facultatis ſeu virtutis finitæ, qualis eſt intellectus noſter. Ergo productio ſpecierum, & cognitio per ſpeciem non ſunt duo actus inadæquati. Vnde non eſt eadem ratio de actibus ſcientiæ, opinionis, & erroris, qui ſaltem conveniunt in ratione cognitionis intellectivæ, & perceptivæ obiecti. Et quemadmodum ſenſus cognoſcens diſtinguitur realiter à virtute inanimata obiecti producente ſpeciem; ita etiam diſtinguuntur virtus intellectus producentis ſpecies, & virtus intellectualis cognoſcitiva.

29 *DENIQVE* Probari poteſt ex illo principio Ariſtot. quo ſæpe vſi ſumus, præſertim *diſput. 40.* & *76.* quòd eadem res ſecundùm idem nequeat eſſe ſimul in actu & potentiâ reſpectu eiuſdem operationis, ſive motus: ſed debeat in ea aſsignari pars per ſe movens, & pars per ſe mota. Si autem idem intellectus produceret ſpecies, & ſimul medijs ijs eliceret cognitionem, ſecundùm eandem partem ſe moveret, ſeu reduceret ſe à potentia in actum. Eſſet enim potentia paſsiva ad ſpecies, & per eandem virtutem indiviſam faceret illas. Quod tamen abſurdum non infertur, vt ſuprà arguebamus, ex eo quòd idem intellectus paſsibilis eliciat cognitionem, & illam recipiat: quoniam ratione intellectus agentis, & ſpeciei ab ipſo productæ (ſaltem vt cauſæ partialis, aut moventis) agit, & ratione ſui recipit intellectionem. Ex quibus iterum confirmata manet diſtinctio realis intellectus à voluntate, ſuprà *num.* 21. Quia operationes adeò diverſæ, ac ſunt volitio cæca, & cognitio intellectiva, nequeunt ab eodem principio proximo oriri, neque tanta amplitudo convenire poteſt alicui virtuti finitæ, tam creatæ, quam creabili. Pro opinione autem contraria non invenio argumentum, quod ſit alicuius momenti.

SECTIO QVARTA.

Officium intellectus agentis, quatenus diſtincti realiter à poſsibili, conſiſtere in productione intelligibilium ſpecierum, & quomodo ea peragatur.

30 *QVAMVIS* Licetus *libr. 2. de Intellectu Agente* referat & exponere conetur plurimas operationes intellectui agenti tributas à variis Authoribus, vſque ad viginti illarum, ferè omnes procedunt ex falſo fundamento, ſive ex opinione quorundam

Veterum, qui intellectum agentem putabant esse substantiam separatam. Supposito autem ex communi cæterorum sententia, & verissima, quam, inter alios optimè elucidant Averſa vbi suprà, & Ioannes à S. Thoma *quæst.* 10 *art.* 1. esse internam animæ rationalis vim; præcipua, aut etiam vnica operatio ipsius est producere species intelligibiles necessarias ad intelligendum omne verum. Huc spectat, & prædicta operatione comprehenditur, quod sæpe apud Aristotelem, & D. Thomam legitur, intellectum agentem facere res intelligibiles, illustrare phantasmata, & abstrahere res à materia. Facit enim res intelligibiles, non quidem operando quidquam in ipsis obiectis, sed solùm efficiendo species, quibus illa intelligantur. Illustrat etiam phantasmata, quatenus producendo species spirituales, illustrat obiectum per materialia phantasmata repræsentatum: & quemadmodum color, nisi perfundatur lumine, nequit percipi ab oculo; ita etiam obiecta materialia phantasmatis nequeunt percipi ab intellectu, nisi illustrato per speciem intelligibilem, illorum repræsentativam. Quod, qua ratione fiat, infra explicabitur.

31 *ABSTRAHIT* Denique res à materia, illaique deputat, vt sic eas reddat quoddammodo immateriales, & proportionatas cum potentia spirituali, a qua percipiantur. Hoc autem dupliciter exponi solet. Primò iuxta sententiam Thomistarum, de qua infra, docentium intellectum agentem non solùm producere species abstractas ab omni materia, sed etiã abstrahere res ipsas, sive obiecta, à materia singulari, & conditionibus individuantibus: quoniam sine ea abstractione ex parte obiecti repræsentati per speciem nequeunt res materiales & singulares cognosci ab intellectu, saltem directè. Alij è converso volunt, intellectum agentem eatenus solùm dici abstrahere res à materia, quia efficit verè species repræsentativas obiectorum immaterialeſ, sive à materia abstractas, & elevatas; & consequenter solùm dici abstrahere res a materia, quatenus abstrahit species substituentes pro ipsis rebus, & gerentes vicem ipsarum. Itaque nolunt res ipsas abstrahi in ratione obiecti terminativi; quoniam existimant, res materiales, singulares{que}, quatenus tales, terminare directè actum cognitionis, quantumvis spiritualis & excellæ: sed tantùm abstrahi quatenus se habent in ratione principij effectivi cognitionis mediante specie spirituali, vicariá ipsarum. Discrimenque assignant, quia res materialis per seipsam nullum impedimentum habet vt terminet spiritualem cognitionem, sed solùm vt illam efficiat. Hoc atem præstat media specie spirituali vicaria sui, secundùm quam non solùm abstrahit a materia singulari, sed etiam simpliciter ab omni materia, quoniam species ipsa simpliciter immaterialis est.

32 *QVID QVID* Verò de hoc sit, quod examinabimus sectione sequenti, certum est intellectum agentem non posse producere speciem aliquam spiritualem obiecti, nisi hoc priùs fuerit repræsentatum per aliquam speciem materialem in sensu: quia omnis nostra cognitio spiritualis pro hoc statu incipit à sensibus. Cùm verò præcipua ex potentijs sensitivis, sive sensibus, sit phantasia, cuius species appellantur phantasmata, oportet hæc præsupponi, & quoddammodo concurrere ad formationem speciei spiritualis prædictæ. Quod varijs modis solet explicari. P. Suarez *libr.* 4. *de Animâ capit.* 2. *numer.* 12. docet, phantasmata nullum influxum activum præstare, adhuc instrumentalem, in productionem speciei intelligibilis; sed solùm in genere causæ materialis & exemplaris, ex quâ intellectus agens educat speciem, & cuius instar illam sibi depingat. Additque hanc esse opinionem quorundam Thomistarum. Alij, inter quos Averſa vbi suprà, volunt intellectum agentem simul cum phantasmatibus, vt concausa partiali, proximè efficere species spirituales. Verior tamen videtur, & communior Thomistarum est opinio, quæ docet, phantasmata concurrere ad eam speciei spiritualis productionem, veluti instrumentum, seu causam instrumentalem eiusdem intellectus agentis, qui solus in ratione causæ principalis eam operatur. Hunc dicendi modum expressè tradit Sanct. Thomas *quæst.* 10. *de Veritat. artic.* 6. *ad* 7. vbi, inter alia, inquit: *In receptione, quâ intellectus passibilis species rerum accipit à phantasmatibus, phantasmata se habent vt agens instrumentale & secundarium: intellectus verò agens, vt agens principale & primum.*

Et

Et ideo *actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionē vtriusque, & non secundum conditionem alterius tantùm: & ideo intellectus possibilis recipit formas vt intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis; sed vt virtutes determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum.* Idemque docet *q. de Anima art. 5. ad 6. & 1. part. quæst. 85. artic. 1. ad 3. & 4.*

33 *HIC* Autem dicendi modus, simul & illuminatio phantasmatum, superiùs statuta, multipliciter exponi solet ab eisdem Thomistis. Caietanus enim docet phantasma solùm esse instrumentum intellectus agentis per illuminationem obiectivam; non autem formalem. Quæ in hoc distinguitur ab illâ, quòd formalis fiat per inhærentiam lucis in subiecto illuminato: obiectiva autem per apparentiam obiecti ex assistentia extrinseca luminis; quemadmodum in opinione aientium, lucem non inhærere colori illuminato, sed medio, aèr medius illuminatur formaliter; color verò non, nisi obiectivè. Quare in hac sententia intellectus extrinsecè illustrans phantasmata, facit apparere obiectum intelligibile in ratione intelligibilis; idque sufficit vt phantasmata dicantur & sint instrumenta intellectus agentis. Alij è contrà volunt, illuminationem hanc non solùm esse obiectivam, sed & formalem, præterea, per hoc quòd aliquid luminis derivetur ab intellectu agēte in phantasmata; eaque proinde illustrari formaliter, sicut in probabili opinione lumen formaliter inhæret colori, & ars imprimit instrumento aliquid virtutis ad artefacta construenda. Alij cum Ferrara *2. contra Gent. c. 77.* existimant phantasmata non illustrari formaliter, neque obiectivè, ab intellectu agente, sed solùm radicaliter, quatenus phantasia radicata in animâ spirituali, in quâ & intellectus agens radicatur, producit phantasmata illuminata, scilicet, apta vt ab ijs intellectus agens abstrahat species: & hanc aptitudinem, seu habilitatem, appellant intelligibilitatem in actu. Alijque cum Bañez *1. p. q. 79 art. 3. dub. 2. & 4.* Conimbricensibus in præsenti *lib. 3. cap. 5. q. 4. art. 2.* & Complutensibus *disp. 20. q. 2.* arbitrantur, intellectum agentem illuminare phantasmata ratione alicuius effectus ex illis deducti: nimirum, ratione speciei intelligibilis, quâ tota redditur obiectum intelligibile in actu, quòd antea dumtaxat erat intelligibile in potentia in ipsis phantasmatibus. Si autem interrogentur, quomodo species intelligibilis deducatur ex phantasmatibus; aiunt, id fieri concursu illorum, quatenus instrumenti elevati, & suo obiecto determinantis ad producendas determinatas species ab intellectu agente.

34 *IN* Tantâ opinionum varietate, seu potiùs confusione, rem paucis expediam. Primò certum videtur, phantasmata necessariò præstare concursum aliquem ad producendam determinatam speciem intelligibilem in intellectu. Hic enim non habet in se actu omnium obiectorum species determinatè ac distinctè, nisi vtatur subsidio sensuum, ac proinde phantasiæ, ad eas comparandas. Si enim intellectus humanus ex se omnium obiectorum species actu & distinctè haberet; non egeret anima vnione ad corpus, vt ex illo per sensus adquireret species rerum determinatè ac distinctè. quin immò nec naturaliter appeteret eam vnionem, quia ex illâ nullam posset mutuare perfectionem in intelligendo, sed potiùs amitteret quam ex se haberet: ideoque potius appeteret statum separationis, quam vnionis. quod tamen constat esse falsum. Ergo vt intellectus habeat actu determinatas ac distinctas obiectorum omnium species, indiget subsidio, sive concursu sensuum, ac præsertim phantasiæ. Vnde & hac subeunte læsionem aliquam læditur intellectualis cognitio, aut ex toto impeditur.

35 *SECVNDO* Certum apparet, contra opinionem P. Suarez & aliorum, supra indicatam, phantasmata non concurrere vt materiam ad productionem speciei spiritualis. Non enim vt materia, ex quâ educatur spiritualis species: quia hæc solùm educi potest ex subiecto spirituali, cum quo solo proportionem habet. Neque etiam vt materia *in quâ*, seu receptiva: quia spiritualis species in potentia, aut subiecto materiali, qualia sunt phantasmata, recipi nequit. Neque etiam vt materia obiectiva, seu *circa quam*, repræsentata intellectui: quia cùm intellectus agens non sit potentia cognoscitiva, & saltem actus, quo producit speciem, non sit cognitio, vt suprà ostensum est; phantasmata non repræsentantur ipsi vt materia, *circa quam*, sive vt obiectum. Quare ad summum potest esse

materia obiectiva intellectui passibili: & tunc iam præsupponit speciem intelligibilem factam ab intellectu agente. Ergo de primo ad vltimum phantasma non concurrit per modum materiæ ad productionem speciei intelligibilis. Ex quibus etiam corruit opinio Caietani, vt consideranti patebit.

36 *Tertiò* colligitur contra alterum dicendi modum ex Ferrara, nec sufficere illuminationem radicalem phantasmatum, & ipsius phantasiæ, vt hæc concurrat ad productionem spiritualis speciei, quatenus omnia hæc proveniunt ab eadem anima spirituali, vt radice. Contrà enim est, quòd phantasmata, licèt proveniant radicaliter ab eadem anima, à quà procedit species intelligibilis, adhuc in seipsis materialia sunt, & nihil habent intrinsecè spirituale in hac sententia, quo eleventur. Ergo nequeunt concurrere ad productionem formæ spiritualis, qualis est species intelligibilis. Præterea, etiam sensus externi, & ipsorum species, radicantur in eadem anima rationali. Et tamen ex communi sententia nullatenus concurrunt cum intellectu agente ad speciem intelligibilem producendam. Denique, cùm in phantasia resideant tot & tam diversa phantasmata, & omnia illa radicentur in eadem anima, nulla esset ratio, vt phantasmata repræsentantia homines, præ phantasmatibus repræsentativis equorum, concurrerent ad productionem speciei intelligibilis repræsentantis naturam humanam. Ergo aliquid aliud exigitur præter eam radicationem. Neque opponas quod in Physica *disput.* 15. diximus, accidens per hoc quòd emanaverit à substantia generantis in ordine ad operandum aliam substantiam, posse illam producere instrumentaliter absque alia elevatione superaddita. Dispar enim ratio est: quoniam accidens productivum substantiæ est eiusdem ordinis materialis cum illa, qnamvis minoris perfectionis intra eundem ordinem: ideoque potest illam producere vt virtus instrumentaria, absque elevatione superaddita. Species autem intelligibilis est alterius superioris ordinis à phantasmate, ideoque hoc indiget elevatione ad eam producendam.

37 *QVARE* Consequenter ad doctrinam D. Thomæ locis allegatis *numer.* 32. & ad alia principia nobis familiaria in Philosophia, ac Theologia, dicendum est, phantasma, quamvis sit materiale, posse elevari, & elevari de facto tanquam instrumentum per virtutem spiritualem superadditam ab intellectu agẽte, ad producendam speciem intelligibilem. Sic ignis elevatus virtute supernaturali, instrumentaliter potest causare in spiritibus cruciatum spiritualem, & Sacramenta corporea gratiam. Et adhuc in naturalibus, seu rebus non spectantibus ad supernaturalem ordinem, serra, & quælibet artis instrumenta elevata per motionem artificis, efficiunt artefactum nobilius; & corpus motum ab Angelo concurrit ad vbicationem spiritualem in Angelo resultantem, atque importantem habitudinem ad tale corpus. Ratio autem est: quia vnio animæ rationalis ad corpus ordinatur ad eam perficiendam, etiam in parte intellectiva, secundùm quam est forma corporis, vt superioribus sæpe traditum est ex Concilio Lateranensi. Ergo oportet illam ex tali vnione perfici in intelligendo distinctè ac determinatè obiecta materialia, atque adeò & adiuvari aliquo instrumento corporeo ad illa intelligenda. Hoc autem nullum aptius est, quam phantasma: vtpotè nobilius cæteris materialibus speciebus, & proximius perfectioni intellectuali. Oportet igitur vt phantasmata singulorum obiectorum sint instrumenta ad producendum speciem intelligibilem eorundem. Cumque nequeant illam producere absque aliqua elevatione spirituali, ratione suæ improportionis, consequens est vt illam accipiant à causa principali, quæ est intellectus agens. Eiusmodi autem elevatio spiritualis, non est virtus, aut habitus, sed tantùm motio, aut impressio quædam fluida, qualis & in instrumento artificis ad operandum. Ideoque intellectus agens comparatur arti ab Aristot. in præsenti *lib. 7. textu* 17. & phantasmata æqui parantur instrumento à D. Thom. locis supra indicatis.

(·.·)
()

SE.

SECTIO QVINTA.

Vtrùm intellectus passibilis, prout distinctus ab agente, cognoscat directè singularia materialia: Vbi de conversione ad phantasmata.

38 POST QVAM Intellectus agens producit speciem intelligibilem intellectus passibilis mediante illa fit in actu, & percipit obiecta per eam repræsentata. Dubitatur autem, vtrùm per eam repræsententur directè singularia materialia, sive, quod perinde est, an singulare materiale pro hoc statu sit directè cognoscibile ab intellectu passibili, prout distinctio ab agente, à quo suprà omnem vim cognoscendi exclusimus. Rem hanc latè discutiunt nonnulli Authores, præsertim Thomistæ, vt Ioannes à S. Thomâ *q.* 10. *art.* 4. & Complutenses *disput.* 18. *q.* 6. qui cum cæteris ferè eiusdem Scholæ, ac Fonseca 1. *Metaph. c.* 2. *sect.* 5. *q.* 3. & Conimbricensibus in præsenti *lib.* 3. *c.* 5. *q.* 4. *art.* 3. & alijs, negativam partem tuentur. E contrà verò Scotus *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. eiusque discipuli, & Suarez *lib.* 4. *de Animâ cap.* 3. *& disp.* 6. *Metaph. sect.* 6. plurèsque alij Recentiores, quamvis obiter, affirmât dari in intellectu possibili speciem ab agente productam, quæ directè & propriè repræsentet rem singularem materialem. Loquimur autem de illa, nõ in actu signato, & prout singularitas quasi abstractè importat suam quidditatem, quam sic supponimus terminare directè cognitionem intellectus: sed tantùm de ea in actu exercito, prout hic & nunc singularis est, & induta conditionibus individuantibus. Similiter & sermo est de specie impressa primò producta ab intellectu agente.

39 *IN* Hac re, quam paucis expediam, vt apud Authores indicatos pleniùs videatur donec in Metaphysica eam vberiùs tractem, censeo veriorem primam sententiam, & dico, speciem impressam, quæ pro hoc statu abstrahitur à sensibus operatione intellectus agentis, non repræsentare directè singularia materialia, quatenus talia sunt in actu exercito; & consequenter hæc non esse directè cognoscibilia ab intellectu pro hoc statu. Ita docet expressè S. Thomas 1. *p. quæst.* 86. *art.* 1. *& quæst. de Animâ art.* 20. *& Quodlib.* 12. *art.* 1. Similiter & Aristoteles 1. *Physic. cap.* 5. *textu* 47. illis verbis: τὸ μὲν καθόλου, καὶ τὸν λόγον γνώριμον· τὸ δὲ καθ' ἕκαστον, τῆς αἰσθήσεως, & *Vniversale quidem ratione est notum; singulare autem sensu nam rei vniversæ, ratio; eius verò, quæ in parte est sensus.* Idemque ferè habet in præsenti *lib.* 3. *textu* 10. adiuncta interpretatione D. Thomæ. Ratio autem est: Quia dum singulare materiale manet sub ratione talis, & vestitum conditionibus materiæ individualis, non supergreditur rationẽ obiecti sensibilis, seu directè spectantis ad sensum, qui habet eiusmodi singularia directè cognoscere. Ergo vt præterea sit directè intelligibile, debet denudari à conditionibus eiusmodi materialibus & individuantibus: alioqui enim manebit vt antea. Atqui directum obiectum intellectus, sive quod directè cognoscitur ab illo, solùm est id, quod directè intelligibile est. Ergo singulare materiale quatenus tale non cognoscitur directè ab intellectu: sed summùm poterit directè ab eo cognosci, accepta singularitate in actu signato, per modum quidditatis: quo etiã modo tantùm repræsentatur in specie impressa producta ac intellectu.

40 *NEQVE* Aduersarij satis occurrunt huic rationi, dum aiunt, vt singulare cognoscatur directè ab intellectu, sufficere quòd repræsentetur directè à specie intelligibili. Contrà enim est quòd ratio præiacta æquè vrget in ipsa specie: quoniam, cùm non sit sensibilis, sed intelligibilis, nequit directè repræsentare obiectũ sensibile, quale est singulare materiale; sed intelligibile tantùm, quale est abstractum à conditionibus individualibus materiæ. Deinde, permisso gratis quòd singulare materiale repræsentetur per speciem spiritualem, adhuc nequit spectare ad obiectum directum & specificativum intellectus: quia hoc, quatenus distinctum ab obiecto specificativo sensus, debet esse intelligibile in ea ipsa ratione, quà terminat cognitionem directam, & non solùm in specie, mediante qua cognoscitur. Quare parùm refert, quòd entitas speciei sit intelligibilis & spiritualis, si tamẽ obiectum per eam repræsentatum non transcendit limites obiecti sensibilis, neque attingit rationem intelligibilitatis in esse obiecti. *Permisso*, inquam: quia species intelligibilis non repræsentat directè singularia materialia, à quibus fuit abstracta. Quare vt intellectus cognoscat singularia materialia, indiget reflexione, seu conversione ad phan-

phantasmata, in quibus speculetur illa veluti obiecta secundaria, & purè terminativa.

41 *PORRO* Eadem ratio est de conceptu formato ab intellectu circa singularia materialia sub illa reflexione & connotatione ad phantasmata, in quæ fit conversio: non enim repræsentat directè eadem singularia, quia est conceptus spiritualis & intellectualis, cui repugnat directè repræsentare obiectum materiale & purè sensibile. Similiterque idem dicendum de speciebus impressis, quæ formantur in intellectu nostro ex præconceptis speciebus, sive ex conceptibus rerum singularium: quoniam & illæ spirituales atque intellectuales sunt, ideoque nequeunt directè repræsentare aliquid purè materiale & sensibile. Cæterùm tam conceptus formati ex reflexione, quam prædictæ species, propriè & distinctè repræsentãt singularia ipsa, in quæ facta fuit conversio: quia post hanc intellectus cognoscit singularia quatenus in individuo sunt extrema harum propositionum, *Petrus non est Paulus, Ioannes est filius Andreæ*; & discernit vnum ab alio.

42 *DICES*, Videri doctrinam præiactam sibi contradicentem: quia ex vno capite negamus intellectui directam singularium cognitionem, & ex altero statuimus illam distinctam ac propriam: quæ duo sibi repugnant. *RESP.* negando esse in hoc aliquam contradictionem: quia dum negamus intellectui cognitionem directam singularium materialium, contraponimus illam cognitioni reflexæ, seu regressioni supra principia ipsa cognitionis; sive sint elicitiva, vt potentia, species, & ipsa anima; sive purè ministrantia, vt sensus interni: dicimusque solùm per huiusmodi reflexionem ad sensus posse cognosci singulare materiale ab intellectu. Dum autem statuimus propriam ac distinctam cognitionem, contraponimus illam cognitioni in confuso, & in communi tantùm. Itaque intellectus dum regreditur ad phantasmata, non in confuso, aut in communi solùm, cognoscit singularia, à quibus speciem abstraxit; sed distinctè ac propriè, discernendo vnum ab alio. Actus tamen intellectionis, quo reflectit, directè solùm habet pro obiecto ipsam naturam abstractam, quæ repræsentabatur in specie intelligibili, & indirectè tantùm terminatur ad singularia ipsa, eadem distinctione, atque claritate, ac si directè illa cognosceret. Sic etiã Deus distinctè & propriè cognoscit singulas creaturas, quamvis directè ab eo non cognoscantur. Ex quibus omnibus, si rectè considerentur, occurrent ibi obiectionibus Aduersariorum. Distinctio autem potentiarum sensitivarum inter se, plenius apparebit disputatione sequenti.

(*)



IL-

ILLVSTRISSIMO HEROI, D. D. HIERONYMO DE PRADO, IACOBÆO EQVITI, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

INTERNOS Animæ ſenſus, miramque illorum vim, harmoniam, & diſtinctionem, cenſoriæ Tuæ virgæ committo, CLARISSIME HEROS. Quippe vt in eodem PRATO varia germina, ac diverſi floſculi ſunt; ita & in eodem cerebro diſtincti ſenſus, qui alios atque alios vitæ flores & fructus germinant. An non PRATVM animal quodlibet, cui ſuum ver eſt, ſua æſtas, autumnus quoque, & hyems? Viret primis annis, æſtuat deinceps, poſtea ad meſſem maturum, tandem hiberna ſenectutis glacie friget. Noſti apud Vlpianum de Verb. ſignific. PRATVM ſic dictum, quòd ad percipiendum ipſius fructum *paratum* ſit per ſe, neque egeat alio ſubſidio, quam cœli irrigatione. Vnde & vox Græca λειμων, ipſi reſpondens, ab Euſtathio definitur, τόπος εἰς ὃν ὕδωρ λείβεται: *Locus in quem aqua diffunditur & deſtillat.* Plane id congruit nobiliſſimo generi Tuo, quod pluribus retro ſæculis *paratum* fuit irrigationi cœleſti. Paratum ad edenda innumera germina, Militarium Ordinum flores, armorum vberrimam frugem, litterarum manipulos, virtutum fructus. Viret jam diu, frondet, fructificat, in ipsa Hiſpaniæ Regia; vbi & *inſcripti nomina Regum NASCVNTVR FLORES*, è viridario Auſtriaco: quibus tandiu & toties obſequium præſtitere *PRATORVM* flores. Et, vt plura alia omittam ſplendidiſsimæ Domus Tuæ antiquiora monumenta, paucis retro annis tres ſimul novimus Fratres vno germine ortos, dum in Tuo Maiori *S. SALVATORIS* Overenſi Collegio Academiam hanc Salmanticenſem illuſtrares in honorificentiſsima Codicis Cathedra. Florebat tunc piiſsimus ille ac litteratiſsimus Frater Tuus, profeſsione Minor, virtute Magnus, Religione pauper, & meritis dives, *R.P.Fr.EMMANVEL DE PRADO*, Theologiæ Profeſſor, immaturo obitu vivis ereptus, quia maturuerat cœlo. Florebat & Illuſtris. *D.Fr.DIDACVS DE PRADO*, clariſsimi Ordinis *B.MARIÆ* a Mercede ſingulare decus, Theologiæ Doctor, & poſt varias eiuſdem Facultatis Cathedras, Philoſophiæ Ethicæ Antecеſſor. Ille, inquam, qui electus Archiepiſcopus Brunduſinus, periculum vitæ ſuæ fecit in mari; nec periculum modò, ſed & iacturam. Parum illud vetus Biantis: ὁ πλοτικὸς μήτε ἐν τοῖς τεθνηκόσιν ἐστὶ, μήτε ἐν τοῖς βιοῦσι: *qui nauticam exercet, nec in mortuis, nec in vivis cenſendus eſt.* Quippe ſapientiſsimus Magiſter, & ampliſsimus Præſul, ſeſe navigio committens, mortuis accenſeri cœpit. Accinebat Homerus de Aiace infeliciter in aquis ſepulto: Αἴας δὲ ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ. *Aiax diſperijt poſtquam bibit aquæ ſalſæ undam.* Et Servius obiter eundē verſum exponens apud Virgilium, *Ingemit Æneas*, inquit, *naufragio inſtante: non propter mortem, ſed propter mortis genus. Grave enim eſt, ſecundùm Homerum, perire naufragio: quia anima eſt ignea, & extingui videtur in mari.* Sane Fratris Tui anima non ignea erat, ſed igne charitatis exardens, quam aqua extinguere non potuit, *nec flumina obruent illam.* At vel ſolam corporis vitam in amaris aquis perdidiſſe, amaris lachrymis dignum fuit. Verùm grates cœlo agimus, quòd TE, vnum è tribus Fratribus, ſervaverit vſque modò incolumem, & poſt varios Senatorij Ordinis gradus recte ac laudabiliter tranſactos, in ſummum Conſulatum evexerit. VALE igitur, & inſignibus in R.P. meritis locuples, præcocem tantorum Fratrum obitum diuturnitate vitæ compenſa, vt iuxta Lyrici votum,

Serus in cœlum redeas, diuque —— —— —— *Lætus interſis populo.*

DISP.

DISP. OCTVAG. QVARTA.

DE SENSIBVS INTERNIS.

An in quolibet animali ſint plures ſenſus interni invicem diſtincti?

Num. 1. *QVATVOR Senſus interni communiter aſsignari ſolent in quolibet animali. Primus appellatur* ſenſus communis, *cui adſcribitur miſsio ſpirituum animalium ad ſenſus externos, & diſcretio inter illorum actus. Secundus dicitur* imaginativa, *ſeu* phantaſia, *ad quam ſpectat retinere ſpecies ſenſibiles internas, etiam abſente obiecto, & obiecta, priùs percepta externis ſenſibus, repræſentare: eidemque tribuiſolet coniunctio variarum ſpecierum inter ſe, tum ſenſatarum, tum & inſenſatarum: vt montis aurei, & hippocentauri. Tertius vocari ſolet,* æſtimativa: *quæ elicit ſpecies non ſenſatas ex ſenſatis, & ſimiliter obiecta non ſenſata percipit. Experimento enim patet, agnum, inſpecto lupo, quem non antea viderat, expaveſcere & fugere: contrà verò exultare viſa ove, quæ ipſum peperit. Quartus denique dicitur* memoria, *cuius eſt retinere & conſervare ſpecies non ſenſatas, vt de cætero animal recordetur. Et hæc quidem circa ſenſus internos cognoſcitivos: nam præterea alius appetitivus deſignari ſolet. Quærimus itaque exiſtentiam, naturam: & diſtinctionem prædictorum ſenſuum inter ſe. Quæ omnia præcipuè locum habent apud Ariſt. locis ſtatim allegandis, ac pluribus alijs.*

SECTIO PRIMA.

Exiſtere in quolibet animali Senſum communem diſtinctum ab externis ſenſibus. Eius officia & operationes præcipuæ.

2 *DICENDVM I.* Exiſtere in quolibet animali ſenſum communem diſtinctum à cæteris particularibus. Ita Ariſt. *in præſenti lib. 3. c. 2.* à principio, *& c. 7. textu 31.* ac D. Thom. *1. p. q. 78. art. 4. & Opuſc. 4. c. 4.* alijque Philoſophi communiter. Ratio eſt multiplex. *Primo:* Quia natura, quantùm poteſt, ſtudet omnem multitudinem revocare ad vnitatẽ; atque adeò omnes ſenſus particulares quoddammodo in vnum colligere: vt quemadmodum lineæ è circumferentiâ in vtrum centrum collimant, ita & vniverſa organa, imagineſque à ſenſibus particularibus adquiſitæ, confluant in vnum communem ſenſum. Ergo oportuit hunc exiſtere in quolibet animali. Hac ſimilitudine centri vtitur Ariſt. poſteriori loco ex indicatis, non quidem centri appellatione, ſed termini, dum de ſenſu communi ait: ἔστι γὰρ ἓν τι. ἕτερον δὲ καὶ ὡς ὅρος. *Eſt enim vnum quid ipſum, & ita vnum vt terminus.* Id eſt, iuxta Philoponi interpretationem, vt centrum circuli, in quod diverſæ lineæ circumducuntur.

3 *SECVNDA:* Quia, vt experimẽto cuiuſque patet, & obſervat S. Thom. *lect. 3.* cum Ariſt. cognoſcimus nos audire, tangere, olfacere, videre, & guſtare. Hæc autem cognitio præſtari nequit ab aliquo quinque ſenſuum externorum, quoniam nullus illorum reflectit ſupra proprium actum. Ergo referri debet ad alium ſenſum altiorem & communem, cuius ſit cognoſcere actus quinque exteriorũ ſenſuum. Quòd ſi dicas, eam cognitionem ſolùm ſpectare ad intellectum; contrà eſt, quod illa etiam conveniat brutis, vt mox conſtabit, atque adeò debeat eſſe facultas aliqua ſenſitiva communis, & inferior intellectu. Porrò eam vim etiam brutis communem eſſe, ſuadetur ex doctrinâ Ariſt. loco primo ex allegatis ad finem capitis ſecundi, ac S. Gregorij Nyſſeni *lib. de Viribus Animæ c. 1.* & Platonis *in Theæteto*, vbi obſervant dari debere ſenſum aliquem interiorem, & communem omnibus animalibus, qui non modò recipiat omnium ſenſibilium imagines, & ipſa ſenſibilia cognoſcat, ſed etiam, qui, velut arbiter & æſtimator, diſcernat obiecta externorum & particularium ſenſuum; inter quæ iudicare non convenit vnicuique ſenſui particulari, quia hic totam curam ſuam & intentionem impendit circa ſen-

ſibile proprium. Ergo oportuit eſſe præterea communem aliquem ſenſum, qui inter hæc obiecta diſcernat ac dijudicet. Alioqui enim non erit ſatis conſultum naturæ communi omnibus animalibus, quæ, niſi eam vim diſcernendi habeant, non habebunt principium intrinſecũ ad cognoſcendum, quodnam ex obiectis particulariũ ſenſuum ſit ijs conveniens, quodnam nocivum, quid fugiendum, quid proſequendum. Vnde obiter redditur ratio, cur bruta animantia fugiant à tangendis, aut guſtandis audiendiſve, rebus, cibis, & ſonis diſconvenientibus ſibi. Nimirum ſenſu communi ea diſcernunt à convenientibus ſuæ naturæ, non autem particulari & externo ſenſu.

4 *NEQVE* Hoc tantum præſtat ſenſus communis, ſed præterea communicat ſenſibus internis vim ad functiones vitæ obeundas, medijs ſpiritibus animalibus, quos effundit ex ſe, veluti fons & primarium inſtrumentum ſentiendi: vt tradit Ariſt. *lib. 2. de Part. Animal. cap. 10. & lib. de Morte & Vita c. 1. ac lib. de Somno & Vigil. cap. 3.* Vbi obſervat, quoties obſtruitur via illa, quà prædicti ſpiritus egrediuntur à ſenſu communi, neceſſariam eſſe externis ſenſibus ceſſationem ab omni vitæ actu, vt contingit in ſomno. Similiter & inde provenit, vt ægrotante ſenſu interno, aut qualitercumque malè habente, etiam externi ſenſus ægrotent ac male habeant in ſuis operationibus: quoniam non recipiunt ſpiritus animales modo convenienti. Quare qui morti iam proximi ſunt, ſolent deſtitui functionibus externorum ſenſuum, quoniam temperies ſenſus communis iam pene diſſoluta eſt, aut extincta: & ſimiliter accidit in ijs, qui paralyſi, aut apoplexiâ tenentur, quoniam impeditos habent nervos, per quos ſenſus communis tranſmittit ſpiritus animales ad externa ſenſoria.

5 *DICES.* Quamvis in omni animali ſint potentia tractiva, coctiva, nutritiva, & augmentativa, non propterea aſſignatur potentia aliqua communis omnibus ijs, ſed ſingulæ procedunt immediatè ab anima. Ergo ſimiliter non debet aſſignari aliquis communis ſenſus omnibus quinque exterioribus, ſed omnes illi poſſunt immediatè provenire ab anima. Hoc enim ſatis eſt vt quaſcumque vitæ functiones obeant: quoniam nihil poſſunt ab eo ſenſu communi accipere, quod ab anima ſufficienter non præſtetur. *RESP.* negando conſequentiam: quia in ſenſibus externis invenitur ratio ſpecialis, vt egeãt alio ſenſu communi & diſtincto: tum quia obiecta ſenſibilia deprehenduntur immutare intentionaliter non modo externos ſenſus, ſed etiam, ijs mediantibus, internam vim cognoſcendi: tum quia hæc diſcernit inter actus ſenſuum externorum. Quæ rationes non militant in potentijs nutritivâ & augmentativâ. Neque præterea eæ functiones, quas aſcribimus ſenſui communi, poſſunt immediatè provenire ab anima, cùm non ſit immediatè operativa. Quare opus ipſi eſt virtute ſuperadditâ & diſtincta, quem ſenſum communem appellamus. Vt autem monet S. Thomas *1. p. q. 78. art. 4. ad 1.* & ex ipſo alij, *ſenſus interior non dicitur communis per prædicationem, ſicut genus: ſed ſicut communis radix, & principium exteriorum ſenſuum.* Et præterea Opuſc. 43. *Eſt ergo ſenſus communis, à quo omnes ſenſus proprij derivantur, & ad quem omnis impreſſio eorum renuntiatur, & in quo omnes coniunguntur.*

6 *ROGABIS*, An ſicut ſenſus externi & particulares dependent ab interno & communi, ita & hic ab ijs in aliquo genere dependeat? *RESP.* Affirmativè: quia ſenſus communis ſecundùm naturæ ordinem nihil poteſt ſentire, niſi præceſſerit operatio exterioris ſenſus, à quâ pendet omnis interior vitæ operatio. Et quemadmodum natura ab imperfecto gradum ſibi facit ad perfectum; atque inter potentias vitales eſt quidam ordo prioris, & poſterioris; ita etiam operationes externorum ſenſuum primæ, atque omnium animalium imperfectiores ſunt, a quibus tamen naturaliter pendent intermediæ ſenſus communis, ſicut & ab his ſummæ ad intellectum ſpectantes pro hoc ſtatu. Nihil enim eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.

(·.·)
()

SE-

SECTIO SECVNDA.

An Sensus communis sit eadem potentia realiter cum Imaginativa, Æstimativa, & Memorativa? Relatis aliorum sententijs, præfertur opinio S. Thomæ eas quatuor reipsa distinguens.

7 HIS Constitutis ex communi ferè sententiâ, dubitatur, an præter sensum communem sint in animalibus sensus alij interni realiter ab eo distincti; nimirū, imaginativa, phantasia, æstimativa, & memoria; an verò hæc omnia idem sint, solis nominibus, aut muneribus distincta. Circa quod sunt variæ ac dissidentes Philosophorum sententiæ. Prima docet, vnicum realiter esse sensum internum in animalibus, qui solâ munerum distinctione præstet ea omnia, quæ prædictis sensibus sub varia nominum appellatione tribuuntur. Ita Alensis 2. *p. q.* 7. *n.* 2. Philoponus, & Themistius, quos allegat & sequitur Aversa *q.* 55. *sect.* 3. Suarez 3. *de Animâ c.* 30. Dandmus *lib.* 3. *digress.* 15. Hurtado *disp.* 17. *sect.* 7. & 8. Lucillus Philalthæus *lib.* 3. *de Animâ textu* 10. Guevara *lib.* 1. *de Interiori Sensu tract.* 7. Oviedo, Tellez, & Sancta Crucis *in præsenti n.* 523. & plerique alij, atque vniversum ij omnes, qui *disp. præced.* aiebant, animam esse indistinctam realiter ab omnibus potentijs vitalibus. Eo namque ipso poterit per seipsam immediatè exhibere ea omnia, quæ sensibus internis tribuuntur, absque vlla eorum distinctione reali.

8 *SECVNDO* Alij, vt Fonseca 5. *Metaph. c.* 28. *q.* 7. *sect.* 3. & Conimbricenses *lib.* 2. *de Anima cap.* 3. *q.* 1. *art.* 3. arbitrantur, duos tantùm esse sensus internos: nimirum, communem nuper statutum, qui apprehendit iudicatque de omnibus sensibilibus externis; & præterea phantasiam, quæ deservit ad apprehendendas, retinendas, & comparandas, species sensatas atque insensatas. *Tertiò* quidam apud Conimbricenses vbi nuper *art.* 1. & Bañez 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *dub.* aiunt tres solùm esse sensus internos: scilicet, phantasiam realiter indistinctam à sensu communi, ac præterea iudicativam, & memoriam, iuxta quosdam illorum: iuxta alios verò, æstimativam indistinctam à phantasiâ, seu imaginativâ, & præterea sensum communem, ac memoriâ. *Quartò* Avicenna apud D. Thomam loco nuper indicato, docet esse quinque sensus interiores: scilicet, sensum communem, imaginativam, phantasiam, componentem simul ac dividentem, æstimativam, & memoriam. Ita etiam Albertus Magnus 2. *de Animâ tract.* 4. *c.* 7.

9 *QVINTO*, & vltimò S. Thomas, loco nuper indicato, assignat quatuor sensus internos, dum sine corporis inquit: *Non est necesse ponere, nisi quatuor vires interiores sensitivæ partis: scilicet, sensum communem, & imaginationem, æstimativam, & memoriam.* Itaque iuxta ipsum duæ ex prædictis potentijs deserviunt pro speciebus sensatis, & aliæ duæ pro insensatis: quoniam diversitas cognoscendi sensata & insensata sufficit ad fundandas diversas potentias; siquidem maior abstractio exigitur ad cognoscendum insensata, quàm sensata. Præterea in quolibet ordine ex his duobus debet assignari duplex potentia, altera bene apprehensiva, altera bene retentiva, quamvis etiam cognoscitiva sit: quemadmodum in potentijs alijs materialibus exigitur temperamentum diversum ad apprehendendum, quàm ad retinendum: quoniam humidiora facilius recipiunt, & sicciora magis retinent. Itaque, iuxta hanc sententiam, pro speciebus sensatis deserviunt, sensus communis ad apprehendendum in præsentiâ obiectorum; imaginativa autem, ad conservandum eas species, & cognoscendum in absentia. Cæterùm pro speciebus insensatis deserviunt; æstimativa quidem ad apprehendendum insensata, vt amicitiam & inimicitiam præsente obiecto; memoria autem ad conservandum eas species, & cognoscendum in absentiâ obiecti. Cæterùm cogitativa, & reminiscentia nō constituunt diversas potentias: sed spectant ad æstimativam & memoriam, prout ex coniunctione & subordinatione ad intellectum habent adiunctam perfectionem discursus. Ita etiam *q. de Animâ art.* 13. Ac præterea in librum Arist. de Memoria & Reminisc. *cap.* 1. vbi innuitur, phantasiâ, & memoriam esse eandem potentiam cum sensu communi, exponit S. Doctor *lect.* 2. per hoc, vt sensus communis sit radix phantasiæ, quæ præsupponit actum sensus communis; ac proinde imaginatio tribuatur realiter eidem sensui. Verum adest, esse potentias reipsa distinctas, quia

al-

altera recipit ſpecies, altera conſervat: nimirum, receptio ſpecierum ſpectat ad ſenſum communem; conſervatio autem ad phanthaſiam, ſeu imaginativam. Similiter quoque ad aliud principium ſpectat recipere formam, & conſervare receptam per ſenſum, & intentionem aliquam per ſenſum non apprehenſam, quam æſtimativa vis percipit, etiam in alijs animalibus ab homine. Vis autem memorativa retinet prædictas ſpecies: eiuſque vis potiſſima eſt in memorandis rebus, non abſolutè, ſed prout de præterito fuerant apprehenſæ.

10 *RATIO* Huius ſententiæ, quam veriorem exiſtimo, & communiter Thomiſtæ, alijque plures amplectuntur, deſumitur ex eodē S. Doctore, & hoc ferè modo inſtitui poteſt. Quoties datur diverſa ratio formalis ex parte obiecti, & diſtinctū organum ex parte materiæ, debent realiter diſtingui potentiæ ſenſitivæ materiales. Atqui inter ſenſum communem, imaginativam, æſtimativam, & memorativam, datur diverſa ratio formalis ex parte obiecti, & diſtinctum organum ex parte materiæ. Ergo prædictæ quatuor potentiæ ſenſitivæ & materiales ſunt realiter diſtinctæ. Maior cum conſequentia patet. Minor autem ſuadetur quò ad priorē partem: quia ex quatuor prædictis potentijs, duæ reſpiciunt obiecta propria ſub abſtractione maiori à materia: nimirum, quæ tendunt ad cognoſcendum inſenſata, vt æſtimativa & memoria: duæ autem aliæ ſub minori abſtractione, vtpote ſolùm tēdentes ad obiecta ſenſata. Quemadmodū verò hæc diverſitas formalis ex parte obiecti inducit diverſitatem eſſentialem in actus cognitionis, ita & in potentias, quæ ſunt principia immediata eorundem actuum. Præterea ex ſingulis duabus quælibet comparata cum ſua conſorte reſpicit diverſam rationem formalem ex parte obiecti: altera enim tendit in illud, quatenus apprehendendum, altera quatenus retinendum: quæ ſunt duæ rationes formales diverſæ: vt patet ex ipſis notionibus apprehendendi & retinendi, ac præterea à pari potentiarum inferiorum & purè materialium; quarum altera ratione prædominantis humiditatis recipit, ſed malè retinet: altera è converſo, ratione excellentis ſiccitatis malè recipit, ſed bene retinet. Datur ergo in quatuor prædictis potētijs diverſa ratio formalis ex parte obiecti.

11 *CONFIRM.* Eadem præcipuæ minoris probatio quò ad priorem partem: Quoniam ſpecies intentioneſque ſenſatæ ſunt abſtractiores, quàm ſenſatæ. Non enim ſolùm repræſentant rem prout convenientem aut diſconvenientem ſenſui, à quo obiectum percipitur: nec ſe habent ſicut aliquæ ſpecies quorundam colorum contriſtantium viſum, aliquæ verò exhilarantium: nec inſtar ſaporum, quorū aliqui guſtui moleſtiam, alij delectationē inferunt: ſed præterea rem ipſam repræſentant veluti convenientem aut diſconvenientem ipſi naturæ, eiuſque conſervationi, aut propagationi. Ovis enim & gallina, non modo percipiunt in lupo & milvo colorem figuramve ingratam oculis, ſed etiam inimicitiam ſuæ naturæ & propagationi adverſam: ideoque ab ijs fugiūt & agnos ac pullos ſuos abſcondunt. Ideo etiam aves quælibet tam impenſo ſtudio conſtruunt ſibi nidum ex paleis, ac luto, quoniam licèt in eis non percipiant aliquid delectabile viſui, aut guſtui, apprehēdunt tamen aliquid ſuæ naturæ & propagationi conveniens. Ergo pro huiuſmodi ſpeciebus & intentionibus inſenſatis debet aſſignari aliqua potentia perfectior ac ſublimior ijs duabus, quæ per ſpecies ſenſatas iudicant ſolùm de conveniētia aut diſcōvenientia particulari ſenſuū externorū.

12 *POSTERIOR* Minoris præcipuæ pars, nimirum dari diverſum organū, ſeu ſaltem diverſam organorum diſpoſitionem pro ijs potentijs, patet ex diverſa diſpoſitione, quæ exigitur in organo ad recipiendum, quàm ad retinendum. Quæ enim ſunt humidę diſpoſitionis in præcellenti gradu, facilè recipiunt, non tamen retinent, niſi difficulter: quia quod ijs impreſſum fuit, facilè diſſipatur humiditate ac mollitie ſua. Ea verò, in quibus ſiccitas prævalet, difficulter quidem recipiunt: ac quod ſemel acceperunt, tenaciter conſervant. Quæ denique tum de humiditate, tū de ſiccitate participant, iuxta exceſſum alterutrius qualitatis, aut faciliùs recipiūt, aut faciliùs retinent. Ergo potentiæ illæ, quæ per ſe ordinantur ad conſervandum & retinendum, exigunt in organo ſuo ſiccius temperamentum: quæ verò præcipuè ad recipiendum & apprehendendum ſua natura tendunt, humidius temperamentum in organo expoſcunt. Atqui ex quatuor prædictis potentijs ſenſus cōmunis & æſtimativa per ſe tendunt ad recipiendū;

imaginativa autem & memorativa ad conservandum & retinēdum. Ergo ex naturâ suâ exigunt diversam organi dispositionem. Cumque aliàs tendant in obiectū formale diversum, nihil deesse putandum est, vt reipsa atque invicem distinguātur.

13 *NON* Tamen censendum est cogitativam & reminiscentiam distingui ab æstimativa & memorativa: quia rationes prædictæ non militant in ijs, vt pariter distinguantur. Quare cogitativa nihil aliud est, quam æstimativa communis animalibus, prout in homine; sive prout ex coniunctione ad intellectum habet discurrere circa singularia, vnumque ex alio inferre, quod tamen in brutis non habet. Ex ratione autem intrinseca & communi solùm habet cognoscere obiecta materialia insensata, & inter ea discernere, prout sunt conuenientia aut disconuenientia naturę, & abstrahendo ab eo quòd id fiat per merum naturæ instinctum, vel qualemcumq; discursum. Sic certè & appetitus sensitivus in homine participat nonnihil de libertate, quod non participat in bruto: & tamen in vtroque eiusdē intrinsecæ rationis est. Similiter de reminiscentia dicendum, solùm addere in homine maiorem perfectionem ex consortio ad memoriam intellectualem: reipsa autem & intrinsecâ specie non differre a memorativa brutorum, in ijsque exigere, sicut in hominibus, siccitatem organi ad retinendum.

SECTIO TERTIA.

Difficultates nonnullæ contra præcedentem doctrinam propositæ ac solutæ, præsertim circa humiditatem aut siccitatem exactam in organo Memorativæ ad apprehendendum & retinendum. Exempla selecta in quibusdam hominibus admirandæ memoriæ, tum in apprehendendo, tum in retinendo.

14 CONTRA Doctrinam superiori sectione traditam oppones nonnulla pro alijs opinionibus ibidem relatis. *Primum* est, frustra, & sine causa, assignari a nobis discrimen reale sensuum internorum ratione diversi organi ad recipiendas species, tum sensatas, tum & insensatas: Quia species non recipiuntur in organo, sed in ipsa potentia, vel in spiritibus animalibus, qui siccī non sunt. Ipsa autem potentia ex se habet quod sit magis vel minùs retentiva aut apprehensiva specierum. *Secundum*. Neque id probari à paritate naturalium formarum, quæ facilè recipiuntur in humido, & retinentur in ficco, non autem è conuerso. Nam in oppositum est, quòd receptio specierum sensibilium in potentia non est physica, vt aliarum formarum; sed intentionalis: in quâ proinde frustra exiguntur eædē conditiones vt recipiatur & retineatur, ac in forma physica. *Tertium*. Adhuc in receptione formarum physicarum non repugnat aliquid esse æquè bene dispositum, seu temperatum, ad recipiendum & retinendum: vt patet in plumbo & cera, quæ sicut facilè recipiūt imaginem sibi impressam, ita & retinent. Ergo & eadem potentia sufficiet ad rectè recipiendum simulque retinendum formas intentionales & sensibiles obiectorum.

15 *CONFIRM*. Omnia hæc selectis narrationibus hominum admirandæ memoriæ simul in apprehendendo & retinendo: in quibus proinde nullus esse videtur locus ad asserendum fuisse simul excellentem humiditatem & siccitatem, quoniam ambæ qualitates sunt contrariæ, ideoque repugnant invicem in eodem subiecto. *Prima* sit in Alphonso Tostato Hispaniarum Salomone, de quo legitur apud Ægidium Gonzalez in Theatro Ecclesiæ Abulēsis, & in Historia illustrissimi ac Maioris Collegij S. Bartholomæi *pag.* 89. lectis Bononiæ vnica vice libris Moralium S. Gregorij, illos ad literam didicisse, & postea exscripsisse sibi, ne vnico verbo quidem variato. Rayerus quoque Bobadius, Clericus Regularis, testatur, omnes libros, quos semel Tostato legisse contigit, potuisse postea memoriter ab eo repeti. Quo quid maius in argumentum admirandæ memoriæ, apprehensivæ simul & retentivæ? De Paulo IV. Pontifice Maximo fertur, Scholæ Salernitanæ librum, & Galeni Opera ac totam S. Scripturam ad verbum didicisse. Cum esset octogenarius integras è Tullio, Virgilio, alijsq; paginas inoffensè recitabat. Multi hodie extant in hac Salmanticensi Academia, qui noverunt ac sæpe è suggesto legentem concionantemve audierunt Illustriss. Magistrum Nostrum Fr. Iosephū de la Zerda, Primariæ Theologiæ cathedræ Moderatorem, ac Pacensem Episcopum: qui vique ad stuporem præcelluit in memoriæ facilitate, simul & tenacitate. Quidquid enim coram

eo legeretur, quamvis multum, ſtatim recitabat, tum recto, tum & inverſo ordine, idque fixum retinebat in poſterum. Quare Theologicam Summam D. Thomæ, quatuor voluminibus cõprehenſam adeò firmiter memoriæ cõmendavit, cùm adhuc eſſet auditor Theologiæ in hoc S. VINCENTII Collegio ſimul cum Illuſtriſs. Magiſtro Fr. Didaco de Silva, nunc Epiſcopo Accitano, huius rei oculato teſte, vt quacumque parte interrogaretur, quocumque articulo, ſive in corpore, ſive in argumentis, aut ſolutione illorum, ſtatim fideliter totam litteram proferret. Et quidem cum ingenio tam præcellenti ac ſublimi, tam admirandam coiunxiſſe memoriam, pauciſsimorum fuit. Hodie ſuperſtes eſt (ſuperſitque in ævum) Excellentiſsimus ac litteratiſsimus Princeps D. Didacus Sarmiento Valladares, Inquiſitor Generalis, Gubernatorque Senatus Hiſpaniarum, olim Summi Caſtellæ Senatus Præſes: qui, cùm Togatus quondam eſſet in Maiori S. CRVCIS Collegio apud Valliſoletum, facilè didicit & fideliter retinuit, totum Ius Pontificium, quàm longè ac latè patet, ingentem quoque partem Iuris Cæſarei, & omnes privatas Hiſpaniæ leges. Neque hoc tantum, ſed & opinionis ſuæ periculum fecit in Valliſoletanâ Academia coram Viris doctiſsimis, propugnans, quamvis prototypi & exemplaria quæque prædictorũ omnium perirent, aut flammis abſumerentur, à ſe memoriter reſtituenda iri. Expectationi publicæ reſpondit eventus rei: & ſapientiſsimus Vir circa plures textus abſtruſos, aut fictos interrogatus, difficillimis etiam obiectionibus circa vnumquemque eorum impetitus; omnibus mira claritate, atque ingenij ſubtilitate, fecit ſatis. Mitto pleraque alia huius generis, quæ referunt Seneca *l.* 1 *Declam.* Gellius *lib.* 17. *Noctium Attic.* Spõdanus anno Chriſti 731. Roſveidus *in Vitis Patrum pag.* 716. Muretꝰ *lib.* 2 *Var. Lect.* 1. Iovius *lib.* 37. *Hiſtor.* Hieremias Drexellius *tom.* 4 *part.* 1. *Aurifodinæ c.* 2. Theodorus Zuingerus *tom.* 1. *lib.* 1. *pag.* 35. Famianus Strada *in Proluſ.* Mitto, inquam, ea, vel quia pleraque antiqua, & quibuslibet obvia ſunt: vel quia ex ijs non conſtat ſatis, vtrùm in eiſdem hominibus acciderit ſimul admiranda vis percipiendi & retinendi. Melius advocari poſſunt, ſi authentico teſtimonio roborata exhiberet, quæ nuper teſtatus eſt, Zacutus Medicus Luſitanus, profeſſione Iudæus, in remedijs memoriæ. Aſſerit enim plures hominum medijs aſe præteriptis viſos, comparaſſe ſibi ſtupendam facilitatem ac tenacitatem eorum omnium, quæ ſemel legèrunt.

17 *RESP.* Rem certam videri, & Philoſophis exploratam, vt ſpecies rerum plurium diverſarumq; facilè apprehendãtur, convenientẽ eſſe cerebri humiditatẽ; vt autem retineantur, ſiccitatem. Quod S. Thom. iam allegatus ſæpe docet ex Ariſt. apud quem variis locis idipſum traditur, præſertim *lib. de Memor. & Remin. columna* 2. illis verbis: *Qui animi celeritate præſtant, & qui tardo ingenio ſunt fluxam æquè obtinent memoriam. Illi enim magis hument, quã res ferat: hi magis ſicci ſunt: vnde alteris imagines in animâ non aſſervantur, alteris non adhærent.* Et experimento quidem idipſum patet, eos qui feliciter plura apprehendũt, excellere in humiditate; in ſiccitate autem, quibus memoria retentrix eſt. Patet præterea in rebus inanimatis, ſi valde humidæ ſint, facilè imprimi aliorum formas ſive imagines, vt in cera & luto; difficilè autem ſi ſiccæ ſint, vt in ferro & lapide. Ex prædictis verò rebus, quæ facilè formas recipiunt non ſunt tenaces in ijs conſervandis: è converſo autem aliæ. His preſuppoſitis,

18 *AD I.* Negato aſſumpto, dicẽdum, ſpecies ſenſibiles rerum memorabilium non recipi quidem in organo, neque in eius temperamento, aut diſpoſitione, ſed tantùm in ſpiritibus animalibus, tanquam in vehiculo; & in potentia, velut in ſubiecto. Cùm enim ſpiritibus ipſi valde irrequieti ſint, ſeu facilè mobiles, aptiſsimi ſunt ad deferendum ſpecies ab vna potentia in aliam: ſicut obiecta externa medio aère deferunt ſpecies ſui ad ſenſus externos. Ipſa autem potentia, in quà deponuntur ſpecies, non aliter recipit illas, quàm iuxta capacitatem ac diſpoſitionem organi. Ideoque homines ſiccioris complexionis, licèt tardiùs apprehendant, diutiùs retinent: qui autem humidioris temperamẽti ſunt, facilius capiunt, ſed citiùs obliviſcuntur.

19 *AD II.* Licèt ſpecies deductæ in vſum, exercitiumque vitale potentiæ, informent illam intentionaliter, præſuppoſitivè tamen actuant illam naturaliter inhærendo, inſtar aliorum accidentium. Vt verò hanc inhærentiam habeant in potentia ipſa, pendeat à diſpoſitione &

complexione organi: sicut species visibiles obiectorum, vt recipiantur in aëre, pendent à luce diaphani; species soni a motu, seu collisione corporum solidorũ; species odoris, vel tactus, ab alteratione. Nihil itaque mirum quòd species rerum memorabilium prærequirant debitam aliquam dispositionem in subiecto, quam dicimus esse humiditatem prædominantem vt facilè apprehendantur, siccitatem verò vt firmiter retineantur.

20 *AD III.* Plumbum longè facilius retinet, quam recipiat, imaginem sibi impressam, quia in eo prævalet siccitas & durities humiditati & mollitiei: similiterq́; cera, vbi indurata est. Vbi autẽ liquefacta redditur, facilius recipit, & non bene retinet. Nunquam itaque affertur instantia in qua aliquid æquè bene & facilè recipiat, ac retineat. Quare nec colligitur, eundem sensum internum sufficere ad facilè recipiendum & firmiter retinendum species sensibiles: sed potius evincitur, vtrumque munus ad diversas potentias spectare.

21 *AD Confirm.* Non facilè, sed rarò inveniuntur, qui eà insigni felicitate in apprehendendo simul ac retinendo species, præditi sit. Quotquot autem tam singulare beneficium à Deo, & iuxta ordinem naturæ, assecuti sunt; duabus potentijs sunt præditi, æquè bene dispositа vna per humiditatem ad facilè recipiendum, ac alterà per siccitatem ad tenaciter conservandum. Itaque fateri necesse est eos in paucis felices viros quantùm ad sensum communem & æstimativam (quæ sunt duæ potentiæ institutæ ad recipiendum species) constare præcellenti humiditate, vt dispositione necessaria ex parte organi ad eam facilem receptionem: quantum verò ad phantasiam & memorativam (quæ sunt potentiæ institutæ ad rètinendum species) præsupponere siccitatẽ prædominantem, vt dispositionem necessariam in organo vtriusque ad firmam retentionem. Neque absurdum est in eodem subiecto prædominari simul siccitatem & humiditatem in præcellenti gradu, dum tamẽ id sit secundùm aliam & aliam partem, seu diversa organa, vt in ijs casibus. Et quia historicis narrationibus impetimur, historijs quoque hanc ipsam doctrinam confirmemus. Henricus Spondanus *tom. 1. Continuat.* ad annum Christi 1352. testatur de Clemente VI. Pontifice, alias Petro Rogerio, Benedictino Monacho, tam miræ ac tenacis memoriæ fuisse, vt quidquid semel legisset, oblivisci non posset, nec si vellet. Memoriam verò adeò admirandam ei contigisse ex ingẽti quodam capitis ictu, quem a prædonibus passus est, & cuius cicatricem in cerebro per reliquum vitæ tempus retinuit. Plura alia circa id scitu iucunda addit, quæ non sunt huius loci. Ex eventu autem ipso colligitur, Clementem ante illud vulnus longè minori memoria sensitiva præditum fuisse propter siccitatem minorem, & maiorem humiditatem correspondentem organo illius, ex fluxu aliarum partium vicinarum: qui quidem fluxus eo capitis vulnere aliorsum divertent, & organum memoriæ in eà siccitatis mensurà reliquerit, quæ conveniat & sufficiat ad species semel receptas, immobiliter cõservandas.

22 *PLVRIMÆ* Verò aliæ causæ, præter defectum siccitatis in organo exactæ, esse possunt, ad non retinendas species sensibiles in memorativa: vt morbi aliquot, casus, vulnera lædentia temperamentum memoriæ, venenum, ac venium. De hoc videsis Tostati Indicem littera I. pag. 197. col. 3. vbi hæc habentur: *Ioannes Ægidius Zamorensis, Ordinis Minorum, homo valde doctus, qui pleraque volumina, tam historialium, quàm sapientialium edidit, ad tantam pervenit senectutem, vt iam nec litteras nosceret, nec sciret esse, qui priùs libros edidisset.* Plura alia capita assignat Zuingerus allegatus, quæ possint parere eiusmodi oblivionem & inconsiderantiam, sive, vt proprius ac Græcè exprimamus, μετεωρίαν ἢ ἀβλεψίαν. Et certè miraculum naturæ est, non modo quod quis subitò apprehendat, sed quod vel difficulter retineat, non dicam integros libros, sed vnius horæ Panegyricum, Prælectionem vè, eamque ordinatè è cerebro depromat. Quòd in cerebro hominis, aut iuxta ipsum, tot cellulæ sint, aut vna tam ampla, vt innumerabilibus speciebus rerum & verborum sufficientem præstet habitationem; & ita dispositа, vt suo ordine vna post aliam succedat. Certè hoc vnum censeo ex ijs miraculis, quæ, iuxta Augustinum, sola assiduitate viluerunt, non quia magna non sint, sed quia quotidiana sunt.

23 *SED* Audire par est S. Doctorem, quamvis felicissimæ memoriæ virum, *lib. 10. Confess. cap. 11.* ita loquentem:

Quàm

Quàm multa huiuſmodi geſtat memoria mea quæ iam inventa ſunt, & ſicut dixi, quaſi ad manum poſita quæ didiciſſe, & noſſe dicimus! Quæ ſi modeſtis temporum intervallis recolere deſiero, ita rurſus demerguntur, & quaſi in remotiora penetralia dilabuntur, vt denuo velut nova excogitanda ſint in idem iterum. Quare non eſt quòd miremur, ſi cubi forte vidimus aut videbimus quoſdam in publicis declamationibus cæſpitantes, aut deliquium memoriæ ſubeuntes; quod ex innumeris ferè cauſis oriri poteſt. Mirandum potiùs eſt, id quotidie non accidere. Quiſquis ſeriò introſpexerit illud quaſi horologium memoriæ, tot rotulis & particulis minutiſſimis diſpoſitum, ac ſeriem tot ſpecierum ordinatarum, miraculo naturæ adſcribet quod illæ omnes ſucceſſivè & concinnè deſerviant integro vnius horæ ſpatio, aut etiam maiori tot vocibus proferendis.

SECTIO QVARTA.

Enucleatur ratio Phantaſiæ, ſeu Imaginativæ tum generatim, tum & ſpeciatim dictæ. Oſtenditur ſub hac conſideratione non ſolùm eſſe retentivam ſpecierum, ſed etiam cognoſcitivam: diſtinctam verò, & diverſos actus habentem à Senſu communi, & Memorativa, & æſtimativa.

24 SI Loquamur de phantaſiâ ſeu imaginativâ communiter in ratione operationis, definitur ab Ariſt. in præſenti *lib. 3. c. 3. textu* 161. illis verbis: *Ἡ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης. Imaginatio motus is eſt profectò, qui fit à ſenſu iam operante.* Sive, vt alij vertunt, *motus factus à ſenſu ſecundùm actum.* Quare in ratione potentiæ definiri poterit conformiter ad mentem Ariſtotelis, *potentia quæ movetur à ſenſu iam operante.* Verùm neutra definitio eſt ſtricta & in ſenſu formali, ſed cauſali tantùm: ſicuti quando ſonus definitur per hoc vt ſit *motus factus ab aëre*, & ira *accenſio ſanguinis circa cor*, quia exinde oriuntur.

25 *PORRO* Phantaſia dupliciter accipitur. Primò generatim pro omni potentia interiori, habente vim formandi obiectum ſuum, & faciendi vt appareat: in quo differt à ſenſu communi interno & quinque externis, quæ non faciunt apparere obiecta ſua, ſed dumtaxat cognoſcunt illa, à quibus immutantur intentionaliter. Quare omnis potentia interior, præter ſenſum communem, ſignificari ſolet nomine *phantaſiæ*. Vt enim notat D. Thom. *lect. 6.* in locum Ariſtot. præallegatum, *phos* Græcè idem ſignificat, quod lux. Inde derivatur *phanos*, id eſt, illuminatio, ſeu apparitio; & tandem *phantaſia*, quæ eſt ſenſus cognoſcens & formatus ſecundùm apparitiones: quoniam neceſſariò præſupponit obiecta apparuiſſe in ſenſu, vt exinde formetur illa apparitio. Significari etiã ſolet eo ipſo nomine *phantaſiæ* imago ipſa, ſpecies, repræſentatio, & intuitus rerũ animo inſidentium. Vnde in Philone *lib. de Mundi Opificio* legitur, *τραχωτέρας λαβεῖν φαντασίας, mente ſpecies clariores concipere.* Et apud Polybium, *τὸ παράδοξον ἐκπλαγέντες τ' ἐπὶ ζώων φαντασίας: admirabili ſpecie & intuitu animalium perterrefacti.* Et tandem apud Ariſtotelem ipſum *in Meteor.* habetur: *φαντασίαν ἐμφαίνειν μήκους: longitudinis ſpeciem præbere.* Vnde & verbum *φαντάζομαι, imaginor*, quod paſsivè ſumptum ſignificat apparere.

Ideo autem excipitur ſenſus communis, tum à definitione præiacta, tum & à ratione phantaſiæ, cõmuniter dictæ, quia ſenſus communis immutatur ab obiectis ſenſibilibus proprijs media operatione exteriorum ſenſuum, quæ in illo conſummatur. Reliquæ autem potentiæ interiores, non operantur immediatè ex immutatione facta ab ipſis obiectis, ſed quatenꝰ iam cognitis & iudicatis per ſenſum communem. Quare duo diverſa genera cognoſcendi ſunt ſentire, & phantaſiari: quorum priùs conſiſtit in motu facto à ſenſibili ſecundùm ſe: poſterius verò in motu facto à ſenſibili quatenus iam percepto, ſeu cognito per ſenſum communem.

26 *SECVNDO*, Et preſsiùs, accipitur phantaſia pro potentiâ imaginativa, quatenus diſtincta, non ſolùm à ſenſu communi (hoc enim iam habet ex cõmuni phantaſiæ notione) ſed etiam ab æſtimativa, & memorativa. At propter penuriã vocum nullum aliud nomẽ proprium habet, nec Græcè, niſi *phantaſia*, nec Latinè, niſi *imaginativa*. Cõgruit tamẽ ipſi ſpeciatim hæc appellatio, licèt alioqui cõmunis: quia ad imaginativam præ alijs ſenſibus internis ſpectat apparitio & formatio imaginum; ſicut ad æſtimativam cognoſcere habitudines ſenſibilium obiectorum,

& inter earum convenientiam aut diſconvenientiam iudicare ac diſcernere in ordine ad bonum naturæ: ad memorativam autem retinere ſpecies eorundem obiectorum in ordine ad actum recordationis. Quamvis vero ex dictis *ſect.* 2. conſtet hanc ſpecialem potentiam, quam *imaginativam*, ſeu *phantaſiam* appellamus, eſſe diſtinctam realiter, non ſolùm à ſenſu communi, ſed etiam ab æſtimativa, & memoria, adhuc ſuperſunt plura circa eius naturam examinanda, ex quibus vberiùs confirmetur elucideturque eadem doctrina.

27 *IGITVR* De hac ſpeciali potentia, quam *phantaſiam* dicimus, aſſerendum videtur primò, non ſolùm eſſe retentivam ſpecierum, ſed etiam cognoſcitivã. Ita S. Thomas expreſsè 2. *contra Gent. c.* 74 contra Avicennam ab ipſo relatum, qui docuit phantaſiam, quæ retinet ſpecies ſenſatas, & memoriam, quæ conſervat inſenſatas, non eſſe apprehenſivas, ſeu cognoſcitivas. Eandem doctrinam repetit *q. de Anima art.* 13. & 1. *p. q.* 8. *art.* 4. & 1. 2. *q.* 15 *art.* 1. dum inquit: *Imaginativa eſt apprehenſiva rerum corporalium, etiam ipſis abſentibus.* Præterea & 1. *p. q* 81. *art.* 3. *ad* 2. aſſerit, appetitum moveri, non ſolùm ab æſtimativa, ſed etiam ab imaginativa. Manifeſtum eſt autem appetitum non moveri niſi à potentia cognoſcente, ſicut nec voluntatem, niſi ab intellectu. Ergo imaginativa, ſeu phantaſia, eſt potentia cognoſcitiva.

28 *RATIO* Eruitur ex ipſa neceſſitate naturæ ſenſitivæ, quæ exigit aliquã potentiam per ſe inſtitutam ad apprehendendum & quærendum in abſentia res ſenſatas, & non ſolùm in præſentia, ſicut cognoſcuntur à ſenſu. Cùm ergo natura non deficiat in neceſſarijs, putandum eſt, exiſtere eiuſmodi potentiam, quæ retineat conſervetque ſpecies rerum ſenſatarum in abſentia, & ſimiliter potentiam quæ cognoſcat res in abſentia, ideoque formare poſsit idola, ſeu ſpecies expreſſas earundem. Hæc autem potentia non eſt ſenſus communis: quia hic tãtùm cognoſcit & iudicat in præſentia obiectorum apprehenſorum ſenſibus internis, quorum apprehenſiones conſummat. Et præterea, cùm actus phantaſiandi, ſeu imaginandi, ſit motus factus à ſenſu communi, debet diſtingui potentia imaginativa realiter ab illo, ſicut mobile à movente. Nec præterea eiuſmodi potentia eſt idem realiter cum æſtimativa: quia hæc longè ſuperiori modo cognoſcit, quàm imaginativa: quia, ſcilicet, cognoſcit & diſcernit res inſenſatas, vt infra amplius conſtabit. Nec præterea locus eſt vt ſit eadem potentia cum memorativa: quia hæc exigit diverſum temperamentum & organum, vt retineat ſpecies, & tendit ad obiectum quatenus præteritum, quod tamen conſtat non poſſe imaginativæ convenire. Reſtat igitur vt hæc quatenus potentia à tribus alijs diſtincta, ſit propriè ſui obiecti cognoſcitiva.

29 Neque occurres ſufficienter ſi dicas, eundem ſenſum communem indiviſim extendi ad cognoſcendas res ſenſatas in præſentia, & abſentia: atque adeò opus non eſſe, vt imaginativa, quatenus diſtincta ab eo, cognoſcat; ſed ſufficere quod conſervet ſpecies eorundem obiectorum. In oppoſitum enim eſt, duos cognoſcendi modos vſque adeo diverſos circa obiecta ſenſata in præſentia & abſentia, non poſſe cadere intra ſphæram vnius ſenſus adeò materialis & imperfecti. Præterea & inconveniens apparet, eandem potentiam, quæ retinet apud ſe ſpecies ſenſatas, non cognoſcere illas: ſicuti inconveniens eſſet quod potentia, quæ retinet ſpecies inſenſatas, qualis eſt memorativa, non haberet vim cognoſcendi, & ex ijs formandi ſibi ſpeciem expreſſam. Igitur fateri oportet, imaginativam, prout diſtinctam ab alijs omnibus ſenſibus internis, ſicut habet vim conſervandi ſpecies, ita & præditam eſſe virtute rerum ſenſatarum cognoſcitiva.

30 *DICENDVM* Præterea, actum ipſum phantaſiandi, ſeu imaginandi, propriè ſumptum, differre ſpecie, ab actibus proprijs ſenſus communis & memorativæ: ſicut ipſa phantaſia, ſeu imaginativa, eſt potentia ſpecie diverſa a ſenſu communi & memorativa. Ita colligitur ex D. Thoma 1. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 2. vbi inquit: *Præteritum & præſens poſſunt eſſe differentiæ potentiarum ſenſitivarum ſecundum differentiam obiectorum, non autem potentiarum intellectivarum.* At differentia cognitionis inter ſenſum communem & memorativam eſt penes obiectum præſens & præteritum, vt patet ex dictis, ac ratione propria vniuſcuiuſque. Ergo eſt differentia potentiarum ſecundum differentiam obiectorum, ac proinde ſpecifica,

tam

tam in ipſis potentijs, quàm in actibus earundem. Eadem vero ratio, quæ eſt inter præteritum & præſens, eſt etiam inter præſens & abſens, vt ex ſe conſtat. Ergo cùm memorativa verſetur circa præteritum, ſenſus communis circa præſens, & imaginativa circa abſens, tam hæc, quam actus cognitionis ipſius, differunt ſpecie a memorativa, & ſenſu communi, atque ſimiliter ab actibus vtriuſque. Vbi & ſubtiliter, atque vno pene verbo, Doctor Angelicus aſsignavit diſcrimen potentiarum ſenſitivarũ ab intellectivis: quod ad differentiam ſpecificam priorum, quoniam materiales & valde limitatæ ſunt, ſufficiat diverſitas obiectorum penes præteritum & præſens; non autem ad ſpecificam differentiam potentiarum intellectivarum, quoniã hæ ſunt ſpirituales, & proinde longè maioris amplitudinis. Vnde & obiter redditur ratio cur intellectus non diſtinguatur realiter à memoriâ intellectivâ, vt ſtatuimus *diſp. præced. num.* 20. & tamen memorativa ſit reipſa ac ſpecie diſtincta à cæteris ſenſibus internis cognoſcitivis. Nimirum, intellectus, cùm ſit potentia ſpiritualis & nobiliſsima, quæ proinde extenditur ad omne ens, poteſt etiam ſe extendere ad omnes differentias præteriti, præſentis, & abſentis; ideoque ſeipſo ſubire munus memoriæ. In potentijs autem ſenſitivis, ratione materialitatis & imperfectionis ſuæ, vrget ratio oppoſita vt reſtringantur, dividantque inter ſe ſpecificè tendentiam in obiectum ſenſibile, præteritum, præſens, & abſens.

31 *DEINDE* Probatur quò ad actus imaginandi & ſentiendi, ratione alia, quà & evertitur præcipuum fundamentum Magiſtri Bañez 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *dub.* 1. *concluſ.* 4. aſſerentis, actum imaginandi proprium eſſe ſpecie indiſtinctum ab actu ſenſus communis, quia ſpecies vtrique deſervientes ſunt eædem; vtpotè apprehenſæ à ſenſu communi, & conſervatæ ab imaginativâ. In oppoſitum enim eſt, quòd ſive vtraque potentia vtatur eiſdem ſpeciebus, ſive diverſis, adhuc imaginativa vtitur ijs longè altiori modo, & immaterialiori, quàm ſenſus communis. Nimirum, imaginativa medijs ijs reſpicit ſuum obiectum quatenus imaginabile, quod ſub eâ conſideratione importat conceptum vniverſaliorem & abſtractiorem, quàm ſenſibile præſens, quod eſt obiectum ſenſus communis. Cùm igitur potentiæ & ipſarum actus præcipui diſtinguantur ſpecie in ordine ad obiecta ſecundùm aliam atque aliam abſtractionem, conſequens eſt, vt imaginativa & ſenſus communis, atque vtriuſque præcipui actus, ſpecificè inter ſe diſtinguuntur.

32 *CONFIRM.* Quia licèt, vtraque potentia vtatur eiſdem ſpeciebus, adhuc locus eſt, vt ratione diverſi modi vtendi ijs, & in ordine ad obiectum ſecundùm & aliam & aliam abſtractionem, diſtinguantur ſpecificè, tum inter ſe, tum & in ordine ad proprios ipſarum actus. Cuius ratio à priori eſt, quia potentiæ cognoſcitivæ, & præcipui illarum actus, non deſumunt ſuam rationem eſſentialem à ſpecie impreſsâ, ſed ab obiecto repræſentato per ſpeciem, & induente propriam abſtractionem à materiâ. Quare tam fides Theologica & prophetia, quàm illarum actus, diſtinguuntur eſſentialiter, quoniam licèt vtantur eiſdem ſpeciebus naturalibus, diverſimodè illas ordinant, & relatè ad obiectum ſecundùm aliam & aliam abſtractionem. Similiter Philoſophia, Metaphyſica, & Mathematica, eiſdem ſpeciebus adquiſitis vtentes, adhuc diſtinguuntur ſpecificè inter ſe, tam quo ad habitum, quàm quò ad actus: quia, nimirum, obiecta ipſarum diverſimodè abſtrahunt à materia. Idem ergo dicendum de præcipuis actibus ſenſus communis, & imaginativæ, ſicuti & de vtraque potentiâ, dato quòd eiſdem ſpeciebus vtantur.

33 *OBIICIES* Subtiliter. Si ſemel ſenſus communis, & imaginativa, vtuntur eiuſdem ſpeciebus, hæ quamvis materiales ſint, habent repræſentare obiectum vtriuſque potentiæ, ſub alia & aliâ abſtractione propriâ vnicuique potentiæ. Ergo pariter eadem potentia, idemque ſpecie actus, quamvis materialis, habebit cognoſcere obiectũ ſenſibile & imaginabile, ſub aliâ & aliâ abſtractione. Ergo non eſt cur ſenſus communis & imaginativa diſtinguantur realiter & ſpecificè in ratione potentiæ, vel quò ad præcipuos actus. *Præterea.* Si ſemel ſunt eædem ſpecies ſenſus communis & imaginativæ, actus proprius & præcipuus vtriuſque tendet ad eundem terminum: ſiquidem præcipuus actus ſenſus communis eſt apprehendere ſpecies ſenſibilium obiectorũ, imaginativæ autem retinere eaſdem ſpecies. At actus apprehendendi, & actus reti-

tinendi eaſdem ſpecies, habet formaliter eundem terminum, & proinde debet eſſe eiuſdem ſpeciei. Ergo ſuppoſità identitate ſpecierum actus præcipui ſenſus communis & imaginativæ debent eſſe eiuſdem ſpeciei.

34 *RESP.* Ad I. Eandem quoque obiectionem, ſiquid vrget, probaturam, non eſſe habitus diſtinctos Philoſophiæ, Metaphyſicæ, ac Mathematicæ: quoniam ſpecies, quibus vtuntur, ſunt eædem; & quemadmodum hæ ſine diſtinctione ſpecificâ ſui repræſentant obiecta diverſa prædictarum ſcientiarum, ita & vnica atque eadem ſpecie ſcientia poſſet omnia illa obiecta reſpicere, tam quò ad habitū, quàm quo ad præcipuum actum. Conſequens autem abſurdum eſſe patet. Dicendum itaque, quemadmodum eædem ſpecies naturales deſerviunt, tum prædictis ſcientijs, tum & fidei ac prophetiæ, repræſentantque diverſa illarum obiecta, ratione diverſæ elevationis modalis in repræſentando, & eò maioris, quò obiectum abſtractius atque ſublimius eſt; ita etiam, dato quòd ſenſus communis & imaginativa eiſdem ſpeciebus vtantur, adhuc illas induere modum diverſum elevationis, & perfectiorem in imaginativa, quàm in ſenſu communi: ideoque poſſe ſub alio & alio modo repræſentare obiecta, vtriuſque diverſa. Quemadmodum verò in prædictis exemplis adhuc verum eſt, habitus ipſos, & actus præcipuos illorum, eſſe ſpecie diſtinctos, quamvis eiſdem ſpeciebus vtantur, quia tendunt ad propria obiecta ſub diverſa abſtractione; ita & in noſtro caſu dicimus, imaginativam & ſenſum communem ſpecie differre ratione diverſæ abſtractionis ex parte obiecti, dato quòd eiſdem ſpeciebus vtantur.

35 *DATO*, Inquam, & non conceſſo: quia valde probabile apparet, ſpecies in ſenſu communi reſidere, eſſe alias ab ijs, quæ in imaginativâ reſident: tum, quia potentiæ cognoſcitivæ diverſæ ſecundùm eſſentiam, & tendentes in obiecta ſub diverſa abſtractione, quales ſunt imaginativa & ſenſus communis, exigunt ſpecies eſſentialiter diverſas, & inæquales penes abſtractionem: Tum etiam, quia omnis ſpecies repræſentativa exigit recipi immanenter, in eâ potentia cognoſcitivâ, quæ mediante illa cognoſcit: non enim eſt in eâ ſolùm vt aliter, vt in aere, aut ſpeculo, ſeu illuminatè; nec tranſire poteſt de vna potentiâ cognoſcitivâ in aliam, quia ſic idem accidens numero migraret de ſubiecto in ſubiectum; ac proinde eſſet, & non eſſet idem. Atqui ſpecies ſenſibilium obiectorum præſentium ſunt, mediis quibus ſenſus communis ea obiecta cognoſcit. Ergo exigunt recipi in ipſo immanenter. Ergo diſtinctæ ſunt realiter ab ijs, quæ inhærent potentiæ imaginativæ realiter diſtinctæ: ſicut vniverſum diſtinctum eſt accidens in vno ſubiecto exiſtens, ab inhærente alteri ſubiecto. Si autem ſemel ſunt realiter diſtinctæ, etiam ſpecificè diſtingui debent: quia recipiuntur in potentijs ſpecie diſtinctis, & repræſentant obiecta ſecundùm diverſam abſtractionem & elevationem à materiâ.

36 *AD II.* Nego ſuppoſitum: quia præcipuus & primarius actus imaginativæ non eſt retentio ſpecierum, ſed imaginatio, ſeu apprehenſio obiecti ſenſibilis, quatenus imaginabilis, & abſtrahentis a præſentiâ. Neque actus primarius ſenſus communis eſt apprehenſio ſpecierum ſenſibilium, ſed perceptio obiecti ſenſibilis præſentis, & diſcretio inter actus ſenſuum exteriorum. Quare dato quòd ſpecies impreſſa vtrique potentiæ ſit vna, adhuc tamen primarij vtriuſque actus ſunt eſſentialiter diverſi. Verùm & permiſſo quod apprehenſio ſpecierum eſſet primarius actus vnius, & retentio alterius, adhuc eſſet locus, vt vterque actus differret ſpecie, quia licèt tenderet ad eundem terminum in re apprehendendum, aut retinendum, tenderet tamen ſub diverſâ ratione formali. apprehenſio quidem in ordine ad ſenſibile præſens, quod eſt obiectum ſenſus communis: retentio autem in ordine ad imaginabile, quod eſt ſenſibile abſens, ſive abſtrahens à præſentiâ.

37 *INSTABIS.* Idem appetitus ſenſitivus tendit circa bonum ſenſibile præſens & abſens: neque enim alter eſt appetitus pomi abſentis per deſiderium, quam præſentis per delectationem. Ergo pariter eadem potentia cognoſcitiva poteſt tendere in obiectum præſens & abſens, tum ſentiendo, tum & imaginando: atque adeò non eſt opus diſtinguendi ſenſum communem ab imaginativa. *RESP.* conceſſo antecedente, negando conſequentiam: quia appetitus non reſpicit diverſam rationem formalem ex parte obiecti præſentis & abſentis, ſed vnam & can-

eandem. Tendit enim per modum motus & propenſionis ad res prout ſunt in ſe; & eiuſdem potentiæ motivæ ac propenſionis eſt ferri ad terminum, ſive præſentem, ſive abſentem. Potentiæ autem cognoſcitivæ differunt penes diverſam abſtractionem, ſeu immaterialitatem, quâ trahunt obiecta ad ſe: & hæc tantò maior eſt, quanto independentior à materiali præſentia obiecti. Quare imaginativa eiuſmodi abſtractionem & independentiã importans præ ſenſu communi, debet ſpecie ab eo differre.

38 *DICENDVM* Denique, imaginativam, ſicuti diſtinguitur ab alijs potentijs ſenſitivis, iam memoratis, ita etiã ab æſtimativa. Ratio eſt, quia, vt diximus *ſect. præc.* diſcernit inter obiecta inſenſata, vt amicitiã & inimicitiam, convenientiã & diſconvenientiã totius animalis, & aliorum, quæ ad ipſum pertinent. Vnde procedit illa ſolicitudo gallinæ vt congreget pullos à facie milvi, & cura ovis circa agnos viſo à longè lupo, quamvis neutra eouſque milvum aut lupum viderit. Hic autem modus cognoſcendi altior eſt, quã imaginativæ, quæ ſolùm reſpicit obiecta ſenſibilia, ſive vera, ſive apparentia, & abſentia, mediis ſpeciebus ſenſatis. Cùm verò altior ſeu abſtractior modus cognoſcendi arguat diſtinctionem ſpecificam in potentijs cognoſcitivis, vt ſæpe dictum eſt, neceſſariò colligitur æſtimativam eſſe diverſam ab imaginativa. Quare ratione æſtimativæ præcellentis ac vividę, quædam animalia, vt elephanti, vulpes, & canes, propè videntur accedere ad perfectionem naturæ rationalis: quanquam in hac, non ſolùm ſit exceſſus penes rationalem animum, ſed etiam penes ipſam æſtimativam, quæ prout ſubordinata intellectui diſcurrit circa obiecta inſenſata, & particularia, cùm tamen in brutis ducatur ſolo naturæ inſtinctu, vt iam antea dictum eſt. Ex quibus omnibus colligitur, imaginativam propriè dictam eſſe potentiam ſenſitivam, ordinatam ad conſervandum ſpecies ſenſatas, & cognoſcendum ijs mediantibus obiecta abſentia, & imaginabilia: æſtimativam verò eſſe potentiam apprehenſivam inſenſatorum ex ſenſatis.

(·.·)
()

SECTIO QVINTA.

Vberiùs ſtatuitur, Memorativam eſſe potentiam vi cognoſcendi præditam, & diſtinctam ab Æſtimativa. Vbi de ſubiecto & organo proprio vniuſcuiuſque ſenſus interni.

39 QVAMVIS *Sect.* 2. generatim oſtenſum ſit, ſenſum communem, imaginativam, & æſtimativam, ac memorativam differre inter ſe, quia tamen inter has duas poſtremas videtur eſſe ſpecialis difficultas propter maiorem affinitatem, placet vlteriùs confirmare eſſentialem vtriuſque diverſitatem. Ac primò quidẽ, memorativam eſſe præditam vi cognoſcendi, docet S. Thomas 1. *p. q.* 79. *art.* 6. vbi docet, *memoriam ſenſitivam eſſe apprehenſivam præteriti.* Non apprehenditur autem præteritum ſine cognitione. Et *q. de Anima art.* 13. tradit hoc ipſum, ſimulque doctrinam notatu dignam, oportere, ſcilicet, ea quæ priùs per ſenſum apprehenſa ſunt, & interiùs conſervata, iterum revocari ad actualem conſiderationem. Hoc autem ſpectat ad memorativam virtutem, quæ licèt in alijs animalibus ſuam operationem habeat abſque inquiſitione, in hominibus tamen non ſine inquiſitione & ſtudio. Quare in his non ſolùm eſt memoria, ſed etiã reminiſcentia, quæ eam inquiſitionem addit. Neceſſe eſt autem ad hoc ordinatam fuiſſe à naturâ potentiam ab alijs diſtinctam, quoniam actus aliarum potentiarum ſenſitivarum eſt tantùm motus à rebus ad animam: actus autem memorativæ potentiæ eſt è converſo motus ab animæ ad res. Hæc ferè D. Thomas, qui præcipuam eius doctrinę partem, præſertim quò ad reminiſcentiam, deſumpſit ex Ariſt. loco ſuperioribus allegato *de Memor. & Reminiſc.*

40 *RATIO* Eruitur eàdem doctrinâ. Præterquam enim quòd experimur in nobis cognitionem præteritorum quatenus præterita ſunt, & in brutis reditum ad caulas domoſque ſibi cognitas, abſque vllo duce præeunte, qui actus recordationis planè ad memorativam ſpectant; aliũde ſuadetur: Quia cùm in confeſſo ſit apud omnes in memorativâ retineri ſpecies rerum præteritarum, neceſſum eſt ad eandem ſpectare vſum illarum, qui in cognitione præteritorum conſiſtit. Deinde

de cùm ad bonum naturæ non solùm rationalis, sed sensitivæ, conveniat necessariumque sit, vt quæ semel fuerunt considerata, iterum ad memoriam revocentur (alioqui non reverteretur asinus sponte suâ ad præsepe priùs cognitum) debet spectare ad memoriam excitatio ipsa, quâ res antea nota ad memoriam revocatur. Excitatio autem nequit fieri absque vsu alicuius speciei retentæ, qui proinde sit cognitio. Adest igitur memorativæ, non in omnibus modò, sed & in brutis, vera cognitio.

41 *IAM* Verò diversitas essentialis memorativæ ab æstimativa, non solùm traditur ab eodem D. Thoma *q. de Anima art.* 13. & 1. *p. q.* 78. *art.* 4. & 79. *art.* 7. *ad* 2. sed etiam duplici ratione extorquetur. *Primò* propter diversum modum tendendi ad obiectum sub alia atque alia ratione formali. Memorativa enim respicit obiectum quatenus præteritum, ac proinde abstrahit à præsentia & immutatione obiecti exterioris, in quo consistit motus quidam animæ in res: æstimativa autem, licèt apprehendat obiecta insensata, illa tamen apprehendit tanquam præsentia: v. g. in ove inimicitiam lupi, solùm quando lupus est præsens; & præterea ex ratione potentiæ habentis speciatim apprehendere, importat motum rerum ad animam. Immutatur enim anima a rebus dum ab ijs recipit species: quando autem ijs semel retentis in memorativa vtitur, importatur motus animæ ad res, quoniam ex præteritis facit illas sibi præsentes. Patet verò eiusmodi distinctionem longè lateque sufficere ad distinctionem duplicis potentiæ materialis.

42 *SECVNDO* Id ipsum colligitur ex diversitate, non solùm temperamenti, seu dispositionis, de quâ dictum est *sect.* 2. sed etiã ex distinctione organi. Etenim loquendo de animalibus perfectis, qui quatuor sensibus hucusque explicatis constare inveniuntur, hæc organorum series ab Anatomicis, detecta est. Sensus communis est in primâ parte frontis; eidemque propè coniunctum est organum imaginativæ. Æstimativa autem sedem habet post mediam partem cerebri: & tandem memorativa locum sibi vendicat declinante loco ad vltimam capitis partem versus occipitium. Hunc etiam sensuum interiorum situm statuit S. Thom. 1. *p. q.* 8. *art.* 1. & *q.* 78. *art.* 4. & *Opusculo* 43. *c.* 4. Manifestum est autem, potentias materiales diversa organa exigentes, debere esse distinctas. Ergo æstimativa & memorativa, non minùs, quàm sensus communis & imaginativa, sunt potentiæ prorsus distinctæ.

43 *QVOD* Verò aliqui Authores ab Aristotele allegati aiunt, prædictos sensus internos habere sedem in corde, & nõ in capite, absurdum esse patet: cùm constet ex læsione capitis, qua parte vniuscuiusque cellulas assignavimus, eosdem sensus speciatim lædi. quod tamen non accideret, si immediatè in corde residerent. Non tamen præterea negamus eos radicaliter habere locum in corde: quia ex hoc, tanquam ex radice, profluit calor vitalis, & vitales spiritus, à quibus pendet omnis vitæ operatio, & subinde operationes sensuum. Observant autem Medici, ex tribus cellulis, quas assignant in cerebro, primam esse in fronte, & per quandam interpositionem subdividi in duas; quarum prima, quæ anterior est, deserviat sensui communi, quoniam est humidior, ac proinde aptior speciebus apprehendendis; ibique aiunt terminari omnes meatus, sive vias, quæ ducunt ad sensus externos. Ex duabus autem cellulis, quæ declinant ad posteriorem capitis partem, testantur, eam, quæ deservit memoriæ, siccioris complexionis esse, atque adeò aptioris ad species conservandas. Quæ omnia consonant doctrinæ præiactæ, dum tamen cellulæ sint verè quatuor.

44 *CÆTERVM* Adhuc statuto, organa prædictarum potentiarum residere in cerebro, est difficultas, in quanam cerebri parte; quoniam plures in eo sunt: nimirum, medulla, seu massa ipsius cerebri: deinde duæ membranæ illud obvolventes in circulum, quæ dicuntur *meninges*; altera contingens cerebrum, & dicta *pia mater*, quia tenuior ac lenior est; altera exteriùs tangens, & contigua cranio capitis, intra quod cerebrum clauditur, & durior, quæ proinde *dura mater* dicitur. Extant præterea intra cerebrum prædictæ cellulæ, seu ventriculi, aut cavitates. Et in ijs dicimus cum Div. Thoma existere potentias sensitivas internas: quia debent habere diversa receptacula, vt diversas operationes vitæ sensitivæ edant, & dum animal in ijs læditur, experimento dignoscitur læsionem etiam pati

in

in vnoquoque sensu interno, ijs correspondente. Alij autem satis communiter & probabiliter volunt subiectum & proprium organum internorum sensuum esse medullam ipsam & substantiam cerebri: quia, vt testatur Galenus *lib. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis cap. 3.* incisis membranis cerebri nullum detrimentum fit in sentiendo; maximum autem si lædatur ipsa cerebri medulla. Vnde & infert Galenus, si cerebrum denudaretur omnino ijs membranis, nullum fore detrimentum in aliquo sensu, eiusve vsu, nisi quatenus de cætero cerebrum ijs tegumentis præsidijsque destitutum, subiret alterationem a causis externis. Alij denique, quorum opinionem censet probabilem Dandinus *lib. 3. de Anima digress. 15.* sensum internum collocant in ipsis meningibus, eo quòd in ijs vigere constet sensum tactus. Verùm cum meninges sint duæ, & medulla cerebri sit vnica, difficilè apparet quomodo in ijs immediatè reludeant quatuor sensus specie distincti, quos præcedentibus assignavimus.

45 *PLVRA* Argumenta contra doctrinam tota disputatione traditam prætermitto, quia facilia soluu ex dictis. Quisquis illa pleniùs examinare voluerit, inveniet apud Ioannem a S. Thomà *in præsent. q. 8. art. 3.* & Complutenses *disp. 15.* vbi per plures quæstiones rem exagitarunt.

SECTIO SEXTA.

An omnes sensus interni resideant in quilibet animalium?

46 *RESP.* Sensum communem vt minimùm inesse quibuslibet animalibus, etiam imperfectis: quia omnia interiùs percipere deprehenduntur & discernere obiecta sensibilia, saltem vicina & præsentia, dum aliquo sensu ea attingunt. Vnde & vermiculi, si pungantur & patiantur in sensu tactus, statim se contrahunt, insignum doloris interni, qui est actus appetitus sensitivi, & præsupponit actum sensus communis. Videtur autem certum in omnibus ijs, quæ vocantur annulosa, & insecta vivunt, sensum communem non esse in aliquà certà parte, vt in cæteris accidit; sed dispersum per totum corpus vbicumque sensus & motus vigere potest, etiam post divisionem. Ibi enim existere debet organum sensus communis, sicut & appetitus sensitivus: quia cùm moveantur progressivo motu post sui divisionem, oportet vt hic procedat ab appetitu, atque adeò præsupponat sensum communem, a quo ipse appetitus dirigatur. Quemadmodum ergo appetitum sensitivum habent dispersum per totum corpus, ita & sensum communem. Cùm verò eiusmodi animalculorum pleraque, aut aliqua saltèm, non habeant omnes quinque sensus externos, sed quosdam tantùm, vt disp. sequenti apparebit, necessum est dicere sensum internum in ijs non complecti adæquatè omnia externa sensibilia, sed quædam tantùm. Vnde & obiter videtur colligi, sensum communē illorum specie intrinseca differre à cæteris, quia ex naturà suæ speciei restringitur ad pauciora obiecta cognoscenda, & sub ratione minùs abstracta.

Ipse MAIOR Difficultas est de imaginativà, an competat omni animali: præsertim quia Arist. videtur id modò negasse, modò affimasse. In præsenti enim *lib. 2. textu 29.* docuit nondum constare, an ea omnibus animantibus insit. Et *textu 32.* decernit, quibusdam non inesse. Ait enim: ἄλλα τοῖς μὲν οὐδὲ φαντασία τε δὲ ταύτῃ μόνον ἔστι. *Sed quædam imaginatione vacant: quædam hac solà vivunt.* Exemplumque adhiberi solet, quasi ex verbis Aristotelis eo loco, in verme, formica, & ape: cùm tamen hæ duę potiùs videantur imaginatione præcellere, ideoque præstare tot miracula naturæ. At revera in textu Græco, quo vtor, nihil eiusmodi est: & si fortè in alià editione, putandum id ab alio additum. Et 2. *Poster. textu 103.* expressè habet: *In alijs quidem animalibus fit permansio sensati* (qualem scilicet, supra diximus fieri in phantasia) *in alijs verò non fit. In quibuscumque igitur non fit, non est his cognitio extra ipsum sentire.* Aliunde autem oppositum docere videtur in præsenti *lib. 2. textu 20.* vbi præmisit, omnia animalia, quæ habent sensum, habere etiam imaginationem, sicut & appetitum. Et *lib. 3. textu 56. ac 57.* statuit imaginativam omnibus animalibus communem esse. Ne autem cogamur asserere fuisse sibi contrarium, dicendum est, concessisse quidem omnibus animalibus imaginativam vim, vt postremo loco ex allegatis declarat: cæterum in quibusdam eorum valde imperfectis, prope nullam esse, &

quæ

quæ vix, aut ne vix quidem, cum imaginativâ perfectiorum conferri possit. Hoc quippe sufficit ad conciliandum vtraque loca.

48 *PORRO* Nullum animal esse vsque adeo imperfectum, vt omnino imaginatione careat, suadetur: Quia eo ipso quòd omne animal percipiat obiectum externo sensû, quando est præsens, aut ab eo percipitur medio tactu, aut gustu; postea apprehendit illud absens, ac proinde per actum cogitationis distinctæ ab actu sensus communis, qui solùm cognoscit præsentia. Ergo per actum imaginationis, quia nullus alius per se habet cognoscere obiecta sensata in absentia. Deinde ita patet experimento in animalibus imperfectissimis, vt ostreaceis, quæ intra mare scopulis affixa sunt. Quamvis enim non habeant, nisi tactum & gustum, solent aperire conchas quoties esuriunt, vt alimentum accipiant. Ergo quia apprehendunt seu cognoscunt, etiam in absentia, alimentum, quo indigent. Patet verò, eiusmodi actum, imaginationis esse, quâvis valde imperfectæ.

49 *DE* Æstimativâ similiter dicendum est, omni animali competere, quamvis in nonnullis imperfectissima sit. Ratio est, quia cùm omnia illâ constent appetitu sensitivo, iuxta Aristotelem, & appetitus non moveatur, nisi à conuenientia in obiecto apprehensâ, necessùm est omnia animalia apprehendere in obiecto aliquam conuenientiam. Et quidem non solùm conuenientiam sensui particulari, sed etiam toti individuo, quod suam conservationem appetit actu illo elicito. Atqui apprehensio obiecti quatenus conuenientis toti individuo est verus actus æstimativæ, vt præcedentibus dictum est. Ergo omnibus animalibus conuenit æstimativa. Huc etiam spectat quòd conuenientia illa non sit exteriùs sensata, vtpotè nullo exteriori sensu percepta: ac proinde sit proprium obiectum æstimativæ, cuius est iudicare seu discernere inter obiecta exteriùs insensata.

50 *TANDEM* Memorativa, vt minimùm residet in ijs animalibus, quæ simul loco moventur & certa loca repetunt: siquidem recordantur & recognoscunt eadem loca, & filios, ac cibos, quos in ijs reliquerunt & asservârunt. Quare immeritò Albertus Magnus *in* 1. *Metaph. Arist. c.* 1. dixit, muscas carere memoriâ, eò quòd læpiùs depulsæ adhuc redeunt. Et addit Averroes 2 *Poster. comm.* 107. aliud exemplum papilionis iteratò redeuntis ad eandem lucernam. Vterque autem refellitur: quia potiùs eo ipso quòd muscæ & papiliones redeant postquam expelluntur, planè constat illas habere recordationem cibi vel lucis, ideoque redire vrgente cupiditate. Pisces quoque, quamvis iuxta aliquos careant memoria, verius illam habere censentur, vt docet S. Augustinus *lib.* 3. *de Genesi ad litt. cap.* 8. Ideoque certa loca repetunt, tum ad capiendum cibum, tum ad delitescendum & quiescendum. Et, quod mirabilius est, iuxta Plinium *lib.* 1. *cap.* 7. in piscinâ Cæsaris singuli pisces propriis nominibus vocati, didicerunt consueverunt que egredi.

51 *EA* Verò animalia, quæ licèt moveantur progressivè, non tamen repetunt certa loca, aut in vno eodemque loco immobilia sunt, videntur carere memoria; iuxta tum quia D. Thomam *in lib. Aristot. de Memor. & Reminis.* his posteriorius eam negat, tũ quia prior illa nullũ vestigium memoriæ præstant. Cæterùm dicendum est, vtrique inesse memoriam aliquam, licèt imperfectissimam. Omnia enim constant vi imaginativâ, & æstimativa, vt suprà stabilitum est: atque adeò nulla difficultas apparet in eo quod percipiant obiectum sensatum insensatumvè, quando est præteritum, sicut illud percipiunt quando est præsens & absens. Præterea dum omnia illa quærunt alimentum sibi proportionatum, videntur planè notitiam & recordationem habere eius cibi, quod antea perceperunt. Illa præsertim consuetudo piscium immobilium, quâ statis horis aperiunt conchas vt alimentum capiant, videtur præsupponere experimentalem notitiam de præterito, quæ aliqualis recordatio est, & exercitium memoriæ. D. Thomas autem solùm ijs negat memoriam eo sensu, quo motum localem. Cùm verò in eius sententiâ, & communi, habeant motum localem dilatationis & constrictionis, quâvis imperfectissimum, ita etiam dicendi sunt habere in eius opinione memoriam, quamvis imperfectissimam. Quo item sensu exponendus est Aristoteles ficubi forte negat aliquibus animalibus memoriam: vt suprà de imaginativâ dictum est.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

De Appetitu ſenſitivo, à ſenſibus diſtincto, vbi reſideat? quot vires, paſſiones, & operationes habeat?

52 OMNEM Gradum cognoſcenti ſequitur naturaliter vis appetitiva, quæ in gradu intellectuali dicitur Voluntas, & in ſenſitivo appellatur Appetitus ſenſitivus, diſtinguiturque realiter a ſenſibus internis vſq; modò explicatis, ſicut & diſputatione præcedenti diſtinximus realiter voluntatem ab intellectu. Appetitus enim ſenſitivus eſt potentia cęca, & tendens ad ſenſibile ſub ratione boni; ideoque diſtingui omnino debet a ſenſibus cognoſcitivis, qui tendunt ad propria obiecta ſub ratione perceptibilium, iuxta proprium vniuſcuiuſque modum: ac proinde ſicut ex ijs ferè capitibus diſtinximus intellectum à voluntate, ita & appetitum ſenſitivum diſtinguere debemus ab internis ſenſibus.

53 *QVEMADMODVM* Verò *ſect.* 5. diximus internos ſenſus in cerebro ſedem habere, iuxta communem ſententiam, ita etiam Hurtadus *diſp.* 17. *ſect.* 12. vult appetitum in cerebro reſidere. Cæterùm vera & communis Philoſophorum cenſio eſt cum Ariſt. *lib.* 3. *de Partibus Anim. c.* 4. appetitum ſenſitivum ſedem ſibi vendicare in corde. Idque ad ſenſum ferè & experimentaliter patet: quoniam affectus ſenſitivos, præſertim vehementes, percipimus in noſtro corde: quemadmodum nimijs cogitationibus deprehendimus fatigari caput. Quare ſicuti exinde colligimus ſenſus internos ſedem habere in capite, ita & appetitum in corde. Accedit, per affectum lætitiæ percipi dilatationem in corde: per affectum verò triſtitiæ conſtringi. Cùm verò vterque affectus ſit ſenſitivi appetitus, vterque circa cor exerceri debet. Denique in ſacris litteris, cordi communiter tribuuntur affectiones animæ: quo planè eadem doctrina confirmatur.

54 *DIFFICVLTAS* Autem eſt, quoniam ſenſus ſuà repræſentatione movet appetitum: movere autem illum non poteſt, niſi ſit in eadem corporis parte, aut vicina ſaltem. Cùm ergo ſenſus ſit in cerebro, etiam appetitus in eo, aut prope illud, eſſe debet; non autem in corde, quod nimium diſtat à cerebro. Reſpondent aliqui, ex cerebro immiti ad cor ſpiritus animales, in quibus defertur ſpecies & cognitio obiecti repræſentati. Sed contrà; quia actus cognitionis non recipitur, niſi in potentia, à qua fit, nec reſidet, niſi in ſubiecto animato. Spiritus verò, tam vitales, quàm animales, non eſſe animatos, oſtenſum eſt ſupra *diſput.* 77. Deinde neque actus cognitionis tranſire poteſt de ſubiecto in ſubiectum; nec ſpecies ſolæ, ſi deferantur, ſufficiunt ad movendum appetitum. Dicunt alij, actum ſenſionis in cerebro poſſe efficere actum appetitionis in corde, quia non repugnat ipſi ita operari, aut mittendo qualitatem aliquam, aut abſque eo quòd operetur in medio. Sed contrà: Quia, vt in Phyſica ſtatuimus *diſput.* 39. nullum agens poteſt operari in diſtans, niſi mittat virtutem ſuam per medium. Aliunde omnis qualitas interiecta eſt fictitia in caſu quæſtionis. Quare aliter dicendum, ex cognitione ſenſitiva intra cerebrum facta conſequi actum appetitionis in corde per naturalem ſympathiam potentiarum eiuſdem numero animæ, quæ ſimul per vnum organum apprehendit ſenſibiliter obiectum, & per aliud appetit illud, diſtincta virtute ſeu potentia proxima.

55 *PORRO* Obiectum appetitus ſenſitivi eſt bonum ſenſibile, quod præſupponitur apprehenſum ſenſu, tanquam bonum & conveniens quantum ad affectum proſecutionis. Bonum ſenſibile, inquam, materiale, & ſingulare, delectabile, aut vtile: quia ad immateriale bonum, vniverſale, aut honeſtum, nequit ſe extendere alius appetitus, quàm rationalis, qui eſt voluntas. Directe autem appetitus ſenſitivus ſolùm tendit ad bonum ſenſibile delectabile, ſive iucundum, aut commodum appetenti; & indirectè, atque ex fine comodi & delectabilis, circa vtile, veluti circa medium ad eum finem aſſequendum. Quare S. Th. 1. *p. q.* 78. *artic.* 4. inquit: *Avis colligit paleam; non quia delectet ſenſum, ſed quia eſt vtilis ad nidificandum.* Habet præterea appetitus ſenſitivus, ſicut & rationalis, actus fugę ſive odij circa malum apprehenſum, ex fine boni, quod ſolùm per ſe appetitur & inſpicitur.

56 *DISTINGVITVR* Frequenter in partem iraſcibilem & concupiſcibilem; quarum hęc dicitur ferri ad bonũ abſolutè ſumptum, illa autem in bonum arduum. Quam diſtinctionẽ ſupponit Ariſt.

in præſenti *lib. 3. textu 46.* Pythagoras & Plato apud Plutarchum *lib. 4. de Placitis c. 4.* Galenus *lib. 6. de Vſu partium c. 18.* & ex Patribus Auguſtinus *lib. de Spiritu & Anima*, Hieronymus *in c. 13. Matthæi*, Damaſcen. *lib. 2 Fidei c. 12.* S. Thomas *1. p. q. 81. art. 2. & 3.* vbi & videtur tradere diſtinctionem prædictam partium appetitus eſſe realem: quoniam vna pars videtur opponi alteri, & inclinare ad obiectum quoddammodo oppoſitum, & ad actus diverſos. Concupiſcibilis enim fertur ad id quod delectat; iraſcibilis autem in id, quod eſt arduum, ac proinde moleſtum: ira etiam minuit amorem, ſicut & amor iram. Quare hanc ſententiam communiter ſequuntur Thomiſtæ, & Toletus *3. de Anima q. 26. conſ. 3.* alijque plures, quibus aſſentior; quoniam ad diſtinguendum potentias, ſeu virtutes valde limitatas, materialeſque, quales ſunt de quibus loquimur, ſufficiunt capita diſtinctionis ex D. Thoma aſsignata: ſicuti & ferè ex eiſdem principijs ſupra diſtinximus ſenſus internos. Probabilis tamen eſt ſententia multorum ex Recentioribus in oppoſitum, quam præ alijs elucidat Averſa *q. 56 ſect. 1.*

57 *TRIBVVNTVR* Ipſi plures affectus, qui etiam *paſsiones* dicuntur, juxta D. Thom. *1. 2. q. 22. art. 2.* quia coniunguntur cum aliqua corporea commotione & tranſmutatione, vt dilatationis in lætitia, & conſtrictionis in timore. Soletque eiuſmodi paſsiones accipi, tum in actu ſecundo pro ipſis affectibus, ſive actibus appetitus elicitis; tum & in actu primo pro ipſo appetitu, non ſecundum ſe accepto, ſed quatenus propenſo, ſeu inclinato ad eiuſmodi affectiones. Similes quoque ac proportionati affectus tribuuntur voluntati, in qua & larga quadam acceptione vocabuli dicuntur paſsiones, vt idem Angelicus Doctor notat vbi nuper & *1. p. q. 20. art. 1. ad 1.* Omnes autem illæ generatim comprehenduntur duobus capitibus: ſcilicet proſecutionis boni, & fugæ mali: quæ ſimul reſident in parte iraſcibili & concupiſcibili. Porrò in concupiſcibili numerantur ſex, & in iraſcibili quinque. Priores ſunt, amor circa bonum, & odium circa malum: quæ quæ paſsiones abſtrahunt a præſentia vel abſentia obiecti: præterea, deſiderium boni abſentis, & avertio circa malum abſens, quę appropriato ſibi communi nomine dicitur fuga: inſuper delectatio, ſeu gaudium complacentia ac lætitia circa bonum præſens; & ex oppoſito dolor, ſive diſpicentia, aut triſtitia, circa præſens aut præteritum malum. Hoc autem ordine illas recenſet S. Th. *1. 2. q. 25.* quoniam amor ſe habet tanquam inclinatio naturalis, deſiderium vt motus & via ad terminum, delectatio autem veluti quies & poſſeſsio termini: quem ordinē quoque ſervant ex adverſo tres paſsiones ijs oppoſitæ, & iam enumeratæ.

58 Poſteriores autem ſunt, ſpes circa bonum abſens, ſed apprehenſum vt poſsibile obtentu; & deſperatio ipſi oppoſita: audacia ad aggrediendum aliquid arduum & moleſtum; & è contra timor, ſeu receſſus a malo, quod exinde ſequi poteſt: & tandem ira exurgens, ob bonum præſens ablatum, aut malum illatum; quæ nō habet paſsionem aliam ſibi oppoſitam circa bonum præſens, vt idem S. Doctor notat loco nuper indicato *art. 3.* quoniam iraſcibilis ſolum tendit ad bonum arduum & difficile, quod iam non eſt tale, vbi præſens eſt. Quare ad illam non ſpectat delectari in bono præſenti, ſed ad concupiſcibilem tantùm.

SECTIO OCTAVA.

De Potentia Loco-motiva animalium, & illorum motu, pendente, tum à cognitione, tum & ab appetitu ſenſitivo.

59 *COMMVNITER* Philoſophi diſtinguunt quatuor gradus vitæ, ſupra *diſp. 75.* explicatos, & quinque genera potentiarum: ſcilicet, vegetativam, ſenſitivam, appetitivam, loco-motivam, & intellectivam. De quarta illarum reſtat nonihil dicendum, præter ea quæ ſparſim de ipſa tradidimus: nam de alijs ſatis ac ſæpe dictum eſt. Porrò quemadmodum omnia animalia habent aliquē motum localem, ſaltem conſtrictionis & dilatationis, ita etiam potentiā loco motivam habere videntur, ſaltem imperfectam. Duplex vero motus in animalibus diſtingui ſolet. Primus dicitur naturalis, ſeu purè vitalis, qui non exercetur ex directione cognitionis, aut determinatione appetitus; ſed naturaliter ſequitur ex virtute vitali; vt motus cordis, ſeu pulmonis, & arteriarum pulſus: qui tamen videtur ab anima quatenus ſenſitiva provenire, quatenus ſolis ſentientibus communis eſt, vt

diſp.

disp. 82. dicebamus. Secundus dicitur animalis, qui exercetur prævia cognitione dirigente, & ex determinatione appetitus, sive is motus sit progressivus & totalis, sive imperfectus & partialis: vt docet Arist. in præsenti *lib.* 3. *à textu* 44. Cum verò motus progressivus præsertim institutus fuerit à natura ad quærendum bonum cõveniens, & declinandum malum disconveniens, monet idem Arist. allegato *lib. c.* 2. *textu* 16. & *c.* 10. *textu* 48. ac D. Thomas cum ipso, necessariam fuisse vim directricem progressivi motus, quæ in hominibus est ratio, & in cæteris animantibus imaginatio. Vnde infertur iuxta doctrinam vtriusque, appetitum concurrere ad eum motum, vt causam activam, ac determinantem: quia quærere conveniẽtia, & fugere disconvenientia, pertinet maxime ad amorem & odium, ac proptereà ad appetitum, cuius est amare, & odisse. Appetitus autem sensitivus in homine præ brutis subditur appetitui rationali, qui est voluntas, ab eoque movetur sicut cœlum inferius à superiori.

60 *DIFFERT* Autem realiter potentia lodo motiva, seu vis executiva motus localis progressivi, ab ipso appetitu, atque à reliquis potentijs, sensibusque internis: tum quia omnes prædictæ virtutes operantur immanenter, vis autem loco motiva transeunter: tum quia illæ diversam sedem habent, appetitus in corde, sensus in cerebro, potentia vegetativa in toto corpore, &c. loco motiva autem in musculis, quamvis toto corpore extensis. Et hoc dicẽdum adhuc supposita indistinctione potentiæ loco motivæ in Angelo & anima rationali ab intellectu, vel voluntate, vel vtroque simul: quia potentiæ sensitivæ ratione materialitatis & limitationis suæ facilius distinguuntur, quam spirituales, quæ defectu materiæ possunt simul ad plura se extendere sub vniversali ratione: ideoque suprà memoriam sensitivam distinximus realiter ab æstimativa, cùm tamen memoria spiritualis sit indistincta ab intellectu.

61 *NON* Tamen propterea adscribimus eidem potentiæ loco motivæ vim strictè activam motus; quia iuxta D. Thom. 2. *contra Gent. c.* 82. illa, non tam efficienter, quam dispositivè, concurrit ad motum: quatenus, scilicet, præparat mẽbra, redditque apta, & obedientia ad recipiendum motum, qui efficienter solùm procedit ab appetitu sensitivo. Quod etiã confirmat 1. *p. q.* 75. *art.* 3. vbi docet, actũ potentiæ loco motivæ non esse movere, sed moveri. Quare ita etiam sentiunt Ferrara loco priori ex allegatis, & Capreolus *in* 2. *dist.* 1. *q.* 2. *in solut. ad argum. Aureoli*, & plures alij. Opposita verò tentẽtia, quæ potentiæ loco motivæ vim agendi strictam concedit, à pari aliarum potentiarũ animæ, satis probabilis est, illamque speciatim elucidant Conimbricenses in præsenti *lib.* 3. *c.* 13. *q.* 5. *art.* 3. & Aversa *q.* 56. *sect.* 2. Vtcumque res se habeat, hæc potẽtia, per totum corpus & omnia membra diffunditur: sed residet in quibusdam ligamentis partium, compactis ex carne & nervis, quæ appellantur musculi: vt observant Anatomici cum Galeno *libr.* 12. *de Vsu part.* Quare in quibuslibet membris, iuxta varietatem motuum, quibus inflecti possunt, diversi musculi assignantur. Denique mirum est artificium, quo natura disposuit singula membra animalis ad motum: vt legere est apud Aristotelem, tum libro de Incessu Animalium, tum & de Animalium Motu. Nobis hæc pauca libasse

ILLVSTRISSIMO ET DOCTISSIMO D.
D. ALPHONSO DE OLEA,
SVMMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, IN VALLISOLETANA ACADEMIA IVRIS PONTIFICI, AC CÆSAREI SIMVL PRIMARIO ANTECESSORI EMERITO, &c.

DIIS, Parentibus, & Magiſtris, non poſſe reddi æquale, vulgatiſsimum eſt. Id diffiteri, religio, pietas, obſervantia, verant. Iuvat itaque ſaltem penſum gratitudinis, naturæ lege debitum, TIBI exſolvere, *CLARISSIME VIR* quo Magiſtro prima Pontificij Iuris elementa didici anno M. DC. XLII. cùm Veſpertinam Cathedram Inſigni doctrinæ opinione moderareris in Vallisoletanâ Academia. Neque enim poſſum non reponere in qualicumque cenſu meo, tantum Præceptorem habuiſſe: tum & alios quoſdam in ea ipſa, ac præterea in hac Salmanticenſi: quibus proinde, varijs Operum meorum locis, haud obſcurũ amoris & obſequij ſpecimen præbui. Porrò vt inſignia flumina ab origine ferè iam magna ſunt, quamvis poſtea maiora incrementa ſubeant: ſic & illuſtria ingenia. Potiſsimam nobilitatem ab ipſa conditione trahunt, ab animatione fœtus, ab expolita organorum ſtructura, ab ordinata temperie cerebri. Iam ſi vltra hæc accedat ardens ſtudium veritatis quærendæ, & pertinacia addiſcendi, idque à probatis Præceptoribus; nihil deerit, vt, inſtar exundãtium fluminum, longè lateque irrigent mortalium cæterorum mentes, & vberrimos fructus edant. Certè vbi primùm TE Magiſtrum nactus ſum, iam non origine tantùm, ſed diutino diſcendi docendique exercitio adoleverat ingenium Tuum. Iam ferebat opimos doctrinæ fructus, ſive è Cathedra auditorum mentes erudires, ſive in Regio Prætorio Vallisoletano cauſarum patrocinium ferres. Sed quemadmodum Danubius poſt ingentem aquarum molem ex Germaniæ & Hungariæ montibus comparatam, grandeſcit adhuc, vt mari, quàm flumini, ſimilior, Euxinum Pontum ingrediatur; ita & TV doctrina ac nominis fama dives, nova addiſti incrementa gloriæ, tum aureo volumine DE IVRE CESSIONVM ET ACTIONVM, toties iam recuſo Romæ, Venetijs, Genevæ, & Lugduni: tum dextra iudicandi peritia in tot Senatibus Regijs. Sacræ litteræ execrantur eos, qui aliud docent, aliud operantur. Cleomenes apud Plutarchum *in Laced.* audiens quẽdam de fortitudine diſputantem, interrogatus, quidnam de illo iudicaret; reſpondit: *Ineptum eſt, quendam de fortitudine magnificis agere verbis, cùm nihil ipſe vnquam fortiter agat.* Ideo reprehenſi Athenienſes, quod leges iuſtiſsimas ferrent, nec cuſtodirent: laudati autem Lacones, quòd non tam ferrent, docerent vè, quàm ſervarent. Glorioſius tamen eſſet docuiſſe ac ſervaſſe ſimul. Id apparet in TE: qui doctrinam eandem, quam in codicibus, ac doctiſsimis ſcriptis tradidiſti, Iudex ac Senator factus, deducis in praxim. Neque hoc tantùm. Scripta Tua alijs forma iudicandi ſunt. In ijs *κατοπτρα Μουσῶν θυραι*, *apertæ Muſarum ianuæ*, vt quique Iudices, Senatores, Toparchæ, Principes, Reges, QVOD IVSTVM EST, decernant. Quid non in ſummam hanc dignitatem, quà præfulges, aſcenderis? In ipſo Supremo Senatu iam pluribus retrò annis audiebatur nomen Tuum, ſententiæque proferebantur; & qui ſuffragio nõ aderas, ſcripto decernebas. Glorioſius fuit, abſentem iudicaſſe plurium & inſignium Virorum aſſenſu, quàm præſentem Tuo. Addo inſuper. Glorioſius fuit, regulam dirigendis mentibus extitiſſe, quàm iuribus, poſſeſſionibus, rebus adiudicandis; quantò animis immortalibus, quàm caducis rebus Imperare, præcellentius eſt. Quid memorer illam Tuam pietatem in Deum, Divoſque, quà ab ineunte adoleſcentia, animum imbuiſti? modeſtiam illam, gravitatem illam morum, Doctore olim, & nunc graviſsimo Senatore dignam? Sed parco genis Tuis, ne rubeant, & Diſſertatione hac DE SENSIBVS EXTERNIS, teſtimonium qualecumq; doctrinæ ac pietatis Tuæ, ſimul & obſervantiæ meæ, poſteritati relinquo.

DIS-

DISP. OCTVAG. QVINTA.

DE SENSIBVS EXTERNIS.

Qualiter ſe habeat obiectum ſenſibile circa ſenſus externos in genere?

Num. 1. VT *Ratio propria ſingulorum ſenſuum externorum diſputationibus ſequentibus penitius capiatur, prænotandum eſt ex Ariſt. in præſenti* lib. 2. c. 6. textu 63. & D. Thom. *ibidem* lect. 13. *Senſibile externum, ſive quod ſenſibus externis percipitur, eſſe triplex.* Primum, *ſenſibile per accidens, & ſolùm ratione alterius: vt Socrates, aut Plato, eſt ſenſibilis per accidens ratione albedinis, cui ad terminandam cognitionẽ ſenſus accidit, quòd ſubiectum, cui inhæret, ſit Socrates, aut Plato, nix, aut papyrus.* Secundum *eſt ſenſibile proprium, ſive per ſe, quod ab vnico ſenſu percipitur ſub ratione ſpeciali: vt coloratum relatè ad viſum.* Tertium, *ſenſibile commune, quod per ſe & à pluribus ſenſibus attingitur, licèt non ab omnibus: vt patet in figura, quæ percipitur à viſu & tactu, non tamen ab alijs ſenſibus externis. Licèt verò vtrumque ſenſibile, commune, & proprium, percipiatur per ſe, id eſt, non per accidens; aliter tamen & aliter. nam proprium attingitur per ſe primò ab eo ſenſu, qui ſpeciem propriam deſumit ab illo: commune autem non per ſe primò, ſed ſecundariò ſolùm percipitur à ſenſibus, quoniam non ſpecificantur ab eo, ſed à proprijs obiectis. Senſus autem communis percipit obiecta omnia propria ſenſuum externorum, quamvis ſub altiori ratione, & comparando, ac diſcernendo illa inter ſe: vt præcedentibus dictum eſt. Sumitur etiam per ordinem ad ſenſus externos, & dicitur commune, quoniam à pluribus ſenſibus externis poteſt attingi, eſſo non ab omnibus: quia id ſufficit, vt contraponatur ſenſibili proprio. Sunt autem quinque ſpecies, ſeu membra ſenſibilis communis, quæ numerantur ab Ariſt. vbi nuper* textu 64. *illis verbis:* κοιναὶ δὲ κίνησις, ἠρεμία, ἀριθμὸς, σχῆμα, μέγεθος. Communia verò ſunt hæc, motus, quies, numerus, figura, magnitudo. *Et experimento patet omnia prædicta cognoſci ſimul à pluribus ſenſibus externis diſtinctè ac manifeſtè, quamvis non ab omnibus. Pleraque autem diſcutienda in hac controverſia ſupponunt exiſtentiam ſpecierum ſenſibilium, progreſſu Operis ex profeſſo ſtabiliendam.*

SECTIO PRIMA.

Senſibile commune non imprimere ſpeciem aliquam in ſenſu externo diſtinctam adæquatè à ſpecie ſenſibilis proprij. Difficultates in oppoſitum ſolutæ.

2 ITA S. Thomas *in præſenti lib. 2. lect. 13.* vbi ait: *Senſibilia communia faciunt tranſmutationem ſenſuum, non quantùm ad ſpeciem agentis, ſed quantùm ad modum actionis.* & 1. *part. quæſt. 78. art. 3. ad 2* illis verbis: *Senſibilia communia non movent ſenſum primò & per ſe, ſed ratione ſenſibilis qualitatis, vt ſuperficies ratione coloris. nec tamen ſunt ſenſibilia per accidens, quia aliquam diverſitatem faciunt in immutatione ſenſus. Alio enim modo immutatur ſenſus à magna ſuperficie, & à parva.* Atqui omne obiectum, quod mittit ſpeciem propriam, ſeu conditinctam ab alia debet movere ſenſum primò ac per ſe. Ergo ſi ſenſibile commune, prout cõdiſtinctum à proprio, non movet ſenſum primò & per ſe; nullatenus imprimit ſpeciẽ propriam, ſeu condiſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij. Quare huic ſententiæ ſuffragantur, poſt Philoponum & Paulum Venetum, Thomiſtæ, & alij plures, vt Ferrara in locum indicatum Ariſt. Bañez in locum nuper exſcriptum S. Thomæ, Ioannes à S. Thom. *q. 4. art. 2.* Complutẽſes *diſp. 9 q. 2.* Conimbricenſes *lib. 2. in c. 6.* Rubio *tract. de obiectis & ſpeciebus q. 11.* Suarez *tom. 2 Summæ Theologiæ tract. 3. de Anima lib. 3. c. 8. n. 5.*

3 *RATIO* Eruitur ex eodem S. Doctore, & ſub hanc methodum inſtitui poteſt. Impoſsibile eſt potentiam cognoſcitivam moveri per ſpeciem propriã ab aliquo obiecto, niſi ſit obiectum proprium & ſpecificativum ipſius. At ſenſibile commune non eſt obiectum propriũ

& specificativum ipsius. At sensibile commune non est obiectum proprium & specificativum sensuum externorum. Ergo impossibile est sensus externos moveri a sensibili communi per speciem propriam. Restat igitur vt solùm moveat sensus externos per eandem speciem sensibilis proprij, prout modificatam & affectam repræsentatione sensibilis obiecti in communi. Vtraque consequentia infertur ex præmissis. Maior illarum constat: Quia nulla potentia cognoscitiva potest moveri à duplici obiecto proprio & specificativo, sicut neque illud habere: quoniam potentiæ specificantur & distinguuntur specie essentiali per ordinem ad propria obiecta & specificativa vniuscuiusque. At omnis potẽtia, quæ movetur per speciem propriam ab aliquo obiecto, movetur ab eo, vt obiecto proprio & specificativo, vt ex se patet. Ergo impossibile est potentiã cognoscitivam moveri per speciem propriam ab aliquo obiecto, nisi sit proprium & specificativum ipsius. Alioqui enim haberet duplex obiectum specificativum & proprium. Iam minor illa præcipua suadetur: Quia obiectum proprium & specificativum cuiuslibet sensus externi, debet illum distinguere a reliquis: nam si non distinguit, erit reliquis commune, quod opponitur proprio. At sensibile commune non distinguit aliquem sensum externum à reliquis: cùm à pluribus illorum æqualiter percipiatur. Ergo sensibile commune non est proprium & specificativum obiectum externorum sensuum.

4 *CONFIRM.* Eatenus obiectum potest movere seu immutare potentiam cognoscitivam, quatenus mittit in eam speciem. At sensibile commune, vt conditionatum à proprio, nequit movere seu immutare potentias sensitivas externas, sed solùm induendo rationem sensibilis proprij. Ergo neque mittit speciem distinctam à specie sensibilis proprij in eadem potentias, sed solùm indutam ratione speciei eiusdem sensibilis proprij. Probatur minor: Quia nulla potentia potest immutari seu moveri, nisi sub ratione sui obiecti specificativi & proprij: quod solùm est obiectum motivum ipsius. At sensibile commune, vt conditionatum à proprio, non est obiectum specificativum alicuius potentiæ sensitivæ externæ: quoniam singulæ specificantur à sensibilibus proprijs, vt patet discurrendo per singulos sensus exteriores, & constabit amplius disputationibus subsequentibus. Ergo sensibile commune, vt conditionatum à proprio, nequit immutare seu movere potentias sensitivas externas. Solùm itaque immutare potest illas, induendo rationem sensibilis proprij.

5 *ITAQVE* Quemadmodum nullus modus existere potest absque re illa, cuius modus est, ita etiam sensibile commune, quod modificat proprium, nequit poni, aut movere potentiam seorsim à sensibili proprio, ac proinde nec repræsentari, nisi per speciem illius. Maxime, quoniam singularitas sensibilis proprij pendet a modificatione, quam præstat sensibile commune: ideoque species ipsa, quæ repræsentat aliquod sensibile proprium in singulari, ita etiam involvit repræsentationem sensibilium communium, à quorum modificatione dependet singularitas illarum in esse, tum & in repræsentari, seu cognosci a proprio & singulari sensu.

6 *DICES.* Vel sensibile commune comparatur per se ad sensum, vel solùm per accidens. Si secundùm; sensibile commune non differet à sensibili per accidens, cuius oppositum statuimus initio disputationis. Si autem comparatur per se nulla erit differẽtia vtriusque: ac proinde, sicut sensibile proprium repræsentatur per speciem propriam, ita & commune. *RESP.* sensibile commune differre a sensibili per accidens, vt infrà constabit, & tamen cõvenire cum proprio in eo quòd sit sensibile per se, sive in eo quòd comparetur per se ad sensum. Etenim sensibile commune ita pertinet ad plures sensus, vt tamen res aliqua ab ijs nequeat sentire, nisi per ipsum modificetur. Certum enim est non posse rem aliquam percipi à visu modo corporeo sine aliqua magnitudine, quæ est vna ex sensibilibus communibus. Consimiliter motus & quies, atque alia eiusmodi, ita afficiunt obiectum sensibile proprium, vt sine aliquo illorum nequeat attingi sensibile particulare, quod quatenus tale dependet per se & immediatè ab istis conditionibus singularibus. Aliunde verò differunt sensibile commune & proprium. *Primò*, quia sensibile commune spectat ad plures sensus: proprium vero ad vnum dũtaxat. *Secundò*, quia sensibile proprium pertinet directè & per se primo ad specificationem sensus particularis, quo percipitur: sensibile autem commune solum per se se-

ſecundò, & veluti modus ipſius ſenſibilis proprij. *Tertiò*, quòd circa ſenſibile commune contingere ſoleat deceptio ſenſus, non autem circa ſenſibile propriũ. *Quartò* denique, quod ſenſibile commune non moveat ſenſum per aliquam ſpeciem propriam, ſed tantùm modificet ſpeciem ſenſibilis proprij, primo ac per ſe moventis ſenſum.

7 *QVOD* Non modò intelligendum eſt de ſpeciebus ſenſibilis communis ſuprà enumeratis, ſcilicet, motu, quiete, numero, figura, & magnitudine, ſed etiam de alijs, quæ reductive in eaſdem ſpectant. Eiuſmodi autem ſunt, tempus, quod pertinet ad motum, vel quietẽ, quatenus eſt duratio motus; & ſimiliter locus, ac ſitus; ille quidem, quoniam eſt magnitudo ambiens locatum; hic verò, quia eſt figura quædam exterior, vt ſtandi, vel ſedendi. Quemadmodum enim ſenſu nihil cognoſcitur, niſi ſub aliquo motu, quiete, numero, figurà, aut magnitudine; ita neque percipitur, niſi quatenus durans multùm aut parũ neque niſi in aliquo loco, ſurſum aut deorſum, dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, lõgè aut prope, antè aut retrò. Neque etiã, niſi ſub aliquo ſitu ſtandi, ſedendi, cubandi, ſuſtinendi aliud, aut in eo requieſcendi, &c. Huc etiam ſpectat velocitas ac celeritas motus: de qua in Phyſica *diſput.* 41. *à num.* 16. oſtendimus contra Oviedum oculis percipi. Quippe omnia hæc aliquo ex ſenſibus percipiuntur, veluti modificationes quædam ſenſibilis proprij, & ad quantitatem ſenſibilem ſpectantes; quamvis non moveant primòac per ſe ſenſum aliquem, ideoque nec mittant propriam ſpeciem ſui.

8 *OBIICIES* Contra præcipuum Aſſertum. Species ſenſibilis proprij, coloris v.g. relatè ad viſum, nequit repræſentare ſenſibilia communia: quia hæc omnia ſpectant ad quantitatem, color verò ad qualitatem. Nequit autem vnica ſpecies, ſi materialis & valde imperfecta ſit, qualis hæc de qua agimus, repræſentare ſimul obiecta adeò diſsita, & primò diverſa, vt qualitatem & quantitatem. Ergo ſenſibile commune, vt diſtinctum à ſenſibili proprio viſus, debet mittere ſpeciem propriam ſui. Si autem dicatur ſpeciem ipſam coloris ſubire additionem aliquam vt extendatur ad repræſentanda ſenſibilia communia, illa additio erit ſpecialis eorũm repræſentatio, ideoque & ſpecies ipſorum propria.

9 *CONFIRM. I.* Paſsim enim accidit, invariato colore, & luce, variari viſionem oculi ex ſolà variatione ſenſibilis communis penes ſitum, motum, aut figuram. Ergo & neceſſe eſt tunc variari ſpeciem: quia ſtante eà in pupillà oculi, perſiſteret eadem viſio. At non variatur ſpecies coloris aut lucis, quæ ſunt ſenſibilia propria viſus. Ergo ſupereſt vt ſpecies ſenſibilium communium varientur, invariatà ſpecie ſenſibilis proprij. Ergo cùm non poſsit eadem ſpecies variari ſimul realiter & non variari, debet eſſe diſtincta ſpecies vnius à ſpecie alterius.

10 *CONFIRM. II.* Aliqua enim ſunt ſenſibilia communia, quæ ſentiuntur abſque ſenſibili proprio. At ſentiri nequeunt, niſi per aliquam ſpeciem. Ergo cùm ſpecies nõ ſit ſenſibilis proprij (quippe quod tunc non ſentitur) debet eſſe ſpecies propria ſenſibilium communium. Maior, in quà eſt difficultas, ſuadetur experimento. Quando enim alicui infertur vulnus, non ſentit calidum, aut ſiccum, frigidum, aut humidum; quod eſt proprium tactus obiectum: ſed ſolùm diviſionem illam, aut compreſsionem partium, vel aliquid durum, aut aſperum, quæ ſunt ſenſibilia communia. Præterea, ſiquis digito tangeret cœlum, ſolùm perciperet ibi duritiem, aut ſoliditatem, quæ videntur ſenſibilia communia; non tamen aliquam ex primis qualitatibus, quæ ſunt ſenſibile proprium tactus: quoniam nulla earum in corporibus cœleſtibus locum habet, vt *diſput.* 63. dictum eſt. Denique cùm videmus animal moveri à longè, & tamen non percipimus colorem aliquem, viſus percipit motum, qui eſt ſenſibile commune, & non percipit colorem, qui eſt ſenſibile proprium. Idemque ferè eſt quando oculis clauſis ſentitur opacum corpus ante illos tranſiens, quin tamen percipiatur color vel lux. Aliqua igitur ſenſibilia communia ſentiuntur abſq; ſenſibili proprio.

11 *RESP.* Argumentum præiactum, ſi quidquam probat, nimiùm probare: ſcilicet, ſenſibile per accidens non poſſe repræſentari per ſpeciem obiecti ſenſibilis, nec communis, nec proprij; quia eſt in ſeipſo ſubſtantia, & hæc nequit repræſentari per ſpeciem accidentis, ſi nequit quantitas repræſentari per ſpeciem qualita-

IESVS INTELLECTUALIUM

tatis. Consequens autem absurdum est. Dico igitur, speciem sensibilis proprij, v. g. coloris, posse ac debere repræsentare illū cum circunstantijs sensibilitatis communis, quibus hic & nunc afficitur: quia cùm sit species materialis & adeò imperfecta, nequit repræsentare colorem in abstracto, aut sub præcisione ab ijs circunstantijs particularibus, sed potiùs indutam, quamvis illæ ad diversum prædicamentum quantitatis spectent. Quare ipsa imperfectio prædictæ speciei est in causa vt res diversorum prædicamentorum repræsentet; non quidem vtrasque ex æquo, sed alteram directè, & veluti obiectum motivum, alterā verò tantùm vt modificatricē ipsius. Neque ad illam modificationem repræsentandam opus est distinctā specie, aut repræsentatione: quia illa non est obiectum simpliciter, sed modus obiecti; atque adeò sufficit quòd species sensibilis proprij quatenus modificata repræsentet sensibile commune.

12 *AD I.* Confirm. Dici potest, invariato colore, tam penes substantiam, quàm modum, non variari visionem: variato autem penes modum aliquem à sensibili communi diverso provenientem, vt in casu obiectionis variari etiam visionē ex parte alicuius modi, & similiter speciem præexistentem perseverare eandem quò ad substantiam, solumque subinduere diversum modum ab eo, sub quo antea erat. Sic etiam visio beatifica D. Petri v. g. variatur penes modum aliquem tantum, quoties extenditur ad videndum in essentia divinā, prout modificatā decreto aliquo, rem futuram, ad quam percipiendam antea non extendebatur: vt alibi ex professo statuimus, probantes visioni beatificæ non esse essentialiter annexam suam æternam durationem. Iuxta quam solutionem, nunquam probatur, variata realiter, sive quò ad realitatem, speciē sensibilis proprij, persistere realiter speciem sensibilis communis: quod oportebat probare, vt argumentum vim haberet. Præterea, & aliter, occurri posset, asserendo speciem coloris intrinsecè aliā esse, quoties color subinduit modum aliquem intrinsecum sensibilis communis, quem antea non habebat: quia id sufficit ad variandum numericè obiectum in ratione sensibilis proprij. Quare tunc etiam visio est numericè distincta, & nunquam verificatur variari speciem sensibilis communis, quin & proprij. Quippe eadem ipsa, quæ vtrumque oculo repræsentabat, deficiente illo modo sibi intrinseco, tota evanescit, & altera nova ac modaliter diversa succedit.

13 *AD II.* Confirm. negatur assumptum. Neque id probatur instantijs ibidem adductis. Quando enim quis vulneratur, sentitur duritiei corporis dividentis continuum, quæ est qualitas tangibilis, & pertinens ad proprium sensibile tactus, vt constabit proprio loco. Similiter & dolor pertinet ad sensum tactus, vt ibidem apparebit. Vnde & occurritur hypothesi, in qua quis cœlum digito tangeret. Cùm enim nostra ac veriori sententia *disp.* 66. statuta sit solidum, etiam durum est: ideoque digitus perciperet in eo duritiem, quæ est qualitas per se tangibilis, sicut & mollities, & asperitas, & lenitas; sive oriantur ex primis qualitatibus, vt in rebus subcœlestibus; sive aliunde proveniant, & independenter ab ijs. Dato autem quod non sint qualitates per se primo tangibiles, aut solliditas cœli ita se habeat, vt nequiret sentiri per tactum positivè duities in cœlo, adhuc sentiretur negativè, quoniam digitus inveniret ibi resistentiā aliquam, ne viterius progrederetur: quēadmodum si quis ab Angelo detineatur, non percipiet aliquam tangibilem qualitatem in eo, sed tamen experietur impotentiam in se, & resistentiam negativam, quā impediatur à progrediendo.

14 *AD* Id verò, quod obijcitur de animali viso a longe se movente, quin tamē percipiatur color ipsius, facilè occurritur: quemadmodum enim motus non percipitur distinctè, sed solùm in confuso, ita & color. Et qua ratione contingit non discerni in eo motu circunstantias velocitatis, aut tarditatis, qua fit, sed solùm rationem communem motus progressivi; ita etiam accidit ratione distantiæ, nō discerni differentiam specificam coloris, sed solùm rationem communem, & confusam. Quare nunquam contingit visum moveri a sensibili communi, quin etiam à proprio. Denique nunquam oculis clausis percipitur aliquid opacum ante nos transiens, nisi palpebræ operientes oculos sint aliquomodo transparentes & excipiant aliquid lucis: vt & in quibusdam cœcis accidit, qui directis ad Solem oculis percipiunt aliquid subobscuræ lucis.

SE-

SECTIO SECVNDA.

In quo differat ſenſibile per accidens à ſenſibili per ſe, ſive proprio, ſive communi?

15 QVEMADMODVM Verò ſupra *num.* 6. aſsignavimus plura diſtinctionis capita inter ſenſibile commune & proprium, ita & nunc aſsignare oportet, in quibus differat ſenſibile per ſe a ſenſibili per accidens. Potiſsimum autem diſcrimen in eo conſiſtit, quòd ſenſibile per accidens ſit ſubſtantia, cui, veluti ſubiecto, inhærent ſenſibilia propria & communia: ideoque non ſpectat ad obiectum ſenſus, niſi in quantum eſt ſubiectum, in quo reſidet obiectum ſenſus; ſolumque ſubiectivè trahitur ad obiectivam rationem ſenſus, non tanquam ratio formalis immutans ſenſum, ſed veluti ſubiectum cui accidentaliter ineſt talis ratio. Senſibile autem per ſe, ſive commune ſit, ſive proprium, non eſt ſubſtantia, neque ſubiectum cui inhæreat obiectiva ratio ſenſus: ſed eſt ipſum obiectum, quod movet ſenſum, ſive tanquam ratio formalis, vt ſenſibile propriū; ſive tanquam immediata modificatio ipſius, vt ſenſibile commune. Doctrinâ hæc ſatis conſtat ex præcedentibus, & ex ipsâ ferè apprehenſione terminorum, traduntque ab Ariſtot. in præſenti *lib.* 2. & D. Thoma *ibid. lect.* 13. Quare ſolùm eget aliquanto vberiori explicatione.

16 *PRIOR* Pars, quæ eſt de ſenſibili per accidens, ſuadetur facilè: Quia ſubſtantia materialis ex propriâ ratione imperceptibilis eſt à ſenſu, qui tantùm poteſt obiectum ſuum percipere ſub aliquâ ratione accidentali ſenſibilis proprij. Ergo tantum poteſt ſubiectivè, ſive per modū ſubiecti, ſpectare ad obiectum ſenſus. Subſtantia autem materialis eſt, quam omnes appellamus ſenſibile per accidens. Ergo ſenſibile per accidens, ſolùm ſubiectivè ſpectat ad obiectum ſenſus. Hic autem concurſus per modum ſubiecti ita de materiali ſe habet ad immutandum ſenſum, vt, quamvis non adeſſet, adhuc ſenſus immutaretur ab obiecto ſenſibili per ſe: vt patet in accidentibus Euchariſticis, quæ ſeparata ab omni ſubiecto, æquè immutant ſenſus, ac ſi illud adeſſet. Subiectum enim non ſpectat, neque exigitur ad rationem formalem obiecti ſenſibilis, quatenus ſenſibile eſt; ſed ſolùm præſuppoſitivè, & materialiter, quatenus accidens eſt.

17 *DICES*: Si ita eſt, ſenſus nullo modo percipiet ſenſibile per accidens, ſed tantùm ſenſibile per ſe: quia non percipiet id, quod tantùm ſubiectivè & præſuppoſitive ſe habet ad rationem obiecti ipſius, qualiter dicimus ſe habere ſenſibile per accidens. Conſequens autem abſurdum eſt, & contra D. Thomam 1. *p. q.* 17. *art.* 2. vbi perſpicuè indicat ſenſibile per accidens attingi ſeu cognoſci à ſenſu. *RESP.* negando ſequelam: quia licèt ſenſus non immutetur à ſenſibili per accidens ratione ſui, ſed tantùm ratione ſenſibilis per ſe, cui ſubſtat; adhuc tamen verum eſt quòd ſenſus externus tangit totum id, quod ipſi objicitur, nimirum, corpus coloratum, Socratem, aut Platonem, non præcindēdo in eo vnum ab alio. Quare non modò ſenſus percipit in Socrate ſenſibilia communia, & propria, ſed etiam ſubiectum illorum; ipſum, ſcilicet, Socratem mediātibus ijs. Et quod dicimus de Socrate, ſive de ipſius ſubſtantiâ, dicendum eſt de omni illo, quod accidit ſenſibili per ſe, ita vt neque ad ſubſtantiam, neque ad modificationem immediatam illius ſpectet. Quare ſicuti eam ob cauſam ſubſtantia, ſive ſubiectum ſenſibilitatis per ſe, attingitur tantùm per accidens à ſenſu; ita etiam proprium ſenſibile vnius ſenſus, ſi comparetur ad ſenſum alium, eſt ipſi ſenſibile tantùm per accidens: ſicut album dulce, quatenus dulce, eſt viſui ſenſibile per accidēs; & quatenus album guſtui. Tam enim per accidens convenit guſtabili quòd ſit album, quàm viſibili quod ſit dulce. Hæc tamen inſenſibilitas per ſe, & ſenſibilitas per accidens, ſolùm eſt reſpectiva in ordine ad ſenſus diſparatos: nam alioqui, & abſolutè loquendo, tam dulce, quàm album, ſunt ſenſibilia per ſe: quia ad hoc ſufficit vt ratione ſui apta ſint ad immutandum aliquem ſenſum, quamvis non omnem. Solùm itaque ſubiectum omnium accidentium, quod eſt ſubſtantia, eſt ſimpliciter & abſolutè ſenſibile per accidens: quia ex propria ratione non habet immutare aliquem ſenſum, neque ſpecificando, neque modificando; niſi ſolum prout accidentaliter induit rationem obiectivam alicuius ſenſus, illamque ſuſtinet, velut ſubiectum, ſive ſubſtratum ipſius.

18 *INSTABIS*: Subſtantia, ſive ſub-

subiectum accidentium, non minùs videtur modificare sensibile proprium vniuscuiusque sensus, quàm sensibilia communia. Ergo quemadmodum hæc recensentur à nobis inter sensibilia per se, ita etiam substantia ipsa accenseri debet. Probatur antecedens. Sensibilia enim communia solùm possunt modificare sensibile proprium, quatenus hoc ad sui individuationem exigit quantitatem, in quâ sensibilia fundantur; ideoque sine ijs in individuo exteriùs sentiri non potest. At idem sensibile proprium ad sui individuationem exigit substantiam, à quâ individuatur, sicut & ipsa quantitas, & sensibilia communia. Ergo substantia non minùs, sed potiùs magis quàm sensibilia communia modificat sensibile proprium.

19 *RESP.* Negando antecedens. Ad probationem dicendum, sensibilia communia ideo modificare sensibile proprium, quia spectant ad individuationem ipsius, non quodcumque, neque in genere præsuppositi entis, sed in ratione obiecti, & in ipso munere movendi sensum externum; qui nequit percipere suum proprium sensibile ab ijs abstractum, & quolibet eorum ablato, aut mutato, variat necessariò sensationem. Quare meritò sensibilia communia accensentur sensibilibus per se, quoniam intrinsecè & in ratione obiecti immediatè modificant, individuantque sensibile proprium. At verò substantia solùm individuat accidentia sensibilia, sive propria, sive communia, in genere præsuppositi entis, quatenus sunt quædam accidentia, seu entia in alio, quæ nequeunt movere sensum, aut operari vllo modo, nisi semel existentiam acceperint dependenter à subiecto. Cæterùm in ratione obiecti formaliter non præstat ijs individuationem: nam potest contingere quod ablato subiecto per miraculum maneat eadem numero visio, quæ antea, terminata ad eandem hostiam immediatè ante, & immediatè post consecrationem; cùm tamen post consecrationem maneat absque subiecto præcedenti. Ergo hoc non concurrebat ad individuandam albedinem hostiæ in esse obiecti visus. Sic enim oporteret necessariò variari in individuo visionem, sicut variatur sensio externa per numericam variationem obiecti.

20 *POSTERIOR* Pars tam aperta est, vt vix probatione indigeat: Quia sensibile per se, sive proprium, sive commune, est quod constituit obiectum alicuius sensus, sive tanquam ratio formalis, sive tanquam modus immediatus illius, quatenus terminat actum sensus. At substantia non constituit obiectum alicuius sensus, neque vt ratio formalis, neque vt modus immediatus illius; cùm ratione sui abstrahat ab omni materiâ sensibili, sicut & à quantitate, in qua omnis sensibilitas fundatur. Ergo sensibile per se, sive proprium, sive commune, non est substantia. Est itaque accidens aliquod per se & immediatè aliquo sensu perceptibile, & diversum pro varietate sensum: vt disputationibus sequentibus seorsum apparebit.

SECTIO TERTIA.

An sensibile proprium ita comparetur ad sensus externos, vt positum immediatè iuxta illos, sentiatur, aut sentiri possit.

21 DICENDVM Est præterea, sensibile proprium, quod est obiectum vniuscuiusque externi sensus, non posse sentiri ab eo immediatè, absque interiectione alicuius medij, aut interni, aut externi; scilicet, vel quod sit pars ipsius sentientis coniuncta organo; vel corpus distinctum & coniunctum sentienti. Ita expressè Arist. in præsenti *lib. 2. c. 7. textu 74.* vbi id decernit de visu, dum ait: ὁ σὶτε ἀναγκαῖον τι εἶναι μεταξύ. *Quare necesse est aliquid esse medium:* scilicet, inter colorem, & visum, de quibus agebat. Et *textu 75.* sequenti, de cæteris sensibus singillatim id ipsum tradit, his verbis: *Eadem autem est de sono, & de odore etiam ratio. Nihil enim illorum sensus instrumentum tangens, efficit sensum. Sed ab odore quidem & sono movetur medium: ab hoc autem vtrumque sensuum instrumentum. Quòd si quisquam super ipsum instrumentum sensus, vel id quod sonat, vel id quod olet, posuerit, nullus profecto sensus efficietur. Simili etiam modo se habet res in tactu, & gustu, sed non apparet.* Quid expressius? Quare eandem sententiam tradit D. Thomas *ibid. lect. 15.* & postea in textu 116. vbi specialim agit de tactu, & probat organum ipsius esse intus, quoniam sensibilia immediatè superposita carni sentiuntur, nō autem posita supra organum sensus: ideoque convincitur, carnem non esse organum,

sed

ſed dumtaxat medium tactus. Subſcribũt Caietanus *lib.2.de Anima cap.7.& 10.* Baneż *1.p.q.78.art.3.* Complutenſes *diſp. 9. q.3.* Ioannes a S.Thom.*q.4.art.3.* & plerique alij. Difficultas autem eſt in reddenda ratione eius doctrinæ.

22 *PROBANT I.* Aliqui, tum ab experimento, quia viſibile positum ſupra oculum non videtur: tum ex naturâ coloris, quia eſt motivus diaphani, iuxta definitionem Ariſt. ideoque nequit movere potentiam, niſi mediante diaphano. Igitur nequit ſenſibile movere potentiam ſeu ſentiri, niſi interpoſito aliquo medio.

23 *VERVM* neque experimentum, neque ratio aſsignata, rem conficiunt. Non primum: quia licèt coloratum in corpore opaco poſitum ſupra oculum non videatur, quoniam opacitate ſua tegit viſum; ſi tamẽ luminoſum immediatè poneretur ſupra oculum, difficile eſt reddere rationem, cur non videtur. Nunquam verò experimento didicimus aliquid luminoſum poni immediatè ſupra oculum: nam ſi quod illud eſſet, maximè luminoſum ſubcœleſte, quale tantùm eſt luminoſum igneum, quod omni opacitate caret. Hoc autem nequit poni immediatè ſupra oculos, quoniam nimiùm illos læderet, & impediret vitum. Nullo ergo experimento probatur, viſibile poſitum immediatè ſupra oculum impedire viſum. Neque etiam id probatur ex natura coloris: quia licèt ſit motivus, ideo eſt, quia non invenit lucem aliquam prope oculũ, niſi diaphano ibidem exiſtente. Si autem lux in oculo maneret ſeorſim a diaphano, color ratione ipſius immediatè moveret viſum.

24 *PROBANT II.* Alij, quia ſenſatio eſt actio quoddammodo immaterialis: ideoque exigit pro principio ſpeciem in eo immaterialitatis gradu, in quo ipſe ſenſus exiſtit. At ſpecies prout oritur immediatè ab obiecto non eſt in eo immaterialitatis gradu, in quo ipſe ſenſus exiſtit. Ergo prout oritur immediatè ab obiecto, non eſt principium aptum ad ſenſationem. Probatur minor: quia ſpecies prout oritur immediatè ab obiecto oritur nimis craſſa, exigitque ſubtilior reddi à medio. Experimur enim, ſpecies attenuari & ſubtiliores reddi ratione diſtantiæ; quia obiecta quæ diſtant, ſubtiliore & tenuiore modo percipiuntur, quoniam ſpecies ſunt tenuiores. Ergo ſpecies prout oritur immediatè ab obiecto non eſt in eo gradu immaterialitatis in quo ſenſus exiſtit: ideoque indiget alicuius medij interpoſitione vt ſubtilior reddatur, & ſic pariat ſenſationem.

25 *SED* Contrà. Medium enim non reddit ſpecies ſubtiliores via perfectionis, reddendo illas immaterialiores; ſed potiùs via imperfectionis, reddendo eas tenuiores & debiliores ad obiectum repræſentandum. Si enim redderet illas immaterialiores, redderet vtique perfectiores, & clariùs repræſentantes obiectum: quoniam omnis ſpecies intentionalis eo perfectior eſt, & eò clariùs ſuũ obiectum repræſentat potentiæ, quò immaterialior exiſtit. At experimur, quo maius mediũ interponitur, eo minùs clarè obiectum repræſentari a ſpecie. Ergo quia ſpecies non redditur immaterialior a medio. *Dices*, principaliorem vim aſsimilandi, ſive repræſentandi, eſſe in obiecto; pendere tamen a medio, tanquam ab inſtrumẽto, vt ſpecies evadat immaterialior: quemadmodum manus eſt principalior vis ad ferendum ictum, & tamen illum non ita perfectè fert per ſe ipſam immediatè, ac mediante malleo. *Contrà* enim eſt, quod ſpecies ſenſibilis oritur ab obiecto, vt naturalis ſimilitudo ipſius, ac proinde toto naturæ impetu. Ergo nihil perfectionis habere poteſt ex medio, quod non præhabeat ex obiecto. Impulſus verò non trahit a manu totam perfectionem ſeu vim feriendi, quam habere poteſt; ſed potiùs illã auget ratione denſitatis mallei. Si enim tota feriendi ratio eſſet impulſus à manu proveniẽs, æqualem pareret ictum interpoſita ſtipula, ac malleo; aut interiecto malleo ligneo, ac ferreo: cuius oppoſitum patet. Atqui etiam patet ex oppoſito, quo plus medij interponitur eo imperfectiorẽ reddi ſpeciem repræſentativam obiecti. Ergo ſpecies non perficitur a medio, ſicut impulſus a malleo.

26 *IDEO* Aliter ſuadenda eſt doctrina eadem ex neceſsitate ſenſibilium ſpecierum in omnibus potentijs cognoſcitivis, & ſenſibus externis, ad percipiẽdum obiecta; quã cum communi Philoſophorum ſententia ſupponimus modo, & probabimus ex profeſſo in hoc ipſo tractatu. Ea verò pro nunc ſtatuta, neceſſario colligitur, ſenſibile indigere medio aliquo interiecto, vt percipiatur a ſenſu. Nam ſi eo non indigeret, ſed immediatè coniũctum ſen-

sensui posset ab eo percipi, nulla esset necessitas speciei impressæ superadditæ. Quoties enim obiectum intimè vnitum potentiæ cognoscitivæ ab ea percipitur vt est in se, nulla necessitas est speciei superadditæ; quæ solùm instituta est vt supppleat vices obiecti distantis, vel absentis, quod seipso immediatè nequit esse præsens potentiæ. Aut igitur neganda est necessitas sensibilium specierum communiter supposita, aut dicendum obiecta sensibilia, si sint proximè sensui coniuncta, nō posse ab eo percipi.

27 *CONFIRM.* Quia dum Theologi docent essentiam divinam vnirì immediatè mentibus Beatorū loco speciei, vt Deum videant, aiunt id provenire ex summà ipsius profectione, quà identificat cum proprio esse omnem intelligibilitatem, tam in ordine ad proprium intellectum, quàm alienum: ideoque negant possibilem esse naturam intellectualem creatam, quę immediatè vniatur alieno intellectui per modum speciei, vt illam cognoscat. Ergo multò magis repugnat quod obiectum sensibile, vsque adeo materiale & limitatum, vniatur immediatè in ratione speciei cum sensu externo, vt hic cognoscat illud immediatè. Si autē obiectum sensibile immediatè coniunctū sensui ab eo perciperetur, illud coniungeretur in ratione speciei impressæ ad passivā sui ipsius cognitionem. Nihil enim præstare posset media species interiecta & superaddita, quod æquè bene non præstaret per seipsum: neque species lucis v.g. recepta in oculo aliquid ad videndum conferret, quod ab eadem luce oculo proxima, si ab eo videri posset, non conferretur.

28 *CONFIRM. II.* Si enim sensibile positum iuxta sensum immediatè, ab eo perciperetur, nulla esset ratio cur singuli sensus externi de facto, non perciperent sensibilia propria sibi immediatè coniuncta. Scilicet, cur oculus non perciperet pupillam intra se existentem, quæ certè lucida est, & species ad aliorum oculos mittit. Cur etiam tactus non sentiret suas qualitates, nec gustus vicinos carnis atque humorum sapores, neque auditus sonos absque motione aëris intermedij deferentis species, neque tandem odoratus vicinos odores. Cùm igitur assiduo omnium experimento pateat, neque oculum percipere immediatè suam pupillā; neque tactum primas qualitates proximas sibi; neque gustum vicinos carnis suę sapores, aut vllos alios, nisi deferente species saliva; neque auditū sentire nisi motionem aëris interiecti; nec tandem odoratum odores sibi immediatos; consequēs est, vt sensibile positum iuxta sensum immediatè ab eo non percipiatur.

29 *OBIICIES* Nonnulla experimenta specie tenus contraria in singulis sensibus. *Primò* in visu, ad quem vsque debet pervenire, seu continuari lumen, vt videatur obiectum, iuxta D. Thom. in librum Arist. de *Sensu & Sensili lect.* 5. Si autem lumen debet continuari vsque ad oculum, vt ab eo videatur, oculus planè percipiet lumen sibi immediatum. Huc etiam spectat, quòd quādoque clausis oculis videatur obversari nobis quendam fulgorem in palpebris clausum, & immediatum oculo. Ergo visus percipit illum fulgorem sibi immediatum. *Secundò* in auditu quandoque percipimus aliquod murmur inopinatò, aut quando ex industria premimus digito auriculam, aut quando facta ingenti commotione aëris iuxta nos aliquid illius intrat in aurem. *Tertiò* in gustu, quoties aliquid dulce aut amarum ponitur supra linguam immediatè, causat dulcorem seu amarorem: & in febricitāte infirmo amarus humor intra linguam clausus percipitur, omnemque cibum eidem superpositum amaricari facit. *Quartò* in odoratu, quem penetrat fragrantia vicini aromatis, non modò vsque ad mēbranas narium, sed & vsque ad ipsum cerebrum, ita vt immediatè percipiatur. *Quintò* denique in tacta, cuius sensorium, sive caro sit, sive nervus, si pungatur acu, percipit ingentem dolorem immediatè in seipso. His & similibus experimentis ducti aliqui Recentiores opinioni contrariæ adhærent: aliqui quò ad omnes sensus externos: alij quò ad omnes, excepto visu, vt nuper Sancta Crucius, in præsenti *num.* 414. alij quò ad tactum & gustum, vt Conimbricenses *lib.* 2. *c.* 11. *q.* 3. *art. vlt.* alij etiam quò ad odoratum, vt Arriaga, & qui cum eo negant ijs tribus sensibus species obiectorum, quia præ alijs exigunt obiecta vicina & contigua.

30 *RESP.* Nullum ex præiactis experimentis obstare. *AD 1.* Exigitur quidem cōtinuatio luminis vsque ad oculos: non tamē videtur quatenus oculis immediatum est, sed quatenus est in medio, vel obiecto aliquantulum distante: vt om-

nes

nes ad ſenſum experimur, & ipſi Adverſarij, quibuſcum diſputamus, negare non poſſunt. Quando autem clauſis oculis percipimus aliquid lucis, non videmus fulgorem aliquem intra palpebras exiſtentem, ſed per ipſas palpebras, quæ aliquid diaphaneitatis habent, percipimus in confuſo lucem extra oculos poſitam. *AD II.* Auditus non percipit ſonum aliquem intra ſe factum, ſed in quibuſdam cavitatibus auriculæ, iuxta ſenſorium ipſius: idque ſive ſubitò fiat ſtrepitus aliquis, ſive data opera. *AD III.* & *V.* fatemur, maiorem obiecti ſenſibilis proximitatem exigi circa guſtum & tactum, quàm circa alios ſenſus, quia ij duo cæteris craſsiores ſunt. Nunquam tamen exigunt patiunturve immediatam obiecti coniunctionem vt ſentiant, ſed ſemper indigent aliquo medio inter ſenſorium guſtus & tactus atque obiectum vtriuſque. Porrò medium guſtus eſt caro in lingua, tactus autem caro in toto corpore: ſenſorium vero vtriuſque, nervus ſub carne poſitus. Itaque quātumvis aliquid appareat vicinum guſtui aut tactui, & ab eo immediatè perceptum, verè aliquid mediat inter illud & ſenſorium. Quod ſi verò accidat ſenſibile immediatè tangere nervum ipſum vbi eſt ſenſorium, vt ſi pungatur acu, non ſentiet illud pars quæ immediate tangitur, ſed alia ipſi coniuncta. Si autem contingat totum nervum ſive ſenſorium æqualiter immediatè tangi ab obiecto ſenſibili, nulla eius pars aget in aliam ſimili qualitate affectam, quia ſimile non agit in ſimile. Vbi autem læſio inæqualis fuerit, poterit vna pars vicina agere in aliam. *AD IV.* Odoratus non percipit particulam illam exhalationis, quæ ponitur immediatè ſupra ſenſorium, ſed aliam eidem parti proximiorem. Verùm hæc amplius elucidabuntur diſputationibus ſubſequentibus.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm ſenſibile vehemens lædat ſenſorium directè ratione alicuius actionis phyſicè illud alterantis; an ſolùm ratione actionis intentionalis?

31 EXPERIMENTO Patet organum cuiuſcumque ſenſus externi lædi ex vehementia proprij ſenſibilis. Lux enim ſolaris medio ac ſereno die viſa immota acie oculorum, feruore ſuo diſsipat ſpiritus, & temperiem illorum exactam ad rectè videndum. Similiter & ingentes tonitrus, ac ſtrepitus bombardarum, exterrent auditum, eoque vehementiæ accedere poſſunt, vt illi magnum nocumentum inferant. Sic qua parte Nilus ex Æthiopia profluit in Ægyptum horrendo aquarum præcipitum murmure, dicitur homines ijs locis vicinos ſurditatem contrahere propter vehementiam nimiam obiecti proprij auditus. Generatimque idipſum de omni ſenſu tradit Ariſt. in præſenti *lib. 3. cap. 2. textu* 143. illis verbis: καὶ διὰ τοῦτο καὶ φθείρει ἕκαστον ὑπερβάλλον, καὶ τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ βαρὺ, τὸν ἀκοὴν, &c. *At quia ob idipſum exſuperās quodque, tam acutum, quàm graue, corrumpit auditum; atque deuaſtat, & in ſaporibus guſtum, & viſum in coloribus id, quod eſt nimis ſplendidum; & in odoribus vehemens odor.* Redditque rationem: ὡς λόγος τις ὢν ὁ τοῦ αἰσθητικοῦ: *quia ſenſus ipſe quædam eſt ratio rata.* Id autem nemo dubitat prouenire poſſe ab actione phyſica, ſeu alterativa, ſi obiectum ſit potens ad ſenſum phyſicè alterandum. Dubitatur autem vtrùm etiā poſsit lædere ſenſum ratione actionis intentionalis, quà mittit ſpecies vehementes, & excedentes proportionem vniuſcuiuſque ſenſus.

32 *PLERIQVE* Thomiſtæ docent obiectum ſenſibile proprium poſſe lædere ſenſum, etiam ratione actionis intentionalis, qua mittuntur ſpecies, ſi vehementes ſint, quoniam proportionem eius excedunt. Et hanc putant eſſe mentē Ariſtot. in præſenti *lib. 3. textu* 123. aiētis, ex-excellentia ſenſibilia corrumpere ſenſum, quia deſtruit proportionem, ſeu temperamentum ipſius. Idemque docet D. Thom. in textum Philoſophi. Ratione etiam probant: Quia nimius fulgor Solis excœcat oculos, dum intentiùs videtur. At fulgor ſive lux non eſt ex ſe qualitas corruptiva aut alterativa naturaliter, ſed ſolùm intētionaliter. Ergo oculus à nimio fulgore ſive luce excœcatur, læditurve, non per actionem naturalem, ſed intentionalem: nimirum, per hanc deijcitur à proportione ſibi debita. *Confirm.* Experimur enim ſenſum moleſtiam pati à ſenſibili proprio excellente, ac proinde ſubire læſionem aliquam. Ergo per actionem intentionalem. Vnumquodque enim lædítur & corrumpitur a ſuo contrario intra eam li-

neam, in qua habet cum eo proportionem. Cùm igitur sensus habeat proportionē cum sensibili proprio intra sineā intētionalē, consequens est, vt quoties lædi-tur ab eo, per actionem intentionalem lędatur. Quare quoniam aèr, per quem transit species, non habet proportionem intentionalem cum sensibili, vt sensibili, nullatenus ab eo lædi-tur, quamvis vehemens sit.

33 *CÆTERVM* Placet contraria opinio, quia videtur expressa D. Thomæ *in Addit. ad 3. part. quæst. 85. art. 2. ex 4. Sent. distinct. 44. quæst. 1. art. 4.* vbi quęrēs, vtrùm oculus possit videre lucem corporis glorioſi, obijcit pro parte negativa, secundo loco hoc argumentum: *Claritas corporis glorioſi erit maior, quàm claritas Solis. At claritatem Solis in sua rota oculus non potest aspicere. Ergo neque lucem corporis glorioſi.* Respondet verò ad secundum: *Claritas intensa non offendit visum in quantùm agit actione animæ, sed secundùm hoc magis delectat: offendit autem in quantùm agit actione naturæ calefaciendo, & dissolvendo organum visus, & dysgregando spiritus. Et ideo claritas corporis glorioſi, quamvis excedat claritatem Solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demulcet.* Vbi apertè docet, lucidum excellens non lædere sensum actione intentionali, quia secundùm hanc potiùs demulcet sensum; sed tantùm actione alterativa naturali, quà calefacit, & dissolvit organum visus. Quare loco ab Adversarijs allegato, dum docet cum Aristot. excellens sensibile corrumpere sensum, quia destruit eius proportionem seu temperamentum; apertissimè intelligendus est de actione naturali, non autem de intentionali, quam verbis relatis appellat actionem animæ. Sic enim conciliatur facilè vtrumque testimonium, & non aliter, vt rectè observat Ioannes à Sanct. Thoma vbi suprà *art. 3.*

34 *RATIO* Autem desumitur ex eadem ferè doctrina: Quia læsio, sicut & omnimoda corruptio organi, est passio naturalis: vtpotè quà naturale temperamentum sensus patitur physicè, aut dissolvitur. Ergo exigit actionem sibi proportionatam, qualis non est intentionalis actio, sed naturalis. Quando igitur sensibile vehemens lædit sensum, id non præstat ratione alicuius actionis intentionalis, sed naturalis. *CONFIRM.* Obiectum sensibile prout in esse intentionali non continet, neque formaliter, neque eminenter aut virtualiter, actionem aliquam naturalem, neque alterativam, neque corruptivam. Ergo prout in esse intentionali nequit inducere physicam læsionem in sensum. Consequentia patet: quia sine actione naturali alterativa aut corruptiva, seu formali, seu eminentiali, aut virtuali, nequit induci physica læsio. Antecedens autem suadetur: quia obiectum sensibile prout in esse intentionali solùm importat vnionem intentionalem perfectivam cum sensu. Hęc autem non præstat ipsi continentiam formalem, eminentialem, virtualemvè, alicuius naturalis actionis, qua in seipso destruatur; sed potius actualis repræsentationis, quà in seipso perficiatur.

35 *DICES* Sensum consistere in quadam proportione cum obiecto sensibili: quæ haberi nequit, vbi obiectum sensibile ratione excellentiæ suæ aut vehementiæ exsuperat proportionem ipsam, ac proinde illam lædit. *SED Contrà.* Quamvis enim ea improportio in causa sit, ne sensus possit illam percipere, nequit tamen esse causa vt sensus læsionem physicam patiatur. Solùm enim potest sensus læsionem physicam pati per inductionem qualitatum contrariarum, lædentium temperamentum organi sensorij. At improportio obiecti nequit inducere qualitates contrarias temperamento organi sensorij. Ergo nequit sensus læsionem physicam pati ex improportione obiecti. Probatur minor. Improportio enim obiecti summùm potest inducere qualitates intentionales in gradu excedente. At qualitates intentionales, quamvis excedentes, non sunt contrariæ temperamento organi sensorij; vtpotè constantis qualitatibus physicis, quæ cum intentionalibus nullam habent contrarietatem, quæ versari deber inter qualitates contrarias sub eodem genere. Ergo improportio obiecti nequit inducere qualitates contrarias temperamento organi sensorij. Tantùm itaque potest illas inducere per actionē naturalem, quà possit aljàs sensum alterare: vti potest lux Solis, quatenus physicè calefacit extenuatque spiritus oculo necessarios ad videndum. Quandoq; etiam sensus ipse ratione

ni-

nimiæ attentionis ad obiectum vehemens, excitat in ſe calorem excedentem, quò abſumit ſpiritus ad ſentiendum neceſſarios.

36 *AD* Fundamentum ſententiæ adverſæ, patet ex dictis *n.* 34. immeritò Ariſt. & D. Thomam pro ea appellari. Ad rationem autem in oppoſitum dicimus, nimium Solis fulgorem offendere oculos ratione excelsivæ lucis; non quatenus immutantis intentionaliter ſenſum; ſed quatenus eminenter calefactivæ, & potentis præſtare naturalem calefactionem, diſſipantem ſpiritus oculorum, qui ſubtiliſsimi ſunt. *AD Confirm.* Experimur quidem ſenſum læſionem pati, tum intentionalē, tum & phyſicam, à ſenſibili vehementi. Verùm intentionalis læſio, conſiſtit in eo quòd poſito conatu ad percipiendum ſenſibile excellens, nequeat illud percipere, neque excipere ſpeciem ipſius opportuno modo: phyſica autem in eo quod recipiat naturales qualitates ſuo temperamento contrarias. Quare ad ſummum ſequitur, ſenſibile vehemens ratione actionis intentionalis cauſare in ſenſu læſionē intentionalem, quæ impropriè dicitur læſio: cæterum quæ propria ac phyſica læſio eſt, ſolùm cauſatur à ſenſibili vehementi, quatenus concomitanter, & in re, continet, ſeu eminenter, ſeu formaliter, virtutem phyſicè alterativam. Aër vero, cùm careat virtute perceptiva obiecti ſenſibilis. & omni temperamento ad ſentiendū, nec phyſicè, nec intentionaliter ab excellentia ſenſibilis alterari aut lædi poteſt.

SECTIO QVINTA

An ſenſus externi in genere poſsint reflectere ſupra ſuos actus, aut deceptionem ſubire circa propria obiecta?

37 ROGABIS I. An ſenſibus externis contingere poſsit reflexio ſupra proprios actus? *RESP.* negativè cum D. Thom. 1. *p. q.* 78 *art.* 4. & 2 *contra Gent. c.* 66. vbi probat intellectum differre à ſenſu, quia ſenſus non cognoſcit ſeipſum, neque ſuam operationem; non enim oculus videt ſeipſum, nec videt ſe videre: intellectus autem & ſeipſum & ſuam operationem cognoſcit. Quapropter ſenſus nullatenus reflectit, ita vt vel percipiat ſeipſum, vel actum ſuum, tāquam rem cognitam: ſed ſummū attingit operationem ſuam quatenus exercitā. Oculus enim eo ipſo quod videat, experitur ſe eſſe in actu videndi, & non in otio, ſicuti quando non videt. Ratio autem deſumitur, tum ex limitatione ſenſus, tum & ex materialitate organi. Ex limitatione quidem: nam obiectum adæquatum ſenſus externi eſt ſenſibile externū, à quo ſenſus immutatur. At neque ſenſus ipſe, neque actus illius, eſt ſenſibile externum; ſed potius aliquid internum ſentienti. Ergo neque ſenſus ipſe, neque actus illius, pertinet ad obiectum adæquatum ſenſus externi, ideoque nec ab illo percipi poteſt vt obiectum cognitum. Quod ſeorſim patet conſiderando obiecta ſingulorum ſenſuum, viſus v.g. cuius obiectum formale adæquatum eſt color lucidus; atq; adeò omnino aliud à potentia videndi, & viſione, quarum neutra eſt color, aut lux, nec conflatum ex vtroque. Quæ ratio æquè probat de ſenſibus internis quò ad ſeipſos, & quantùm ad proprios actus. Licèt enim ſenſus communis internus poſsit cognoſcere actus externorum ſenſuum, & inter eos diſcernat, quoniam pertinent ad obiectum adæquatum ipſius, vt *diſp. præced.* dictum eſt; non tamen aut ſeipſum, aut proprios actus reflexione ſtricta, quoniam nō ſpectant ad ipſius obiectum. In quo certè eſt diſcrimen ab intellectu: qui cum potētia ſpiritualis perceptiva ſit, non poteſt coarctari a materia, ideoque extenditur ad cognoſcendum omne verum, ſive omne intelligibile, intra quod ipſe continetur, & eius operatio.

38 *EX* Materialitate quoque organi id ipſum ſuadetur: Quia eo ipſo quod ſenſus omnes externi conſtēt organo corporeo, immutari debent modo corporeo ab obiectis. At nequeunt modo corporeo immutari à ſeipſis. Probatur minor. Quidquid immutat aliquid modo corporeo, agit in illud modo quatitativo & extenſo; ac proinde per contactum. At neque ſenſus, neque operatio illius, poteſt habere contactum circa ſe: omnis enim contactus eſt ad alterum, ſive partis ad partem, ſive totius ad totum. Ergo ſenſus nequeunt modo corporeo immutare ſeipſa. Eadem quoque ratio probat nec ſenſionem poſſe habere ſeipſam pro obiecto. E contra accidit in intellectu: quia non ſemper eſt neceſſum, vt moveatur ab obiecto diſtincto, ſed poteſt ipſe formare ſpeciem repræſentativam ſui, ſicut & aliorum obiectorum,

ac proinde habere seipsum pro obiecto. *Dices*: Non minùs repugnat seipsum movere, quàm habere contactum circa seipsum. Ergo sicut ratione huius posterioris nequit sensus habere seipsum pro obiecto, ita neque intellectus: quia ad hoc deberet movere seipsum. *RESP.* vt intellectus seipsum cognoscat non opus esse quòd sit movens & motꝰ secundùm idē: quia movet quatenus factus in actu per speciem obiecti, cuius instar effformat alteram speciem sui: movetur autem quatenus est in potentia passiva ad cognitionem sui recipiendam: quæ duo non habent locum in sensu, vt dictum est.

39 *ROGABIS II.* An sensus externi patiantur deceptionem circa propria obiecta? Et procedit dubitatio, tam de deceptione iudicativa, quæ est disconformitas cum obiecto per modum attributionis, quam repræsentativa per modū solius apprehensionis. *RESP.* negative quò ad priorem partem: Quia vt docet S. Thomas 1. *part. q.* 16. *art.* 2. *& q.* 1. *de Verit. art.* 9. *&* 11. in sensu externo nulla est formalis falsitas, & contrapositā veritati formali. Formalis autem falsitas, & contrapositā veritati formali, est deceptio iudicativa per modum attributionis. Ergo eiusmodi deceptio non est in sensu externo. Ratio autem est: quoniam formalis falsitas, sive deceptio iudicativa debet fieri per compositionem, aut divisionem, quarum altera respicit esse rei, altera non esse. Hæc autem compositio & divisio est iudicium collativum vnius extremi cum alio, quòd solùm præstari potest à virtute iudicativa. Cùm igitur nullus sensus externus sit virtus iudicativa, sed apprehensiva tantùm, consequens est vt in eo nullum habeat formalis falsitas, sive deceptio. E contrà res accidit in sensu interno, & non omni, sed in cogitativa, sive æstimativa tantùm: vt idem S. Doctor tradit postremo loco ex allegatis. Et 1. *p. q.* 78. *art.* 4. inquit: *Sensus internus cognoscit intentiones cum quadam collatione & comparatione.* Scilicet, cùm ex coniunctione ad intellectum habeat discurrere circa singularia, vt *disp. præced.* diximus, potest vnum alteri conferre. Vnde & poterit subire deceptionem formalem attribuendo aliquid alteri ex extremis, aut dividendo alter, quā in re fieri debeat.

40 *SIMILITER* Neganda est in sensu externo deceptio apprehensiva *per se loquendo* circa proprium sensibile, non tantùm in communi, & quantùm ad rationem formalem sui obiecti adæquati, v. g. quod visus non apprehendat coloratum, neque in communi, neque in particulari (hoc enim repugnat) sed etiam in individuo. Per accidens tamen potest eam deceptionem pati, & multò magis circa sensibilia communia, ac circa sensibile per accidens. Ita D. Thom. conformiter ad Aristot. in præsenti *lib.* 3. *textu* 161. & loco allegato *de Veritat.* ac pluribus alijs locis. Prima pars suadetur: Quia sensus externus ex natura sua exigit habere organum in temperamento debito, medium rectè dispositum, & obiectum proprium sufficienti modo approximatum. His autem positis nulla dari potest ipsius deceptio. Ergo in sensu externo per se loquendo, sive secundùm exigentiam naturalem spectato, nulla est deceptio. Secunda pars probatur ex oppositō: Quia potest contingere, aut organum non esse in debita temperie, aut medium nō bene dispositum, v. g. affectum colore viridi, vel sapore amaro, aut non debitè approximatum sensui: & tunc per accidens decipietur sensus, apprehendendo vt viride vel amarum, quod alterius coloris saporisvè est. Tertia denique facilè constat: quia sensus externus non habet ex propria ratione percipere sensibile commune aut per accidens, sed tantùm ratione obiecti proprij, & mediante illo. Id autem quod non ex propria ratione, sed mediante alio percipitur, potest facile deceptionem parere in potentia apprehendente. Vnde obiter confirmatur quod *disput.* 49. *sect.* 3. diximus circa deceptionem visus & tactus in apprehensione accidentium geniti & corrupti, quæ videntur eadem numero in homine recèns occisso. Solùm enim apparent eadem numero quò ad figuram, quæ est vnum ex sensibilibus communibus; ideoque circa id possunt pati deceptionem.

(*)

SE-

SECTIO SEXTA.

An omnes quinque ſenſus externi conveniant quibuslibet animalibus, etiam imperfectis, quæ Zoophyta appellantur?

41 DE Animalibus perfectis experimento conſtat, quinque externis ſenſibus prædita eſſe, cũ præſtẽt operationes eorum omnium proprias. De omnibus verò, etiam imperfectiſsimis, & quæ cenſentur ambiguæ ferè naturæ inter plantas & animalia, ideoque Zoophyta, ſeu *Plantanimalia*, appellantur; conſtat eſſe prædita ſenſu tactus. Ideoque Ariſt. in præſenti *lib. 2. c. 3. textu 27.* generatim ait: τὰ δὲ ζῶα πάντα μίαν ἔχει τὴν αἰσθήσεων, τὴν ἁφήν. *Animalia verò cuncta vnum ex ſenſibus habent, tactum, inquam ipſum.* Et inſuper *libr. 3. cap. 12. textu 60.* loquens de eodem ſenſu, eandem doctrinam reponit. Quæ ſanè experimento patet. Omnia enim animalia, quantumvis imperfecta, aut affixa maritimis ſcopulis, ſi incidantur, aut pungãtur, immò ſi leviter ſolùm tangantur, ſtatim ſe cõtrahunt, quoniam tactu id percipiunt. Exindeque colligimus non eſſe prædita ſolùm anima vegetativa, ſed & ſenſitiva, ac proinde differre à plantis. Ratio verò eſt, quoniam hic ſenſus videtur maximè neceſſarius ad conſervationem animalis, vt diſperſus per totum corpus ipſum bene afficiat quò ad ſingulas partes, quibus ab extrinſeco lædi poteſt.

42 *SIMILITER* Guſtus videtur omni animali communis, iuxta eundem Ariſt. locis nuper allegatis, atque inſuper lib. de Senſu & Senſili *cap. 1.* ait: *Propriè tactus & guſtus inſequitur omnia animalia neceſſariò: tactus quidem propter cauſſam dictam in ijs quæ de Anima diſſeruimus; guſtus verò propter alimentum.* Verùm *lib. de Somno cap. 2.* dubitat, an præter tactum inſit aliquis alius ſenſus omni animali: ac in præſenti *lib. 2. textu 17. & 23. ac lib. 3. textu 66.* ſtatuit, vnicum ex quinque ſenſibus tactum eſſe omni animali communem. Quapropter Averroes *2. de Anima comm. 31.* D. Thomas *ibid. lect. 5.* & Themiſtius ac Philoponus eodem loci ad textum 131. arbitrantur, ſolum tactum eſſe omni animali communem; non item guſtum, vel alium ſenſum externum. Huius generis animalia videri poſſunt nonnulla ex zoophytis maritimis, vt ſpongiæ, & vrticæ ſcopulis affixæ, aliaque eiuſdem generis: de quibus latè Vlyſſes Aldovrandus lib. de Zoophytis: tanquam prædita ſint ſolo ſenſu tactus, & careant guſtu. Huc etiam ſpectare videtur quædam arbor terreſtris, de quâ Iulius Scaliger *exercit. 181. nu. 28.* & Ioannes Magirus *lib. 5. Phyſiol. cap. 6.* aiunt, accedente ad ipſam homine, aut quolibet alio animali, ſeſe colligere, & contrahere ramos; ideoque ab incolis appellari pudicam. Additq; prior ex allegatis, eandem quodam ſenſu tactus percipere afflatum hominis, compreſsionemque ſuarum radicum; ideoque ſe cõſtringere, inſtar zoophytorum in mari naſcentium. Quare reſtat dicendũ Ariſt. primo loco ex allegatis locutum de guſtu, non omnino generatim, ſed ſecundùm id quod communiter experimur in animalibus, etiam imperfectis: quamvis nonnulla vſque adeò imperfecta ſint, quæ videantur carere guſtu. Neque hic ſatis probatur ex neceſsitate alimenti, quæ etiam in plantis omnibus eſt, cùm tamen guſtu careant.

43 *DE* Oſtreis autem, ac generatim de cruſtaceis, & teſtaceis, aliſque immobilibus ſecundùm locum, videtur prædita eſſe ſenſu guſtus: quoniam ſtatis diei horis aperiunt conchas, vt alimẽtum excipiant. quod tamen in zoophytis non apparet, & alicuius guſtus haud obſcurum ſignum eſt. Præter hunc verò & tactum, non videntur conſtare vllo alio ſenſu, neque vllum cæterorum organum, aut operatio ad eos ſpectans, deprehenſa legitur. Imò & eorum animaliũ, quæ motu progreſsivo feruntur de loco ad locum, aliqua ſunt adeò imperfecta, vt in ijs non appareat veſtigium aliorum ſenſuum, quam tactus & guſtus. Tales videtur plerique vermium, & limaces: quamvis de his aliqui ſuſpicentur conſtare aliquali viſu & odoratu, quia noctu progrediuntur, ideoque videntur diſcernere inter lucem & tenebras; repunt quoque ad quærẽda certa alimenta ſibi proportionata, quod aliqualis odoratus indicium eſt.

44 *DE* Viſu dubitatur, an ſit in talpa. Ariſtoteles in præſenti *lib. 3. c. 1. textu 131.* comparat illum inter animalia nõ imperfecta, tribuitq; ipſi oculos, dum ait: φαίνεται γὰρ καὶ ἡ ἀσπάλαξ ὑπὸ τὸ δέρμα ἔχουσα τοὺς ὀφθαλμούς. *Etenim & talpa ſub cute oculos habere videtur.* Ac *l. 1. Hiſtor. Animal.*

cap. 9. & lib. 4 cap. 8. adnotat, talpam quidem habere oculos, non tamen compictos, & ad visum aptos: ideoque visu carere. Suffragantur Galenus *lib. 4 de Vsu part. cap. 6.* Plinius *lib. 11. c. 37.* & communiter Peripatetici cum D. Tho. in textum allegatum Philosophi. Si autem obijciatur, omnem potentiam, cui repugnat propria actus, esse frustraneam, ac proinde inutiles fore oculos talpæ, si careat visu; Respondent non esse omnino inutiles oculos talpæ; quippe qui serviant ipsi ad ornatum naturæ, & saltem in alia specie sub eodem genere subterraneorum animalium exerceant actum videndi. Ratio autem ne natura huic animali concesserit visum, est quia semper aut ferè semper sub terra degit: ideoque passim offensionem pateretur ab ea in pupillis oculorum. Verum addit Plinius *lib. 10. c. 69.* hunc defectū fuisse ipsi à naturâ compensatum sufficiēti occoratu, & perspicacissimo auditu. Probabile etiam est, & non alienum ab Arist. talpam nonnihil videre: quia etsi oculi operiantur pelle, illa adhuc adeo delicata est, & quadamtenus conspicua; provida tamen à natura ne lædantur assidua habitatione sub terrâ. Ita Albertus Magnus, Dandinus, & Cardanus *lib. 10. de Subtilit.* Iaque exponunt à simili quorundam animalium, quę nunquam claudunt oculos, carentque palpebris, vt pisces in aquâ. Sic enim oportuit esse aliquod animal intra terram, quod nunquam aperiat oculos, sed habeat pelle contectos. Quamvis verò idem Cardanus lib. 9. dubitet de ape, an consiet oculis, certa videtur affirmativa pars, & non posse illam moliri atque extruere tam admiranda opera absque visu.

45 *MAIOR* Difficultas est de eisdem apibus an etiam audiant. Arist. enim *lib. 9 Hist. Animal. capit. 40.* videtur apertè ijs auditum concedere. Ait enim: *Tempore matutino omnes silēt, donec vna geranio aut triplici bombo excitet omnes: cumq; redierint, vna circumvolitādo susurrat, quasi dormiendum præcipiat.* Non excitatur autē sonitu, nisi id, quod auditu pollet. Præterea ait, eas sonitu congregari. *Gaudere sonitu atque plausu apes videntur: quapropter tinnitu aëris aut fictilis convocari eas in alveum aiunt.* Similiter & Varro lib. 3. loquēs de mellario. *Circumtinniendo*, inquit, *æreperterritas, quò voluerit, perducet.* Columella lib. 9. c. 8 *Cùm eruperit, æris strepitu coërcetur. Nam statim sono territum, vel in frutice, vel in editiore sylvæ fronde consident, & à vestigatore, præparato vase reconditur.* Nullum verò animal perterretur aut coërcetur tinnitu, strepituve, nisi audiat. Plinius quoque lib. 12. c. 20. *Gaudent plausu, & tinnitu æris, eoque convocantur.* Pius addit Didymus apud Aūctorem Geop. Βέλτιον δὲ τοῦτο τὸ ζῶον ἡδὺ καὶ καλλίφωνον μέλιττα, &c. *Modulatur hoc animal suavius mum cantum. Inde curatores apum ipsas dispersas pulsatis cymbalis, aut aliàs manuum concinno plausu, congregant.* Ælianus quoque lib. 5. cap. 13. *Cùm in fugam erumpunt, & ab alveo aberrare cœperunt, tum apiarij crepitu oculis sonoris crepant: eæ verò tanquam sirenibus retrahuntur, atque adeò in consueta domicilia revolant.* Idem ferè, & philosophicè de more accinit Lucretius lib. 9. dicens:

——— *si sonus increpat æris,*
Attonitæ posuere fugam, studiumq; laboris
Floriferi repetunt, & sparsi mellis amorē.

Et Claudianus de VI. Consul. Honerij:

——— *qualis Cybeleia quassans*
Hybl æus procul ære jeneæ, revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ sponte relictis
Descivere favis.

46 *ALIVNDE* Vero Aristoteles eodem loco superius allegato *de Hist. Animal.* concludit: *Quamquam incertum est, an audiant.* Et 1. Metaph. cap. 1. videtur expressè apibus negasse auditum, sicut & D. Thomas *ibidem*, & Vlysses Aldovrandus *lib. 1 de Insectis tract. de Ape pagin. 52.* Verùm, vt notat Albertus Magnus, Aristoteles hoc postremo loco agebat de animalibus, quæ ita audiunt, vt capacia sint quodammodo disciplinæ: qualiter psittaci, elephantes, canes, &c. Ideoque solùm negat apes audire eo modo, non autem simpliciter loquendo. Iaque probant experimenta ab ipso Aristotele, & præallegatis Philosophis memorata, congregandi se, ac fugiendi, aut delectationem capiendi iuxta varietatem sonorum, seu tinnituum æris. Accedit quòd vbi cœlum tonat, se intra alvearia condunt, compellente metu. D. Thomas quoque in eodem sensu, ac Philosophus, exponendus est. De alijs verò animalculis, vt formicis, muscis & vermiculis, circa auditum nihil exploratum habetur. An autem ijs omnibus conveniant sensus interni, iam diximus præced. disputatione.

(*)

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Vtrùm ad ſenſionem externam neceſſariò exigatur præſentia obiecti, tam de facto & naturaliter, quam de poſsibili & ſupernaturaliter?

47 RESP. Affirmativè quò ad vtrãque partem, non ſolùm loquẽdo de ſenſatione externa habente rationem intuitionis, quæ planè terminari debet ad rem præſentem, vt præſentem; ſed etiam abſolutè loquendo. Itaque dicimus, nullam poſſe dari in ſenſibus externis notitiam abſtractivam, ſive de obiecto abſenti, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter.

48 *PRIOR* Pars probatur experimento communi omnium, quo conſtat neminem ſenſu externo vnquam percipere, niſi rem præſentem, ex defectu ſpeciei impreſſæ, quæ naturaliter pendet in fieri & conſervari ab ipſo obiecto præſenti, à quo mittitur, & ideo eo ſublato ſtatim deſinit eſſe. Quod maximè locum habere in ſpecibus virtualibus patet, quæ ablato ſive abſcondito viſibili, illico evaneſcunt. De ſpeciebus autem cæterorum ſenſuum ſuadetur generatim: quoniam ſpecies illorum nequeunt deſinere, niſi vel ex ſuperventu contrarij, vel ex defectu ſubiecti, vel cauſæ conſervantis. At non ex interventu contrarij; quoniam ſpecies intẽtionales carent omni contrario, ideoque in eodem ſenſu ſunt, ſpecies albi & nigri, dulcis & amari: neque ex defectu ſubiecti, quia hoc eſt organum, ſeu potentia, in quâ recipiuntur, & quam manere ſupponimus, ſicut & medium, per quod ſpecies ad potentiam perveniunt. Reſtat igitur vt ſpecies, quoties deſinunt, ſolùm deſinant defectu obiecti, ſive amotione illius: ac proinde ab eius præſentia pendere illas, tum in fieri, tum & in conſervari. Naturaliter igitur nequit eſſe externa ſenſio, niſi obiecti præſentis.

49 *DICES*: Saltem in alijs ſenſibus oppoſitum experimento deprehenditur. Sonus enim auditur poſt factam colliſionem & motum corporum, cuius ictus antea extitit, & iam non eſt, præcipuè in tonitru nubis, qui ſolet aliquantò pòſt audiri. Similiter & res odorabiles percipiuntur naribus poſtquam tranſijt fumea exhalatio, quæ eſt obiectum odoratus. *SED* Contra. In vtroque enim caſu exiſtit præſens obiectum externi ſenſus: in priori quidem, quoniam realis ſonus, qui eſt obiectum auditus, aliquandiu perſiſtit in aere, ideoque tantundem permanet ſpecies ab eo miſſa: in poſteriori autem fumea exhalatio, quæ eſt obiectum odoratus, & à corpore odorabili evaporata fuit, permanet etiam aliquanto poſt, ſive in aere, ſive in corpore propinquo, quatenus ibi manet odor exhalatus, qui perenniter mittit ſpeciem ſui ad nares, quandiu exiſtit. Patet igitur, nec ſonum, nec odorem, percipi, niſi præſentem.

50 *POSTERIOR* Pars, in quâ ſolà eſt diſficilium, intelligenda eſt de neceſſitate phyſicæ præſentiæ obiecti in ſenſu formali, ſive eius quod per modum obiecti immediati terminat ſenſionem externã; ſive ſit ipſum obiectum in ſe, ſive in aliqua imagine externa ſui: quorum vtrumvis ſufficit, & alterutrum neceſſario exigitur, vt externus ſenſus eliciat proprium actum, & verè eiuſmodi obiectum percipiat. Ita colligitur ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 78. *art.* 4 & 1. 2. *quæſt.* 15 *art.* 2. & *quæſt.* 35 *art.* 2. *ad* 2. vbi id diſcriminis ſtatuit inter ſenſus externos & internos, quòd priores verſentur circa obiectum præſens, poſteriores autem circa abſens. Nomine vero obiecti præſentis docet accipi debere id, quod habet eſſe extra ſentientem: ideoque 1 *part. quæſt.* 14. *art.* 9. aſſerit, Deum non habere ſcientiam viſionis circa poſsibilia, quam vis ea ipſi in eſſe intentionali, ſeu repræſentativo, præſentia ſint, *quia ea quæ apud nos videmus, habent eſſe diſtinctum extra videntem*: poſsibilia autem extra Deum nullum eſſe diſtinctum habent: ideoque ab eo non videntur ſeu non cognoſcuntur ſcientia viſionis. Et *q.* 3. *de Verit. ar.* 3. *ad* 8. apertiſsimè idipſum tradit his verbis: *Scientia viſionis addit ſupra ſimplicem cognitionem admiſtionem alicuius, quod eſt extra genus notitiæ, ſcilicet, exiſtentiam rerum.* At exiſtentia rei, quæ eſt extra genus notitiæ, eſt exiſtentia phyſica, & non intentionalis, ſeu in ſpecie repræſentante, vt ex ſe patet. Ergo ex mente D. Thom. ad viſionem non ſufficit præſentia obiecti intentionalis, ſive in ſpecie repræſentante, ſed præterea exigitur omnino præſentia phyſica obiecti. Quòd ſi ad viſionem intellectualem exigitur, adhuc in Deo, multò magis ad viſionem in nobis, præſertim externam, & ſubinde ab cæteros actus ſenſionis externæ, qui longè

gè craſsiores ſunt, & exigunt maiorem propinquitatem obiecti. Quare huic ſententiæ ſubſcribunt frequenter Thomiſtæ, & ex Scotiſtis Merinerus in præſenti *libr. 2. diſp. 6. quæſt. 2. num. 6.* & Pontius *diſp. 59. q. 5. concl. 3.* cum Subtili Doctore, qui ita videtur docuiſſe *in 2. diſt. 3. q. 9. & in 4. diſt 45. q. 2.*

51 *RATIONES* Plures ſuffragantur, quæ ſummatim propoſitæ, hæ ferè ſunt. De ratione eſſentiali intuitivæ, ſeu experimentalis cognitionis, ſive intellectualis, ſive ſenſitivæ, prout differt ab abſtractiva, eſt quod vltra continentiam intentionalem obiecti (in qua ambæ conveniunt) terminetur ad obiectum, prout in ſeipſo præſens & exiſtens. At omnis ſenſatio externa, vt viſio (idemque à fortiori conſtat de alijs craſsioribus) eſt cognitio intuitiva, ſeu perceptio experimentalis, vt ex ſe patet. Ergo de ratione eſſentiali illius eſt quod vltra continentiam intentionalem obiecti, terminetur ad illud prout in ſeipſo præſens, & exiſtens. Ergo nec ſupernaturaliter fieri poteſt vt viſio, vel alia externa ſenſatio terminetur ad obiectum, niſi in ſeipſo præſens & exiſtēs. *Confirm. I.* Repugnat cognitio abſq; obiecto. Ergo & cognitio de obiecto quatenus præſenti, qualis eſt viſio & quælibet ſenſio externa, ſine obiecto præſenti *Confirm. II.* Repugnat cognitio ce obiecto apparenter præſenti, quin detur præſentia illius apparens. Ergo & cognitio experimentalis ac perceptiva obiecti realiter preſentis, ſine reali preſentia obiecti. *Secūda.* Senſus externi ſunt eſſentialiter in infimo genere cognitionis, & immediatè continuantur cum ipſis rebus ſenſibilibus, à quibus accipiunt ſpecies, cæteris omnibus materialiores. Quare non ſufficit quòd eorum ſpecies intra ſe habeant, ſed præterea in tactu & guſtu exigitur vt tangant obiectum in ſeipſo exiſtens, & generatim in omnibus ſenſibus externis, quòd terminentur ad obiectum experimentaliter tactum aliquomodo ab ipſis; quod ſine reali præſentia obiecti fieri nequit. Porrò omnium ſenſuum externorum notitiam debere eſſe experimentalem, patet: quia tunc maximè aliquid experimur, cùm id ſenſu externo tangimus; & in eiuſmodi experimentum reſolvitur vltimò noſtra cognitio quaſi ab inductione: ideoque inter externam ſenſationem & ipſum obiectum, nihil medium cadere poteſt. Vide Ioannem à S. Thom. *quæſt. 6. art. 1.* vbi rem optimè expendit. *Tertia*: Quia ſi abſente obiecto poſſent ſenſus externi illud percipere, poſſent etiam oculi in tenebris videre; & tactus, atque guſtus, tangere valerent obiectum abſens: quæ omnia apertam cōtradictionem involvunt. Sequela quò ad viſum, in quo ſolo poteſt eſſe difficultas illationis, ſuadetur. Si enim obiectum abſens poſſet videri ab oculis, poſſet etiam videri ab ijs nulla luce obiectum ipſum illuminante: neque enim lux poteſt illuminare obiectū vbi ipſum non eſt. Si autem obiectum non illuminatum videri poteſt, etiam in tenebris videri poterit. Nec ſufficit recurſus ad lucem repræſentatam in ſpecie, quia hæc ſufficiet quidem vt ſenſus aliqui interiores concipiant aut memorentur intraſe lucem antea viſam: non tamen vt videant oculi, qui ſine luce externa, quæ conſtituit proprium ipſorum obiectum, nullatenus videre poſſunt.

52 *CONTRARIAM* Opinionem tuentur Molina *1. part. quæſt. 55. art. 2. diſput. 2.* Vazquez *tom. 3. in 3. part. diſp. 91. cap. 1.* Recupitus *tom. 1. de Deo lib. 2. quæſt. 5. cap. 2. num. 5.* Amicus *tom. 1. Curſus Theolog. diſp. 9. ſect. 3. num. 47.* & in præſenti Rubius *tract. de obiecto ſenſib. quæſt. 13.* Conimbricenſes *lib. 2. cap. 6. quæſt. 3.* Suarez *lib. 3. cap. 12.* Oviedo *contr. 4. part. 4. num. 5.* Compton *diſp. 19. ſect. 2.* Izquierdo in ſua Pharo *diſp. 1. quæſt. 2. num. 117.* Calagurritanus *diſput. 11. num. 22.* alijque plures, qui exiſtimant poſſe conſervari viſionem oculi abſente obiecto, ita vt videat illud perinde ac ſi eſſet præſens, Deo ſupernaturaliter ſupplente obiecti præſentiam. Probant præcipuè: Quia viſio nō dependet immediatè ab obiecto, ſed ſolùm à ſpecie impreſſa. Hæc autem, cum ſit qualitas abſoluta, conſervari poteſt a Deo ſine obiecto: quia quidquid Deus præſtat mediis cauſis ſecundis, præſtare etiam poteſt ſe ſolo, ſive ſeorſim ab ijs. Conſervata autem ſpecie obiecti abſentis, viſio eadem maneret ac antea. Ergo Deo ſupernaturaliter ſupplente concurſum obiecti abſentis, poteſt viſio illius permanere vt antea. Si autem dicatur, viſionem pēdere ab obiecto vt cauſa formali extrinſeca, nihil refert: quia omnis cognitio rei, ſive de præterito, ſive de futuro, pendet in eo genere ab obiecto, quod tamen non exiſtit. *Confirm.* Poteſt ſupernaturaliter fieri

vt

vt res longiſsimè diſtans, imprimat ſpeciem ſuam in ſpeculo iuxta me poſito, multiplicando, ſcilicèt, ſpeciem per medium vltra ſphæram activitatis obiecti ad emittendum ſpeciem. In eo autem eventu, videbit oculus in imagine ſpeculari obiectum longiſsimè diſtans, ac proinde abſens, quaſi eſſet præſens. Ergo pariter fieri poteſt ſupernaturaliter, vt remoto ſpeculo, ſpecies eiuſdem obiecti continuetur vſque ad oculum, qui proinde videat obiectum abſens, ac ſi eſſet præſens.

53 *RESP.* i Viſionem eſſentialiter dependere, non ſolùm à ſpecie, ſed etiam à præſentia reali obiecti, quæ prout exiſtens in ſeipſa eſt formale obiectum intuitionis, prout diſtinctæ à quolibet alio actu verſante circa præterita, futura, aut abſentia. Neque oppoſitum probatur ex eo quòd Deus ſupernaturaliter poſsit conſervare ſpeciem abſente obiecto: quia illa tunc maneret in ratione phyſicæ qualitatis, ſicut in aère; non tamen in ratione formæ repræſentantis obiectum: ſiquidem hac ratione omnis ſpecies intuitiva, & experimentaliter perceptiva, quales ſunt omnes ſenſiones externæ, eſſentialiter exigit præſentiam realem obiecti. Sic etiam ſpecies indita Angelo circa futurum contingens, aut arcana cordis alterius, nequit actu ea obiecta repræſentare intuitivo modo, quandiu ſunt in eo ſtatu. *AD Confirm.* dico in ea hypotheſi non videri obiectum ipſum, ſed imaginem illius, tanquam obiectum præſens; ſicut in pictura non videtur Cæſar, ſed imago Cæſaris. Sed de hoc plura progreſſu Operis: præſertim diſp. ſequentibus vbi diſſeremus an in oculis ſint neceſſariæ ſpecies intentionales diſtinctæ à colore &

luce,



ILLMO. ET NOBILISSIMO D.
D. FERDINANDO DE ARCE,
IACOBÆO EQVITI, SVPREMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

NON Fortuitò, sed data opera, Dissertationem hanc, Tuo nomini inscribo, CLARISSIME VIR. Quippe in eâ de Visu sermo est, de illius structura admiranda, de vi perceptiva colorum & lucis, ac de operationibus, quoddammodo intellectualium a mulis. Et si roges, quid speciatim in TE sit, vt præ alijs nomen Tuum legatur in eius fronte; audi S. Ambrosium 6 *Hexaem. cap.* 9. vbi cùm de sapientissima Providentia Dei, quæ maximè in humani corporis structura resplendet, ait: *Itaque nobis in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit, TANQVAM IN ARCE, & ab omni, vel minimâ offensione defendi.* Similiter ego disputationem potissimam circa sensus externos, quæ de oculis agitur, in summo Senatore constituendam censui, TANQVAM IN ARCE. Is enim es, qui non modò fueris clarissimo genere editus, & litterarum gloria illustris in hac Salmanticensi Academia, ac Maiori Tuo Conchensi Collegio; sed etiam post varios Magistratuum honores ascenderis ad Supremum Iustitiæ Senatum, veriùs propugnaculum, ARCIS appellatione singulariter decoratus. Nimirum hæc TIBI & Tuis iam pluribus retrò sæculis laus fuit, instar munitissimarum ARCIVM, Regibus, Patriæ, ac Fidei, præsidio fuisse. Postremum hoc pridem testatus est, vt alios omittam, Illustrissimus Princeps ac Patruus Tuus, D. DIDACVS DE ARCE REYNOSO, Placentinus Antistes, & Inquisitor Generalis Hispaniarum, Fideique quasi COLVMNA IMMOBILIS. Ille, instar fortissimæ ARCIS, Catholicam Ficem ab infami lucæorum colluvie, atque Hæreticorum insolentissimè grassantium impetu, sartam tectam curavit. Nec leviter ijs molitare licuit in clandestinis congressibus, & sceleratis conventiculis, *nec cum scrobe* quidem, vt cum Persio loquar, quin ab eo deregerentur, tanquam à sublimi Religionis ARCE. Quippe, vt ait Ambrosius vbi supra, *SPECVLA SEMPER IN ALTO EST, vt adventientium catervarum hostilium explorari possit adventus.* Expediebat gravissimũ illum Virum, tum incomparabili sapientiâ, tum ardenti Religionis zelo, tum & antiquis moribus, tum denique & ARCIS agnomine illustrem, divinæ Fidei, Catholicæ, & Hispanæ primum Excubitorem esse. ARAS enim & ARCES prorsùs eadem fere vsurpavit Cicero, dum dixit: *Sanctimoniam quandam ARCES habere creduntur, quòd in ijs SALVS OMNIVM sit posita, Dijque vrbium custodes ibi potissimum colantur.* Quid non in eâ ARCE collocaretur quod ad SALVTEM OMNIVM, quod ad DEI O. M. Divorumque cultum, quàm maximè refert? Neque hoc tantùm: quin & singulari curæ ipsi fuit, vt quælibet S. Inquisitionis Tribunalia non, nisi lectissimis & litteratissimis Viris, committerentur. Ideo quasi Magistratus sub Traiano, & Militarium Ordinum Stẽmata sub PHILIPPO II. ita etiam honorificentissimæ habentur S. Inquisitionis Præfecturæ, ab ipsius potissimùm tempore. Gaudeat Hispania talem ac tantum rebus Fidei Præfectum habuisse. Gaudeas & TV inter clarissimos Maiores & Consanguineos, fortissimum illud FIDEI PROPVGNACVLVM numerare. Gaudeas tandem & videas supra triumphantis Hierosolymæ muros, vt piè credimus, etiam post fata, Religionis & Hispaniæ Excubitorem cœlestem.

DIS-

DISP. OCTVAGES SEXTA:

DE VISV.

Quænam sint propria Visui, vt distincto à cæteris sensibus?

Num. 1. *HACTENVS Quæ communia sunt externis sensibus generatim vestigavimus. Nunc de ijs in specie consideratis agendum, ac primùm de Visu: sed cursim & philosophicè. Nam si mathematicè de illo differendum esset, opus foret integrum volumen eius examini deputare. Quippe de mirâ eius vi, subtilitate, operationibus, obiecto, & speciebus, tum reflexis & refractis, vasta volumina à Perspectivis & Mathematicis edita sunt, & noviter à Zuchio in suâ Opticâ, atque Athanasio Kirchero in Arte Magnâ Lucis & Vmbræ: vbi passim miracula visus profert, & pleraque à se pertinaci multorum annorum studio, ac variarum regionum peregrinatione deprehensa, quorum aliqua superiùs in disputationibus de Cœlo obiter adnotavimus. Differit autem Aristoteles speciatim de Visu* lib. 2. de Animâ cap. 7. *& pluribus alijs locis eiusdem Operis pleraque ad Visum spectantia tradit. Nos ea omnia vnicâ disputatione comprehendimus, & inquirimus, quænam speciatim conveniant visui, vt distincto à cæteris sensibus, scilicet, tam ex parte structuræ, quàm organi, & operationis, obiecti, ac medij.*

SECTIO PRIMA.

De Visu, & mirabili eius structurâ, partibus, tunicis, & humoribus.

2 *VISVS* Primo loco enumerari solet inter quinque externos sensus, quoniam structura eius mirabilior, sicut & operatio subtilior est, & quoddammodo mentis æmula. Ideo in sacris litteris, & communi stylo Theologicæ Scholæ, contemplatio clara & intellectualis rerum, tũ & prophetica, immò & beatifica ipsius Dei *visio* appellatur. Residet verò potissimùm in oculis: quorum structura tribus præcipuis partibus constat. *Prima* spectat ad illorum situm, & extimam partem, orbiculari illa figurâ constantem, instar ovi parvi; quæ palpebris tegitur, & supercilijs cingitur. *Secundâ* pars est ipsum organum oculorum, interius constans quinque tunicis, & tribus humoribus, variisque musculis, venis, & instrumentis, tam ad motum oculorum exactis, quàm ad subministrationem vitalũ spirituum. *Tertiâ* denique intimior est, qua oculi continuantur cum cerebro, à quo mutuantur spiritus subtilissimos necessarios ad videndum. Continuatio autem fit per duos nervos, qui *optici* dicuntur, idest, visorij, à verbo ὁράω, *video*; & deducti ex cerebro inter se vniuntur, iterumque in duos quasi ramos dividuntur; & alter eorum terminatur in dextro, alter in sinistro oculo. Ad motum autem oculi versus varias partes deserviunt septem musculi: quemadmodum cætera animalium membra ijs instrumentis moventur penes locum.

3 *IN* Organo prædicto, ac secundum locum habente inter prædictas partes, diximus esse quinque tunicas, & tres humores. Prima tunicarum, & cæteris intimior, est quæ *specularis* dicitur, & *aranea*, tum ob transparentiam, tum & ob subtilitatem. Secunda *reticularis*: quoniam instar retis intexta est pluribus arterijs ac venulis. Tertia *vuea*, ob imitationem coloris vuæ in folliculo, seu cute detractâ: & ab eâ, quæ superpositum habet colorẽ chrystallinum, infrà explicandum, prodeunt varij oculorum colores, vt niger, cæruleus, cæsius, viridis, &c. Quarta *cornea*, quia tenuis ac splendida, instar laminæ corneæ. Quinta *adnata*, sive adhærens, quoniam totum oculum fovet, ac munit, estque extrema toti oculo, & ipsum in propria sede continet capiti affixum. Triũ verò humorum primus dicitur *chrystallinus* propter nimiam lucem, qui in organo ipso visus continuatur vsque ad extimam oculi faciem, & est ipsa pupilla. Quandoque verò nigricantem colorem exhibet: sive propter copiã humoris, quæ tota videri nõ potest, instar profundæ aquæ: sive propter tunicam vueã sibi suppositã, quæ varios colores exhibet. Secundus appellatur *vitreus*, non ita splendens, transparen-

rens-

rensvè, ac chrystallinus, sed subobscurus, instar vitri decocti intra fornacem. Is ab interiori parte recipit & circundat humorem chrystallinum, sed non totum; cùm hic à parte exteriori in pupilla detectus sit ad excipiendum lumen & species visuales. Tertius *albugineus*, propter similitudinem ad album ovi; qui totam oculi cavitatem replere conspicitur, & intra se recipit duos prædictos humores, deservitque ad humectandam pupillam, quæ pars delicatissima est oculorum.

4 *ALII* Diverso aliquantulum ordine describunt tunicas & humores prædictos, illorumque situm. Verùm contentio minoris notæ est, & in quæ ferè omnes quò ad rem ipsam consentiunt. Dicendum verò, humori chrystallino, ac vitreo ipsum includenti, deservire quatuor tunicas circundantes; nimirum, specularem cæteris intimiorem, deinde reticularem, postea vuream, ac denique corneam; quarum duæ postremæ contineant pupillam, priorque illarum sit ipsi in munimentum, posterior in receptionem pupillæ ab interiori parte, vt exterius libera maneat ad recipiendum lumen speciesque visuales. Reticularis verò ambit humorem vitreũ vsque ad chrystallinum, quoniam ei supernatat; & mediante ipsa ministrantur oculo vitales spiritus, & sanguis; qui tamen nõ est in humoribus vitreo ac chrystallino, quoniam vterque caret venis. Humori tandem albugineo deservit tunica adnata, alio nomine *pericranium*, quæ foris est, & non æquè delicata, ac cæteræ.

5 *IN* Tertia denique & interiori parte oculi, quà communionem habet cum cerebro medijs nervis opticis, solùm est notandum, alterum illorum oriri à parte cerebri dextra, alterũ à sinistra, & postquam ambo aliquantulum exinde progrediuntur, vtrumque coniungi, posteaq; separari ac dirigi vnumquemque ad proprium oculum. Quilibet autem illorum indutus est duplici tunica, sive membrana, quarum quæ interna est, tenuis invenitur; quæ autem externa, dura est: & ex ijs duabus ortum ducunt tunica vuea & cornea, medijs quibus communicantur spiritus visuales, & species ab oculis perducuntur in sensum communem. Nunc audi elegantem descriptionem situs oculorum à D. Ambrosio *6. Hexaem. cap. 9.* ita loquente: *Adhærent veluti quibusdam montium supercilijs oculi, vt & protegente montis cacumine tutiores sint, & tanquam in summo locati, de quadam scenâ superiore vniversa prospectent. Neque enim oportebat eos humiles esse, sicut aures, vel os, ipsosque narium interiores sinus. Specula enim semper in alto est, vt adventientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne improviso occupent otiantem, vel vrbis populum, vel Imperatoris exercitum. Si latronum quoque caventur incursus, si exploratores in muris, aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, vt desuper spectent planâ regione, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terræ appropinquare se conijcit, in ipsa mali fastigia, & celsa antennarum cornua, explorator ascendit, & adhuc invisibilem reliquis navigantibus terram salutat:::::: Itaque nobis in summâ propemodum corporis parte constitui oculos oportuit, tanquam in arce, & ab omni vel minimâ offensione defendi.* Quid pulchrius?

SECTIO SECVNDA.

Vbinã resideat Visus: an in chrystalloide, an potiùs in nervis opticis? Eligitur posterior pars, & ab obiectionibus vindicatur.

6 *SIT I. Assertio.* Subiectum potentiæ visivæ sunt nervi optici, tanquam præcipua pars organi visus, non autem humor chrystallinus in oculis residens. Ita videtur docuisse manifestè Arist. lib. de Sensu & Sensili, dum ait: *Nõ in vltimo oculi* (scilicet, in superficie) *anima aut animæ sensitivum est, sed manifestum quoniam interiùs.* Vbi S. Thom. *lect. 5.* ita exponit: *Principium visionis est interius iuxta cerebrum vbi coniunguntur duo nervi: & ideo oportet quòd intra oculũ sit aliquid perspicuum receptivum luminis, vt sit vniformis immutatio à re visa vsque ad potentiam visivam.* Et lect. 21. in eundem librum, inquit: *Si aliquis dicat quòd sunt duo organa visus, scilicet, duo oculi: & ita nihil prohibet in anima esse duos visus; dicendum est, hoc esse falsum: quia ex duobus oculis fit aliquid vnum, & vna est operatio amborum; in quantùm, scilicet, visio vtriusque oculi concurrit per quosdam nervos ad aliquid intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum.* Ac demiq; Opusc. 43. cap. 3. inquit: *Organum proximum & extrinsecum visus, sunt oculi: primum autem & intrinsecum, sunt nervi visuales.*

Quæ

7 Quæ verba, licèt apertiſſima ſint, conatur Rubius exponere de organo, ſeu principio viſivo radicali, non autem de proximo & formali; quaſi S. Doctor ſolùm negaverit illud primum exiſtere in pupilla oculi, ſeu humore chryſtallino; non autem hoc ſecundum. Contrà enim eſt, quòd radicale principium videndi eſt cerebrum, ſicut & audiendi, & cæterarum ſenſationum externarum, vt ſupponimus: atque adeò principium commune illarū. S. Thom. autem ijs locis nō agit de principio communi, ſed proprio & ſpeciali viſionis, vt patet ex teſtimonijs allatis, & ex ipſo contextu. Ergo non agit de principio radicali viſionis, ſed de ſpeciali & proprio. Proindeque aſſerit hoc non eſſe ſitum in oculis, ſed in nervis. Deinde, cùm in ſecundo teſtimonio ex allegatis probet non eſſe duos viſus, ſed vnicum in animali, quia operatio vtriuſque oculi concurrit in aliquod vnum organum, quod eſt circa cerebrum, planè loquitur de ipſo organo formali, nō autem de radicali. Nam ſi de hoc loqueretur, probatio eſſet nullius roboris: cùm planè conſtet in eodem organo radicali, quod eſt cerebrum, habere initium plures ſenſus diverſos. Vt igitur probatio efficax ſit, debuit loqui de organo formali.

8 *RATIO* Autem deſumitur ex eàdem doctrina. Quoties potentia & ipſius operatio eſt vnica, ſubiectum vtriuſq; debet eſſe vnicum: quia idem accidens numero nequit eſſe in diſtinctis ſubiectis. At potentia viſiva, eiuſque operatio, ſcilicet, viſio oculi vtriuſque, eſt numero vnica. Ergo nequit eſſe in diſtinctis ſubiectis. Nō ergo eſt in duplici humore chryſtallino, ſeu pupilla duplici, ſed in nervis opticis, qua parte colligantur in vnum & idem organum. Conſequentia hæc poſterior, deducitur ex priori, & infra amplius elucidabitur. Minor præcipua, in quà eſt difficultas, quo ad priorem partem videtur certa, quia in vnico animali non eſt duplex potentia viſiva, ſicut nec duplex auditiva, aut odorativa, iuxta communem ſapientū & inſipientum æſtimationem; ſed vnica numero. Alioqui in quolibet animali perfecto, & in homine ipſo, eſſent plures quam quinque ſenſus. Quò ad poſteriorem verò partem ſuadetur: quia plures viſiones ſolo numero diſtinctæ, ſicut & plura accidentia ſolo numero diſtincta, repugnant, ſaltem naturaliter, in eàdem potentia. Ergo viſio vtriuſque oculi eſt numero vnica. Vnde & cōfirmata manet prior pars: quia duplex potentia viſiva eſt duplex accidēs ſolo numero diſtinctum, quod nequit in eodem ſubiecto ſimul reſidere.

9 *DICES I.* Quamvis ſubiectum viſus ſit in duplici humore chryſtallino vtriuſque oculi, adhuc tamē eſt vnica potentia viſiva, quoniam duæ pupillæ colligantur interius in aliquo vno. *SED Contrà.* Vel illud, in quo colligantur, eſt cerebrum: & hoc non ſufficit ne potentiæ viſivæ ſint abſolutè duæ: ſicuti quòd ſenſus omnes, tum externi, tum & interni, colligentur in cerebro, non tollit quòd ij ſint realiter diverſi & plures. Vel id, in quo colligantur, eſt nexus vtriuſq; nervi viſorij (neq; enim aliud eſt, quo colligētur) & ſic potētia viſiva nō erit in vtraq; pupilla, ſed in viſorijs nervis, quæ eſt noſtra ſententia.

10 *DICES II.* ex doctrina Authorum opinionis adverſæ, nihil abſurdi eſſe in eo quòd potentia viſiva in quolibet animali ſit duplex, ſicut & pupilla duplex, & viſio. Quam ſolutionem aliqui impugnāt, quia iuxta illam neceſſarium eſſet apparere obiecta duplicata: nā ſi quilibet oculus, vt diſtinctus ab alio, elicit ſuam propriam viſionem, capiet vtique diſtinctam ſpeciem ab obiecto; ideoque hoc apparebit oculis duplicatū: quod contradicit experientiæ. Hæc tamen impugnatio nō videtur vrgere: quia facilè occurri poterit ab Adverſarijs negādo ſequelam ex eo quòd licèt potentiæ viſivæ & earum operationes ſint duæ, intuentur tamen idem obiectum in eodem ſitu aſq; ordine, & ſub eodem axe, vt Perſpectivi loquuntur: ideoq; obiectum non repræſentatur duplicatum. E contra verò, ſive potentia ſit vna, ſive duæ, apparebit duplicatum obiectum, variato axe: vt patet quoties quis comprimendo alterum ex oculis elevat pupillā. Similiter cùm quis aſpicit medio vitro triangulari, multiplicantur obiecta, propter variam ſpecierum refractionem, cùm tamen axis potentiæ viſivæ maneat immotus, & nervi æquè coniuncti vt antea. Non ergo ex diſtinctione potentiæ viſivæ infertur duplicata obiecti apparentia, ſicut neque ex vnitate illius vnica, niſi aliquid aliud addatur.

11 *ALIVNDE* Itaque reijcienda eſt ſolutio illa ex communi exiſtimatione, vt dixi, ſapientium & inſipientum: tum & à pari aliarum potentiarum, vt guſtus

stus & odoratus, quæ non multiplicantur numericè in quolibet animali, sed sunt eadem qualitas simplex: tum etiam, quia non repugnat vnicam potentiam visivam medio duplici oculo videre, neque ea repugnantia hucusque ab Adversarijs ostensa est. Si autem id non repugnat, connaturalius est vt præstetur de facto per vnicam qualitatem, quam per plures; quia natura compendio studet. Tum denique, quia in oculis nequit consummari visio, sed in eà parte, quà vterque oculus colligatur, vt sicut ambo per eandem lineam rectam tendunt ad obiectum hauriuntque ab eo species; sic etiam in vnum interiùs coeant: quæ coitio solùm invenitur vbi nervi visorij deprehenduntur connexionem habere. Cuius rei signum affert ex Aristot. S. Thomas allegato lib. de Sensu & Sensili lect. 5. his verbis: *Ijs qui vulnerantur circa tempora, sciss poris qui continuant pupillam visivo principio, subitò fiunt tenebræ per visus amissionem, sicut si lucerna extinguatur. Est enim pupilla, quasi lampas quædam illuminata exteriori lumine: & ideo quando præscinduntur pori continuantes pupillam principio visivo, non potest lumen huius lampadis usque ad principium visivum pervenire: & ideo visus obscuratur.* Quare hanc sententiam tuentur Thomistæ, & præterea Avicēna apud Cœlium *lib.* 4. *cap.* 20. Vitellio *lib.* 3. *Perspectivæ theorem.* 4. & 20. pluresque alij.

12 *CONTRARIAM* Opinionem tuentur plurimi, quibus placet, potē etiam visivam sitam esse, non in nervis visorijs, sed in humore chrystallino, seu pupilla. Ita Conimbricenses in præsenti *lib.* 2. *c.* 7. *quæst.* 7. Suarez *lib.* 3. *de Anima c.* 18. Aversa *q.* 54 *sect.* 1. & alij, post Galenum *lib.* 8. *de Vsu c.* 6. & *lib.* 10. *c.* 1.

13 *PARTEM* Affirmantem, visum esse situm in chrystalloide, vel pupilla, probant: Quia is humor est situs in medio oculi, tanquam à natura institutus ex fine videndi. Deinde est maximè aptus ad excipiendas species visuales, quoniam nimiùm splendidus: ideoque experimur, intuentem alterius oculos, in ijs seipsum conspicere veluti in speculo, scilicet, resiliente specie. Denique etiam experimento constat, læsa, vel in minimo, pupilla, statim visum lædi. *Confirm.* ex doctrina D. Thomæ 1. *part. q.* 75. *art.* 2. & in præsenti *lect.* 17. Pupilla debet carere omni colore, vt possit species omnium colorum percipere. At humor chrystallinus caret omni colore, quoniam transparens est. Ergo potest species colorum percipere: atque adeò in eo residet visus, quoniam huius proprium est recipere species omnium colorum.

14 *RESP.* Negando assumptū: Quia licèt humor ille situs appareat in medio oculi, & ratione splendoris sui sit maximè aptus ad species visuales hauriēdas ex obiecto exteriori; non tamen ad visionem eliciendam à parte interiori, quæ debet esse vnica pro duplici oculo. Experimentum autem reflexionis specierum ex pupilla aliena, in qua aliquis se conspicit, & læsio visus ex læsione pupillæ, solùm probant, pupillam esse aptissimum & immediatum receptivum specierum visualium, quæ ratione profunditatis in humore inde reflecti possint, sicuti ex profunda aquà; & quo læso obstruitur via ad ingressum earundem specierum. Nihil tamen inde ad rem colligitur: cùm pariter constet læsis vtcumque visorijs nervis, præcipuè quà parte coeunt, statim visum extingui: vt ex Arist. & D. Tho. suprà observavimus. Solum itaque pupilla inchoat visionem veluti externa lampas, sine cuius illuminatione non elicitur interiùs visio. *AD Confirm.* Non solùm pupilla, sed & visorij nervi, quà parte coeunt, debent carere omni colore, & reipsa carent, vt excipiant omnium colorum species: quamvis pupilla transparentior sit, quia immediatè vicina est luci, ac speciebus excipiēdis; ideoque clariorem esse oportuit. Sed de hoc vide plura *disp. seq. à n.* 16.

15 *VERVM* Hinc insurgunt ad probandam partem negantem in nervis residere visum: Quia ad excipiendum species colorum omnium, oportet transparens, atque totius coloris expers esse organum. At sola pupilla est transparens, & totius coloris expers, non autem nervi optici, quoniam terrestres sunt, & habentes colorem subfuscum. *RESP.* negando minorem: quia nervi nec sunt terrestres, nec coloris subfusci, sed transparentes sufficienti modo ad species omnium colorum excipiendas, quoniam diaphaneitatem participant à cerebro, quod frigidum & humidum est; quamvis minus transparentes chrystalloide ipsa pupillæ propter rationem dictam.

16 *INSTABIS:* Quamvis pupilla sit transparens, & ex hoc capite posset ad ner-

nervos interiores omnium colorum species, impeditur tamen ab ijs transmittendis ratione tunicarum interiectarum, quæ impediunt transparentiam pupillæ; præsertim ratione tunicæ vueæ, quæ colorem habet superiùs explicatum; & reticularis, quæ densior est, & venis constans, & humore albugineo. Ergo nequit visio fieri in nervis opticis, sed in pupilla. *Confirm.* Pupilla terminatur aliquo opaco, sicut speculum, ideoque reflectit species ad videntem. Ergo species non transeunt à pupilla ad nervos, ideoque in his nequit fieri visio. *RESP.* obiectionem hanc, pariter & confirmationem, debere etiam ab ipsis Adversarijs solvi: cū negari nequeat species visuales transmitti per oculos ad nervos opticos, & deinde ad sensum communem. Dicimus itaque nervos illos non terminari extra omnes tunicas & humores, instar alicuius fistulæ, quæ in ijs finem haberet; sed immergi in ipsis, atque in humore chrystallino, tum vt ab eo hauriant species colorum, tum vt ipsi communicent spiritus vitales à cerebro descendentes. Quare parum refert quod alij humores & tunicæ aliqualem colorem exhibeant; cum verè nervi continuentur vsque ad ipsam pupillam transparentem, & in seipsis sufficientem diaphanitatem habeant ad species omnium colorum hauriendas. *AD Confirm.* negatur antecedens: quia quod pupilla reflectat species ad videntem, non provenit ex eo quod terminetur aliquo opaco, sicut speculum; sed quoniam spissior est & profunda in parte interiori, ideòque potens reflectere species, vt apparet in profundissima aqua nullo opaco terminata, quæ pariter species reflectit. Quare possunt species transire ex pupilla ad nervos visorios.

17 *VRGEBIS* Adhuc. Idem absurdum colligitur ex eo quòd potentia visiva incipiat in humore chrystallino & cōtinuetur vsque ad nervos per intromissionem specierum, ac si ea plenè in oculis resideret. Nam quēadmodum si in oculis duobus plenè resideret, esset duplex potentia videndi in quolibet animali; ita etiam erit duplex aut multiplex, si resideat partim in oculis, partim in vtroque nervo. Porrò eam in oculis esse negari non potest iuxta D. Thom. in præsenti *lib. 2. lect. 17.* vbi docet, organum visus esse naturæ aqueæ, quod maximè oculorum proprium est. *RESP.* negando assumptum: quia potentia visiva non incipit in humore chrystallino quò ad suam entitatem intrinsecam, quæ solùm in nervis residet; sed dispositivè tantùm, & veluti in vehiculo luminis exterioris ad interiorem potentiam. Itaque pupillæ tantùm sunt viæ specierum ad interiores meatus, in quibus fit visio. Neque oppositum docet S. Thom. eo loco: quia nervi ex participatione a cerebro frigido & humido etiam sunt naturæ aquę. Quòd autem nervi sint duo, non probat in nostra opinione potentiam videndi esse duplicem: quia visum non ponimus in ijs qua parte divulsi sunt, sed in ea quà ambo in vnum coeunt, tum ad hauriendas species, tum & ad mittendum vitales spiritus.

18 *QVOD* Si objicias testimonium Vesalij *lib. 4. cap. 4.* asserentis se quēdam [illegible] vidisse, cuius nervi visorij à cerebro vsque ad oculos divulsi erāt, qui tamen dum viveret perfectè videbat, neque vnquam species excipiebat duplicatas; *RESP.* in primis eam anatomen non omnino exploratam haberi. Verùm ea suppositā, potuit accidere, vt morientē illo homine visorij nervi laxarentur dividerenturque. Potuerunt quoque coniungi medijs subtilibus fibris, aut tenuibus ramusculis, qui in sectione non apparerent, quamvis revera antea sufficiēt, vt in ijs eadem potentia visiva sedem haberet. Moneo autem (quod Authores nostræ sententiæ non satis observasse videntur) vim intrinsecam ad videndum non esse subiectivè in duplici nervo quatenus vnus realiter distinguitur ab alio, & ipsi contiguus est; sic enim esset duplex visus numero, vtpotè residens in duplici subiecto realiter adæquatè distincto: sed tantùm in duplici nervo, quatenus invicem continuantur, & vnicam entitatem continuam constituunt, sicut partes vicinæ constituentes integraliter vnicam & eandem quantitatem continuam. Itaque non coniungitur vnus nervus alteri per aliquid contiguum, sed per veram continuationem eiusdem numero nervi, quamvis postea divisi in duos ramos; ita vt fibra illa, seu ramusculus, in quo ambo coēunt, sit revera nervus continuatus cum vtroque ramo; sicut idem truncus arboris continuatur cum pluribus ramis, quamvis vnus ramus postquam exit ab eodem trunco, diversa via extendatur,

& secernatur loco ab altero ramo. Quare semper verum est, visum residere in nervis, quoniam intrinsecè residet in particula illa, per quam vterque nervus continuatur, & quæ verè nervus est, cum vtroque ramo continuus.

SECTIO TERTIA.

An Visus percipiat obiecta mediante extremissione radiorum ab oculis, an potiùs per visionem sibi intrinsecam & immanentem? Vbi de existentia & natura Specierum visualium.

19 SIT II. *Assertio.* Visio non fit per emissionem radiorum ab oculis, sed per receptionem specierum obiecti, quibus passivè immutata & actuata potentia efficit visionem sibi immanentem, & nihil extrinsecus producentem. Ita Aristot. in præsenti *lib. 2. cap. 7. textu* 74. illis verbis: πάσχοντι γὰρ τὸ αἰσθητικὸν, &c. *Patiente enim aliquid sensitivo fit visio. At vt patiatur ab ipso colore, qui videtur, fieri nequit. Restat igitur vt a medio. Quare necesse est aliquid esse medium inter colorem ipsum & visum.* Idemque postea docet *cap. 12. textu* 121. agens de sensu vniversim, & dicens sensum id esse, τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης. *quod sensibilium formarum absque materia susceptivum est.* Quibus locis, ac similiter *libr. de Sensu & Sensili capit. 2.* nullam vim activam in visu extra se agnoscit, sed solùm passivam ad receptionem specierum ab obiecto, medijs quibus immanenter operetur visionem. Suffragatur D. Thomas in eundem locum *lect. 4.* & communiter Philosophi. Oppositum docuit Plato *in Timæo*, vbi tradit visionem non fieri per receptionem aliquam imaginis profluentis à re visa, sed per extramissionem radiorum, qui coniuncti externo aëris lumini obiectum quasi manibus apprehendant, illudque suo contactu visibile faciant. Ita etiam Aphrodisæus *lib. 1. Problem. quæst. 75.* Seneca *lib. 1. Natur. QQ.* Euclides *in Opusc. de Perspectiva*, Ptolemæus *in Catoptrico*, Lactantius *libr. de Opificio Dei capit. 8.* Galenus *libr. 7. de Placitis Hippocratis & Platonis, & lib. 10. de Vsu part. & lib. 1. Prognost. sent.* 19. Videri potest etiam circa eam opinionem Macrobius *lib. 7. Satur. c. 14.*

20 *RATIONE* Probatur communis & vera sententia: Quia visio est actus vitalis & immanens, quo intrinsecè vivit & perficitur ipsum videns. Ergo non incipit fieri extra, sed intra ipsum viventem. Ergo non fit media virtute aliqua radiorum extramissorum in aëre, sed solùm media specie obiecti recepta intra potentiam. Per hanc enim sufficienter fœcundatur, & constituitur potens ad percipiendum intra se obiectum. Deinde extramissio ipsa radiorum reijcitur. Nam radius ille, quem Adversarij fingunt ab oculo missum in obiectum, vel est aliquod corpus; vel quoddam accidens, vt lux, aut splendor. Porrò nequit esse corpus: quia aut moveretur seu transmitteretur motu successivo, seu quantitativo, ab oculo in obiectum; & sic visio non fieret in instanti, vt revera fit, sed tempore successivo, atque eò diuturniore, quo distantius fuerit ipsum obiectum: vel certè, si non moveretur localiter, sed mitteretur per multiplicationem & generationem in ipso medio, oporteret etiam diuturnum tempus impendi, in tot generationibus successivè factis.

21 Si autem dicatur, radium illum non esse corpus, sed accidens, vt lucem, vel splendorem; aut deberet pervenire ab oculo vsque ad ipsum obiectum, vel tantùm vsque ad aliquam distantiam. Primum dici nequit, præsertim si obiectū distet aliquot leucis, aut sit ipsum cœlum, quod in prospectu habemus: quia à corpore adeo exiguo pupillæ nequit oriri splendor vel lux, quæ perveniat ad locum tam distantem: & experimento patet, lucernam, aut facem accensam, quibus longè maior est splendor, non mittere illum, nisi ad distantiam longè minorem. Immò & sic oporteret oculos noctem ipsam, seu locum obscurum illuminare, si tantus ijs splendor est; nec miraremur oculos feliū, aut noctilucas, & cincindelas noctu fulgentes: de quibus *disput. 71. sect. 3.* diximus. Insuper & oporteret radios ex oculis prodeuntes vsque ad cœlum, exinde reflecti vsque ad oculos: quia perfunderent cœlum ipsum luce, vt ab ijs videretur: quo fieret vt oculus radium ad se redeuntem videret. Hoc autem non absurdum modo sed & risu dignum est: cùm nec Sol ipse, adeò lucidus & pene immensus, radios è terra vnquam ad seipsum reflectat. Si autem

tem dicatur, radiũ illum lucis solùm mitti in certa distantia, opus erit divinare ad illam taxandam: & saltem visio cœli vsque adeò remoti non fiet per extramissionem radiorum vsque ad ipsum: neque etiam visio dissitorum montium, quos sæpe ad decem aut plures leucas percipimus. Verùm assignemus distantiam, v. g. decem aut viginti passuum, vt oculus possit cousque radios emittere. Si hoc sufficit vt subsidio specierum ab obiecto profluentium fiat visio; cur ad eam non sufficiet quod ponatur oculus in ipso loco cum eisdem speciebus, absque eo quòd vlteriores radios emittat? Aut quid conferunt radij illi extra oculos positi, quod æquè bene præstare non possint manentes in pupilla oculi, veluti in centro suo? Patet igitur visionem non fieri per extramissionẽ eiusmodi radiorum.

22 *OPPONES I.* Aristotelem *lib. 2. de Cœlo cap. 8. textu* 49. vbi inquit: *Nihil enim interest, vtrùm dicamus visum moveri ad res, vel visibile ad visum.* Et in Problem. sect. 31. probl. 16. inquit, *Luscos contractis oculis propterea videre, quia radius exiens per angustiorem locum, non ita facilè distrahitur in proparulo.* Ac lib. 5. de Gener. Animal. cap. 1. docet, oculos prominentes nõ ita bene videre, ac cõcavos; quia istorum motus recta via procedit, & non ita in vastum sicut illorum. Agnoscit igitur Aristot. emissionem radiorum ex oculis ad videndum.

23 *RESP.* Authores nostræ sententiæ communiter Arist. vtroque priori loco non loqui ex propria sententia, sed aliorũ; ad eum modum, quo Mathematici, seu Perspectivi imaginando lineas visuales, quasi ex oculis prodeuntes: ideoque iuxta ipsius sententiam, nullam fieri extramissionem radiorum ex oculis. Hæc solutio, si ad secundum ex allegatis locis applicetur, optima est. Ad primum autem illorũ melius dici potest verba illa non haberi in ipso textu, sed hæc: οὐδὲν γὰρ διαφέρει τὴν ὄψιν, ἢ τὸ ὁρώμενον. *Nihil enim differt an visus, an id, quod cernitur, moveatur.* Ita enim ad litterã vertitur, & ad mentẽ Philosophi, qui eo loci reddit rationẽ cur visus tremat vbi videt stellas fixas & remotiores, non autem vbi errantes & proximiores. Respondet autem ideo esse, quia visus noster propter limitationem & infirmitatem suam trepidat circa obiectum distantius, quamvis tremor in ipso obiecto non sit. Subditque immediatè verba nuper relata: quoniam vt stellæ fixæ appareant tremẽtes, perinde est quòd tremãt oculi, aut eædem stellæ. Vnde patet extra rem opponi nobis illud testimoniũ. Deinde secundo loco radij nomine non accipitur fulgor aliquis ab oculis missus ad res videndas, sed motus specierum oculos ingredientium: quæ cum in oculum lusci procedant per lineam seu radium visualẽ magis vnum, magis etiam reconcentrantur in oculo, iuvantque proinde ad vividiorem aspectum. Tertio denique sensus est, species in oculis prominentibus non ita inviscerari, aut vniri, atque in concavis; atque adeò illorum motum seu visionem non ita rectam & acutam procedere. Alioqui, & communiter loquẽdo, Perspectivi imaginantur, species visibiles recta via procedere ab obiecto ad oculum per modum pyramidis, cuius basis sit in obiecto, & cuspis in oculo.

24 *INSTABIS.* Arist. ipse *lib. 3. Meteorõn c. 4.* testantur, Antipherontẽ habuisse ob oculos imaginem, sive idolum sui, quia visus eius propter imbecillitatem non poterat propellere aèrem. Ergo quia sensit oculos sanos habere motum aliquẽ circa aerem, ac proinde posse mittere aliquid in illum. Idque confirmatur innumeris experimentis in fascino oculorum, qui quemadmodum noxias qualitates transmittunt in oculos intuentium, ita & possunt aliquid lucis in medium, sive in obiectum emittere.

25 *RESP.* Iuxta interpretationem D. Thomæ eodem loco, Antipherontem nõ misisse ex oculis radios ad obiecta, quod esset è re argumenti; sed humorem aliquem fluentem ab oculis, qui addensabatur in aère proximiore, & propelli nõ poterat propter debilitatem. quo fiebat, vt ex humore addensato in aère formaretur quasi speculum, in quo species ipsius Antipherontis refrangebatur, vt posset in speculo alio, & redibat in oculos. Nec iuvat aliquid Adversarios vis mira fascinandi: quæ solùm oritur ex qualitatibus nocivis, sive spiritibus, aut humoribus noxijs oculorum. Etenim ij alterantes corpus contiguum, & subinde aèrem, per illum transmittunt qualitates noxias aspicienti, vt experimento patet. Nullum verò est, ex quo constet visuales radios ab oculis mitti in obiectum, nisi in noctilucis animantibus, propter specialem illorum temperiẽ.

26 *OPPONES II.* Visus percipit sensibilia communia, vt distantiam, & indistantiam obiecti. At neque per speciē coloris, quæ impertinenter se habet circa sensibilia communia; neque per speciem propriam illorum, vt disp. præced. sect. 1. dictum est. Restat igitur vt ea percipiat media extramissione radiorum, quibus longiùs protensis videatur obiectum vt distans; proximiùs autem emissis, vt indistans.

27 *RESP.* Obiectionem eandem solvi debere ab ipsis Adversarijs. Dicant enim oportet, quomodo emissio radiorum præstita ab oculo possit discernere distantiam ipsam; an pertingendo vsque ad obiectum, quantumvis remotum sit, vt cœlum est; an sistendo in ipso medio. Si autem sistendo in medio ipso, & quidem non longè à vidente, vt necessum est fateri; quænam maior capacitas esse potest radio emisso ad repræsentandum obiectū tot millibus leucarum remotum, quàm in specie intra oculum existente? Quare iuxta dicta loco in obiectione indicato, asserimus speciē ipsam, quæ repræsentat oculo sensibile proprium, repræsentare etiam sensibilia communia, à quibus ipsum modificatur, & ad hoc sufficere modificationem eiusdem speciei: quæ sicut repræsentat figuram & motum, sic etiam distantiam & indistantiam. Observandum verò est ex D. Thom. in præsenti *lib. 2. lect* 15. & ex doctrina Perspectivorum, eo ipso quòd visio fiat per emissionem specierum ad modum pyramidis ex corpore viso, habente ipso rationem basis, & oculi pupilla se habente instar cuspidis, vt suprà dictum est; necessariò inferri, vt quantò basis magis distat à cuspide, tantò longiora sint pyramidis latera, & consequenter eò minor cuspis in oculo desinens; adeoque basim ipsam ita remotam esse posse, vt cuspis omnino extenuetur, atque evanescat visui, vt sæpe accidit.

28 *OPPONES III.* Incredibile apparet ex omnibus rebus perenniter effluere species paratas ad nutum oculorum quaquaversus aspiciat: cumque res, quæ in prospectu esse possunt, innumeræ sint, impossibile videtur, vt omnium earum imagines simul in exiguà pupillà recipiantur: aut certè si in ea locū habeant, parient confusionem ad percipienda obiecta. Non ergo visio fit per receptionem specierum ab obiectis, sed tantùm per extramissionem radiorum in ea sola obiecta, in quæ vltes actu dirigitur.

29 *AT* Quis non videat in eàdem salebra hærere Adversarios, cùm longè incredibilius appareat, vbi innumera ferè obiecta in prospectu sunt, totidem lucis radios ab oculis mitti, qui ea iuxta vniuscuiusque modum repræsentent? Dicendum itaque, nihil absurdi esse in eo, quòd perenniter deriventur species visibiles ab obiectis, quoniam sunt similitudines naturales illorum. Neque illarum multitudo incompossibilis est, quoniam non sunt qualitates physicæ, inter quas potest esse contrarietas, sed intentionales, quarum muneris est repræsentare, non vero alterare. Et licèt quælibet illarum sit extensa in pupilla, non repræsentat obiectum ratione extensionis, sed virtutis intentionalis, quæ vel in minima cuiusque speciei particula sàlvatur. Nec tandem inde sequitur cōfusio aliqua: quia sicuti nulla est incompossibilis cum alia, ita neque impedit virtutem intentionalem alterius, vt quælibet distinctè obiectum proprium repræsentet. Porrò quamlibet speciei particulam in pupilla positam sufficere ad obiectum recipiendum, patet experimento, quoties duo aut plures positi in eodem medio vident idem obiectum æqualiter; cum tamen in oculis vniuscuiusque non sit, nisi particula aliqua speciei longè maioris, quæ per totum medium dispersa est.

30 *INSTABIS* Retorquendo absurdum suprà *num.* 20. à nobis illatū contra opinionem adversam, quòd si radius emissus ab oculo circa obiectum est res corporea, mittetur per motum successivum, & ita visio non fiet in instanti. Hoc verò absurdum pariter colligitur posita emissione specierum sensibilium, ac proinde corporearum, ab obiectis in oculū. Non enim emitti ab ijs poterunt, nisi quātitativo & successivo modo, ac proinde nec visio fiet in instanti, sed eò tardiùs, quò maior fuerit distantia obiecti.

31 *RESP.* Negando sequelam & paritatem: quia missio specierum, quāvis sensibilium, & materialium, ab obiectis, non est per physicam illorum operationem, aut vim oculorum alterativam, quæ sanè successivo modo operari deberet; sed per simplicem & naturalem emanationem in totum medium seu spatium circunstans, quæ proinde in instanti fieri po-

potest, sive obiectum sit distans, sive propinquum; maximè cùm species ipsæ sint qualitates intentionales, quæ non habent contrarium, ac statim & absque mora exigunt recipi in potentiâ videndi, quę est illarum subiectum connaturale, & prōptissimum ad eas excipiendas. Emissio autem radiorum ab oculis, iuxta Aduersarios, fieret media stricta operatione productiva qualitatis physicæ & corporeæ, non autem intentionalis: quæ operatio non posset in instanti transmittere illam ad obiectum, seu medium distans. Nam alioqui, & loquendo de oculo in ratione obiecti, fatemur etiam mittere in instanti speciem sui intentionalem ad oculum alienum.

SECTIO QVARTA

De Colore, qui est obiectum, & Perspicuo, quod est medium Visus, quidnam sint, & qua ratione concurrant ad videndum?

32 *MAIOR* Difficultas est, quâ ratione color & lux constituant obiectum visus. Pro cuius intellectu præmittenda est definitio coloris ex Arist. in præsenti *lib. 2. c. 7. textu 67.* illis verbis: πᾶν δὲ χρῶμα κινητικόν ἐστι τοῦ καθ' ἐνέργειαν διαφανοῦς. καὶ τοῦτ' ἔστιν αὐτοῦ φύσις. *Omnis autem color est motivus eius quod est perspicuum actu: & hoc est, ipsius natura.* Scilicet, vt alij legunt, quod actu movet perspicuum, sive quod pellucidum actu illustratum sui similitudine imbuit. Si autē quæratur quid sit perspicuū ipsum, etiam definitur textu immediatè sequenti ὁ ἐστὶ μὲν ὁρατὸν δὲ καθ' αὑτὸ δὲ ὁρατόν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀλλὰ διὰ ἀλλότριον χρῶμα. *quod est quidem visibile, non est autem vt simpliciter dicam per se, sed per alienum colorem visibile.* Statimque exhibet exemplum in aqua, & aère, & compluribus solidorum, vt vitro, & glacie: quæ non proprio, sed alieno colore, id est, non proprio, sed adscititio lumine, & pendente a præsentia lucētis corporis, visibilia sunt. Merito autem vtrāque definitionem coloris & perspicui simul tradidit, quoniam vna manuducit ad cognitionem alterius.

33 *PATITVR* Verò definitio perspicui aliquas difficultates. Ptima est. Quia ignis & aer in suis regionibus sunt perspicui. Et tamen non videntur, etiam quando alienam lucem excipiunt. Secunda: Quia Luna est visibilis, non proprio lumine, sed alieno, id est, mutuato à Sole. Et tamen non est perspicua. Ergo definitio perspicui non convenit omni perspicuo, & præterea convenit alicui non perspicuo.

34 *PRO* Cuius intellectu præmittendum, dupliciter accipi perspicuum ab Arist. Priori modo pro quolibet corpore transparēti, vt aère, aqua, & igne: quod dici solet perspicuum indefinitum, seu interminatum, quoniam aspectus in ipsius extremitate non subsistit, sed totum pervadit, & vlterius progreditur: & sic consideratum, est medium visus. Posteriori modo accipitur pro corpore, quod quidem participat lumen, non tamen translucidū est, quoniam admixtam habet densitatē, eaque propter perspicuum terminatum dicitur ab eodem Arist. *lib. de Sensu & Sensili cap. 3.* qualia sunt omnia cœlestia luminaria, quæ propterea visu non permeātur, & res quælibet imbutæ coloribus: ideoque nihil istorum est medium visus. Præterea, perspicuum sub priori consideratione acceptū, est duplex. Vnum, quod proprio lumine lucet, vt ignis in propria sphæra: alterum, quod alieno tantum, vt aèr, & aqua, quæ non, nisi mutuato aliūde lumine, collucent. Vnde fit vt quę primi generis sunt, semper actu illustrata existant: quæ autem secundi, interdum actu illustrata, interdum potentia tantùm. Quibus positis, dicendum, Aristotelem in illa perspicui definitione non fuisse complexū perspicua terminata, quoniam hæc non sunt medium idoneum traijciendis speciebus ad oculum: nec etiam omnia perspicua interminata, qualia sunt ea, quæ ex se lucem habent, quoniam licèt sint media apta traijciendis speciebus, semper tamen actu lucida & perspicua sunt. Superest igitur, vt tantùm ea perspicua interminata in definitione comprehenderit, quæ ab extraneo corpore lucem mutuant, & quādoque illustrata sunt actu, quandoque in potentia tantum: qualia sunt aer, aqua, chrystallus, pretiosi lapides, vitrum, & alia eiusmodi. Porrò hæc tantùm voluisse Aristotelem comprehendere definitione sua, patet: quoniam paulò pòst subdit, lumē esse veluti colorem perspicui corporis cùm est perspicuum actu ab igne, aliove corpore luminoso, vt Sole. Quo planè supponit eiusmodi perspicuum esse indifferens

ad

ad ſubeundam actu aut non ſubeundam illuſtrationem.

35 *HIS* Statutis occurritur vtrique difficultati ſuperiùs propoſitæ. Priori quidem, aſſerendo, ignem eſſe perſpicuum, non tamen quale explicatur definitione præiactà, quoniam ſemper actu perſpicuus eſt, & proprio lumine ſplendidus. Eſt etiã viſibilis per ſe loquendo: ſed tamẽ in propriâ regione non conſpicitur actu à nobis, defectu denſitatis requiſitæ: quemadmodum colorata quælibet cenſentur per ſe viſibilia, quamvis in tenebris non videantur, defectu actualis illuminationis. Idem, quod de igne, dicendum eſt aëre quando imbutus eſt lumine, ſeu actu illuminatus; viſibilem, ſcilicet, eſſe per ſe loquendo, licèt actu non videatur, defectu denſitatis exactæ: ſicuti & colorata quælibet ſunt per ſe viſibilia, & tamen actu videri nequeunt, niſi medium actu ſit illuſtratum. Poſteriori autem difficultati reſpondemus, quidquid ſit, an Luna proprium lumen habeat, an tantùm à Sole mutuatum (de quo ſatis diſſeruimus ſuprà *diſput.* 71.) illam non eſſe corpus perſpicuum interminatum, quale ſolùm definitur ſuprà ab Ariſtotele, ſed terminatum, & quod nequit deſervire vt medium tranſmittendis ſpeciebus. Moneo autem non omnia perſpicua æqualem perſpicuitatem habere: quia ſumma omnium convenit cœlo, ſecunda igni elementari, tertia aëri, quarta aquæ, ſcilicet, quia quò ſuperiora corpora eiuſmodi, eò magis ab opacitate diſtant, & ſubtiliora ſunt. Similiter & in mixtis illud erit magis perſpicuum, quod magis participaverit de ſuperioribus elementis.

36 *SIMILITER* Et definitio coloris ſuas patitur difficultates, non ſolùm illa, quam ſuprà aſſignavimus, ſed alia inſuper, quàm præſtat Ariſt. *lib. de Senſu & Senſili* per hæc verba: *Color eſt actus perſpicui in corpore terminato.* Sive, vt alij è Græco vertunt: *Color eſt terminus, ſeu extremitas perſpicui in corpore terminato.* Vtraque definitio reverà coincidit: niſi quòd prior illa exponit naturam coloris per ſuã proprietatem, quæ eſt viſibilitas; hæc autem poſterior tradit quidditatem coloris in ſeipſo conſiderati. Ambæ autem videntur oppugnari poſſe his difficultatibus. *Prima* eſt. Lux Solis & quorumlibet ſiderum movet actu perſpicuum: ſiquidem mediãte illo mittit ſpeciem ſui ad oculos. Et tamen lux non eſt color. Ergo non eſt propria ratio coloris movere perſpicuum, ſed communis etiam luci. *Secunda*: Quia movere perſpicuum non convenit omni colori. Scilicet, color ater, iuxta Ariſt. loco allegato, & 10. *Metaph. c.* 4 *t.* 7. eſt privatio candoris: privatio autem, cùm ſit non ens, nequit movere perſpicuum. *Tertia* contra poſteriorem definitionem. Quoties color oritur ex permiſtione primarum qualitatum, non ſolùm perfundit extimã ſuperficiem, ſed permeat totum corpus, quod in fruſta aut laminas diſſectum vbique colorem exhibet. Ergo malè definitur per ſolam terminationem perſpicui. Si autem dicatur Ariſtoteli ſolùm curæ fuiſſe in eà difinitione explicare vim coloris quatenus viſibilis eſt, ſeu viſum terminare poteſt, quà ratione tantùm extimam ſuperficiem tangit; Contra eſt, quod nonnulli lapides ſunt, in quorum profunditate apparent colores. Non ergo reſtringi debuit definitio coloris ad extimam ſuperficiem.

37 *RESP.* Ad I. Vt prior definitio coloris ſoli ipſi conveniat, ſufficit quòd ille tantùm moveat actu perſpicuum, ſive diaphanum iam actuatum, & illuſtratum per lucem, quod eſt diaphanum ſecundùm actum. Lux autem Solis & quorumlibet ſiderum non movet actu perſpicuum, ſed potiùs facit perſpicuum actu. Itaque in hac definitione non explicatur aliquid commune luci & colori, quale eſt movere & ſpecificare viſum; ſed quod eſt coloris proprium, vt movere perſpicuum iam actu luce perfuſum. Quare *τὸ motivum* non exprimitur per ordinẽ ad viſum, ſed ad perſpicuum ipſum; & non accipitur de motione phyſica, ſeu alterativà, ſed intentionali: quoniam diaphanum in actu, ſcilicet, iam perfuſum luce, non poteſt vlteriùs moveri, niſi intentionaliter, ſi propriè loquamur. Quodcumque enim aliud, vt calidum & frigidum, æqualiter poſſet realiter movere, ſive alterare diaphanum tenebroſum, ac lucidum: quare ſolius coloris, quatenus intentionaliter agentis, eſt movere diaphanum iam illuminatum. Et ipſum quidem, quatenus diaphanum eſt, non exprimit ordinem ad alia accidentia phyſica, quæ alioqui habet; ſed ſolem ad lucem, qua conſtituitur actu diaphanum. Quare definitio tradita eſt propria coloris: quia ſupponit id quod eſt commune colori ac reliquis ſenſibilibus, ſcilicet, mo-

ve-

vere ſenſum intentionaliter, idque includit in particula *motivum*; & in cæteris differt ab ijs. Nam ſenſibilia, quæ ſunt obiecta aliorum ſenſuum, poſſunt quidem movere diaphanum; non tamen quatenus diaphanum eſt, ſiquidem etiam tranſeunt per opacum; aut, eſto moveant diaphanū, non requirunt illud iam illuſtratum actu, quoniam pariter odoramus, audimus, tāgimus, & guſtamus, in tenebris, atque in luce. Similiter & lux, quamvis viſibilis, & movens viſum, non movet diaphanum iam illuſtratum, ſed potius illud facit diaphanum actu, ſive illuſtratum actu. Patet igitur prædicta definitione optimè explanatam fuiſſe rationem coloris, tam prout convenit cum luce & alijs ſenſibilibus in movendo, quam prout ab ijs differt in movendo, non quodcumque, ſed diaphanum illuſtratum.

38 *AD II.* Color ater dicitur ab Ariſt. privatio candoris, non propriè, ſed abuſivè tantùm, quoniam nigredo, & quælibet qualitas deterioris notæ, ſi cum oppoſita & perfectiore conferatur, quaſi privatio quædam eſt. Id autem non prohibet vt nigredo, aut quilibet alius color infra albedinem, ſit vera ac realis qualitas, potens agere, & intentionaliter movere perſpicuum iam illuſtratum.

39 *AD III.* Probabilis eſt ſolutio ibidem interiecta, quam non ſatis impugnat vlterior inſtantia: quoniam colores lapidum refulgentium non videntur in profunditate illorum, ſed in extima ſuperficie tantùm, quoniam ſpecies eorundem permeant è profundo corpus tranſlucidum, & in extremā ora ſe ſpectandas exhibent. Verùm licèt ita plerique Auctorum reſpondeant, probabiliùs & conformiùs ad mentem S. Thom. in eum locum Philoſophi *lect.* 6. occurri poteſt. Ibidem namque expreſsè docet, colorem non dici extremitatem perſpicui in genere quātitatis, quaſi ſit ſuperficies, vel in ſuperficie tantùm; ſed in genere qualitatis & perſpicuitatis, in ordine ad quam definitur, quatenus color eſt. Præterea luculenter ait, colorem quò ad ſuam entitatem non eſſe in ſola ſuperficie, ſed etiam intra corpus ipſum, ſeu profunditatem rei coloratæ, quamvis actu ſolùm appareat in ſuperficie, quia tantùm in ea recipit illuminationem, ſine qua videri non poteſt. Vtrumque palam erit legenti S. Doctorem.

40 *SED* Vt penitiùs vtrumque intelligatur, circa primum illorum obſervandum eſt, colorem non eſſe primam qualitatem, ſed cauſatam ex aliquo præcedenti, ſive id ſit modificatio lucis in corpore partim perſpicuo, & partim opaco, ſive mixtio primarum qualitatū. Etenim colores apparentes in aère reſultant ex modificatione lucis in eodem aère, vaporibus ex inferiori aqua aut terrà aſcendentibus incraſſato: apparentes verò in mixtis, reſultant ex congreſſu quatuor primarum qualitatum; quæ etiam diſsicēt inter ſe penes diaphaneitatem & opacitatem, ſicut ipſa elementa, quarum propriæ ſunt. Ignis enim, aer, & aqua, ſunt diaphana, quamvis inæqualiter, vt ſuprà monuimus: terra autem opaca eſt. Quare diaphanum ipſum, ſive perſpicuum, quandoque invenitur coniunctum luci, vt in Sole, ſtellis, & igne; quandoque autem adiunctum ſuo contrario, quod eſt opacitas: & tunc terminatur alieno termino, ſcilicet, opacitate ipſa; ideoque fit color ex eiuſmodi terminatione perſpicui, quaſi ex eius defectu, ſeu vltimo in quod reſolvitur. Quādoque tandem invenitur perſpicuum ſecundum ſe, ſive abſtrahens à coniunctione cum luce aut colore, & ſolum importans tranſparentiam, vt aèr, aqua, chryſtellus, vitrum, &c.

41 *COLOR* Itaque in mixtis non reſultat ſolùm ex commiſtione primarum qualitatum, ſed etiam perſpicuitatis & opacitatis quatuor elementorum, quæ virtualiter manent in mixto, ſicuti & ipſæ qualitates primæ. Ideoque definitur *extremitas perſpicui in corpore terminato*: id eſt, qualitas conſecuta, non ſolùm ex quatuor primis qualitatibus, vt aliæ ſenſibiles; ſed etiam & ſpeciatim ex terminatione perſpicui per opacum; quaſi quid extremum in linea perſpicuitatis, quod tandem finitur facta terminatione opaci, ſive corporis terminati. Idque experimento patet in coloribus apparentibus, qui planè ex eiuſmodi mixtione perſpicui & opaci reſultant. Ideo, vt cætera omittam, in nubibus varij colores apparent ex varia mixtione opacitatis ipſius cum perſpicuitate aèris, vel vaporum, & modificatione lucis. Modo enim reſultat in nube color albus, ſi multùm de luce imbibat; modò cæruleus aut niger, ſi minùm participet de opacitate aut copia vaporum; modò puniceus, modò flavus; ſcilicet, iuxta variam permiſtionem opaci & perſpicui, ac mo-

modificationem lucis. Hoc autem, quod in mixtis imperfectis fieri videmus, pariter putandum accidere in quibusque perfectis: quamvis in his sit causa stabilior ac diuturnior retinendi colores, quam in nube, & alijs apparentibus in aere. Idque generatim tradit S. Thomas loco allegato, dum ait: *Manifestum est quòd in ijs, quæ colorantur ab exteriori* (scilicet, a reverberatione luminosi) *perspicuum est susceptivum coloris; & etiam in ijs, quæ colorantur interiùs, perspicuum est quod facit ea participare colorem. Quod quidem perspicuum in corporibus invenitur secundùm magis & minùs: quæ enim istorum corporum plus habent de aere aut aquâ, plus habent de perspicuo: minùs autem habent, quæ abundant de terrestri.*

42 *EX* Quâ doctrinâ, & testimonio, palam evincitur secundum ex superiùs propositis, scilicet, colorem non esse tantùm in extimâ superficie corporis, mixti; quippe quod interiùs etiam coloratum est quò ad totam & absolutam entitatem coloris, licèt non quò ad terminationem & motionem actualem visus, quæ solùm fit actu penes extimum superficiem. Qua ratione in Physica, præsertim *disputat.* 33. diximus superficiem esse actu intra corpus continuum, non quidem vt actu terminãtem, quia hoc soli vltimæ superficiei convenit, sed vt actu continuantem. Itaque non est dicendum cum primâ solutione *num.* 37. prope finem interiectâ, Aristotelem solùm definijsse colorem spectantem ad vltimam superficiem, sed etiam introrsus latentem: quia hic, licèt actu non exerceat motionem perspicui propter defectũ illustrationis, verè tamen, & quantùm in se est, habet esse extremitatem perspicui in corpore terminato; solumque deficit ipsi manifestatio ad movendum actu visum. Alioqui nec definitio illa conveniret colori extimæ superficiei in tenebris posito, quoniam in eo loco non potest actu movere.

43 *PATET* Igitur quid sit color, quid etiam perspicuum, & quomodo intelligenda sit definitio vtriusque. Porrò visus ad percipiendum colorem, lucemq; indiget medio aliquo. Cùm enim non possit ferri, nisi ad obiectum præsens, vt *sect. præced.* ostensum est, & aliunde nullus sensus externus possit percipere suum proprium sensibile immediatè supra se positum, vt *disp. præcedenti sect.* 3. constitutum reliquimus, opus est intercedere aliquod medium inter sensum externum & ipsũ obiectum, atque adeò inter visum & colorem. Dicimus autem hoc medium debere esse perspicuum, sive diaphanum illuminatũ: quia nullum aliud esse potest, quo obiectũ reddatur visibile, & ipsius species vsque ad oculum traijciatur. Cuius signum est, quod experimur sæpe, scilicet, cessare visionẽ ex carentiâ omnimoda lucis, aut opacitate impediente diaphanũ: quo certè ostenditur, illuminatum diaphanum esse vehiculum necessarium speciei deferendæ, & præsentando obiecto, ac movendo visui. Vbi quæstionis esse solet, vtrùm ad id muneris requiratur aër, an verò sufficiat quodlibet corpus diaphanum ab aere distinctum. Dicimus autem, quamvis plerumque aër deserviat speciebus visualibus deferendis, cum tamen absolutè necessarium non esse: tum quia posito chrystallo aut vitro immediatè supra oculum, videmus obiectum immediatè post chrystallum aut vitrum existens, atque adeò sine interiecto aere: tum etiam, quia in cœlo oculi Beatorum videbunt obiecta quælibet vtcumque colorata, cùm tamen nullus ibi aër sit, qui species deferat: tum denique quia pisces intra aquam vident, nisi illa penitus obscura sit; alioqui inutiles ferè ijs essent oculi: immò & vrinatores, Hispanicè *los buzos*, dicuntur videre intra mare, vbi se demergunt ad aliquid quærendum, ideoque deferre solent os plenum oleo, vt eo clariores reddant aquas, & meliùs videant: idemque fere dicitur de natatoribus, qui in profundos fluviorum puteos se proijciunt, vt pisces manu capiant. Palam enim est species visuales ad illorum oculos non transmitti per aërem, sed per aquam.

SECTIO QVINTA

Lucem Visui necessariam, non esse corpus, nec substantialem formam, sed qualitatem; non intentionalem, sed naturalem, distinctam à colore, tum vero, tum & apparenti. Obiectiones solutæ.

44 *ARISTOTELES* Eodem cap. 7. lib. 2. de Anima, in quo definivit colorem & perspicuum, vt nuper vidimus, definit etiam lumen textu 79. dum ait: *φῶς δὲ ἐστιν οὐ τοῦ*

τούτου ἐνέργεια ἡ διαφανοῦς, ἢ διαφανὲς. *Lumen verò eſt actus huiuſce perſpicui, quatenus perſpicuum eſt.* Scilicet, actus, quo perſpicuum corpus conſtituitur formaliter & actu perſpicuum, ſive illuſtratum. Porrò quòd lux ſit actus, ſive forma diaphani, patet: quia quando illud non habet lucem, ſed tenebras, eſt ſub privatione, & in potentia ad aliquid, quod relatè ad ipſum habeat rationem actus. Quamvis autem lux etiam actuare videatur opacum, non tamen definitur in ordine ad illud: quia non actuatur ab eà ſimpliciter, & ſecundum ſe totum, ſicut diaphanum, quod a luce omnino permeatur; ſed ſolùm ſecundùm quid, & penes extimam ſuperficiem, quæ etiam aliquid perſpicui habet, ſicuti & coloris. Ideoque lux ſolum in ordine ad perſpicuum definiri debuit. Quamvis vero *diſp.* 71. *n.* 1. & 2. plura præmiſerim de lumine, eiuſque diſtinctione mathematica a luce, radio, & ſplendore; in præſenti, & philoſophicè loquendo, non diſtinguimus inter lucem & lumen, ſed lucem dicimus prout exiſtentem in corpore luminoſo, lumen verò proùt diffunditur ab ipſo, & participatur à corporibus illuminatis. Circa cuius naturam præmittere nonnulla oportet, quæ videntur certa, vt poſtea ad, quod difficultatem ingerit, deveniamus.

45 *PRIMO* Præmittendum, lucem non eſſe corpus, neque formam ſubſtantialem, ſed qualitatem. Probatur ratione Doctoris Angelici 1. *p. q.* 67. *art.* 1. & 3. Quia videmus lucē diffundi per corpus diaphanum, ita vt nihil in eo appareat quod illuminatum non ſit. Hoc autem naturaliter repugnaret ſi lux eſſet corpus: nam eo ipſo aut oporteret dividi corpus diaphanum à luce, ac propterea non totum illuminari, quod contradicit experientiæ; aut certè illud penetrari totum a corpore lucis, quod naturaliter eſt impoſſibile. *Deinde*, ſi lux eſſet corpus, non poſſet diffundi, præſertim lux Solis, in inſtanti vnico per tam vaſtum ſpatium, ac diffundi vidimus: nam vel corpus illud deferretur motu locali per illud, quod repugnat fieri momento indiviſibili temporis, cùm quælibet pars motus amplectatur infinita inſtantia; vel per novam generationem multiplicationemque illius corporis, & ſic diffuſio luminis afferret infinitas ferè generationes, ac proinde corruptiones ſubſtantiales: quod eſt merum figmentū, à nullo vnquam deprehenſum in aère illuminato; & præterea reijcitur, quoniam lumen corrumpi non poſſet, niſi producta aliqua forma ſubſtantiali cum ipſo incompoſsibili. Nulla autem forma ſubſtantialis eſt incompoſsibilis cum luce, ſed ipſi ſolùm opponuntur tenebræ, quæ neque ſunt corpus, neque ens. Iam denique, lucē non eſſe ſubſtantialem formam, facilè ſuadetur: tum quia lux eſt per ſe & immediatè viſibilis, forma autem ſubſtantialis ſolùm mediatè & per accidēs videri poteſt: tum etiam, quia aliàs, dum lux diffunditur per aèra, aut corrumperet ſubſtantialem formam aèris, quod eſt abſurdum; aut ſimul eſſet cum illa, quod eſt naturaliter impoſſibile. Non igitur lux eſt ſubſtantialis forma. Superest ergo vt ſit accidens, & non aliud, quam qualitas, quoniam effectus qualificativos præſtat, quos præſertim in luce Solis & aſtrorum quorumlibet experimur.

46 *SECVNDO* Præmittimus, lucem non eſſe qualitatem intentionalē, ſcilicet, repræſentativam coloris, inſtar ſpeciei impreſſæ repræſentantis colorem a ſe diſtinctum, ſed naturalem, quæ proinde verè ac realiter exiſtit in aère, & quolibet corpore perſpicuo. Rationem reddit S. Thom. poſtremo articulo ex nuper indicatis: tum quia lux reddit aèrem realiter illuminatum, & corpus, à quo diffunditur, eſt realiter luminoſum: ſpecies autem lucis non reddit aèrem illuminatum realiter, ſicut nec ſpecies coloris conſtituit viſibile coloratum realiter. Ergo lux non eſt qualitas intentionalis, ſicut ſpecies, ſed realis & naturalis. Tum etiam quia experimur lucem habere reales naturalesque effectus calefaciendi, rarefaciendi, & diſgregandi viſum, ac concurrendi in generationem mixtorū, vt ſuprà *diſp.* 73. oſtēſum eſt: quorum tamen nihil a ſpecie viſuali præſtari poteſt. Denique, poteſt contingere, ſaltem ſupernaturaliter, vt obiectum lucidum non emittat actu ſpeciem aliquam viſualem, vel quia non ſit intra ſphæram alicuius potentiæ viſivę, vel quia Deus impediat emiſsionem ſpecierum ab eo, vt reverà poteſt. In ea hypotheſi abſolutè poſsibili, daretur lux, & non daretur viſualis ſpecies. Ergo lux non eſt ſpecies viſualis, ac proinde non eſt intentionalis qualitas viſibilium rerum repræſentativa.

47 *EX* Quà doctrinà palam colligitur, lucem agere ſpecie intentionali diſtin-

distincta realiter, vt videatur per modum obiecti : siquidem hoc modo videri non potest, nisi actuet potentiam intentionaliter: cùm generatim verum sit illud Augustini: *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* At lux, si non est qualitas intentionalis, sed naturalis, vt nuper probatum est, nequit seorsim à specie visuali actuare intentionaliter potentiam, vt ex se patet. Ergo nequit videri per modum obiecti seorsim à specie visuali. Neque obstat quòd lux immediatè per suam essentiam actuet informetque visibile, reddendo illud completum in ratione visibilis : cùm hoc enim cohæret necessariam esse lucis speciem in oculo, vt ipsa videatur tanquam obiectum. Quod luculenter tradit D. Thomas *q.* 10. *de Verit. art.* 8. *ad* 10. in secundo loco positum, his verbis: *Lux corporalis non videtur per essentiam, nisi quatenus est ratio visibilitatis visibilium, & forma quædam dans eis actu esse visibile : ipsa enim lux quæ est in Sole, non videtur à nobis, nisi per similitudinẽ eius in visu nostro existentẽ, sicut species* (scilicet, substantia) *lapidis non est in oculo, sed similitudo eius.*

48 *TERTIO* Statutum sit, colorem, præsertim permanentem, specie essentiali differre à luce, quidquid contra opinatus fuerit Plato in Timæo, Avicenna *lib. 6. part. cap.* 1. & Alpharabius apud Averroem *in 2. de Anima comm.* 65. quibus subscripsisse videtur Soncinas 10. *Metaph. q.* 2. Caietanus *ad textum* 37. eiusdem secundi de Anima, & Iavellus *q.* 33. ac novissimè Zuchius *in Optica p.* 1. Eandem Platonis opinionem sequutus est Virgilius 6. Æneidos dum accinit: —— *rebus nox abstulit atra colorem.* quasi idem fuerit abstulisse lucem de medio, ac colorẽ rapuisse. Videturque Ecclesia ipsa modum hunc dicendi probasse, dum in quodam Hymno concinit de lucis ortu: *Rebusque iam color redit, Vultu nitentis sideris.* quasi idem sit redire colorem ac lucem.

49 *NOSTRA* Tamen sententia communis cæterorum & verissima est. Suaderique potest multipliciter. *Primò* ex doctrina Arist. 1. *de Cœlo c.* 3. *textu* 20. vbi docet, qualitates cœlestes, ac proinde lumen, non habere contrarium. Manifestum est autem vnum colorem esse alteri contrarium, vt albedinem nigredini. Ergo color non est idem, ac lux. Deinde iuxta eundem *lib.* 7. *Physic. c.* 3. & omnes Philosophos, ad lucem non est proprie alteratio, quæ tamen est ad colores. *Secundò*: Quia colores, saltèm permanentes, separantur à luce, quoniam manent quò ad totam suam entitatem in tenebris, vbi nulla est lux. *Confirm.* Quidquid enim sit de coloribus apparentibus, qui variationem subeunt iuxta variationem lucis, permanentes tamen vt candor cygni, & nigredo corvi, aliaque eiusmodi, perseverant fixi & ijdem, sive coram Sole, sive ante lucẽ candelæ, sive in vmbra, sive coram luce. Ergo nullum est fundamentum vt censeantur vnum idemque cum luce, adhuc prout modificata, vel variata. *Tertio*, & a priori: Quia, vt suprà *à num.* 40. ostensum est, colores oriuntur ex causis permanentibus, scilicet, ex mixtione qualitatum elementarium, præsertim perspicuitatis & opacitatis, quæ intrinsecè & permanẽter residunt in mixtis. Lux autem non oritur ex eodem principio, sed longè diverso, nimirum, ex solo corpore luminoso, à quo diffunditur. Ergo quid omnino diversum est lux à colore permanenti. *Confirm.* Videmus enim colores esse specie diversos, lucem verò vnàm eandemque secũdùm speciem. Quo planè & ostenditur distinctio specifica lucis à colore, & diversa vtriusque origo: color enim prodit varius iuxta variam mixtionem primarum qualitatum, ac præterea perspicui & opaci: lux autem à solo corpore luminoso, quod sicut vnum est specie, quoscumque colores illuminet, vnicam specie lucem diffundit. Illud autem quod ex Hymno obijcitur, dictum est stylo poetico, propter affinitatem coloris & lucis.

50 *OPPONES* Aristotelicam definitionem coloris suprà traditam per hoc, vt moveat actu perspicuũ. At etiam lux movet actu perspicuum, cùm illud propria sui similitudine afficiat. *Deinde*, commune Philosophorum proloquium est, colorem esse commune & adæquatum obiectum visus. At lux comprehenditur sub adæquato obiecto visus, cùm & illa maximè videatur. Ergo lux comprehẽditur sub ratione coloris. *Denique.* Ob id tantùm oculi laffantur & fatiscunt vbi intuentur corpora præalba, quia candor multùm habet de luce, quę organum visus dissipat: contrà autem recreantur ac melius habent vbi aspiciunt viridia & herbescentia, quoniam viridis color mediocritatem quandam lucis obtinet, & leniter obtutui exhibet. Ergo quia colores eiusdem natu-

ræ

rę ſunt cum luce, ideoque illam magis aut minus oculis repræſentant.

51 *HÆC* Tamen levia ſunt. *AD I.* conſtat ex dictis *ſect. præced.* lucem non movere actu perſpicuum, ſed facere: colorem è contra non facere, ſed præſupponere iam actu perſpicuum, vt illud moveat, ſive ſui ſimilitudine imbuat. *AD II.* Proloquium illud commune Philoſophorum intelligendū eſt de colore, non ſeorſim a luce, ſed quatenus ſubeſt ipſi, tanquā rationi vltimò complenti colorem in ratione viſibilis: quod ampliùs *ſect. ſeq.* apparebit. *AD III.* tranſmiſſo antecedenti, de quò legendus Ariſt. *in Probl. ſect.* 31. *q.* 20. negatur conſequentia: quia color præalbus non continet in ſe formaliter lucem, ſed ſolùm appropinquat magis ad lucem, quàm alij colores, eò quò reſultat potiori ex parte ex perſpicuo, quàm ex opaco elementorū, virtualiter manentibus in vnoquoque colorum, vt ſuperiùs tradidimus. In alijs verò coloribus prædominatur opacum, & prævalet perſpicuo. Quo ſenſu accipiendus eſt D. Thom. ſicubi fortè videtur innuere oppoſitum, vt 2. *de Animâ lect.* 14. vbi inquit, colorem eſſe quandam lucē obumbratā, & *lib. de Senſu & Senſili lect.* 7. vbi docet, in extremo corporum contingere vt ſit illud, quod in aere fuit lumen, & ibi facere colorem album. Iſs enim locis non affirmat colorem eſſe lucē ipſam, aut eiuſdem ſpecie cū illa; ſed lucem obūbratam tantum, & mixtam opaco, quatenus colores participant lucem mediante perſpicuo, quod admiſcetur opaco, quamvis non ſint ipſa lux, ſed potiùs participatio quædam mediata lucis.

52 *INSTABIS.* Color convenit in viſibilitate eàdem ſpecifica & atoma cum luce, quæ eſt propria vtriuſque. At quidquid convenit in aliqua proprietate cum alio, eſt eiuſdem eſſentiæ cum illo. Ergo color eſt eiuſdem eſſentiæ cum luce. *RESP.* in primis viſibilitatem lucis quoddammodo differre à viſibilitate coloris, vtpotè quam vltimò complet ac perficit in ratione viſibilis. Verùm permiſſo quod color & lux conveniant formaliter in eādem ratione viſibilis, prout pertinet per modum rationis indiviſæ ad eandem ſpecie potentiam, adhuc locus eſt vt in eſſe rei, ſive in entitate intrinſeca, ſpecificè diſtinguantur. Id patet ab inſtantia colorū, qui reipſa diverſas ſpecies cōſtituunt, quāvis eandem rationem formalem viſibilitatis induant in ordine ad viſum eundem ſpecie. Similiter & obiecta partialia cuiuſcumque potentiæ, & ſcientiæ, ſpecie eſſentiali diverſa ſecundùm eſſe, adhuc ſubinduunt eandem rationem formalem attingibilis: vt patet ferè ab inductione. Quādo verò dicitur, quidquid convenit in aliqua proprietate cū alio, debere eſſe eiuſdem ſpeciei cum illo; intelligendum de proprietate in quarto modo, quæ ſola adæquatè convertitur cum eſſentia. Hac verò ratione viſibilitas non convenit luci & colori, ſicut neque coloribus inter ſe comparatis. Quamvis enim conveniat cuilibet illorum, & ſemper, non tamen ſoli: ſicut eſſe bipedem homini, & pennatum aquilæ.

53 *COLLIGITVR* Ex dictis, colorem apparentem etiam differre intrinſecā ſpecie à luce, quidquid contrà ſentiant Conimbricenſes *lib. 2. c. 7. q. 2. art. 2.* & plures alij. Etenim licèt efficienter cauſentur ex modificatione & participatione ac refractione varia lucis, ideoque videamus nubes ex diverſa irradiatione Solis, nunc albo, nunc viridi, nunc rubeo colore perfundi; ſimiliter & mare modo purpuraſcere, modò caneſcere, eminus album, propè nigrum apparere; columbarū quoque cervices, & pavonum caudas, diverſo lucis aſpectu exprimere pulchram varietatem colorum: attamen adhuc non conſiſtunt in ipſa luce, ſed in mixtione ex perſpicuo & opaco, ſicut colores permanentes, eiuſdemque rationis eſſentialis ſunt cum ijs: tum, quia eodem modo immutant viſum; tum etiam quia eandem contrarietatem ſpecificam ſervant inter ſe, vt albus & niger, viridis & cæruleus. Addunt tamen, quatenus apparentes, ſpecialem modificationem lucis ex ipſius reverberatione, ſine cuius actuali influxu non exiſterent, nec haberent vim, adhuc in actu primo, ad movendum viſum; ideoque apparentes dicuntur, quia non, niſi ex illa reverberatione apparere poſſunt, licèt veri colores ſint. Qui verò abſolutè veri appellantur, non dependent ex illa ſpeciali reverberatione, neque ex actuali influxu lucis, ſed ſolùm virtuali, vt verè exiſtant, & ſint viſibiles, quamvis incompletè ſolùm, & in actu primo.

(·.·)

SECTIO SEXTA.

Nova experimenta, quibus montes, flumina, maria, immensæ camporum planities, voragines fluviorum lacus, sylvæ, animalia omnis generis, & in aëre plures Iridis, nubes, Sol, Luna ac stellæ, apparent per tubum opticum; cum tamen sine illo nihil eorum videatur. Ex Athanasio Kirchero.

54 VERVM Quoniam progressus ipse disputationis nos traxit ad vestigandum naturam colorum apparentium, nolui invidere Lectori mira & recentia experimenta eruditissimi ac præstantissimi Mathematici Athanasij Kircheri *lib.* 10. *Artis Magnæ parte* 2. *Magæ Paraskaticæ pag. mih* 837. circa colores apparentes in tubo optico, sive telescopio. Quæ omnia, quoniam liber rarus est, præsertim in Hispania, eiusdem Auctoris verbis referenda duxi. Sic itaque loquitur, & testatur de se, loco allegato.

55 Dum in experimentis Dioptricæ tumendis totus sum, præter omnem spem, & fortuitò id occurrit, quod tanto labore inquisiveram, vt proinde hoc ipsum me satis superque docuerit omnia huc vsque præclarissima à diversis inventa, nō tam studio, quam casu detecta esse. Dum enim ad fenestram stans campos Romanos telescopio lustro, ecce loco camporum, maria, lacus, flumina, montes nive coopertos, frutices, lacunas, naves fractas, & (mirum dictu) balenas in medijs campis observo; quarum tamen rerum nihil prorsus extra tubum comparebat. Attonitus igitur rei novitate dum causam tam insolentis effectus inquiro, vidi tandem post sedulam rei investigationē causam huius esse tabulam quandam cancelli Orizonti parallelam pluvia quasi putrefactam, variaque scabritie inæqualiter extensam, tam mira spectacula præbuisse. Vnde huius occasione aliquid subtilius molitus, machinam construxi, quæ omnia quæcumque quis desiderare posset, per tubum ostenderet, etiam si nihil rerum repræsentandarū extra tubum cōpareat.

56 In tabula quapiam Orizonti parallela fenestræ expositā proijciantur arenæ, cineres, festucæ, & quæcumque cōgeries rerum, dummodò ita parvæ sint, vt in loco, ex quo spectantur, per tubum videri nequeant: deinde aqua extremam oram tabulæ perfundes, ita vt festucæ minimæ extra aquam emineant. Hoc peracto, aperto telescopio, in tantum retrocede, donec planitiem tabulæ deprehendas in debita proportione: & ecce ingens de repente per tubum inspicienti tibi planities apparebit, mareque immensum ingenti navium multitudine repletum ita ad vivum deprehendes, vt te in vastissimis campis constitutum altissima maria intueri iurare possis. Hic immensos scopulos, montium catenas immenso tractu in mare porrectas, voragines, similiaque pro rerum temere in tabulam coniectarum congerie videbis. Splendor enim aquæ perfectissimè mare refert, festucæ, & stipulæ eminentes naves, felices montes, vel ipsum sputum proiectum in tabulam lacū ingentem, fragmen ceræ balenam, ipsæ tabulæ scabrities rimas, & sulcos planitiei campestris. Quæ omnia tanto vivaciùs referentur, quanto proportionatiùs dispositā fuerint. Hanc parasiasim cum amicis demonstrassem, dici vix potest, quantam voluptatem & admirationem ex tanta spectaculorum varietate perceperint, præsertim cum extra tubum nihil horum compareret, quæ tubus demōstrabat. Quæ omnia quoque mirum quàm dextrè exhibet P. Fulgentius Ordinis Sancti Francisci Religiosus.

57 In præcedenti experimento rerum temerè projectarū specimen tulimus: in hoc artificiosam trademus rerum exhibendarum dispositionem. Fiat ex ligno quadratum tympanū axi suo instructum tantæ longitudinis, vt intra fenestram commodè circumvolui possit, latitudinis verò cuiuslibet. Huius tympani singula latera diversa tibi præsentabunt, ea ferè ratione, qua supra quoq; de Catoptrica specula docuimus. Ita primum, verbi gratia, latus repræsentabit maria cum navibus; secūdum hortos, & vrbes, amœnissimosque campos; tertium planitiem campestrem hominū, animalium q; multitudine frequentatam; quartum flumina, montes, colles, lapsus aquarum, fugientesque solitudines. Et si plura huiusmodi desideres, tympanum pentaedron, hexaedron, aut quotvis laterum vtricis. His ita ritè peractis: Si igitur primi lateris spectacula videre desideres, versato tympano sistetur latus Orizonti parallelum. Alias autem repræsentandas ita dispones. Formen-

mentur ex cera monticuli minimi, deinde etiam tabulæ partem, quæ mare repræſentabit, foliis argenteis vesties, denteque expolies, vt ſplendorem acquirat. Flumina ſimili materia formabis, ita tamen parva, vt extra tubum in loco, ex quo proſpicis, non diſtincte appareant: intra argenteam oram ſtipulas minimas eminere facies in forma navium, quibus ſi motum per funiculos tribuere poſſis tanto vivaciùs res exhibebis. At montes, citra, vel vltra mare cœruleos, immenſo quaſi ſpatio diſitos, ſi exhibere velis, habebis quæſitum, ſi fragmen ſpeculi convexi, vel ſphærici poſueris: hoc enim ad vivum inſulam remotiſsimè intra mare conſpectam referet. Reliqua latera tympani ſimili induſtria adornabis. Quæ omnia meliùs experimentum docebit, quàm multis verbis ego poſsim declarare.

58 Ordinatis igitur dicta ratione tympani lateribus, accipe tubum eius, vt dixi, quantitatis, & melioris notæ, & recedendo, accedendoque in tantum, donec legitimam diſtantiam habeas; hanc autem habebis, ſi vbi res propoſitas clariſsimè, & perfectiſsimè conſpexeris, & ſpectacula digna admiratione, ea videlicet omnia, quæ dixi vere, & ad vivum intueberis, maria immenſa, inſulas infinito ſpacio diſsitas, curvatum littus, piſcatorũ naviculas, ſimiliaque, quæ præſcripſimus. Si ſcenam mutare velis, verſa tympanum, & alterum latus amœniſsimos hortos, ambulacra hortenſia ad omnes perſpectivæ regulas conſitas, fontium ſcaturigines ſumma animi voluptate exhibebit. Ita diverſas rerum ſcenas pro diverſitate laterum tympani produces, quæ per tubum ſolum, extra illum nulla ratione videantur. Hac ratione Æthnam fumantem refereres, ſi tabulæ particulæ calcis vivæ ſupra concavæ aliquot aquæ guttas infuderis: incipiet enim fumare, & æſtus voluere, & aſpicientibus perfectè montem ignivomum referet. Ex quibus luculenter patet, nihil eſſe in rerum natura, quod ſimili induſtria ad vivum exhiberi non poſsit. Quæ omnia, ſi arcana quadam induſtria cõtingant, dici vix poteſt, quantam admirationem excitent, cum nihil rerum extra tubum repræſentatarum videri poſsit. Ita autem arcana diſpoſitione inſtitues.

59 Primò tympanum paraſtaticum repagulo poſito ſit ſpectatoribus inacceſſum. Secundò, tubus ita debito loco firmetur, vt in tympanum directus perpetuò ſit immobilis, ſoloque; applicato oculo res quæ libet repræſentẽtur. Tertiò res maiori admiratione digna erit, ſi ex obſcuro loco, in cuius latere tubus inſertus ſit, inſpiciantur. Quartò ſit locus ita diſpoſitus, vt vel Orizontem intueri poſsis: vel ſaltem ita diſpoſitus, vt murus è regione tympani poſitus Sole illuminetur; qui ſi albus fuerit, perfectiſsimè res omnes repræſentabit; lux enim in tabulam reflexa maribus ſplendorem, reliquis lumen, & colores cõciliabit. Si vero illuminatio oppoſiti muri deſit, ipſius tympani latus paraſtaticum illuminatum eadem prorſus ratione repræſentabit. Diſtantia oculi à tabula aſſumetur, iuxta proportionem tubi: parvi enim tubi minorem diſtantiam obtinent, maiorem maiores. Ego huiuſmodi ſpectacula exhibeo in diſtantia 30. pedum circiter. In maioribus tubis 100. pedum ſpacium aſſumi poteſt: ſed id incommoditatis habent, vt res magnas quidem, at non ita claras repræſentent vti tubi minores. Res prudentis artificis arbitrio relinquenda eſt. Quod ſi rerum in tabula paraſtatica diſpoſitarũ ſpecies in obſcuri loci parietem, ſeu linteum expoſitum derivaveris; referentur eadem in obſcuro multò mirabiliùs, cùm nihil extra feneſtram, quod huiuſmodi ſpecies proijciat, ſpectari poſsit.

60 Repræſentavimus terreſtria: nunc reſtat, vt & ſublimia referamus. Ita autem procedito. Primò tubo optico imponantur duo vitra convexa melioris notæ: hiſce enim omnia in aère, quaſi repræſentabis, etſi inverſa. Deindè in ipſa tabula repræſententur res ſublimia referentes. Primò liquore perfundatur tota ſuperficies paraſtatica, vel argenteis foliis inducatur: hæc enim per tubum inſpecta referet cœlum fulgidum, & ſerenum; intra hoc, ſi fruſtum ſpeculare diſponas, vt reflexus Solis radius tubo ſiſtatur, videbis in cœlo ſereniſsimo Solem fulgentem. Si præterea cretam candidam in formam nubium adaptaveris; referet hæc nubes cœlo oberrantes. Idem præſtabit goſsipium in floccos depexum. Iridem ita formabis: In vitro, vel charta munda iridem cum omnibus coloribus requiſitis depictam exciſamque obverſo ſitu ſtatues; & ſpectabis in aère iridem ita naturalem, vt nihil ampliùs ad veritatem rei experimendam accedere poſſe videatur. Innume-

mera alia ſimilia exhibere poterit induſtrius artifex, qualis quidam hic Romæ Religioſus eſt Ordinis Sancti Franciſci, qui dicta non ita pridem ſumma intuentiũ admiratione exhibet. Res omnino facilis eſt, & exigua principia habet, vti omnia alia ſecreta, quæ quandiù ignorantur, in admiratione ſunt; cùm ſciuntur, vileſcunt. Non dubito tamen, quin hiſce fundamentis iactis multæ aliarum rerum inventiones ſuo tempore emergant. Atque hæc ſint, quæ breviter Lectori curioſo cõmunicanda duxi.

61 *HVCVSQVE* Kircherus: cuius obſervationes non præiudicant diſtinctioni colorum apparentium à luce, ſectione præcedenti *num.* 53. ſtatutæ: quoniam omnes repræſentationes ab eo memoratæ ſubſiſtere poſſunt ex admiſtione perſpicui cum opaco, & varia ac multiplici reflexione ac refractione lucis in teleſcopio, & tabula multi olore.

SECTIO SEPTIMA.

An lux requiratur ex parte medij, per quod trajiciuntur ſpecies viſuales ad oculos; an etiam ex parte obiecti, ſeu coloris, conſtituendo illud in ratione viſibilis?

62 HVIC Difficultati, quæ in vtrãque partem plures diviſit Authores, etiam ex Thomiſtis, breviter occurrendum eſt duplici concluſione. *Prima* ſit, entitatem & viſibilitatem intrinſecam colorum, non provenire à luce, ſed ipſi colori convenire per ſe & antecedenter ad illam. Probatur, tum ex Ariſtot. in præſenti *libr. 2. capit. 7. textu 66.* vbi de colore, inquit: ἐν ἑαυτῷ ἔχει τὸ αἴτιον τοῦ εἶναι ἐφατόν: *in ſeipſo cauſam habet vt ſit viſibile.* Tum & ex dictis *ſect.* 5. Quia color, ſaltem permanens, ex propria ratione habet cauſas intrinſecas permanentiæ ſuæ, & entitatis ac viſibilitatis intrinſecæ, quæ conſiſtunt in mixtione elementarium qualitatum, præſertim perſpicuitatis & opacitatis: ideoque idem intrinſecè perſiſtit, ſive accedat lux, ſive abſcedat. Ergo entitas & viſibilitas coloris intrinſeca nullatenus dependet ab exiſtentia & influxu actuali lucis. Quæ ratio rectè expenſa, non ſolùm probat de entitate coloris, quod Adverſarij fatentur, ſed etiam de viſibilitate intrinſeca. Accedit quòd hæc, iuxta D. Tho. 2. *de Anima lect.* 14. ſit proprietas intrinſeca coloris, qui ex propria natura non eſt inſenſibilis, ſed ſenſibilis, vt potè ex ſe cognoſcibilis modo corporeo, tum interne, tum externè. Ergo cùm non ſit externè ſenſibilis, tanquam aliquid audibile, guſtabile, tangibile, aut odorabile per ſe loquendo; reſtat vt ab intrinſeco ſit viſibilis. Et quidem non ſolùm terminativè, ſed etiam motivè, ſeu in ordine ad movendum viſum: Quia color, non eſt obiectum purè terminativum viſus, vt ſenſibilia communia, aut ſenſibile per accidens; ſed ſpecificativum, ac proinde motivum viſus. Ergo per ſe & intrinſecè viſibilis eſt, non terminativè ſolùm, ſed & motivè. Quare meritò idem S. Doctor *quæſt. de Anima art. 4. ad 4.* expreſsè inquit, *colorem eſſe viſibilem per ſe, & non habere id virtute luminis; ſed ſolùm habere à lumine quòd diaphanum ſit actu lucidum, vt poſsit moveri à colore.*

63 *Secunda ſit*, lucem neceſſariam eſſe ad complendum colorem in ratione efficiendi ſpecies viſuales, & ad hoc non exigi vt ſe teneat ex parte coloris, ſed ſufficere quòd ex parte medij, tangendo & afficiendo colorem ipſum. Prior pars ſuadetur: Quia certum in omni ſententia eſt, colorem egere ſubſidio lucis, vt moveat viſum: patetque experimento, quoniam in tenebris non movet viſum color. At non eget ſubſidio lucis vt in ſe ſit, aut intrinſecè viſibilis exiſtat, vt probatum eſt nuper; neque vt intenſior evadat, quia lux non eſt eiuſdem ſpeciei cum colore, ideoque nequit illum intenſiorem reddere. Reſtat igitur vt egeat luce ad efficiendum ſpecies viſuales, iſque movendum actu, tum diaphanum, tum & ipſum viſum. Et ratio à priori indicatur à D. Thom. in præſenti *lib. 2. lect.* 14. quia color eſt forma imperfecta relatè lucem: nulla autem forma imperfecta poteſt diſponere paſſum, vt recipiat ſimilitudinem ſuam, ſine ſubſidio formæ perfectæ. Ergo neque color diſponere poteſt diaphanum aut viſum, vt recipiat ſimilitudinem ſui viſualem, ſine ſubſidio lucis. Poſterior autem pars ſuadetur: nam eo ipſo quòd color ex ſe & intrinſecè exiſtat, ac viſibilis ſit, independenter a luce, vt probatum eſt, non eget luce, vt forma ſibi intrinſeca, qua conſtitua-

tnàtur in ratione coloris viſibilis. Ergo eo ipſo opus non eſt vt lux ſe teneat ex parte coloris ad conſtituendum ipſum intrinſecè in ratione viſibilis. Ergo ſufficit quod colori ſubſidium præſtet in genere intentionali concurrendo cum illo ad emiſſionem ſpecierum viſualium. Hoc autem ſufficienter præſtare poteſt lux, quãvis ſolùm ſe teneat ex parte medij, dummodo contigua ſit eidem colori, & continuata vſque ad illum. Eo namque ipſo color extrinſecè perfulus luce, ſe tenente ex parte totius medij, poterit movere diaphanum, ſeu immutare illud intentionali ſimilitudine ſui, ac ſubinde viſum.

64 *OPPONVNT* Adverſarij ſequentes Avicennam *lib. 6. Nat. part. 3. cap. 1.* oculum in obſcuro loco poſitum videre procul obiectum, ſi hoc lumine perfuſum ſit, vt experimentis patet. Quare Galenus *lib. 10. de Vſu partium* teſtatur, ſtellas interdiu videri è profundiſsimis puteis. Oculi etiam felium, cicendulæ, & quercus putridæ, lucent in tenebris, vt obſervat Ariſtot. vbi ſuprà *textu 72.* Ergo quia lux ſolùm requiritur ex parte obiecti, non autem medij; ſiquidem exiſtente hoc obſcuro, illud videtur, quoties lucidum eſt. *RESP.* in nullo ex caſibus illatis medium eſſe penitus obſcurum, ſemperque ab obiecto vſque in viſum continuari aliquid lucis, quamvis valde tenue iuxta ipſum oculum: quia color non aliter poteſt movere viſum in exercitio, & tranſmittere ſpeciem ſui in oculum, quàm concurrente luce vt cauſa partiali, & vltimo completivo ipſius in ratione movendi intentionaliter. Ratio eſt: quia agentia nequeunt agere in quodvis indiſcriminatim, ſed iuxta proportionem ac diſpoſitionem paſsi. Color autem vt agat in diaphano, exigit illud eſſe diſpoſitum per lucem, ſine quà nequit movere: proindeque tantùm videri poterit ab eo ſpatio loci, à quo lux continuatur vſque ad ipſum colorem; non autem ex medijs tenebris, nec ſi color ab ijs diſtaret vnico ſpatij indiviſibili. Quippe, vt ſuprà monuimus, obiectum, ac proinde color lucidus, comparatur ad viſum vt baſis alicuius pyramidis, cuius cuſpis in oculo deſinit. Si autem quælibet particula ſpatij iuxta oculum careret illuminatione, iam antea cuſpis finiretur in aliquo indiviſibili, & proinde obiectum media ſui ſpecie non pertingeret vſq; ad oculum.

(·:·)



ILLMO. ET NOBILISSIMO HEROI,
D. D. HIERONYMO MORQVECHO,
IACOBÆO EQVITI, SVMMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

DISSERTATIONEM Senatoribus dignam, quà DE AVDITV agitur, inscribendam TIBI censui, AMPLISSIME CONSVL. Nihil enim magis proprium ijs, qui Supremi Magistratus audiunt, quam vt audiant. Ideo AVDITORES appellati, non idiotismo solùm Hispanæ linguæ, sed proprietate ipsa & energia muneris. Nihil ijs magis commendatur, quam ne contra partem inauditam, sententiam ferant. Vnde Seneca, alioqui lorius, & vbique solidum crepans, lepidissimè ludit in morte Claudij Cæsaris, dum inter alia accinit: *Deflete virium, Quo non alius Potuit citiùs Discere causas, Vnà tantùm Parte auditâ, Sæpe & neutrâ. Quis nunc iudex Totò litet Audiet animo?* Sanè Plutarchus lib. de Iside & Osiride, & Stobæus serm. 44. referunt, Thebis id agalma seu schema iudicum fuisse propositum ante ipsas fanorum aras, vt omnes carerent tactu, ne manibus caperẽt xenia; Præses etiam visu, ne privato affectu flecteretur; omnes tamen pollerent Auditu, & arrectis auribus assiderent. Quippe tritum erat Græcorum effatum trimetro iambico expressum:

ἄρχων ἀκούειν καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως.
Gerens magistratum æqua & iniqua audiat.

Et monostichon illud Phocylidis:

μηδ' ἐδίκαιν δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
Ni priùs audieris partes, ne dirime litem.

Non exigua, nec vulgaris laus hæc; & TIBI hæreditaria ab Illustrissimo D. D. BARTHOLOMÆO MORQVECHO, Parente (heu quondam) Tuo, Iacobæo etiam Equite, qui in Supremis Iustitiæ ac Belli Senatibus Consiliarius fuit, & in PACE ac BELLO benè audivit, quia AVSCVLTAVIT. Hæreditasti virtutem hanc paternam cum splendore sanguinis, notissimo & antiquissimo in Tua meaque Rivogiæ Provincia, ac Domo Originaria Tui Agnominis apud Pancorbum, nobile oppidum. Maternum genus ROXAS DE SANDOBAL pluribus retrò sæculis Hispaniæ Magnates, & Ecclesiæ Purpuratos Principes dedit, datque. Vix aliquid magnum in his Regionibus, quod exinde ortum non ducat, immò & deducat vsque ad ipsa Regum diademata, & auro flammantia solia. Mihi Philosophum agenti sufficerit hæc indigitasse. Licebit quoque dicere, quod omnibus, qui TE norunt: æquitatem Tuam, doctrinam, eruditionemque in causa fuisse, vt post aliorum Senatuum Præfecturas laudabiliter gestas, in summum hunc, quo eminens, honorem ascenderis. Faxit Deus, vt post longævam canitiem, & cumulatissima in R. P. merita, assequaris illa æterna & nunquam interitura præmia, quæ in sacris litteris promissa sunt ijs, qui AVDIVNT, & AVSCVLTANT sicuti oportet ad salutem.

DIS-

DISP. OCTVAG. SEPTIMA.

DE AVDITV.

Quænam ipſi conveniant præ alijs ſenſibus?

Num. 1. DE *Auditu differit Ariſt. ſpeciatim* lib. 2. cap. 8. *huius Operis, &* libr. 1. Hiſtor. Animal. cap. 11. & lib. de Gener. Animal. cap. 2. *& inter Anatomicos Veſalius potiſſimùm* lib. 1. cap. 8. 12. & 36. ac lib. 6. c. 16. & 18. *Habet ſecundum locum inter externos ſenſus, & valde neceſſarius eſt ad inſtituendam civilem vitam: quoniam verba, quibus mentis ſenſum exprimimus, inutilia eſſent convictui humano, ſi ad ſurdos dirigerentur. Similiter abſque auditu nemo poſſet viva præceptoris voce inſtrui ad diſciplinas comparandas, ſine quibus humanum genus pene bruteſceret. Præterea & admodum deſervit ad excitandos in anima affectus, quoties ſonus ad aurem perductus muſicis numeris conſtat. Ideo Veteres fabulati, Orpheum cantu ſuo vel ſaxa moventem, & detinentem fluvios. Et, præter fabulam, Pythagoras dicitur Phrygio modulo iuvenem quendam Veneri deditum ad continentiam flexiſſe: ſimiliterque Timotheus quidam muſicus Alexandrum Imperatorem, dum in ſplendido convivio epularetur, concitaſſe in arma, eo concentus genere, quod Orthia dicebatur; ut propterea arma arripuerit, & equum conſcenderit. Nos de eo ſolùm breviter & curſim diſſeremus, quoniã vberior eius notitia parum intereſſet ad Philoſophiam in Scholis controverſam, quæ præcipuè in hoc Opere nobis curæ eſt.*

SECTIO PRIMA.

Præiactâ ſtructurâ Auditus, veſtigatur vbinam ille reſideat, an in nervis, an in aëre ſpirituoſo?

2 PRO Foribus auditus primò occurrunt aures, eodem fine diſervientes ipſi, ac ſupercilia viſui. Sicuti enim hæc à natura inſtituta ſunt, vt ſi aliquid è capite deciderit, non lædat oculos; ſic & aures, ne interior auditus quidquam ab externis patiatur. Sunt autẽ illæ cartilaginoſæ & anfractuoſæ, ſolumque mediocriter molles: quoniam ſi nimiùm molles eſſent inſtar carnium, facilè tunderentur; ſi autem duræ, facilè frangerentur, ideoque non deſervirent auditui. Obliquatæ ſunt varijs flexibus inſtar cochlearis, aut labyrinthi, vt ſpecies ſoni non recta ingrediatur, & auditum lædat, ſed quaſi frangatur in ijs, & mitior ſe inſinuet officinæ interiori. Quin & ob eãdem cauſam meatus illarum nõ eſt rectus, ſed tortuoſus, quamvis intus ſit ſatis amplus & cavus: ideoque non facilè aditum præſtat elementis circunſtantibus. Vnde Ariſt. primo loco ex ſuprà allegatis textu 83. inquit καὶ ἐν ὕδατι ἀκούομεν, ὅτι δὲ εἰσέρχεται πρὸς αὐτὸν συμφυὴς ἀὴρ· ἀλλ' οὐδ' εἰς τὸ οὖς διατὰς ἕλικας. *Etiam in aquâ audimus, quia non ingreditur in ipſum inſitum aërem, nec in aurem, ob ipſius obliquitates, aqua.* Quòd ſi hæc tandem ingrediatur, non audimus, vt ſubdit idem Philoſoph⁹, & ſimiliter ſi membrana ægrotaverit: quemadmodum non videmus, vbi ea pellis ægrotat, quæ pupillam complectitur. Conſultũ autem fuit naturæ providentiâ vt eadem cavitas abundaret viſcoſo humore ex illarum partium excrementis coalito, vt ſi qua beſtiola impeteret, aut aliquid nocivum irrumperet, eo humore, veluti viſco, prohiberetur interiùs progredi.

3 *SVCCEDIT.* Altera pars intimior, & via illa extenditur vſque ad cavitatem ſatis amplam, in qua reſidet aër, ſive ſubſtantia quædam ſpirituoſa, &, vt inquit Ariſtoteles, ἀκίνητος, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τ̃ κινήσεως: *immobilis, atque vt hoc exactè ſentiat differentias omnes motus.* Quemadmodũ enim ſuperiori diſputatione *ſect.* 1. dictum eſt, organum viſus in pupilla debere eſſe expertem totius coloris, vt omnium colorum ſpecies adventantes excipiat; ita etiã oportuit organum auditus, ad percipiendum omnes differentias ſonorum, qui fiũt motu aëris, conſtare etiam aëre, ſed immobili, ſive experte totius motus ac ſoni. Aër verò ipſe interior, non eſt elementaris, quoniam hic facilè corrumperetur, & læderet cerebrum, ſed animalis, ſive animatus. Tegitur autem circa partem ex-

externam aurium pellicula quadam, seu membrana, quam Anatomici *tympanum* auditus adpellant, quoniam illius speciem exhibet; & transversim complectitur orbicularem quandam partem cavitatis, nititurque tribus ossiculis, quorum primum figuram refert incudis pedunculis duobus stabiliti, secundum malleoli, tertium stapedæ. Denique intimior pars auditus constitit in duobus nervis, qui descendunt a cerebro usque ad aures, & subministrant auditui animales spiritus a cerebro descendentes ad tympanum auditus, vicissimque ab eo mutuant species sonorum, quas ad sensum communem remittunt. Plura, quæ huic doctrinæ obstare videntur, objiciam & solvam *sect.* 2.

4 *HIS* Statutis, exploratum habetur, auditum nullatenus residere in parte externa, quæ ad aures spectat: nam quâvis ea abscindantur, adhuc persistit vis audiendi; utpotè longè subtilior, & delicatiorem sedem requirens. Quare solùm dubitatur, an ea constitat in organis memoratis, sicuti disputatione præcedenti constituimus visum in nervis opticis; an potiùs in aëre prædicto, sivè substantia spirituosa, quæ tympano obtegitur. Quidam volunt in eâ positam esse: vt Galenus *lib. 8. de V sup artium c. 6.* Caietanus 2. *de Anima cap. 8.* Conimbricenses *ibid. q. 4. art. 2.* Cõplutenses *disp. 11. q. 7.* Suarez *l. b. 3. de Anima cap. 22.* Tellez *disp. 81. sect. 3.* Peramatus *lib. de Temper. c. 8.* & plures alij. Ducuntur testimonio Arist. *text. 83.* eiusdem libri, verbis *num. præced.* exscriptis, quibus docet aërem deservire vt visus exactè sentiat omnes sonos. Vbi D. Thom. *lect. 17.* videtur subscribere eidem sententiæ, dum inquit: *Oportet quòd aër, qui est intra tympanum auris, careat omni sono, ad hoc quòd possit discernere omnes differentias sonorum.* At percipere omnes differentias sonorum est proprium organi auditus. Ergo in prædicto aëre constitit organum auditus. Ratione etiam probant, quia organum cuiusque sensus debet esse valde conforme obiecto ipsius, & cum eo proportionatũ. At obiectum auditus, quod est sonus causatus ab aëre, est valde conforme & proportionatum cum aëre supradicto, non autem cum nervis. Ergo organũ auditus potius constitit in eo aëre, quàm in nervis.

5 *CÆTERVM* Probabilior apparet opinio Alberti Magni, & aliorum, de Ioannis a S. Thom. *q. 5. art. 3.* collocantium præcipuam audiendi vim in nervis, quamvis dependenter ab aëre prædicto; sicut visus constitit potissimùm in nervis opticis, licèt dependenter a pupilla. Itaq; quemadmodum in visu est duplex munus, alterum recipiendi species colorum, qui ad pupillam spectat; alterum videndi, seu eliciendi visionem, qui proprius est nervorum opticorũ, quà parte inter se coëũt, vt *disp. præced.* statuimus: ita & in auditu est duplex aliud munus, alterum recipiendi species omnium sonorum, quod spectat ad aërem immobilem tympani; alterum videndi, seu eliciendi auditionem, quod propriè ad solos nervos pertinet, quà parte in vnum coeunt, & constituunt vnicam potentiam, vnum auditum. Neque aliud colligitur ex Arist. aut D. Thom. locis nuper allegatis pro contraria opinione. Quin potius hanc nostram luculenter tradit idẽ S. Doctor *Opusc. 43.* vbi inquit, de vtraque potentia videndi & audiendi paritèr sentiendum esse quantùm ad hoc: subditque c. 3. *Auditus est vis ordinata in nervis mollibus à cerebro procedentibus ad apprehendendum sonum causatum ex aëris commotione constricti inter percutiens & persussum.* Legendus Alamanius *q. 60.* vbi sententiam hanc, veluti expressam D. Thomæ cum Arist. tradit. Et sanè cùm *disp. præced. à n. 8.* inconveniens putatum sit quòd in vnico animali sit duplex visus, ideoque negaverimus illum residere in vtraque pupilla adæquatè distincta; ita etiam absurdum existimari debet quòd in vnico animali sit duplex auditus, ac proinde quòd hic locum sibi vendicet in duplici aëre spirituoso intra vtramque aurem existente, proindeque adæquatè distincto.

6 *AD* Argumentum opinionis adversæ dicimus, ex testimonijs Arist. solùm colligi, spirituosum aërem spectare ad auditum per modum vehiculi deferẽtis species omnium sonorum, sicut & pupilla ad visum pertinet, vt deferens species visuales colorum omnium; ideoque aërem ipsum ex se carere omni sono, sicuti pupilla totius coloris expers est. Inde autem non evincitur, aërem spirituosum percipere differentias sonorum, nisi per modum vehiculi, sicuti & pupilla percipit differentias colorum. Quin potiùs necessum est vt vis propriè & stricta audiendi, sicut & videndi, resideat in intimiori parte, quæ proinde viciniùs & tenaciùs participet vim spirituosam cerebri, scilicet, spi-

ſpiritus animales ab eo deſcendentes, & per modum vnius operationem audiendi eliciat. Quod quidem convenit vtrique nervo molli, qua parte in vnum coeunt, ſicut loco allegato de nervis opticis dictum eſt.

SECTIO SECVNDA.

An medium externum auditus debeat eſſe fluidum, vel ſufficiat ſolidum? Internum quoque, an ſit ſpirituoſa ſubſtantia, tam in animalibus terreſtribus, quàm aquatilibus?

7 TRIPLEX Medium eſt neceſſarium ad audiendum. Primum vbi efficitur ſonus ex colliſione corporum ſolidorum, quod dicitur mediũ ſoni realis. Secundum eſt, medio quo defertur ſonus ad aurem: diciturque medium ſoni intentionalis, ſeu vehiculum extrinſecum ſpecierum ſoni. Tertium eſt illud per quod eædem ſpecies intra aurem deferuntur ad potentiam ipſam, in qua reſidet intrinſecè vis audiendi. De primo illorum diſſeremus ſectione ſequenti. Nunc autem de ſecundo illorum eſt dubium, an debeat eſſe corpus fluidum vt aèr, vel aqua, aut ignis; an verò ſolidum. Porrò ſufficere aèrem, patet experimento: quia ſpecies omnium ferè ſonorum, quos audimus, medio aère deferuntur ad nos. Sufficere etiam aquam, conſtat in piſcibus, qui intra mare aut fluvium demerſi, audiunt murmur piſcatorum, ideoque ad notas ſibi latebras fugiunt. De igne autem, licèt non facilè experimentum haberi poſsit, videtur eſſe eadem ratio. Quare tota difficultas reducitur ad veſtigandum, vtrum ad deferendas ſpecies ſoni omnino neceſſarium ſit medium fluidum, an potius ſufficiat ſolidum & omnibus poris carens. Vt v.g. ſiquis in circulum concludatur ſphæra aliqua aurea, vel vitrea, vndequaque ſolida, & omnibus poris carente, an in eo eventu poſsit audire ſonos exteriùs factos, ſeu recipere ſpecies ſonorum ab extrinſeco, necne?

8 *CIRCA* Quam difficultatem nihil certi videtur definiri poſſe, ſed vtcumvis probabiliter defendi. Primum quidem ex eo quòd videatur experimentis conſtare nullum corpus interceptum, quantumvis ſolidum ſit, impedire traiectionem ſpecierum ſoni, præſertim ingentis, ad auditum. Conſtat enim intra cubicula vndique concluſa parietibus firmiſsimis percipi ſonitum bombardarum, ac tonitruorũ: qui non videtur ingredi per poros, tum quia ſpecies ſoni ingreditur per corpora fluida, vt per aquam nullos poros habentem, ac proinde non eſt cur ad permeandum corpora ſolida egeat poris: tum etiã quia ſic ſpecies ſoni debilitaretur nimiùm, & tandem non audiretur, poſtquam totam vim ſuam fregìt in traijciendo pariete. *Præterea* idem videtur conſtare experimento in ſphæra vitreà aut æneà, vndequaque ſolida: intra cuius cavitatem ſi exiſtant lapilli, & concutiantur, ſonitum edent. Dicere autẽ in vitro aut ære, conſpiſſatis exactè iuxta induſtriam artis, adhuc eſſe poros, per quos egrediantur ſpecies ad aurem, videtur voluntarium, & cuius nulla ratio aſsignari queat. Aliud quoque experimentum eſt in trabe longiſſima: cuius extremitati ex vna parte ſiquis applicet auditum, percipiet ſonum, vel leviſsimum, in parte adverſa factum, quem in diſtantia æquali audire non poſſet, niſi eo artificio vteretur. Ergo quia ſpecies ſoni habent vim traijciendi corpus ſolidum trabis. *Denique*, cùm neceſsum ſit fateri Beatos invicem ſe audituros, oportebit in cœlo aſsignare aliquam ſubſtantiam fluidam, quà voces vnius ad alterum deferantur. Patet autem ex dictis *diſp.* 66. nulli fluidæ ſubſtantiæ locum in cœlo eſſe, ſed omnia corpora cœleſtia eſſe ſolida. Fateri igitur neceſſe eſt, in cœlo deferendas eſſe ſpecies auditus per eadem corpora cœleſtia interiecta, quamvis ſolidiſsima ſint. Quę ſententia videtur eſſe D. Thomæ *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 2. & mihi probabilior eſt.

9 *SECVNDVM* Quoque non caret probabilitate: Quia cum medium, in quo generatur ſonus, debeat eſſe valde ſubtile, vtpote in quo aèr colliditur inter corpora percutientia; videtur etiam medium, per quod defertur ſpecies eiuſdem ſoni, debere eſſe multò ſubtilius; ac proinde exigi corpus ſubtile fluidumque ad delationem ipſius, nec ſufficere ſolidum. Et ad experimenta producta in oppoſitum occurri poteſt, negando vnquam accidiſſe ſpecies ſoni fuiſſe ingreſſas cubile aliquod vndique clauſum & poris omnino carens; aut vnquã egreſſus ex globo vitreo chryſtallinovè, vndique ſolido & pororum ex-

per-

perte. Quòd si ille supponatur, nullam speciem foris emittendam dici poterit. Neque hoc impugnabitur à pari visus, in quē lapilli clausi eiusmodi globo vitreo mittēt speciem sui: id enim provenit ex maiori specierum visualium subtilitate, quæ nata est permeare quælibet corpora solida: ideo que à cœlo sidereo species visuales descēdunt momento temporis ad oculos per interpositas sphæras ac solidissimas; cùm tamen vel species tonitrui adeò vicini serò ab auditu percipiatur.

10 *MAIOR* Difficultas est circa tertium medium, quod communi ferè sententia debet esse aèr ille interior, seu spirituosa substantia, quam *sect. præced.* diximus existere in interiori cavitate auriū opertam membranula, sive tympano auditus. Porrò illam esse medium necessarium ad audiendum, à posteriori constat: quoniam si cavitas illa repleatur aquà, vel quolibet alio humore, impeditur statim vis audiendi: idemque est quoties substantia ipsa, vel spirituosus aèr incrassatur nimiùm: quia vt deserviat auditui, debet esse valde subtilis ac tenuis, atque impermixtu cum alio humore, & elemēto; quia sic facilè corrumpetur. Debet præterea esse immobilis, sive, quod perinde ferè est, omni motu & sono carens, vt supra ex Arist. & D. Thomà observavimus: quia aliter impediretur audire sonos externos: sicuti pupilla prohiberetur videre colores omnes, si aliquem haberet ex se; & quilibet sensus impotentes essent ad percipiendum propria sensibilia, si aliquo illorum affecti essent.

11 *DIFFICVLTAS*, Inquam, maior est propter plura argumenta in oppositum, quibus videtur probari, nec aèrem illum esse medium necessarium auditui, nec debere esse immobilem, seu omni motu ac sono carentem ex se. *PRIOR* Pars huius assumpti suadetur. Si enim spirituosus aèr esset medium necessarium auditui, deberet esse in omnibus animalibus, quibus inest audiendi vis; ac proinde in piscibus, qui verè audiunt, vt superiùs statutum est. At piscibus non inest spirituosus ille aèr. Ergo non est medium necessarū auditui. Probatur minor: quia pisces assiduò sunt intra aquam, atque adeo nequeunt intra aures habere aèrem spirituosum, saltem vtilem, ad audiendum; quēadmodum siquis nostrùm diu intra aquam maneat, nihil audit, quoniam aqua per aquas ingreditur. *Confirm. I.* Quoniam multa animalia habent sensum auditus in medio corpore, & non in capite: vt docet Arist. *lib. 4. Hist. Animal. c. 8.* nonnulla alia sunt, in quibus non apparet determinata sedes auditus, vt idem tradit 2. *de Part. Anim. cap. 12.* At spirituosus aèr non videtur habere posse locum, nisi in capite, & intra cavitatem aurium. Ergo in ijs animalibus est auditus sine spirituoso aère. *Confirm. II.* Non enim minùs necessarius videtur aèr ad deferendum species visuales, quàm audibiles: quoniam vtrisque vehendis deservit vt medium externum. Et tamen ad deferendas species visuales medium internum non est aliquis spirituosus aer, sed pupilla, sive humor chrystallinus, vt ostensum est *præced. disp.* Ergo pariter ad deferendum species audibiles non est medium internum aliquis spirituosus aèr.

12 *POSTERIOR* Pars videtur probari dupliciter. *Primò* ex Arist. in præsenti *lib. 2. text. 82.* vbi docet, cùm moveatur externus aèr, etiam internum moveri. Ergo internus aèr non est immobilis. *Secundò*: Quia ex eo quòd spirituosus aèr debeat excipere omnes differentias sonorum, malè colligitur, ipsum carere ex se omni sono. Stat enim optimè quòd auditus habeat ex se sonum realem, & tamen recipiat omnes sonos intētionaliter, quoniam sic nullam habent oppositionem inter se, nec cum sono reali auditus, si in eo sit. Etenim sensibilitas realis residet in quolibet sensu, & tamen non prohibet receptionem intentionalem quorumlibet sensibilium cadentium intra sphæram ipsius. Similitet & visus afficitur luce atque diaphaneitate reali, & tamen excipit intentionaliter lucem ac diaphaneitatem obiectorum visibilium. Imaginativa quoque in se realiter corporea est, & tamen intētionaliter recipit quælibet obiecta corporea, quoniam omnia illa sunt imaginabilia. Posset igitur spirituosus aèr recipere intentionaliter omnes sonos, quamvis ipse non esset immobilis, sed affectus sono aliquo reali.

13 *AT* Nihilominus persistendum est in doctrina præiacta, & communi. *AD* Priorem impugnationis partem dicendum, etiam in piscibus medium internum auditus esse aliquam substantiam tenuem, & quodammodo aèream; minùs verò tamen, quam animalium terrestrium, quæque proinde nec corrumpa-

tur,

tur, ne lædatur intromiſsione aquæ. Nam quemadmodum vis ac diſpoſitio ad videndum in quibuſdam animalibus eſt ſubtilior, quam in alijs; ita & vis ac diſpoſitio audiendi poteſt eſſe minùs tenuis, & quodammodo craſsior, in piſcibus, quibus minor neceſsitas eſt exacti auditus, quam in homine, ac cæteris terræ animalibus. Et quemadmodum hæc ad refrigerandum calorem cordis indigent aſsidua reſpiratione aëris ſubtilis, piſces vero refrigeratione aquæ, quæ craſsior eſt aëre; ita ſatis veroſimile eſt in ijs medium audiendi eſſe craſsius, quod proinde nullam patiatur læſionem à ſubintrante aqua. Vel ſecundò dici poteſt, dato quod aër internus reſidēs in auditu piſcium æquè ſubtilis ſit, ac in nobis, adhuc tympanum auditus ita diſpoſitum eſſe, vt occludat viam aquæ, ne ingrediatur cavitatem illam, in qua reſidet aër; ideoque non lædi auditum piſcium ab aqua, quemadmodum animalium terreſtrium, vbi in flumine ſe immergent. Quòd ſi contra priorem ſolutionem inſtes, quia nullum eſt fundamentum ad aſſerendum, piſcibus eſſe craſsiorem vim audiendi, quam cæteris animalibus, ſiquidem ex nullo capite colligitur, illos habere minorem audiendi vim; *RESP.* ſatis colligi ex minori neceſsitate animalium aquatilium, quam terreſtrium, ad exactum auditum, propter pauciora pericula intra proprium elementum, quæ omnia ferè vitari poſſunt ſolo viſu. Deinde, dato quòd æqualiter auditu præſtent, id non impeditur ratione ſubſtantiæ ſpirituoſæ craſsioris: quoniam hæc ijs eſt diſpoſitio connaturalis ad bene audiendum, ſicut cæteris animalibus ſubſtantia ſpirituoſa tenuior. Et quemadmodum cætera animalia ſuffocantur in aquâ, piſces verò refrigerantur; ſic etiam auditus aliorum animalium terræ corrumpitur intromiſsione aquæ craſsioris aëre ſpirituoſo; piſcium verò nullatenus, quoniam aër craſsior illorum maiorem cum aqua affinitatem habet.

14 *AD I. Confirm.* Quemadmodum *ſup.* 84. diximus, ſenſum communem animalium perfectorum in cerebro ſedem habere, inſectorum autem in toto corpore; ſic etiam dicimus auditum illorum in capite eſſe, horum autem in alia parte corporis. Qualiſcumque autem ea ſit, in ipſa oportet exiſtere ſubſtantiam aliquam tenuem & ſpirituoſam, affinemque aëri, vt quemadmodū ſonus, qui eſt obiectum auditus, cauſatur ab aëre, ſic etiam interna ad audiendum diſpoſitio ſit quodammodo aërea.

15 *AD II. Confirm.* eſt diſparitas: quoniam aër ſolùm deſervit ſpeciebus viſualibus deferendis, ratione diaphaneitatis. Cùm verò hæc etiam reſideat in humore chryſtallino, ſeu pupilla, & aptiori modo ad tranſmittendas ſpecies in cerebrum, nihil mirum quòd internum medium viſus conſiſtat in prædicto humore. At verò aër ipſe nō eſt medium idoneum traijciendis ſpeciebus ſonorum ratione diaphaneitatis, ſed ſubtilitatis requiſitæ ad ſonum edendum: ideoque oportuit medium internum auditus eſſe ſubſtantiam aliquam ſubtilem & ex eo capite affinem aëri.

16 *AD* Poſteriorem partem impugnationis, quo ad *I. Reſp.* Ariſtotelem, dum ait, moto aëre externo, etiam internum moveri, ſolum loqui de ijs, quibus auditus æger eſt, ideoque trepidationem patitur. Nam alioqui de auditu ſano ac perfecto inquit, habere intra ſe aërem immobilem, vt percipiat omnes differentias ſonorum. *AD Secundam* impugnationem, quæ difficilior eſt, dicimus ſonum realem non excludi a ſenſorio auditus ratione oppoſitionis, quam habeat cum ſono intentionali, ſicut nec colorem realem à ſenſorio viſus propter oppoſitionem cum reali colore. Excluditur itaque realis ſonus ab auditu, ſicut & color a viſu, quoniam hæ potentiæ debent indifferenter reſpicere, altera omnes ſonos, altera omnes colores: atque adeò neutra admittit in ſe aliquem ſonum realem, vel colorem determinatum. Quare vbi quis albuginem patitur in oculo, aut ſonitum realem in auditu, impeditur à videndo, & audiendo. Sic etiam materia prima vt æquè indifferenter reſpiciat omnes formas, debet concipi vt abſtrahens ab omni diſpoſitione proxima, qua potius ſigilletur ad vnam, quam ad alteram formam. Similiter quoties medium externum eſt illuminatum aliquo colore, præſertim vivido, ſpecies per illud tranſeuntes ad oculum, immutantur & induunt colorem illum intermediū. Idemque de ſpeciebus tenuis ſoni tranſeuntibus per medium ſoni longè maioris, quæ ſubinduta novo coſtrepitu interiecto, perveniunt ad nares, quin diſcerni poſsint ab interiectis. Cùm igitur auditus

& vi-

& viſus debeant eſſe potentiæ indifferentes ad omnem colorem & ſonum percipiendum, debent carere in ſe omni ſono & colore reali: nam ſic prohiberentur à perceptione omnium, aut ſolùm percipererent ſonum illum, colorem verò in obiectis, quo eſſent interiùs affectæ: quemadmodum vbi quis videt per interpoſitum vitrum rubrum, aut ſaphirinum, omnia quaſi rubra aut ſaphirina videt, abſque vlla diſcretione colorum.

17 *VNDE* Singillatim occurritur ſingulis inſtantijs in obiectione adductis. Senſibilitas enim quæ ineſt vnicuique ſenſui, non eſt perceptibilis ab ipſo, quoniam nullus ſenſus reflectere poteſt ſupra ſe. Quippe illa eſt altior, & alterius rationis, quàm ſenſibilitas externi obiecti proprij, vt ab inductione patet: ideoque non impedit perceptionem proprij ſenſibilis externi. Quæ ratio etiam militat in Imaginativa: quoniam habet pro obiecto omnia corpora ſenſibilia ſub ratione imaginabili, ac proinde induta accidentibus ſenſibilibus. Ideoque neceſſum eſt, vt ipſa careat omni accidente perceptibili à ſenſibus, nec ſit imaginabilis à ſe, ſicuti nec reflexiva in ſeipſam: ſed potius habeat aliã ſuperiorẽ perfectionẽ omni obiecto ſenſibili. Quod verò opponitur de luce & diaphano, potiùs confirmat doctrinam hanc: quia viſus omnia attingit ſub ratione lucidi, ſaltem ex parte medij, quoniam intra ſe habet realem lucem diaphaneitatemque. Ergo ſi haberet in ſe realem aliquem colorem determinatum, omnia colorata perciperet ſub ſpecie illius coloris: quare non diſcerneret omnes colores. Hoc verò abſurdum non infertur ex eo quòd ſemper attingat obiectum vt lucidũ & diaphanum: quia hæ qualitates ſunt cõmunes & indifferentes ad omnem colorem; vnus autem color non eſt indifferens ad alium.

18 *HINC* Obiter colliges, optimam eſſe rationem, quà plerique Philoſophi cum D. Thomà 2. *contra Gent. cap.* 79. probant, intellectum eſſe incorporeũ, non quia omnia corpora cognoſcit, ſed quia omnes naturas, ſeu quidditates corporeas cognoſcit: atque adeò carere debet in ſe omni corporea quidditate. Idẽque eſt de anima rationali. Procedit enim hæc ratio de obiecto cognito, non autem de ratione formali *ſub quâ* cognoſcendi: quoniam hæc non prohibetur reſidere in potentia cognoſcente. Ideoque intellectus cognoſcens omnia ſub ratione quidditatis immaterialis, ſeu abſtractæ à materia, non prohibetur, ſed potiùs exigit habere in ſe quidditatem immaterialem. Cæterùm eo ipſo quòd habeat pro obiecto, ſeu ratione *quæ*, omnem quidditatem corpoream, debet eà carere in ſeipſo: quoniam omnis potentia cognoſcitiva debet excedere in perfectione, & accidentibus ſibi intrinſecis, obiectum materiale, ſeu rationem, *quæ* attingitur ab ea. Sic certè viſus non prohibetur habere intra ſe lucem, ſub quà videt omnes colores, ſed colorem tãtùm, qui eſt obiectum attractum ab eo, & impediret ipſius indifferentiam indeterminationemque ad omnes colores.

SECTIO TERTIA.

Exponitur formalis ratio ſoni, qui eſt obiectum proprium auditus; & inquiritur, an ſubiectum illius ſit aèr colliſus, an corpora ſonantia?

19 ARIST. Libro ſecundo huius Operis ſic definit ſonum cap. 8. text. 85. ἔστι γὰρ ὁ ψόφος κίνησις τοῦ δυναμένου κινεῖσθαι τὸν τρόπον τοῦτον, ὑπερ τὰ ωφαλλόμενα ἀπὸ τῆς πλῆγῆς, ὅταν τις κρούσῃ. *Sonus enim eſt motio eius, quod eo motu moveri poteſt, quo moventur ea, quæ reſiliunt à corporibus lævibus, cùm quiſpiam percutit.* Cui definitioni affinis eſt alia, quæ communiter circumfertur per hoc, vt ſonus ſit *qualitas ſenſibilis ex forti percuſsione, ſeu colliſione corporum ſonantium & medij reſiſtentiâ reſultans.* Vbi *qualitas ſenſibilis* habet rationem generis, in qua convenit cum cęteris obiectis exteriorum ſenſuum, quæ debent conſiſtere in qualitate, & quidem ſpectante ad tertiam ſpeciem, quæ eſt paſsibilis qualitas, à qua patiatur ſeu moveatur ſenſus. Exprimitur verò ratione differentiæ ſpeciatim in ordine ad motum corporum ſonantium, tanquàm ad cauſam, à quà generatur, ſicut & diſtinguitur, veluti ſenſibile proprium à communi, & tanquam habens longè alias differentias, quibus contrahatur. Motus enim differentiæ ſunt tardum & velox, rectum & obliquum, &c. Soni autem acutum & grave, ac ſimilia. Porrò cum differentię eſſentiales rerum adeò difficiles veſtigatu ſint, oportuit ſoni rationem ſpecialem ac propriã explicari per ordinẽ

ad

ad eiuſmodi motũ, quoniam alia prior & intimior difficilè à nobis aſsignari poteſt.

20 *TRIA* Corpora debent concurrere ad ſonitum generandum, vt notat D. Thomas cum Ariſt. vbi nuper *lect.* 16. Ea autem ſunt, percutiens, percuſſum, & confractum, ſive medium reſiliens: vt quando vnus lapis percutit alterum, & ſcindit aèrem, qui eſt medium reſiliens, ſeu confractum eo motu. Quandoque verò idem corpus eſt percuſum, ſeu confractum, & reſiliens: vt cùm ipſe aèr partem aliã aèris collidit, qualiter accidit in ſonitu ventorum. Exponitur præterea definitio ſoni in ordine ad cauſam efficientẽ, quæ eſt *fortis percuſsio* corporũ percutiẽtium ac frangentium medium; & ad cauſam materialem, quæ exprimitur per *reſiſtentiam medij*: quoniam in ipſo medio recipitur ſonus, vt infrà ampliùs apparebit. Dicitur verò percuſsionem debere eſſe fortem, ideſt, cum reſiſtentia aliqua percuſsi: quia ſi hoc non reſiſtat, ſed omnino cedat percutienti, nullus fiet ſonus.

21 *QVARE* Non quælibet corpora ſufficiunt ad ſonum edendum, ſed *ſonantia*: vt exprimitur in præiactà definitione. Vt autem ſonantia ſint, aſsignat D. Thom. vbi ſuprà nonnullas conditiones. Prima eſt, quòd corpora ſint dura, ſeu ſaltem vim aliquam habeant ad frangendum aèrem. Ventus enim, quamvis durus non ſit, vim habet ad frangendum aèrem: vt quando virgà aèrem percutimus, aut cùm ſpiritus intra nubem diſtrumpitur. Si autem corpus percuſſum ſit prorſus molle, & omnino cedens, vt lana, ſpongia, & ſtuppa, nullus editur ſonus. Secunda eſt, quòd corpora ſint lævia, ideſt, habentia ſuperficiem lenem, ſeu nullis aſperitatibus inæqualem: quia ſic aèr incluſus inter corpora ſe frangentia non ſcindetur vniformiter, nec continuato modo, neque cum concitatione aut impetu; quoniam cùm partes ſint inæquales, quæ alteri ſuperemineat, detinebit partem aèris fracti, & ceſſarè faciet motum, non autem concitabit vlteriùs, vt oportet. Concitata enim confractio requiritur ad generandum ſonum: propterea nullus editur ex colliſione factà intra aquam, quia craſsitudo medij impedit eiuſmodi continuationem. Aliæ verò conditiones aſsignari ſolitæ ſolùm ſunt neceſſariæ vt meliùs fiat motus: v. g. quòd corpora ſint concava, quoniam plus aèris continent, vt patet in tympano, & buccina, quæ propterea magis ſonant: vel quòd plus de aère, quàm de terra participent; quà ratione æs & argentum maiorem ſonitum edunt, quàm plumbum & ferrum. Verùm nihil eorum eſt neceſſarium ſimpliciter ad ſonandum. Poſſet quoque ſonus breviùs & rectè definiri, *qualitas realis perceptibilis ab auditu*. His poſitis,

22 *SIT I.* Aſſertio. Sonus non recipitur in corporibus ſe percutientibus, ſed in ipſo medio colliſo, ſive confracto. Ita S. Thom. lectione 16. ſuperiùs indicatà *ad textũ 77.* vbi ait: *In corpore ſonante non eſt ſonus, niſi in potentiâ: in medio autem, quod movetur ex percuſsione corporis ſonantis, fit ſonus in actu. Et propter hoc dicitur quòd ſonus in actu eſt medij & auditus; non autem ſubiecti ſenſibilis.* Ita etiam docent frequenter Philoſophi. Ratio autem communis eſt, quoniam idem eſt ſubiectum ſoni, ac motus, quem ſonus comitatur. Subiectum autem motus non eſt vtrumque corpus percutiens, quoniam vtrumque habet rationem cauſæ efficientis, cuius eſt movere, non autem moveri. Reſtat igitur, vt corpus ex vtriuſque percuſsione confractum, quod eſt aèr colliſus, ſit ſubiectum illius motus, proindeque & ſoni. Idem verò dicendum eſt, quamvis vtrumque corpus ſonans non ſe percutiat mutuò, ſed alterum præcisè ab altero percutiatur; vt cùm aliquis verberatur. Motus enim collidens aèrem non recipitur in corpore verberato, ſed tantùm motus alius tangens corpus percuſſum. Quod patet facta hypotheſi, quà quis verberaretur in vacuo. Tunc enim reciperet motum flagelli percutientis; nullus tamen eſſet motus collidens aèrem, ſicut nec ſonus. Similiter & vbi piſces leniter natantes ſcindunt ac percutiunt aquam, nullus fit ſonus, quoniam aèr non colliditur. Ergo non ſolùm vbi corpora mutuò ſe collidunt, ſed etiam vbi alterum tantùm percutitur, neutrum eorum recipit motum confractivum aèris. Denique vbi duo corpora ſe leniter tangunt, vt manus cum manu, nullus ſonus fit, defectu alterius motus frangentis aèrem. Quare reſtat vt in hoc recipiatur, tam motus ipſe, quàm & ſonus, vtpotè qualitas fluens, & ſubtilis, quæ proinde idoneum ſubiectum habet in aère ſubtili ac fluido.

23 *OBIICIES.* Si ſubiectum ſoni eſt aër collifus, vbi multùm fuerit de aëre, fiet ſonus magnus; & parvus, vbi parum aëris colliditur. Hoc autem videtur falſum: quia in pulſatione cymbali parum aëris colliditur: illud ſcilicet, ſolum, quod eſt inter linguam & oram cymbali: & tamen maximus ſonus fit. E contrà vbi duæ ingentes laminæ plumbeæ aut ferreæ ſe percutiunt, aër inter vtramque collifus eſt longè maior, quàm in cymbalo, & tamen longè minus ſonat. *Confirm. I.* Si enim propterea aër eſt ſubiectum ſoni, quoniam motu frangitur, etiam aqua erit ſubiectum ipſius, quoniam & illa frangitur, quamvis non æquè facilè aut velociter. Ideóque patet in piſcibus, qui intra aquam videntur ſe invicem audire, & fugere, etiam in profundo mari, vbi nulla eſt lux. Ranæ etiam intra aquas edunt murmur, vt obſervat Ariſtoteles 4. *de Hiſtor. Animal. cap.* 9. Ergo etiam aqua eſt ſubiectum ſoni. Quare 8. Thom. vbi ſupra docet, medium, in quo auditur ſonus, eſſe aërem & aquam. *Confirm. II.* Soni enim non diſtinguuntur per ordinem ad aërem collifum, qui eſt vnus; ſed per habitudinem ad corpora percutientia, aut ſonantia. Ex ijs enim colligimus, hunc eſſe motum cymbali, illum tubæ, alium lignorum; vnum grauem, alterum acutum. Ergo potiùs corpora ſonantia, quam aër collifus, ſunt connaturale ſubiectum ſoni.

24 *RESP.* Sequelam eſſe legitimam, & experimentis comprobatam, vbi cætera ſunt paria, ſiue, quod perinde eſt, vbi cæteræ conditiones ad ſonum requiſitæ in æquali gradu concurrunt: inter quos recenſentur, quod corpora ſonantia ſint ſolida, dura, lævigata, & plus habentia de elemento aëreo, quàm terreo. Hinc occurritur vtriq; inſtantiæ: quia ingentes laminæ plumbeę, ac ferreæ (idēque quoddammodo eſt de lignis, aliiſque ſimilibus) licèt plus aëris inter ſe collidant, id præſtant modo longè minùs apto ad ingentem ſonum edendum, quam ora cymbali percuſſa: quoniam materia æris plus habet de aëre, quam ferrum ac plumbum, duriorque, & ſolidior eſt, & ab ærea linguà percutitur concitatiore motu: ideóque licèt minùs aëris collidatur in cymbalo, aliunde ratione tot circumſtantiarum maior editur ſonus. *AD I. Confirmat.* Aër eſt idoneum ſubiectum ſoni, quoniam frangitur cum impetu & concitatione: quod non convenit aquæ, ratione ſuæ craſſitudinis, qua paulatim labitur & recedit. Ideoque etſi aqua, iuxta D. Thomam, ſit medium aptum deferendis ſpeciebus ſoni iam alibi facti, non tamen ad ſonum edendum. De quo legendi Conimbricenſes *lib.* 1. *cap.* 8. *q.* 1. Suarez *de Anima cap.* 19. *num.* 3. & Bañez 1. *p. q.* 78. *art.* 3. *dub.* 3. Inſtantiæ autem in piſcibus nihil probant: quoniam piſces non videntur ſe invicem audire, ſicut nec excitare poſſe ſonum, intra aquam; quamvis alij alios fugiant: quoniam ad id ſufficit interdiu viſus, & noctu aut in profundo mari odoratus. Nec branchiæ piſcium vbi ſecant aquas ſonitum præſtant, etiam in Acheloo amne, niſi expellendo aquam, ſimul & attrahendo aërem; quem collidant: vt obſervat S. Doctor *lect.* 18. exponens Ariſtotelem de coſlumine loquentem. Ranæ autem, ſi forte intra aquam edunt murmur (quod plures negant) putandæ ſunt id præſtare ob retentionem alicuius aëris intra guttur, vel poros, quo exeunte & collifo, fiat murmur, donec loco eius impleantur aquâ; & rurſus, hac evomita, collidatur aër, ſuccedatque ſonus alius. *AD I. Confirm.* Differentiæ ſoni deſumuntur, tum ab aëre contracto, diverſimodè, vt ſubiecto, tum & à corporibus diverſimodè ſonantibus, vt a cauſa efficiente. Quare ex vtroque principio, paſſivo & activo, iuxta varietatem amborum, dignoſcitur ſonorum diverſitas, & vnde quilibet eorum oriatur.

SECTIO QVARTA.

Quanta ſit ſphæra ſoni realis in circulum, & an à principio, an potiùs in fine ſui, emittat ſpeciem in auditum.

25 *SIT Aſſertio.* Sonus realis recipitur in toto illo aëre extrinſeco, ſiue medio, in quo ſit motus, quo idem aër collifus fuit. Ita D. Thomas *lect.* 16. ad textum 80. Ariſtotelis vbi rem luculenter exponit, his verbis: *Conſiderandum eſt quòd generatio ſoni in aëre, conſequitur motum eius, vt dictum eſt. Sic autem contingit de immutatione aëris apud generationem ſoni, ſicut de immutatione*

aquæ,

aquæ, cùm aliquid intra aquam proijcitur. Manifeſtum eſt enim quod fiunt quædam gyrationes in circuitu aquæ percuſſæ, quæ quidem circa locum percuſſionis ſunt parvæ, & motus eſt fortis. In remotis autem gyrationes ſunt magnæ, & motus debilis: & tandem motus evaneſcit, & gyrationes ceſſant. Et Vitruvius apud Kircherum infra *ſect. ſeq.* allegandum, *Movetur*, inquit, *vox circulorum flexibus infinitis: vti ſtante aquâ lapide immiſſo naſcuntur innumerabiles undarũ circuli à centro creſcentes, & quàm latiſſimè poſſunt vagantes, niſi loci interpolàrit anguſtia: eâ tamen differentiâ, quòd in aquâ circuli æquâ planitie in latum moventur, vox etiam in longitudinem prægreditur, & altitudinem gradatim aſcendit. Si enim aèris motum, quem obiectum ſonorum efficit, intueri poſſemus, formaturus is eſſet, veluti ſyſtema quoddam cœlorum, in orbes maiores ſemper & maiores protuberans.* Quà propter vbicumque editur ſonus, neceſſum eſt fieri gyrationes ipſius: ac proinde ſonum realem recipi in toto illo aère, in quo ſubiectatur gyrativa percuſsio motus edentis eundem ſonum. Cum enim ſonus naturaliter ſequatur motum illum, debet vendicare ſibi ſedem in eodem ſubiecto, ac ſpatio. Porrò aèrem circunſtantẽ moveri in gyrum percuſsione illa, ac proinde recipere motum in circulum, patet: quia ſonus per aèrem delatus, non ſolùm percipitur per lineam rectam, vt accidit in luce, ſed etiam à quocumq; latere, & æqualiter ſi retrò, ac ſi antè editus fuerit. Tam ergo motus, quàm ſonus, recipitur in gyrum ab aère circunſtante.

26 *VERVM* Notandum eſt, quandoque ſonum realem pervenire vſque ad aures, & ingredi per illas, quandoque non pervenire niſi medijs ſpeciebus, quæ dicuntur ſonus intentionalis. Tunc pervenit ad aurem ſonus realis, quando gyrationibus illis multiplicatur intra eam diſtantiam, ſive ſphæram, in qua ſunt aures: & per eas ingredietur, ſi adeò fortis ſit, vt poſsit vincere anfractus illos, qui ſunt in limine auditus, vſque ad tympanum ipſum. Tunc autem ſolùm perveniet intentionaliter, quando ceſſaverint gyrationes illæ motus ac ſoni realis, ſolumque fuerit locus ſpeciebus in circulum traijciendis, & intra determinatam ſphæram. Quod planè docet S. Thomas, *m 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. ad 5.* vbi inquit: *Quædam deferri ad ſenſum ſecundùm eſſe ſpirituale, & materiale, ſicut ſpecies odorum cum permixtione fumali evaporationis: tamen ſpecies extenditur vltra fumalem evaporationem. Et ſimiliter eſt de ſono, & motu.* Idemque docet cum Ariſt. plurimis alijs locis apud Alamanium *q. 70.* Poſſunt igitur ſpecies ſoni eò pervenire, quò nec ſonus ipſe realis, nec motus, à quo cauſatur, accedit. Idque etiam patet: quoniam, vt ſuperiùs obſervatum eſt, pisces intra aquam audiunt ſonum piſcatoris, cùm tamen nec ſonus realis, nec motus, ingrediatur aquam, ſed ſola ſpecies ſoni. Deinde cum ſæpe ſonitus cymbali, aut etiam bombardæ excludentis ingentem globum, audiatur per circulum vnius leucæ, aut maioris ſpatij, breviſsimo temporis interſtitio, apparet impoſsibile totum illum aerem circunſtantem moveri, aut tam breviter agitari, vt deferat ſonum realem ad aures: & in ipſo aère nullum tunc percipimus motum. Ergo putandum eſt tunc ad aurem ſolùm pervenire intentionalem ſonum, ſive ſpecies ſoni, quarum traiectio ſubtilior eſt, & proinde in ampliorem circumferentiam fieri poteſt.

27 *NOTANDVM.* Præterea, ſpecies ipſas ſoni ſtatim generari & incipere cum ipſo ſono reali, & ſimul cum eo mitti in circulum per totam eam ſphæram; in quam extenduntur gyrationes motus aèris, atque eiuſdem ſoni realis. Quod patet experimento: quoniam cuicumque parti eius ſpatij applicet quis aurem, percipit ſonum. Cumque nequeat ſonum percipere, niſi mediâ ſpecie ipſius, conſequens eſt vt hæc ſimul cum ſono reali incipiat, & ſit in toto eo ſpatio. Poſt eam verò ſphæram ſolæ ſpecies ſoni deferuntur ad auditum, ſono ipſo & motu evaneſcentibus.

28 *SED* Obijcies. Hinc ſequitur infinitas ferè ſpecies eiuſdem motus, ac ſoni realis, perventuras ſimul ad eandem aurem: quod eſt abſurdum, quia pareret confuſionem in auditu. Sequela probatur: Quia ſi generatur ſpecies vbi incipit motus & vehementia ſoni, indeque emittitur, etiam emittitur ex ſecundâ & tertiâ gyratione motus, ac ſic de alijs, quoniam omnium eadem ratio eſt, vt ſingulæ emittant, vel non emittant ſpeciem. Ergo cùm gyrationes, præſertim ingentis ſoni, ſint innumeræ,

ac ferè infinitæ, totidem quoque ſpecies ad aurem eandem mittentur. *Præterea.* Non videntur ſpecies produci a ſono reali vbi primò generatur, ſed vbi vltimò deſinit: Quia ſi cum eo ſimul generentur, & deferantur circa aurem, deferentur ſucceſsivo modo, ſicut idem ſonus realis, & non inſtanti. Atqui ſpecies ſoni ex quo primùm generantur, in inſtanti deferuntur ad aurem: quia non habent contrariũ, neque vllam reſiſtentiam medij. Ergo non generantur ſimul cum ſono reali, nec cum eo deferuntur ad aurem. Quare dicendum videtur, eas ſolùm incipere, vbi tandem deſinunt gyrationes motus ac ſoni realis ſucceſsivè factæ, indeque momento temporis ad autem pervenire.

29 *RESP.* Species ſoni non poſſe incipere vbi deſinit ipſe ſonus: quia, præter rationem paulò antè aſsignatam, cùm ſonus realis in fine langueſcat, & tandem penitus evaneſcat, neceſſum eſſet vt ſpecies ab eo producta eſſet valde remiſſa ac tenuis, ideoque per eam ſonitus bombardæ, aut tonitrui, nunquam audiretur, niſi tenuiter ac debiliter: cuius oppoſitum experimento patet. Quod tamen non ſequitur ſi ſpecies ipſius à principio inceperit cum ipſo ſono, quia ſic poteſt eadem in autem pervenire, quamvis minùs vivida, quàm a principio, ratione diſtantiæ, vt & in ſpeciebus viſualibus accidit, quæ quanto longiùs gyrant, eo debiliùs in circulum repræſentant colorem ac lucem. Neque inde ſequitur abſurdum in obiectione illatum: nam licèt omnes ac ſingulæ gyrationes emittant ſingulas ſpecies minores & minores ſoni realis, eæque in ſono ingenti ſint ferè innumeræ à vehementiori vſque ad remiſsionem, omnes tamen continuantur per modum vnius vſque ad aurem, ideoque nullam confuſionem generant. Sic etiam innumeræ ferè ſpecies emittuntur ab eodem obiecto viſibili in circulum, iuxta multitudinem gyrationum, & eò minorem obiecti magnitudinem repræſentantes, quò remotiores ab eo ſunt: quæ tamen, quoniam continuantur per modum vnius, nullam viſui confuſionem ingenerant. Ad vlteriorem inſtantiam dicimus, ſpecies ſoni ſucceſsivè ferri, tã ab initio ſoni realis vſque ad eius finem, quam exinde vſq; ad aurem. Quare negatur minor, in qua oppoſitum aſſeritur. Neque probatio interiecta id evincit: quia ſpecies ſoni ſunt longè minus ſubtiles, quàm ſpecies viſuales. Hæ namque nullam dependentiam habent à motu locali & alteratione, ſed ſolùm à luce, quæ momento temporis in orbem diffunditur. Species autem ſoni dependent à motu locali aeris colliſi, qui eſt ipſius ſubiectum, & ab alteratione eiuſdem aeris, quà fiunt: ideoque in ſui productione dependent ab aliquo habente contrarium, ac ſubinde retardari poſſunt. Quare & ſæpe ratione venti contrarij prohibentur ab acceſſu in aurem: cùm tamen ſpecies viſuales nullatenus ab aère interiecto prohibeantur, quoniam neque in ſui productione depẽdent ab aliquo contrarium habente.

SECTIO QVINTA.

Opinio recens aliquorum negantium à ſono reali mitti ſpecies ad auditum, reijcitur, præſertim variis experimentis.

3 *ADVERSVS* Doctrinam præcedenti ſectione traditam inſurgunt aliqui Recentiores & ſpeciatim Oviedo *cõtr.* 13. *§.* 2. ac Dãdin⁹ *de Anima, digreſsione* 43. aſſerẽtes, quoties auditur aliquid, ſonum ipſum realem pervenire ad auditum, pulſareque tympanum eius, ideoque nunquam egere ſpeciebus interiectis: quoniam hæ inſtituræ ſunt ad ſupplendum præſentiam obiecti. Ergo ſi obiectum auditus, quod eſt ſonus, ſemper adeſt ipſi præſens, nullatenus eget diſtinctis ſpeciebus. Porrò ſonum ſemper eſſe præſentem auribus, ideoque non egere ſpecie vicaria ſui, non tam poſitivè probant, quàm negativè, ſolvendo argumenta, quibus oppoſitum ſuaderi ſolet.

31 *CÆTERVM* Noſtra ſententia eſt expreſſa D. Thomæ verbis *num.* 26. allegatis *ex 2. Sentent. & 1. p. q. 56. art. 1.* & apud Alamanium *q. 60. art. 1.* quem ſequuntur, non ſolùm omnes Thomiſtæ, ſed & communiter alij, vt Conimbricenſes *lib. 2. cap. 6. q. 2.* vbi allegant pro eodem placito quatuordecim Auctores: quibus adde Suarez *lib. 3. de Animâ c. 21.* Hurtado *diſp. 12.* Arriagam *diſp. 4. ſect. 1.* Tellez *diſp. 81. ſect. 3.* Averſ. *q. 54.* & Kircherũ *lib. 2. Artis Magnæ p. 2. c. 6. in Actinoboliſmo Soni pag. 133.* prætermiſsis pluribus alijs. Ioq; multipliciter ac breviter ſuaderi poteſt.

Pri-

Primò ex Ariſt. *lib.* 2. huius Operis *textu* 83 piſces intra aquas audire ſonos in ripâ aut littore factos. Et Sancta Crucius *n.* 482. teſtatur ſe Romæ vidiſſe piſcem, qui proprio nomine vocatus egrediebatur ex aquâ. Idemque ferè de alijs piſcibus ſuprà obſervavimus ex Plinio. At non per ingreſſum ſoni realis in aures illorum, quia hic non videtur poſſe traijcere elementũ adeò craſſum & cõſum. Ergo ſolùm illum audiunt per ingreſſum ſpecierum, quæ, quoniam ſubtiliores ſunt, facilè poſſunt permeare aquam. *Secũdò* ratione generali infrà *diſp.* 89 *ſect.* 2. expendenda ex illo axiomate Auguſtini lib. 11. de Trinit. c. 2. *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* Inde enim ſuadetur omnem vim cognoſcitivã indigere ſpecie vicaria obiecti abſentis. At ſonus realis, in quo conſiſtit obiectum auditus, ſæpe eſt abſens. Vt enim ſupra *n.* 26. probatum eſt, impoſsibile apparet percuſsionem cymbali, aut explosionẽ bombardæ, emittere ſonum realem per totam circunferentiam vnius, aut etiam plurium leucarum, in qua auditur. Ergo tunc ſonus indiget ſpecie ſui vicaria, vt tam procul audiatur. *Tertiò* ſuadetur experimento ſupra *n.* 8. indicato longiſsimæ trabis, è cuius altera extremitate percipit auris bene applicata ſonum quemlibet, vel leviſsimum, in adverſa parte factum. Quod fieri nequit per traiectionem ſoni realis, ſed intentionalis tantùm, qui ſubtilior eſt, ideoque pẽetrare poteſt ab extremo ad extremum totam trabem interceptam.

32 *Quartò.* Si enim quoties audimus, ſonus ipſe realis eſt præſens auri, non percipiet illa vnde, aut ex quâ parte veniat ſonus: maximè cùm hic, iuxta Adverſarios coëfficiat auditionem ſimul cũ potentia. Cùm ergo experimento pateat, ſaltem frequenter auditum percipere vnde veniat ſonus, dicendum eſt tunc ſpeciẽ aliquam, vice eiuſdem ſoni primo producti, intrare potentiam, ipſique repræſentare ſonum à principio factum, & quo loco editus fuerit; an, ſcilicèt, ante aut retrò longè aut propè &c. Nec ſatisfaciunt aliqui pro Oviedo reſpondentes non diſcerni a ſenſu vnde veniat ſonus, ſed ab intellectu aut phantaſia tantùm. Contra enim eſt, quòd nec intellectus, nec phantaſia id diſcernere poſſunt, niſi præcedente notitia auditus. Quare niſi hic percipiat ſonum vt diſtantem, vel vicinum, non poterit ab ijs diſcerni eius diſtantia, aut vicinitas.

Confirm. Quandoque enim in Academia Hyrachenſi, quæ diſtat ſeptem leucis a Pompeiopoli, in Feſto Corporis Chriſti, circa meridiem, quando ingentes bombardæ in caſtello eius vrbis explodunt pilas horribili ſonitu, hic auditur in tanta diſtantia, & ſenſibiliter percipitur ſonum ipſum remotiſsimum eſſe. Idemque ferè eſt vbi nimiùm à longè videntur fulgetræ & fulgura, ac poſtea audiuntur tonitrus nubium remiſsi ac langueſcentes, quaſi aliquid valde diſtans. Id autem nequit fieri concurrente ipſo ſono reali ad auditionem pariendam: tum quia impoſsibilis apparet emiſsio ſoni realis à bombarda per tantùm ſpatium in circulum: tum etiã, quia cùm ſonus realis non ſit ex ſe qualitas intentionalis, nec inſtituta ad repræſentãdum, ineptus eſt vt repræſentet an procul, an propè a principio editus fuerit. Quę ratio non militat in ſpecie ſoni, quoniam naturà ſua eſt repræſentativa obiecti.

33 *Quintò*, prætermiſsis alijs, ſuadetur: Quia color & odor, vt ſeparati a ſpeciebus, non concurrunt ad actum videndi aut olfaciendi: ideoque etiam Authores contrarij aiunt, neutrum eorum percipi a viſu, odoratuvè, niſi mediantibus ſpecie-bus. Idem ergo dicendum eſt de ſono: quia nulla ratio, nec communis, nec ſpecialis, in ijs aſsignari poteſt, quæ pariter in ſono non vrgeat. Vnde obiter refellitur nova alia opinio, quàm tradit Caſtelvi in præſenti, diſtinguens inter ſonum realem pervenientem ad auditum, & non perveniẽtem; & de hoc poſteriori concedens audiri media ſpecie diſtincta, de illo autem priori negans. Etenim ſonus ex ſe non habet vim formalem repræſentandi, ideoque ſuprà probavimus illum ſtatim a principio productionis mittere ſpeciem ſui, atque illam deferre ſecum quacumque vadit intra ſuam ſphæram. Ergo quamvis intra illam ſit auditus, adhuc non percipietur ſine ſpecie. Sic certè nec lux, nec color, quàmvis ſint intra ſphæram oculorum, percipiuntur ab ijs, niſi interiecta ſpecie. De quo vide *diſp. ſeq. ſect.* 5.

SECTIO SEXTA.

Quid sit Vox, quatenus spectat ad obiectum Auditus, & quibus instrumentis fiat?

34 VOX, Prout ad præsens attinet, ac relictis alijs acceptionibus, dicitur ab Arist. 2. *de Anima c. 8. textu 87.* ψόφος τις ἐμψύχου: *sonus quidam animantis.* Quod sic statim exponit. *Nihil enim inanimatorum vocem habet: sed similitudine quadam dicuntur vocem emittere, vt tibia, lyra, cæteraque inanimata, quæcumque extensionem, concentum, & locutionem. Horum enim soni similes voci videntur, quia vox & hæc eadem habet.* Ex quibus, & alijs, quæ postea subeit, colligitur hæc communis definitio vocis per ordinē ad suas causas: *Percussio aëris respirati, quæ fit ab anima in pulmonibus ad arteriā vocalem, cum quadam imaginatione,* Nomine *percussionis* intelligitur causaliter ipse sonus: nam vox est quidam sonus. Deinde exponitur causa efficiens principalis, quæ est anima; & instrumentalis, quæ est pulmo & arteria vocalis, sub quibus alia organa comprehenduntur; & directiva, quæ est imaginatio, sine quâ nō profertur vox; & subinde finalis causa, quæ est expressio interioris conceptus, seu imaginationis; & denique causa materialis in aëre respirato indicatur, quoniam in eo recipitur vox, sicuti & vniversim sonus in aëre collisō: vt *sect.* 3. ostensum est. Vnde animalia exsanguia non edunt vocem, quia non respirant aërem, defectu pulmonis & arteriæ. Respiratio enim conceditur animalibus, vt flatu aëris mitigetur calor sanguinis. Quare cùm quatuor sint genera animalium exsanguium, vt indicat Arist. textu eodē, & fusiùs prosequitur D. Tho. *ibid. lect.* 18. cōsequens est vt non respirent, ac proinde careant voce.

35 *SVNT* Autem complura instrumenta deservientia pulmonibus & arterijs ad formandam vocem: circa quæ plenius legi possunt, ex Patribus Nyssenus *lib. de Hominis Opif. cap.* 9. Lactantius *lib. de Opificio Dei cap.* 11. & Theodoretus *serm.* 3. *de Providentia.* Ex Philosophis Aristoteles *lib.* 1. *Hist. Animal. cap.* 16. *& lib.* 8. *cap.* 9. atque ipsius Interpretes. Ex Medicis Galenus *lib.* 7. *Vsu part. c.* 5. Ex Anatomicis Vesalius *lib.* 7. *à cap.* 4. *ad* 8. & Fernelius *lib. de part. corp. hum. cap.* 8. Nobis pauca hæc sufficiant. Quædam instrumentorum eorum interiùs residunt, vt ex parte pulmonum musculi thoracis & intercostales, quibus aër comprimitur, & ad pulmones admittitur: ex parte autem arteriæ vocalis additur larynx, quæ est veluti ostium ipsius, & tegitur membranula cartilaginosa, ne aliquid cibi potulvè per eam traijciat. Præterea adiungitur gurgulio, quæ est caruncula quædam sub extremo palati pendens, & influente humore solet intumescere instar vuæ. Confert autem maximè ad emittendam vocem: ideoque quoties quis gurgulionem occupat aquâ, nequit verbum aliquod proferre. Vox enim iuxta gurgulionem & lingulam frangitur temperaturque, & iuxta varietatem percussionum, diversi moduli, flexionesque vocum fiunt.

36 Alia verò sunt externa vocis instrumenta; vt lingua, palatum, dentes, & labia, sine quibus vox dearticulari nequit. Porro lingua novem componitur musculis vndique constitutis, quos dividit linea vtrorumque media: prohibeturque subiecto vinculo, quasi habenis, ne propter nimiam volubilitatem suam liberiùs in verba laxetur. Profert autem varios sermones, dum diversimodè frangit aërem à cavitate arteriæ pulsum, atque incidentem in amplitudinem oris: ad quod præstandum exigitur certa temperatura in lingua. Si enim mollior & humectior sit, quàm par est, vt in pueruli, inducit balbutiem, quoniam musculi eius non stabiliūtur firmiter. Idem accidit ebrijs, quoniam nimia humiditate è cerebro descendente, lingua plurimùm humectatur. Denique palatum cavitate & scabritie sua deservit vocibus dearticulandis, sicut & dentes, & labia, ex quorum omnium varia percussione, connnctione, divisione, ac flexibus, pendet, tam multiplex & innumera pene vocum, immò & idiomatum, multitudo.

SECTIO SEPTIMA.

Quid sit sonus reflexus, sive Echo, & vnde oriatur, ac quomodo fiat.

37 APVD Græcos ἠχώ dicitur rē percussio vocis aut soni, à verbo ἠχω, id est *resono*: vnde & vox *Echo* ad Latinos translata est. Dicitur etiam Græcè

cè φωνοκάμπτις, reflexio vocis: & inde nomen ſortita eſt ars Phonocamptica, ſeu Echologia: de qua latè Kircherus *lib.* 2. *Artis Magnæ p.* 1. *c.* 7. Experimur enim ſæpe in convallibus, & concameratis locis, ac ripis fluminum leniter fluentium, vocem miſſam ad nos redire, immo & quādoque multiplicari plurimùm: vt teſtatur Plinius *lib.* 36. *Hiſtor. Natur. cap.* 15. vbi inquit: *Cyzici, iuxta portam, quæ Thracia vocatur, turres ſeptem, acceptas voces numeroſiore repercuſſu multiplicant. Olympiæ nunc in porticu, quam ob id ἔπηχον appellant, ſepties eadem vox redditur.* Quo Lucretius alluſit *lib.* 4. *de Rerum Natura.* Mirabilius autem eſt quod Dandinus *digreſſione* 44. *de Anima* teſtatur ſe fuiſſe expertum in villa quadam Mediolanenſis agri: vbi ait, in quodam inſigni palatio vigeſies multiplicari eandem vocem.

38 *PORRO*, Vt ſuprà monuimus, vox eſt quidam ſonus, qui ex ore proferētis emittitur varijs gyrationibus in totam ſphæram ſuæ extenſionis, inſtar aquæ ſtagnantis ex percuſione aliquà facientis circulos maiores & maiores. Quemadmodum verò gyrationes aquæ ſi impingant in corpus aliquod hiulcum & aſperum atque inæqualitatibus plenum, in eo diſſipantur; ſi autem in læve, terſum, & æquale, retrocedunt; ita etiam vox vbi in circulum emittitur per loca hiulca, inæqualia, aut craſſa, in ijs diſſipatur, & inſumit omnino gyrationes ſuas; ſi autem in loca & corpora concava, lævia, ac bene compacta, circulationes eius retrocedunt, & ſic reducitur vox ad ipſum loquentem. Fieri autem poſt, vt ex varijs partibus, cavitatibuſque, in quas ſonus incurrit motu aèris agitatus, pluries reflectatur eadem vox, & ſic multiplicetur Echo iuxta numerum cavitatum.

39 *QVIN* Et quemadmodum ſuperiùs conſtitutum eſt, ſonum realē mitti à corporibus ſonantibus vſque ad certum terminum, ſpecies autem eiuſdem ſoni vltra illud ſpacium; ſic etiam accidere poteſt, vt Echo generetur ex reflexione ſoni realis, vel ex reflexione ſpeciei tantùm. Fiet quidem reflexio ſoni realis, vbi hic impingit in corpora & loca obſiſtentia, & apta ad multiplicandum reflectendumque illum: intentionalis autem, vbi iam non pervenit realis ſonus, ſed tantùm eius ſpecies: quæ, ſi inveniat corpus læve, æquale, concavum, & aptum retroceſsioni, inde redit verſus loquentē. In priore autem caſu non eſt idem numero ſonus, ſed diſtinctus: quia ſonus realis eſt quoddam accidens, cui repugnat migrare de ſubiecto in ſubiectum. Quare oportet, vt ſonus realis multiplicetur in corpore obſiſtente, verſus eam partem, vnde incipit. Quod colligitur ex D. Thom. in præſenti *lib.* 2. *lect.* 16. *fine* circa textu 50. vbi, docet ſonum multiplicari inſtar gyrationum, & addit: *Si autem antequam huiuſmodi gyrationes deficiant, fiat reverberatio aèris moti, & ſonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes revertētur in contrarium; & ſic auditur ſonus ex adverſo: & hoc vocatur* ECHO. Ratio autem eſt: quia ſæpe ſonus reflexus tam clarè auditur, vt videatur non ſolam eius ſpeciem reflecti, ſed & ſonum ipſum: ſicut ſonus directus tam vividè & diſtinctè percipi ſolet, vt appareat præſens ſeipſo, & non ſolùm media ſpecie ſui. Ergo cùm nequeat eſſe idem numero in diverſis ſubiectis, ſeu partibus aèris, oportet ipſum multiplicari per reflexionem vbi invenit corpus obſiſtens reflexioni faciendæ. Quare à puncto ipſo reflexionis oportebit ipſum etiam multiplicare ſpeciem ſui, illamque reflectere cōtra audientem, atque eo vividiorē, quò ſonus ipſe vigoroſior fuerit, affectuſque melioribus circunſtantijs loci obſiſtentis ad reflectendum.

40 *DICES*, Eundem numero aèrem eſſe, qui directè impingit in corpus obſiſtens & ab eo reſilit. Ergò idem numero motus eſt aèris, directus & reflexus, ac proinde & ſonus. Conſequentia patet: & antecedens ſuadetur ex Ariſtot. vbi ſuprà textu 80. illis verbis: ἡ δὲ γίνεται, &c. *Fit autem Echo, ſonitus, inquam, is qui poſt ſonum reſultat; cùm aèr factus vnus ob vas, vel locum, qui terminavit ipſum, atque diſſolvi prohibuit, inde reſilit, veluti pila, repulſus.* Quemadmodum ergo eadem numero pila eſt quæ directè tendit in parietem ac reflectit; ita & idem numero aèr eſt qui directè defert ſonum ad obſtaculū, & inde reſilit.

41 *RESP.* negando conſequentiam: quia impoſsibile eſt eundem numero ſonum expandi in totum illud ſpatium loci, in quo auditur Echo: ideoque oportet eſſe diſtinctum numero. Quo ad Ariſtotelem verò dici poteſt cum Averroe, D. Thoma, & pluribus alijs in eundem locum, ſenſum eſſe, quòd communicetur ſo-

ſonus per partes aèris ab vna in aliam partem mediante motu. Itaque quando aèr impeditur à promovendo alium ſequentem aèrem, retorquet motum in eundem anteriorem aèrem, & ſic denuo repetit in eo ſonum: quemadmodũ vbi lapide iniecto aqua in circulos commovetur, ſi illa impingat in parietem ſtagni, reducitur in eandem ſtagni partem, a quà exierat, & in eam retorquet impetum numero diſtinctum à præcedenti. Quare ſubiectum ſoni reflexi non eſt idem numero ac directi: quia ſubiectum ſoni directi eſt ipſe aèr reſiliens, reflexi autem partes aèris anterioris ab eo commotæ, quæ ſonum reflexum, ac directo & præcedenti ſimilem, in aurem reflectunt. Vel ſecundo dici poteſt cũ Provenzali *part. 2. de Senſibus cap.* 32. & Averſa *q.* 54. *ſect.* 6. quemadmodum ſonus extendebatur in directum per communicationem partis ad partem; ita etiam vbi hæc directa communicatio impeditur, reflecti ipſum & retorqueri in aère verſus anteriorem partem; eo ſanè modo, quo actio illuminativa pertingens ad locum impedientem, reflectitur citra illud. Eo tamen diſcrimine fit reflexio ſoni ac luminis, quo facta fuerat actio directa. Quæ ſolutio videtur conformis Ariſt. eodem loco comparanti reflexionem ſoni reflexioni luminis. Et ad inſtantiam pilæ, dici poteſt, ita intelligi debere, vt ſicut pila reflectitur, ita actio diffuſiva ſoni in aère reflectatur ab obſtaculo.

42 *ROGABIS*, Quænam ſit ratio, vt quoties fit Echo, ſolum vltima vox prolata, ſive vltima ſyllaba, audiatur? *RESP.* verè totam locutionem prolatam reflecti. Cæterùm quia vnum verbũ directè fuit pronunciatum poſt aliud, verba priora non audiuntur clarè è longinquo redeuntia, ſed tantùm poſterius verbum, quod in proximo validiùs ſonat. Vbi autẽ vnicum verbum prolatum eſt, vltima eius ſyllaba eodem modo ſe habet, ac poſtremum verbum. Quanto etiam remotius fuerit punctum reflexionis, maior vocis ſeu propoſitionis pars auditur, quia maius temporis ſpatium eſt vt vox revertatur. Sive autem redeat ſola ſpecies reflexa ſoni, ſive etiam ſonus reflexus ſimul cum illa, & ambo multiplicentur in circulos à principio reflexionis, ſicut & ab initio generationis; adhuc Echo reſonat ſimplici repetitione prioris vocis; non autem duplici, aut multiplici: quoniam omnes illæ ſpecies & ſoni ſe habent per modum vnius.

DISP. OCTVAG. OCTAVA.

DE ODORATV, GVSTV, ET TACTV.

Quænam ſint propria eorum ſenſuum?

Num. 1. *CVM Ea, quæ ad Odoratum, Guſtum, & Tactum attinent, ravò aut nunquam in Scholis exagitentur, ſolùmque deſerviant aliquali ipſorum notitiæ comparandæ, quantùm ad ea, quæ vnicuique propria ſunt; placuit illa omnia vnica diſputatione breviter perſtringere: in qua tamen nihil omittatur, quod alicuius momenti ſit. Habet verò locum apud Ariſt. in præſenti* lib. 2. cap. 9. 10. & 11. *vbi ſeorſim ac breviter de ijs ſenſibus agit, & eodem ordine, quem in titulo exhibemus; quoniam ſubtilior eſt operatio propria Odoratus, ideoque nobilior, quàm Guſtus, & huius, quam Tactus; ideoque ſervato ordine dignitatis de vnoquoque illorum diſputari oportuit.*

SE-

SECTIO PRIMA.

Præmittitur ſtructura propria Odoratus, & ſtatuitur illum non alibi reſidere, quàm in carunculis mamillaribus, quà parte vniuntur mediis nervis. Vbi de meato Odoratus.

2 ARIST. Lib. 1. Hiſtor. Animal. cap. 11. & lib. 5. de Gener. Animal. cap. 2. docet, omnibuſque palam eſt, odoratui potiſsimum deſervire naſum in ijs omnibus animalibus, quæ reſpirant, & eo prædita ſunt. Quæ verò non reſpirant, & carent naribus, in alia corporis parte odoratum habent iuxtà eundem Philoſophum *lib. 2. de Part. Animal. cap. 16.* vt ſupra *diſp. 84.* diximus de ſenſu communi. Structura verò naſi hæc eſt. Coaleſcit carne cartilaginoſa, & diſtinguitur duobus foraminibus, quæ nares appellantur, interiecta quadam cartilagine, quam Ariſtoteles primo loco ex indicatis vocat *interſeptum*. Ea duo foramina duplici via procedunt, altera ſuperiori ad cerebrum, altera inferiori & flexuoſa ad finem palatus: & quà parte à cerebro deſcendunt, emittendis emungendiſque ipſius excrementis deſerviunt; qua verò ad palatum & guttur diriguntur, reſpirationi aditum præſtant. Ipſi autem odoratui exercendo per proprios actus deſerviũt, vt duo meatus patentes, per quos externi odores ingrediuntur ſenſorium.

3 *IVXTA* Oculorum concava, & in ſummo naſi, eſt quoddam os ſpõgioſum, foraminoſumque, in quo ſimul coeũt prædictæ foraminum viæ ad cerebrum, palatum, & ad nares. Iuxta idem os ſunt ex vtroque latere duæ caruncvlæ papillares, quæ & mamillares dicuntur, quòd mamillarum ſimilitudinem referant. Veſtiuntur autem illæ quàdam tunica continuata & extenſa per eadem foramina vſque ad palatum & guttur. Sunt præterea duo nervi, vt in viſu, & auditu, à cerebro continuati vſque ad ipſas caruncvlas, quibus ſpecies aſcendant ad cerebrum, & ſpiritus animales ab eo in odoratum deſcendant.

4 *DVBIVM* Autem eſt, in quanam parte ex enumeratis reſideat ſenſorium, ſeu vis odorãdi. Averroes apud Conimbricenſes *lib. 2. c. 9 q. 4.* eam poſuit in membrana narium: idemque ferè tuentur Valles, & Suarez *lib. 3. de Animâ cap. 23.* quatenus docent reſidere in interiori parte naſi. Alij diverſas partes aſsignant. Verior autem & cõmunis ſententia eſt, quæ tradit potentiam odorativam eſſe in parte ſuperiori & propinquiori cerebro; ſcilicet, in caruncvlis mamillaribus, quà parte vniuntur nervis illis a quibus dependent. Eſt etiam conformior Ariſt. *lib. de Senſu & Senſili cap. 2.* vbi tradit, inſtrumentum odoratus eſſe circa cerebrum: idemque confirmat S. Th. eo loci *lect. 3.*

5 *ET* Probatur, quia in nullo alio melius collocari potuit vis odorandi. Nõ enim in aliqua parte naſi, quoniam toto eo abciſo adhuc quidam odorantur. Inſuper neque in oſſe ipſius cribroſo: quia iuxta Ariſt. in præſenti *lib. 1. c. 5. textu 79 & lib. 3. cap. 12. t. 66.* illud eſt expers ſenſus, quoniam eſt materia valde dura, ac proinde inepta ad ſenſionem odorandi, quæ eſt operatio ſubtilis. Neque etiam in tunica: quia hæc extenditur vſque ad linguam, aliaſque partes, quibus nulla vis odorandi eſt. Neque in cartilagine: quia ſic non eſſet opus reſpirandi interiùs ad olfaciendũ, ſed in ipſo narium ingreſſu fieret odoratus. quod abſurdum eſſe, experimento patet, monetque Ariſt. *lib. 2. cap. 9. textu 98.* Nec tandem in ipſo cerebro, vt voluit Galenus *lib. 8. de Vſu part.* quia cerebri ſubſtantia non eſt immediatè apta ad obeunda munia externorum ſenſuum. Deinde quia halitus odoriferi tandem commeant in cerebrum: ideoque oportet vt priùs exiſtat ſenſus eorum explorator, qui diſcernat bonum halitum à malo, ne hic ſubitò nocumentum inferat cerebro. Quare reſtat vt in caruncvlis mamillaribus fiat. Illæ etenim videntur aptiſsimæ ad percipiendum odorem: tum, quoniam ſunt ſpongioſæ, & facilè moventur à reſpiratione, eaque poſita odorem ſpirantem percipiunt: tum etiam, quia ex propinquitate ad cerebrum prævalet in ijs frigidum & humidum, vt patet ex aſsiduo fluxu humoris mucoſi; atque adeò aptiſsimæ ſunt ad percipiendum odorem, qui eſt qualitas ſicca & calida, ſeu oritur ex calida & ſicca exhalatione, vt inferiùs patebit. Et quemadmodum vtraque præcedenti diſputatione dictum eſt, potentias videndi & audiendi non eſſe plures in quolibet animali, ſed vnicam, ideoque non debere collocari in duplici ſubiecto, ſed in vnico, ſcilicet, in nervis, qua parte in vnũ cbeũt; ſic etiam dicendum de auditu eſſe vnicũ,

ac

ac proinde reſidere in carunculis mamillaribus quà parte vniuntur nervis illis a cerebro deſcendentibus. Similiter & ſicut ibidem dictum eſt, organum viſus ex ſe carere colore, & auditus ſono, vt poſsint diſcernere omnes differentias colorum & ſonorum: ita etiam nunc dicimus, carunculas mamillares eſſe quaſi naturę aqueę, non quatenus perſpicuæ, quà ratione ſpectat ad viſum; ſed quatenus frigidæ & humidæ, in eo temperamento, vt poſsint immutationem ſubire à calido & ſicco exhalationum odoriferarum, ad quorum vtrumque mamillæ erant in potentia.

6 *MEDIVM* Odoratus, ſicuti & aliorum ſenſuum, eſt duplex: vnum extrinſecum, per quod defertur odor ad nares: aliud intrinſecum ſenſorio. Extrinſecũ dicimus eſſe non ſolùm aèrem, ſed etiam aquam. Ita Ariſt. 2. *de Anima cap.* 9. *textu* 97. illis verbis: ἔστι δὲ καὶ ἡ ὀσφρησις διὰ τοῦ μεταξὺ οἷον ἀέρος ἢ ὕδατος. *Fit autem olfactus etiam per medium, vt aèrem, aut aquã.* Idque probat experimento aſsiduo animalium terreſtrium, ad quorum odoratũ deferuntur odores medio aère; & aquatilium, ad quos mediante aquà. Piſcatores enim odore piſcium aſſatorum, & varijs ſalſamentis in aquam proiectis, attrahere ſolent piſces è profundo aquæ, vt illos capiant. Patet quoque intra lacunas, & circa fundum ipſarum, eſſe gravem odorem, qui exterius percipitur, non modò ex corruptione aquæ, ſed etiam ſi extrahatur, quæ corrupta erat, & nova infundatur. Animalia autem terreſtria nequeunt intra aquam percipere odorem aliquem, non quia ibi eſſe nequeat, ſed quia non poſſunt olfacere, niſi reſpirando aèrem: quod intra aquam præſtare nequeunt. Cauſam verò aſsignavit Ariſtot. quia ſine reſpiratione elevari nequit quædam membrana, quæ operit intus olfactum, ideoque manet clauſus perinde atque oculus demiſsis palpebris. Contrà autem Galenus vbi ſupra negat exiſtere membranam eiuſmodi, ſive operculum: aſſeritque ideo à terreſtribus non percipi odorem intra aquã, quia abſque reſpiratione nequit pervenire odor ad ventriculum cerebri, in quo ipſe odoratum conſtituit. Sed reijcitur: quia cũ ſenſorium odoratus non ſit clauſum in eius opinione, neque opertum tegumento aliquo, poterunt odores, aut ſaltem ſpecies illorum permeare vſque ad ſenſoriũ odoratus abſque reſpiratione, ſicut permeant cætera ſenſibilia propria ad reliquos ſenſus independenter ab ea. Stãdum igitur eſt rationi & doctrinæ Ariſt. circa membranam illam.

7 *VERVM* Quid dicendum erit de ijs animalibus, quæ plerumque in aquis viuunt, ſed tamen ſæpe ex ijs egrediuntur, & reſpirant; vt delphini, crocodili, ranæ, &c. *RESP.* eiuſmodi animalia carere præ dicto operculo: vt ſine reſpiratione odorentur intra aquas, & extra illas reſpirẽt, olfaciantque independenter ab eo. Neq; exiſtimandum eſt illud eſſe ita expanſum ſupra odoratum, ſicut ſunt palpebræ ſupra oculos; aut elevari poſſe ab externo aère: ſed potiùs exiſtere in eadem via, quà externus odor introrſus tendit: nam quia arcta eſt, & per reſpirationem dilatari poteſt, dicitur eſſe operculum odoratus; & dum comprimitur, quaſi tegit; dum autẽ dilatatur, dicitur elevari: ideoque nequit elevari ab aère, ſed ab ipſo animali mediante reſpiratione.

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones in oppoſitum ſolutæ. Vbi an in Odoratu ſint ſpecies intentionales neceſſariæ, an ſufficiat potiùs realis odorũ ſenſorium perueniens?

8 *OPPONES I.* Ineptas videri carunculas mamillares vt in ijs collocetur ſenſorium odoratus. Illud enim debet reſidere in eo organo, quod maiorem affinitatem habet cum obiecto odorabili, ac proinde cum calido & ſicco, ex quibus generatur odor, & mittitur media exhalatione fumoſa. At carunculæ mamillares non habent affinitatem cum obiecto odorabili, ſicut neque cum calido & ſicco: ſed longè magis participant de frigido & humido, quoniam ſunt prope cerebrum. Ergo odoratus non reſidet in carunculis mamillaribus. *Confirm.* Quia malè videtur à nobis cum Ariſtot. inferri, organum odoratus debere eſſe frigidum & humidum, vt ſit in potentia ad calidum & ſiccum, ex quibus proficiſcitur odor: nam potiùs debet eſſe calidum & ſiccum, vt ſuo obiecto proportionetur: & præterea ſenſus ſolùm debet eſſe in potentia ad ſpecies intentionales ſui obiecti recipiendas, non autem ad ſubeundam alterationem ſeu mutationem realem ab ipſo: ſiquidem non actuatur ab obiecto ſecun-

cundùm eſſe naturale, ſed intentionale tãtùm. Non ergo organum odoratus debet eſſe in potentia ad calidum & ſiccum, ſed ad ſpecies calidi & ſicci tantùm.

9 *RESP.* Senſorium odoratus, ſicut & aliorum ſenſuum, debere exiſtere in eo ſubiecto, quod cum obiecto habet maiorem proportionem, non quidem ſimilitudinis, ſed receptionis, qualis requiritur inter activum & paſsivum: ideoque ſuperioribus tradidimus, organum viſus debere eſſe perſpicuum, & auditus immobile, vt ambo ſint in potentia ad omnes colores & ſonos. Quare mamillares caruncule, vel eo ipſo quod careãt calido & humido, aptiſsimæ ſunt, vt exiſtant in potẽtia paſsiva ad calidum & humidum, ex quibus odor proficiſcitur: alioqui enim non poſſent illud percipere, vel ab eo immutari: ſicut nec viſus, nec auditus, poſſent percipere differentias omnes colorum, ſonorumque, ſi aliquem illorum præcontinerent. *AD Confirm.* negatur aſſumptum: quia proportio ſenſus ad proprium ſenſibile, eſt paſsivi ad activum, ideoque nequit ex ſe præcontinere actualitatem, ſeu perfectionem illam, quam participat ab obiecto. Dum autem inſtatur, quia ſenſus ſolùm eſt in potentia ad obiectum ſecundùm eſſe intentionale; dicimus, ita eſſe, loquendo de potentia, quatenus præciſè potentia eſt. Cæterum loquendo de illa in ratione organi diſpoſiti, etiam debet carere qualitatibus realibus ſui obiecti, & eſſe in potentia paſsiva ad illas: ſicut viſus & auditus in ratione organorum debitè diſpoſitorũ debent carere realibus qualitatibus coloris & ſoni. Alioqui enim omnes ij ſenſus ſubirent impedimentum ad percipiendum ſenſibile proprium, ſive obiectum vniuſcuiuſque.

10 *OPPONES II.* Odorem debere diffundi ad odoratum, non intentionaliter, ſed realiter. Odor enim non percipitur in inſtanti, ſed aliquanto poſtquam emittitur fumoſa exhalatio: ſpecies autẽ intentionales deferuntur in inſtanti, quia omni contrario carent. Ergo odor non diffunditur in odoratum intentionaliter, ſeu mediantibus ſpeciebus, ſed realiter. Ideoq; in odoratu nullæ ſunt ſpecies odoris. *Confirm. I.* Nõ enim requiritur fumoſa exhalatio ex parte odorabilis: tum quia in aquis & luo aquis percipitur odor, vt ſuperius diximus, & tamen ibi nulla fumoſa exhalatio eſt: tum quia alias res odorabiles exiguæ citò amitterent odorem: quia quandiu illud habent, exhalant ipſum, atque adeò brevi abſumerentur. quod patet eſſe abſurdum. Ergo neque res odorabiles emittunt ſpecies ad ſenſus media fumoſa exhalatione. *Confirm. II.* ab experimentis. Cerebrum enim reficitur odoribus ſuavibus, lædituir autem gravibus. Ergo non recipit in ſe odorem intentionalem, ſed realem, quia ſolus hic poteſt alterare phyſicè, ſeu bene aut malè afficere ſubiectum. Præterea experimur, ventum ex adverſo flantem auferre odorem à ſenſu, è contrà deferre vbi flat recta ad ſenſum via. At ventus nec auferre poteſt odorem intentionalem, qui nullum ab eo ſubſidium mutuat, vel impedimentum patitur. Ergo nec ad ſenſum deferrur, nec ab eo aufertur niſi odor intentionalis. Denique, animalia non aliter attrahunt odorem, quàm reſpirando. At reſpirando non attrahunt niſi odorem realem: nam intentionalis ſolùm traijcitur actione emanativa, & ſubtiliori, quàm ſit ipſa reſpiratio. Ergo animalia ſolùm odorantur attrahendo odorem realem, non autem intentionalem.

11 *HÆC* Obiectio tangit illam difficultatem, in qua diſquiritur, an odoratus percipiat ſuum obiectum mediis ſpeciebus, an potius immediatè. In qua dicendum eſt, ſicut *diſput. præced. ſect. 5.* neceſſarias eſſe ſpecies odoris, quæ ad ſenſorium deferantur, vice obiecti. Ratio autem deſumitur ex ratione generali ſenſuum, quæ ibidem *n.* 31. prolata eſt ex D. Auguſtino: tum & ex pluribus alijs, quas ſubijcimus progreſſu huius tractatus. Mõ do ſufficiat id ſuadere, quia olfactio, ſicut vniverſim omnis notitia, fieri debet medio ſemine obiecti recepto in vtero potẽtiæ, eamque fecundante, vt fiat in eſſe intentionali idem cum illo. Ergo requiritur ſpecies aliqua vicaria odoris, qua mediãte id præſtetur in odoratu. Aliunde etiam ipſe odor ſæpe ſentitur, quin realiter perveniat ad ſenſorium ipſum, ſed procul ab eo ſit, aut vix ad limina narium pertingat, vel fumoſa exhalatio, vel odor realis ab eà delatus. Ergo tunc ſaltem fatendum eſt odorem ſolùm percipi mediante ſpecie. Quare hanc ſententiam tuentur frequenter Philoſophi, non Thomiſtæ ſolùm, vt Caietanus, Bañez, Ioannes à S. Thoma, & Complutenſes; ſed etiam pleriq; alij, vt Suarez, Conimbricenſes, Rubius, Toletus, Tellez, & Sancta Crucius in præſenti lib.

lib. 2. ad cap. 6. contra Dandinum 2. *de Anima digreſſione* 51. Oviedum, Hurtadum, & Arriagam, alioſque Recentiores, oppoſitum exiſtimantes. Noſtram ſententiam expreſsè tuetur S. Thomas pluribus locis legendis apud Alamanium hic *quæſt.* 73. quibus exſcribendis ſupersedeo. His poſitis,

12 *RESP.* Negando antecedens: quia eſto aliquando ipſe realis odor ingrediatur ad ſenſorium ipſum, de quo infrà, adhuc opus eſt ingreſſu ſpecierum odoris, quæ fœcundent tubercula, ſeu mamillares carunculas. Egent namque ad actũ odorandi ſubtiliore qualitate, quam ſit ipſe realis odor, ac proinde ſpecie intentionali ipſius. Ad probationem conceſſa priore antecedentis parte negatur poſterior: quia licèt ſpecies odoris non habeant contrarium, fiunt tamen dependenter ab alteratione, ſive motu ſucceſsivo, ideoq; non mittuntur ad potentiam in inſtanti, ſed tempore ſucceſsivo: vt dictum eſt à ſimili de ſpeciebus auditus *diſput. præcedenti num.* . & in hoc differunt a ſpeciebus viſualibus, quæ momento temporis traijciuntur ob rationem oppoſitam. *AD I. Cõfirm.* nego antecedẽs, de quo inferiùs. Neque oppoſitum ioidem probatur: quin potius videmus aquam calefactam à fundo in lebete exhalari, attenuatamque aſcendere, ſive vitrute Solis, ſive ignis. quod ſine exhalatione fieri nequit. Res autem odoriferæ, ſi minutæ ſint, verè per fumidas exhalationes amittunt odorem, niſi præterea adſint cauſæ conſervantes illũ; qualis eſſe ſolet multitudo ſimilium corpuſculorum adiuncta, quoniam ſingula mutuò ſe adiuvant.

13 *AD II. Confirm.* ab experimentis deſumptam, dicimus ad primũ illorum, quandoque odorem eſſe vſque adeò vehementem, vt perveniat realiter ad ipſum cerebrum, & proinde illud alteret phyſicè, & lædat: ſed tunc etiam ſimul cum odore ipſo defertur ſpecies odoris, ſine qua non poſſet fieri ſentio ipſa odorãdi in organo. Plerumque verò realis odor non pertingit ad ipſum ſenſorium, ſed exteriùs manet, vel in ipſo narium aditu; & tunc, ſi bonus eſt, recreat & confortat ſenſorium; ſi autem gravis, lædit. Ad ſecundum experimentum negatur minor: quia ſicut ſpecies odoris in prima ſui productione dependent ab alteratione & motu, ita etiam in delatione ad ſenſum. Deferuntur enim & multiplicãtur medio motu aèris ad nares, & velociter quidem vbi ventus rectà via eas defert: ſi autem ventus ſit adverſus, non deferuntur ad nares, ſed aliorſum divertunt, & diſſipantur; ſicut & ſpecies ſonorum, vbi ab aère in autem vehuntur. Ad vltimum dicimus animalia reſpirantia trahere odorem ad ſe, quia attrahunt aèrem, a quo ſpecies deferuntur ad ſenſorium; non autem quia attrahant ad ſe ſpecies odoris, quæ ſecundũ ſe non pendent à reſpiratione vt trahantur, ſed naturaliter per aèrem & aquam feruntur ad odoratum animalium reſpirantium, ſicuti & non reſpirantium. Cauſam verò vt priora egeant reſpiratione ad olfaciendum, iam ſuprà *num.* 7. indicavimus ex Ariſtotele in præſenti *textu* 100. & D. Thoma *lect.* 20. quia animalia reſpirantia, vt olfaciant, debent elevare membranam, ſive operculum illud odoratus, vt tranſeant ſpecies ad ipſum; quemadmodũ oportet oculorum palpebras elevari, vt ſpecies viſuales traijciantur ad viſum. Nõ tamen propterea odoratus, vtrorumque animalium ſpecie eſſentiali differt: quoniam diſcrimen illud operculi, aut carentiæ ipſius, valde accidentale eſt: ſicuti & accidit oculis, quòd palpebris obtegantur, vt in terreſtribus animalibus, aut non obtegantur, vt in aquatilibus.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit odor, qui eſt proprium obiectum Odoratus, an ſubſtantia exhalationis fumoſæ, an potiùs qualitas, & quænam?

14 CVM Odor in omni ſententia ſit obiectum Odoratus, idquod ad ſenſum pateat, potiùs ſupponendum eſt, quàm probandum. Reſtat igitur exponendum, in quo ille conſiſtat. Heraclitus apud Ariſt. *lib. de Senſu & Senſili cap. 6.* Plato *in Timæo*, Theophraſtus *libr. 6. de Cauſis Plantarum*, Galenus *lib. de Olfactus inſtrum.* Avicenna *lib. 6 Natur. p. 2. c. de Odore*, alijque nonnulli è Veteribus, opinati ſunt illum conſiſtere in ſubſtantia fumidæ exhalationis. Idque videtur multipliciter ſuaderi. *Primò* ex Ariſt. *in Problem. ſect.* 13. *q.* 5. vbi docet, odorem eſſe halitum, ſeu exhalationem, aut vaporem quendam: ideoque corpora maiorẽ emittere odorem dum calent, quàm dum frigent;

gent; quoniam calor in cauſa eſt, vt exhaletur vapor; frigus verò è contra facit, vt corpora conſtringantur, ideoque nullum vaporem emittant. Ergo odor in nihilo differt à ſubſtantia fumidæ exhalationis, ſive vaporis ex mente Ariſt.

15 *Secundò* id ipſum videtur ſuaderi ab effectis. Nihil enim nutrire poteſt, confortare aut offendere cerebrum, exhilarare ſpiritus, aut extenuare ſubſtantiam rei, niſi ſit ſubſtantia. Atqui odor ea omnia præſtat. Multi enim hominum inventi ſunt ſolo odore vitam nutrientes, vt Attomi ad extremos Indiæ fines circa fontes Gangis; qui iuxta Plinium *lib.* 2. *cap.* 21. & Strabonem *lib.* 16. alioſque plures, ſolo odore ex floribus & pomis attracto vitam ſuſtentabant. Vita autem hominis ſuſtentari, ſeu nutriri nequit, niſi media adquiſitione novæ ſubſtantiæ. Iam verò quòd cæteros effectus nuper indicatos præſtet, facilius probatu eſt ab experimento. Recreatur enim cerebrum ſuavi odorum fragrantia, & malè habet tum ab odore vehementi, tum & a fœtore. Strabo vbi nuper tradit Sabæos odoribus ſtupefieri. Plutarchus *lib. de Præceptis Connubial.* teſtatur, feles olfactu vnguentorum in furorem agi. Lævinus *lib.* 2. *de Occultis Naturæ Miracc.* auctor eſt, in quibuſdam terris delirium induci ex odore fabarum florentium. Denique extenuari quandoque odorum exhalatione ſubſtantiam rei, aut corrumpi, patet in ipſis rebus odoriferis, quæ aſſidua odorum evaporatione flaccefcunt & diſſipantur.

16 *VERVM* His non obſtantibus, certa & explorata ſententia eſt, odorem non conſiſtere in ſubſtantia fumidæ exhalationis, & vaporis; ſed potiùs qualitatem accidentalem, realiter inhærentem corpori, aut ſubſtantiæ odoriferæ, ſive hæc ſit corpus ſolidum, ſive halitus tenuis. Ita expreſsè docet Ariſtoteles lib. allegato *de Senſu & Senſili cap.* 5. vbi contrariam opinionem refutat, ſicut & D. Thomas *ibidem lect.* 12. ac cæteri Philoſophi communiter. Et ſuadetur experimento manifeſto rerum odoriferarum, quæ ſolent manere integræ quò ad ſubſtantiam, & abſque vlla diminutione ſenſibili in illa, quamvis aſſidua exhalatione totum odorem, quem habebant, amiſerint. Ergo odor quid diſtinctum eſt a ſubſtantia rei odorabilis. Deinde patet in accidentibus Euchariſticis conſervari antiquum odorem panis & vini; cùm tamen certum ſide ſit nullam vtriuſque ſubſtantiam ibi adeſſe. Denique ratione idipſum evincitur: Quia obiectum odoratus, ſicuti & aliorum ſenſuum, debet eſſe aliquid ſenſibile proprium, & per ſe. Ergo non ſubſtantia, quæ tantùm eſt ſenſibilis per accidēs; ſed qualitas per ſe ſenſibilis, quæque ſenſum odoratus ſpeciatim immutare poſsit. Hæ autem nulla alia eſt, quam odor. Ille igitur qualitas eſt, non ſubſtantia.

17 *ORITVR* Verò qualitas hæc, quemadmodum & aliæ ſecundæ qualitates, ex temperamento quatuor primarum. Verùm ita, vt in eo temperamento ſiccitas prævaleat humiditati: oppoſito, ſcilicet, modo, quàm in vaporibus, in quibus humiditas prævalet ſiccitati. Idque experimento patet: quoniam res odoriferæ potiſsimùm redolent, vbi calore aliquo æſtatis aut ignis exſiccantur: ideoque aromata frequenter generantur in ſiccis & aduſtis regionibus, vt Arabia, Æthiopia, & partibus calidioribus Indiæ, tum Orientalis, tum & Occidentalis. Fumea quoque exhalatio, per quam defertur odor ipſe, in primis ſicca eſt, & exſiccare ſolet. Quamvis autem ſiccitas in odore primas ferat, non debet totaliter vincere & extenuare humidum: nam quæ nimiùm ſicca ſunt, & nullius penè humiditatis, vt oſſa, cineres, & terra, non redolent: ſi autem leviter aſpergantur aqua mittunt odorem aliquē. Ergo quia hic ita exigit ſiccitatem, vt tamen humiditas non nimiùm extenuetur. Idem planè conſtat, facta contrapoſitione inter aurum ex vna parte, & æs ac ferrum ex altera. Illud enim, quoniam propter nimiam duritiem ſuam caret humiditate, nullum mittit odorem: reliqua verò aliquē præſeferunt propter oppoſitam cauſam.

18 *PRÆTEREA* In odore calor debet prævalere frigori, ad digerendum humidum ſive decoquendū, quò ſic res odorifera diſponatur ad debitam ſiccitatem. Quare quæ calidioris tēperamenti ſunt, plus odoris efflant, ſeu ſuavis, ſeu ingrati; & regiones ſuperiùs indicatæ, atq; aromatū feraces, ſicut ſiccitate, ſic & calore climatiis præſtāt cæteris. Semina quoq; calidiora eſſe odorifera tradit Ariſt. in *Probl. ſect.* 12. & quidam agriculturæ dediti obſervarunt roſas, ſi plantentur iuxta allia, fragrantiores naſci propter vicinitatē caloris, qui in allijs prævalet. Ex quib⁹ omnibus eruitur definitio odoris communiter recep-

recepta, vt sit *qualitas ex temperamento primarum qualitatum resultans, siccitate prædominante humiditati, & calore humidum decoquente.*

19 *HÆC* Tamen definitio generica est, quoniã convenit pluribus odoribus specie distinctis, qui tamen ob defectum seu penuriam propriorum nominũ, appellari solent translatitijs saporum nominibus, vt observat Ar. 2. *de Anima c.* 9. *textu* 95. dum ait: ἀλλ' ὥσπερ εἴπομεν, διὰ τὲ μὴ σφόδρα διαδήλους εἶναι τὰς ὀσμὰς ὥστ' ὥσπερ τοὺς χυμοὺς ἀπὸ τούτων εἴληφε τὰ ὀνόματα καθ' ὁμοιότητα τῶν πραγμάτων, &c. *Nam quia odores non sunt, vti diximus, manifesti perinde atque sapores, ideo nomine odorum deducta sunt à saporibus per similitudinem rerum. Alius enim est dulcis, vt crocus melliſque; alius acer, vt thymi, & huiusmodi rerum; idem & in cæteris modus servatur.* Verùm non ideo colligas, semper se invicem comitari odorem dulcem & saporem dulcem, aut amarum & amarum, &c. sed solùm quandoque: nam interdum etiã oppositio modo se habent, vt in eadem rosa, pluribusque alijs, odor dulcis seu suavis, & sapor amarus. Denominationes quippe odoris variæ penes dulcem, amarum, acrem, acerbum, pinguem, &c. desumuntur iuxta diversum modum, quo benè aut malè afficiunt odoratum: vt contingit in saporibus relatè ad gustum. Sunt verò præter odores simplices ac naturales rerum, alij artificiales, ex mixtura plurium rerum odoriferarum confecti à Pigmẽtarijs & Pharmacopolis, qui proinde non sunt qualitates simplices, & vnius speciei per se, sed plurium, aut entia per accidens. Ex quanam verò speciali primarum qualitatum mixtione vnusquisque odor proveniat, res valde arcana est scitu, & quæ totam vnius Philosophi curam explere possit circa odores, quemadmodum & circa sapores, ac colores. Consulendus Aristot. *lib. de Sensu & Sensili lect.* 9. apud D. Thomam, qui ibidem agit de quibusdam speciebus odorum.

(*)

SECTIO QVARTA.

Argumenta præcipua in oppositum soluta.

20 *AD* Argumenta in oppositum haud difficulter respondeti potest. *AD I.* ex Arist. dicimus, odorem non solùm esse in corpore odorifero, sed etiam in fumosa exhalatione ab eo prodeunte, quæ est pars aliqua tenuior eiusdẽ corporis, resoluta in vaporem, & secum deferens aliquid odoris. Quando igitur Aristoteles eo Problematum loco dixit, odorem esse halitum, seu vaporem quendam, non est locutus de halitu forma liter, quasi sit in substantia & forma idem cum odore; sed subjectivè tantùm, prout halitus est subiectum, in quo recipitur, & defertur odor: quemadmodum eodem libro Proolematum *sect.* 11. *q.* 45. dixit, vocem esse aerem quendam. quod tamen solùm subiectivè verum est, quatenus aèr est subiectum deferens vocem.

21 *AD II.* Nihil eorum, quæ in argumento assumuntur, verificari potest de odore in abstracto, cùm ille naturaliter existere nequeat, nisi in subiecto, quod est, vel ipsum corpus odoriferum, vel fumea exhalatio, in qua defertur ad sensorium. Quare si forte odor vim habet nutriendi aliquos sine vllo cibo (quod plerique fabulosum arbitrantur) id directè non præstat ratione sui, sed substantialis exhalationis, in qua vehitur ad sensum, & quæ convertatur in substantiam alitivi. Similiter & exhalatione illa odorifera confortatur cerebrum, præstanturque cæteri effectus in obiectione memorati, & per illam dissipabitur totus quantus odor est in re odorifera, si multùm odoris secum exhalatio deferat, aut diu continuetur. Tunc verò solùm id, quod est tenue, & fumosæ naturæ in re odorabili, dissipabitur, cætera substantia manente, vt *n.* 16. præmissimus.

22 *ADHVC* Tamẽ difficultas est circa ea quę a *n.* 16. diximus circa odorẽ, vt quod sit qualitas secunda, in qua prevaleat siccitas humiditati. Hoc enim apparet difficile: quoniã multa corpora odorifera prævalẽt in humiditate, vt aquæ alãbico distillatæ; muscũ ex sanguine cuiusdam feræ cõpactum; ambarum, quod vel est sperma ceti, vel ex aliqua humida substantia maris ortum; zibettum quoque ex quorundam felium humore procreatum. Ergo non opor-

oportet odorem reſultare ex temperamẽto primarum qualitatum, in quo ſiccum prævaleat humido; cùm omnia prædicta ſint valde odorifera, & tamen in ijs prædominetur humidum ſicco. *Confirm. I.* Nonulla enim ſimul ſunt excellentia in ſapore atque in odore, vt vinum generoſum, & mel merum albumque, quæ proinde ratione ſaporis expoſcũt humidum in præcellenti gradu. Ergo in ijs rebus aliunde odoriferis ſola prævalet humiditas, non autem ſiccitas. *Confirm. II.* Quia nec odor eſſe poteſt ſecunda qualitas: quoniam ſecundæ qualitates non ſe communicant, vt patet in colore, gravitate, & levitate, alijſque quã pluribus, quæ non habent ſe multiplicare, aut producere ſibi ſimile. At color eſt communicativus ſui: tum quia medio cõtactu rei odoriferæ imprimitur extraneo ſubiecto: tum, quia dum exit a corpore odorifero ſe multiplicat aſſiduis gyrationibus, vt præcedentibus diximus de ſono reali relatè ad auditum. Ergo odor non videtur qualitas ſecunda.

23 *RESP.* Veram adhuc eſſe doctrinam præiactam, non obſtantibus, quæ in eam objiciuntur. Odorifera enim corpora, quæ in argumẽto memorantur, quãvis præcipuè humida ſint, continent in ſe qualitates aliquas ſiccas, ex quibus evaporatur odor: ſicuti pleraque animalia, quãvis conſtent carne ſapida guſtui, continẽt in ſe amariſſimum fel; & mare, quamvis præcipuè humidum, ac frigidum ratione aquæ, conſtat qualitatibus ſiccis & aduſtis vi quarum ſalſum eſt. Si autem roges, cur res prædictæ maiorem odorem emittant eminus, quàm cominus poſitæ, & cur ambarum ac zibettum in magna quantitate non videantur ſuavem, ſed potius gravem odorem emittere? *RESP.* rationem eſſe, quia ea corpora abundant terreſtribus exhalationibus, quæ dum in ijs ſunt, conſtipantur, ideoque non facilè locum præſtant, vt vapores inde orti ſtatim fragrantiam emittant. Vbi autem procul exeunt vapores, extenuantur exſiccãturque a calore, & ſic magis redolent. Quòd autem ambarum aut zibettum in magna copia, gravem odorem efflare videatur, provenire poteſt ab ijſdem terreſtribus exhalationibus, quibus abundant; aut ex nimia humiditate, aliave ſimili cauſa. *AD I. Cõfirm.* Quæcumque inveniuntur ſimul ſapida & odorifera, & per conſequens ſicca & humida in gradu præcellenti, id habent ſecundum partes diverſas, ſeu qualitates: quarum quæ vim habent exhalandi odorem, præſtant in ſiccitate; quæ autẽ ſaporem mittunt, in humiditate prævalẽt. *AD II. Confirm.* Non eſt contra rationem ſecũdæ qualitatis, quòd ſe ipſam multiplicet in gyrum, vt patet in ſapore, & ſono; quãvis nonnullæ aliæ, vt memoratæ in obiectione, nequeant ſe multiplicare. Quare licèt odor ſit ſecunda qualitas, adhuc locus eſt vt ſe multiplicet. Idque præſtat vel ratione ſui, vel ſaltem ratione primarum qualitatum quibus conſtat & prævalet.

SECTIO QVINTA.

DE GVSTV.

24 NVNC Etiam quæ ad Guſtum propriè ſpectant, breviter libanda & dirimenda ſunt: quoniam pleraque illorum ferè à ſimili tradita fuerint præcedentibus.

SVBSECTIO PRIMA.

Diſtinctio Guſtus à Tactu, eiuſque propria ſtructura, & ſubiectum, ac diſpoſitio neceſſaria.

25 PRIMO Statuenda eſt realis diſtinctio guſtus a tactu, quidquid aliqui negent: quoniam conſtat diſtincto organo, & præſtat diverſos actus atque in ordine ad obiectum longe aliud. Diſtinctũ eſſe organum patet, tum ex ſtructura guſtus mox expendenda, tum etiã, quia non vbicumque reſidet tactus, eſt etiam guſtus; ſed ille per totum ferè corpus eſt diſperſus; hic vero reſtringitur ad certã corporis partem. Eſſe diſtinctos actus, cõſtat, quia alia eſt delectatio quam percipimus guſtando ſapores, ac tangendo res quaſlibet, ſive ſapidas, ſive inſipidas. Obiectum quoque eſt diverſum: quoniã guſtus verſatur circa ſapores, vt amarũ, dulcem, &c. tactus vero circa temperaturas primarum qualitatum, vt calidum & frigidum, durum aut molle, læve & aſperum. Modus denique operandi vnius & alterius diſſidet: quoniam actus guſtandi ſit per applicationem rei ſapidæ cùm mixtione aliqua humiditatis aut ſalivæ in lingua; actus verò tangendi per ſolam applicationem ſimplicem tactus ad rem tangibilẽ, ſine commixtione aliqua.

26 Neque obstant nonnulla testimonia Arist. in quibus videtur innuere oppositum: vt in præsenti *lib. 2. c. 9. textu* 94. vbi inquit: ἀλλ' ἀκριβέστερον ἔχομεν τὸν γεῦσιν, διὰ τὸ αὐτὸν εἶναι ἁφῆς τινὰ, ταύτην δὲ ἔχειν τὸν αἴσθησιν τὸν ἄνθρωπον ἀκριβεστάτην. *Verùm exactiorem gustum habemus, quàm odoratum, quia gustus tactus est quidam, quem homo exactissimum habet.* Respondetur enim cum D. Tho. ibidem *lect.* 21 *ad textum* 101. sensum Arist. solummodo esse, quod gustus sit quidam tactus per assimilationem, quatenus convenit cum eo in modo applicationis ad sentiendum per contactum realem sui obiecti: in quo differunt ambo à cæteris sensibus, quæ percipiunt sua propria obiecta, quamvis ea non tangant. Ideoque animalia quæ in tactu cæteris præeminent, etiam prævalent gustu, ob singularem vtriusque sensus affinitatem. Quare idem Aristot. infrà *cap.* 11. *textu* 112. *& lib. de Sensu & Sensili cap.* 4. planè vnam potentiam discernit ab alia. Sunt & aliæ expositiones, quæ videri possent apud Conimbricenses *in c.* 10. *q.* 2 *art.* 1.

27 *STRVCTVRA* Gustus ab Arist. describitur *lib.* 1. *Hist. Animal. c.* 11. *&* 12. his verbis, quamvis in ijs de elephanto loquatur. Est mamilla duplex, cuius pars prior mentum, posterior mandibula est. Movēt omnia animalia maxillam inferiorē, crocodilo fluviatili excepto: is enim vnus superiorem movet. Labra mox à naso habentur, earo permobilis. Quod autē intra maxillas & labra describitur, os est: cuius partes, palatum, & fauces. Inest pars sentiens saporem, lingua; vim istam sentiendi obtinens parte sui primoris: nam si interiore tangat, minùs sentiet. Omnia præterea quæ caro sentire potest, lingua etiam potest: vt durum, calidum, frigidū, sua quavis parte, sicut & saporem. Hæc aut lata est, aut angusta, aut mediocris, quæ quidem optima & explanatissima est. Item aut absoluta, aut cōstricta, qualis tortorum, balborumq; est. Carne soluta, rara, fungosa, lingua constat. Eius pars quædam lingula est. Bifida oris compago, tonsillæ: multifida, gingivæ appellantur. Carne hæc constant, intusque dentes ossei cohærent. Parte verò penitiore particula pendet: alia vuigera, venæ applicata, columella nomine, quæ si immodicè humefacta intumescat, inflāmeturque, nomine vuæ vocatur, & strangulat. Collum, quod inter pectus & faciem est, cuius pars prior guttur, posterior gula: quantumque colli ipsius cartilaginem priorem obtinens situm, vocem transmittit & halitū, id arteria nominatū est. At verò quantùm interiùs carneū spinæ præiacet, gula dicitur. Pars autem posterior colli extima, cervix appellata est. Hucusque Philosophus, qui ita de elephāto loquitur, vt tamen ea, quæ in cæteris animalibus perfectis ad gustum vtcunq; pertinent, vel illum circunstant, optimè describerit.

28 *ADDENDA* Sunt tamen nonnulla ex doctrina ipsius Arist. variis locis, & Anatomicorū, quæ rem magis explanant. Circū latera oris sunt dispositi dentes, gingivis carneis stabiliti: quorum anteriores sunt magis acuti ad scindendum cibū; posteriores autem magis lati, ad ipsum conterendum. Lingua vniuscuiusque animalis idoneo modo disposita est, ad propriam eius vocem efformandā, & mittēdam. Ad radicem ossis valido nititur. Parte sui inferiore illigatur faucibus, & quasi frænatur vinculo, ne nimium laxetur. Tota illa circūdatur tenui tunica, quæ per reliquas oris partes continuatur. Constat novem musculis motui inservientibus, tum ad efformandam vocem, tum ad convehendū cibum, tum ad facilitatem flexus; qui è quodam nervo ad motū ordinato ortum ducunt. Est tamen præter hunc alius mollior nervus specialim deputatus ad gustū. Denique ad radices linguæ sunt duæ glandulæ carneæ, quæ tonsillæ appellantur, earumque munus est ex humoribus generare salivam ad humectationē linguæ, sine qua ex cibo nulla delectatio capi posset.

29 *HIS* Statutis, explorata sententia est organum gustus generatim esse linguā, aut aliud ipsi æquivalens in ijs animalibus, quæ lingua carēt. Ita Arist. loco nuper allegato, *& lib. 2. de Part. Animal. c.* 17. & cū ipso cæteri Philosophi. Ratio est, quoniam eo instrumento discernuntur sapores secundùm propriam rationem, quod speciatim ad gustum pertinet. Verùm cùm in lingua plures sint partes, vt dictum est, dubitatur in quanam illarum resideat organum gustus, & quæ dispositio in eo sit necessaria ad gustandum.

30 *AD* Primum istorum dicimus, organū gustus residere in nervo illo molliori nuper explicato, qui quāvis per totā linguā extēdatur sufficienti modo vt à totā illa percipiatur sapor, præcipuè tamen

vire

vires suas exerit in cuspide linguæ. Ita S. Thomas *Opusc.43.cap.3.* Ratio est, quia organum gustus debet esse terreæ & siccæ naturæ, vt mox apparebit. Ergo nequit residere in carne linguæ, quæ est naturæ aqueæ, quoniam valde humida est, vtpotè fungosa & attractiva humiditatis, ideoque aptior ad rationem medij interni excipientis sapores & species eorum, quam ad eliciendum actum ipsum gustandi. Superest igitur vt resideat in nervo illo, qui mollior est, & subinde aptior ad eliciendum prædictum actum. Alter enim nervus cum musculis diserviens ad motũ linguæ, diversum munus habet, duriorque est, quàm requiratur ad eiusmodi sensationem. Porrò quamquam vis gustandi per totam linguam extendatur vsque ad fauces, & ipsius radicem, patet experimento, vivaciùs percipi sapores circa cuspidem linguæ.

31 *AD* Secundum dicimus, dispositionem necessariam in organo linguæ ad gustandum, debere esse siccum in actu, & humidum in potentia. Hæc etiam pars est D. Thomæ cum Arist. *lib. de Sensu & Sensili lect.9.* vbi inquit: *Sicut organum odoratus debet esse aqueum, vt sit in potentia ad siccũ, sine quo non fit odoratus in actu; ita etiam organum gustus debet esse terreum, vt sit in potentia humidum, sine quo non est gustus in actu.* Ratio eruitur ex ipso testimonio, & consectaria est principio sæpe à nobis expenso circa alios sensus: nimirum, quemlibet illorum ex parte dispositionum, quibus afficitur, debere esse indifferentem ad percipiendum omnes differentias sensibilis proprij, quod respicit vt proprium obiectum, ac proinde carentẽ actu qualitatib⁹ proprijs obiecti sui, & solùm in potentia illas habentem: ideoque neque in pupilla oculi est aliquis color, nec in auditu sonus, nec in odoratu siccitas odori cognata, sed humiditas actu. Ergo pariter, cùm sapori, qui est obiectum proprium gustus, sit cognata præcellens humiditas, consequens est vt organũ gustus actu illa careat, & prædominetur à siccitate. Verùm hæc nõ debet esse ignea, quæ adurit & absumit humidum, ideoque impedit delectationem gustus, vt patet in febricitantibus; sed terrea, quæ facilè recipit humidum, in quo formantur sapores.

SVBSECTIO SECVNDA.

Solvuntur argumenta eorum, qui censent organum gustus non residere in nervo, sed in ipsa lingua,

32 *OPPONES I.* Arist. *libr. de Sensu & Sensili* apud D. Thom. *lect.9.* illis verbis: *Gustus & tactus sensorium est cor, quia cor est calidissimũ, sicut cerebrum frigidissimum.* Ergo contra ipsius mentem constituimus sensorium tactus in nervo linguæ molliori. *RESP.* huic argumento etiam satisfacere debere pleroisque Recentiorum inferiùs allegandos, qui existimant sensorium gustus non esse nervum prædictum, sed carnem ipsam linguæ. Nos certè dicimus cum D. Thoma *ibidem*, sensum Aristotelis esse quòd sensorium radicale, non autem formale & proximum, gustus & tactus sit cor: quoniam hi duo sensus præ alijs tribus externis id speciatim habent, vt calor vitalis immediatè ijs proveniat à corde, queniam circa cor sentitur maximè dolor; cæteris autẽ non immediatè, sed mediante cerebro, quod visui, auditui, & odoratui, ministrat calorem vitalem priùs receptum a corde.

33 *OPPONES II.* Organum gustus debet in ea linguæ parte sola constitui, quæ maiorem habet convenientiã cum humido At non nervus, sed ipsa linguæ caro, habet maiorem conveniẽtiam cum humido. Ergo non nervus, sed ipsa linguæ caro, debet esse organum gustus. Maior constat: quia sine humectatione nullus percipitur sapor, ideoque ad gustandum sapores abundamus saliva, sine quo humore nullatenus gustarentur. Minor autem suadetur ex dictis suprà, & patet ad sensum: quia caro linguę fungosa est & naturæ aqueæ, in quà humiditas prædominatur; nervus autem ille mollior est naturæ terreæ, & proinde siccę. *Confirm.I.* Si in nervo illo consisteret organum gustus, hic vividior esset circa radicem, quã circa cuspidem linguæ, cuius oppositum suprà statuimus. Sequela probatur: quia nervus ille magis expansus & corpulentior est circa radicem linguæ, quàm circa cuspidem. Ergo & vividior esset ibidem gustus. *Confirm. II.* Quidam enim cibi sunt maximè sicci, præsertim si in pulveres redigantur, deserviuntque exsiccandis humiditatibus. Ergo ad gustandum illos convenientius est organũ humidum,

vt caro linguæ, quàm siccum, vt nervus. Quare ita existimant plerique Recentiorum, & plures alij Veterum, quos allegat & sequitur Aversa *q.* 54. *sect.* 10.

34 *NOSTRA* Tamen sententia expressa est S. Thom. tum loco suprà exscripto, tum & apud Alamanium *q.* 76. quam, præter Ioannem a S. Thoma *q.* 5. *art.* 5. & alios eiusdem Scholæ, tuentur Suarez *lib.* 3. *de Anima c.* 27. Rubius, Tellez Arriaga, & Sancta Crucius in præsenti *n.* 509. Iam verò ad argumentum negatur maior: quam non extorquet probatio, quoniam ex ea solùm colligitur, humectationem requiri in lingua & gustu, tanquam condimentum & dispositionem proximam cibi vt gustetur; non autem tãquam dispositionem ipsius organi intrinsecam, vt gustet. Potiùs enim requiritur actualis carentia earum dispositionum, quæ se tenent ex parte obiecti gustabilis, quarũ vna est ea humectatio, sive humiditas. *AD I. Confirm.* negatur sequela: quia licèt nervus sit magis expansus in radice, quàm in cuspide linguæ, non tamen est ibi ita temperatus ad gustandum cibum, sed potum tantùm. Nam, vt inquit Arist. *lib.* 4 *de Part. Animal. c.* 11. potus sentitur acriùs in interiori linguæ parte, licèt cibus in exteriori vividius sentiatur. Ratio autem videtur esse, quia nervus mollis linguæ circa radicem siccior est, quàm circa cuspidem, ac proinde magis delectatur frigido & humido potu, quam sola humectatione cibi longe inferiori. *AD II. Confirm.* Quilibet cibus, quantumvis aridus & siccus, habet sufficientem humiditatem, vt contineat saporem, amarum saltem: præsertim accedente humectatione salivæ, alteratur, & redditur proximè gustabilis, vt ex dicendis apparebit. Quare S. Thomas apud Alamanium vbi nuper, docet, bonum nutrimentum debere esse humidum & siccum, calore decoctum: quæ humiditas accessione salivæ perficitur, & disponitur ad delectationem in gustu generandam.

35 *ADDIT* Insuper ex mente Aristotelis, tot species præcipuas esse saporum, ac colorum, ac proinde septem. Colores autem præcipui sunt albus & niger; ac medij inter eos, purpureus, ruber, flavus, cæruleus, & viridis; sub quibus innumeri alij continentur. Ita & sapores primi duo sunt dulcis & amarus; & medij vtriusque, salsus, ponticus sive mordax, austerus, stipticus, & acutus, ad quos plurimi alij revocantur, & omnes quidem resultant ex varia commistione dulcis & amari.

SVBSECTIO TERTIA.

De speciebus intentionalibus, & medio ad Gustum requisito.

36 EX Dictis sectione secunda circa odoratum, & disputatione præcedenti circa necessitatem specierum in auditu, constat etiam in gustu necessarias esse species intentionales, medijs quibus percipiatur realis sapor, qui est obiectum gustus. Generatim enim verum est, ex obiecto & potentia edi partum cuiuslibet notitiæ, tum intellectualis, tum & sensitivæ, omnemque actum sensionis subtiliorem esse, quam vt fieri possit immediate ab aliqua purè materiali qualitate. Quod & vberiùs confirmabitur, atque ex professo, disputatione ventura. Verùm quemadmodum superioribus diximus de medio necessario deferendis speciebus ad vnumquemque sensum, ita & nunc vestigandum est an gustus egeat medio aliquo in id muneris destinato, & quodnam illud sit.

37 *PORRO*, quamvis in alijs sensibus distinxerimus duplex medium, vnum externum & purè contiguum organo, quamvis continuatum vsque ad illud, vt aërem & aquam, medijs quibus deferuntur species ad sensorium visus, auditus, & odoratus; aliud verò continuum & intimum; adhuc tamen dicendum est, gustum non indigere medio aliquo extrinseco & purè contiguo, sed tantùm intrinseco & continuo. Ratio est, quia licèt oporteat priùs humectari saliva cibum, quàm gustetur; adhuc humectatio ipsa non videtur medium directè institutum deferendis speciebus saporis; sed tantùm alterando cibo & sapori eius in ore per admissionem cum saliva necessariam percipiendo gustui. Immò & apparet non esse simpliciter necessariam aliquam humectationem media saliva, vt absolutè gustetur aliquid: quoniam si supra linguam febricitãtis saliva carentem mittatur vinum, statim illud gustat, sine alio medio extrinsecè interiecto, & percipit eius saporem. Quod si adhuc aliquis contendat salivam seu humectationem esse simpliciter necessariam

cessariam, & habere rationem medij extrinseci, parum interest an id affirmetur, an negetur.

38 *QVARE* Difficultas reducitur ad medium intrisecum organo, & ipsi continuum, quale illud sit. Hoc autem dicimus esse ipsam carnem linguæ superpositam nervo molliori, in quo suprà collocavimus sensorium gustus. Ita videtur cõstare ex Arist. qui in præsenti *lib.* 2. sic inchoat caput decimum: τὸ δὲ γευστὸν ἐστὶν ἁπλόντι, καὶ τοῦτ' αἴτιον τὸ μὴ εἶναι αἰσθητὸν διὰ τ μεταξὺ ἄλοτρίς ὄντ σώματ. *Gustabile autem est quoddam tangibile: atque hæc est causa, vt ipsum non sit sensibile per medium corpus externum.* Vnde desumitur ratio. Perinde enim se habet gustus ad suũ obiectum gustabile, ac tactus ad proprium obiectum tangibile: quoniam hi duo sensus, licèt absolutè differãt, sunt admodum similes in materialitate, atque adeo in necessitate contiguitatis, seu physici contactus cum suo obiecto. Vnde quemadmodum nemo tangit nisi rem contiguam, sic nec gustat, nisi quod linguæ contiguum est. Restat igitur, vt medium intrinsecum, quo gustus percipit sapores, sit caro linguæ continuata cum ipso organo, seu nervo molliori; qui, præsuppolita alteratione, seu permistione cibi cum saliva, percipit ac discernit eius saporem, media carne linguæ.

39 *OBSERVANDVM* Verò est, vt tacitam obiectionem præoccupemus, aquam si pura & elementaris sit, nullum saporem habere, ideoque gustari non posse, nisi peregrino aliquo sapore afficiatur. Ratio est, quoniam, vt supra monuimus, sapor non est prima qualitas, sed secunda, ex permistione primarum orta. At in puro elemento aquæ patet nullam esse qualitatem secundam. Patet igitur in eà nullum esse saporem. Quod vero aliquem communiter habeat, provenit ex impuritate terræ per quam fluit. nam si illa etiam defæcata esset, atque in ratione elementi impermixti consisteret, nullum exinde saporem traheret aqua. Quare insipida est, si quæquam *aqua virgo currit sub delectatione purissima*, vt loquitur quidam Veterum; & quæ apud Aristophanem *in Cereali* appellantur καλλιπάρθενοι ῥόαι, *pulchra & virginea fluenta.*

(?)

SECTIO SEXTA.

DE TACTV.

40 PRO Complemento eorum, quę ad sensus externos attinent, breviter quoque nunc agendum est de ijs, quæ speciatim Tactui conveniunt.

SVBSECTIO PRIMA.

An sensorium tactus sit in carne, an solùm in nervis per totum corpus extensis.

41 NON Est quòd immoremur sensui tactus quò ad structuram ipsius, vt in alijs: quia non est afflixus certæ alicui corporis parti, sed dispersus per totum illud, sive, per omnia membra, exceptis ossibus, quæ communiter existimantur omni sensu carere. Solùm præmittere oportet, ad structuram totius corporis, & singulorum membrorum, præter carnem (sub quà comprehendimus cutem, membranam, cartilaginem, & alia eiusmodi) concurrere ingentem copiam nervorum, quibus compago tota corporis texitur. Ij autem omnes à cerebro ducuntur, deserviuntque spiritibus animalibus ad totum corpus deferendis. Quemadmodum enim vehuntur ad cæteros quatuor sensus, propter obeunda ipsorum munia in certa aliquà sede corporis; ita etiam ad totum corpus deferuntur propter operationes proprias tactus, qui toto corpore dispersus est. Negari enim non potest in quocumque corporis membro esse vim tangendi, eo ipso quòd sit vis sentiendi, eamq; immutari ab obiecto tangibili. Quare dissidium præcipuum est, an sensorium, sive organum proprium tactus sit tota caro animalis, an solùm nervi per eam porrecti, seu extensi.

42 *IN* Qua re placet sententia docens proprium organum, sive subiectum tactus solùm in ijs nervis residere, non autem in carne, nisi tanquam in vehiculo, seu medio intrinseco deferente species ad sensorium, sicuti sect. præcedenti constitutum est, carnem linguæ non esse sensorium, sed medium intrinsecum gustus, residentis tantùm in nervo linguæ molliori. Ita expressè docet Arist. in præsenti *lib.* 2. *cap.* 11. *textu* 116. illis verbis: ὅλως δὲ ἔοικεν ἡ σὰρξ καὶ γλῶττα, &c. *Omnino au-*

autem sic caro & lingua sese ad huius instrumentum sensus (nimirum, tactus) *habere videntur, vt aër & aqua sese habent ad visum & auditum, atque olfactum. Atque nec ibi profectò* (scilicet in carne) *neque hic* (in lingua) *perceptio sensus fiet, cùm instrumentum sensus à re sensibili tangitur; vt quispiã super extremum oculi posuerit album. Ex quo etiam planè patet, instrumentum sensus ipsius, quo res percipiuntur tangibiles, intus esse collocatum, vt diximus. Sic enim & in hoc sensu fiet id porrò quod in cæteris sensibus fieri solet. Sensibilium enim, si in ipsis instrumentis ponatur sensuum, non fit, vt patet, perceptio: at fit, si super carnem ponatur tangibile, vt docet experientia. Quare sine dubio ipsa caro medium est in tactu.* Hucusque Arist. cuius testimonium aliquanto prolixius plenè exscripsi, vt constet quàm apertè & firmiter hanc sententiam tradiderit in præsenti, vbi agit ex professo de gustu, & quàm immerito aliqui dubitent circa ipsius mentem. Quare eandem doctrinam amplectuntur Galenus *lib. 1. de Vsu partium cap. 16.* Albertus 2. *de Anima tract. 3. cap. 31.* D. Thomas *ibid. lect. 32.* eiusque Discipuli frequenter, & Fernelius *lib. de Animæ facult. cap. 6.* aliique plurimi Recentiores.

43 *RATIO* Eruitur ex ipso textu. Sensibile enim positum immediatè suprà sensum, non sentitur ab eo. At sensibile proprium tactus positum immediatè supra carnem, sentitur à tactu. Ergo caro non est, seu in carne non consistit sensus tactus. Minor experimento omnium ad sensum est manifesta. Maior non modo expressa est Philosophi verbis prælegatis, sed insuper à nobis ex professo probata est *disp. 85. sect. 3. per totam.* Suadeturque præindicatâ ratione eiusdem Arist. à pari cæterorum sensuum, sive potiùs ab inductione. Omnia enim illa habent medium aliquod sibi internum, & interiectum, vt eo mediante percipiant propria sensibilia. Alioquì enim hæ non egerent speciebus superadditis vt sentirentur, si seipsis immediatè sentiri possent. Quare nescio quo consequentiæ filo ductus Aversa *q. 54.* cum pluribus ab eo allegatis *sect. 13.* doceat sensibile positum suprà tactum immediatè, ab eo sentiri, cùm tamen aliunde fateatur nullum sensibile percipi a sensu, nisi mediâ specie. Videtur enim hæc protsus inutilis & superflua, vbi obiectum seipso præsens immediatè sentitur, seu percipitur. Moneo tamen, testimonium Philosophi, sicut & rationem modò cratam ex ipso, non accipiendam de carne, prout distinctâ à cute operiente, quia sic nihil evinceret. Responderi enim posset facilè ab Adversarijs, quamvis organum tactus sit ipsa caro, adhuc illam non sentire immediatè, sed mediante cute; ideoque non sequi quòd sensibile immediatè supra sensum positum, sentiatur: siquidem nihil tangibile externum sentitur positum immediatè supra carnem, sed supra cutem, per se loquendo. Intelligendum est ergo vtrumque de carne, non seorsim à cute, sed prout facit vnum cum ipsa, veluti terminus eius, sive extremitas: vt caro simul cum cute sit medium intrinsecum tactus, qui non aliter, quàm eo mediante, percipit suum obiectum.

44 *CONFIRM.* Si enim ex oppositio principio, nimirum, quia caro tangit immediatè res sensibiles, colligunt Adversarij, in ipsâ esse sensorium tactus; multò magis id de cute dicere debent; quia sola cutis est quæ immediatè tãgit & discernit qualitates tangibiles; non autem ipsa caro, quæ cuti supposita est. Vnde oportet vt negent omnem specierum necessitatem ad tangendum, dicantque ad id sufficere obiectum ipsum realiter approximatum. Hoc autem non dicunt, nec dicere possunt, quia omnis actus sentiendi, etiam infimus, sicut est actio elevata supra conditionem rerum purè materialium & inanimatarum, vt ex se patet, *& disp. 75.* ostensum est; sic etiam exigit principium aliquod ex parte obiecti quoddammodo immateriale; ac proinde speciem intentionalem obiecti sensibilis, quod in se valde materiale est; & præsertim sensibile proprium tactus, quod consistit in qualitatibus tangibilibus, vt infra apparebit. Ergo de primò ad vltimum, ex eo quòd tactus videatur immediatè tangere, & percipere res tangibiles, aut debent Adversarij colligere solam cutem per se loquendo esse organum tactus, quod negant; aut saltem fateri debent id non probari de ipsa carne.

(?)

SVB-

SVBSECTIO SECVNDA.

Obiectiones difficiles in oppoſitum expediuntur, & exponitur quodnam ſit medium neceſſarium in Tactu.

45 OPPOSITAM Sententiam tuentur Conimbricenſes *lib. 2. cap. 11.* Suarez *lib. 3. de Animâ cap. 27.* Averſa vbi ſuprà, Sancta-Crucius *num. 512.* Arriaga *diſp. 4.* ac tandem Rubius, Hurtadus, & Tellez, alijque plures in allegatum *cap. 11.* libri ſecundi. Probant id multipliciter. *PRIMO* communi omnium experimento, quo percipimus nos tangere immediatè per quaſcumque partes ſentimus: vt manibus, v.g. quibus palpamus calorem ac frigus, cæteraſq; qualitates tangibiles. In quacumque etiam parte pungamur aut ferramur, ſentitur dolor, qui maximè ad tactum ſpectat. Si autem communi ſolutione occurratur aſſerendo, ſentiri quidem dolorem, verùm non in ipſa carne, ſed in nervo ſuppoſito; Contrà inſurgunt: quia dolor verè & ad ſenſum percipitur in ipſa carne, quæ vulneratur aut pungitur, quāvis ictus aut punctio non perrumpat vſque ad nervum, qui aliquantulum diſtat ab extimâ cute. Ergo verè in ipſa carne exiſtit ſenſorium tactus. *Confirm.* Quia dolor percipitur in quibuſdam partibus non nervoſis, & à quibus longè abſunt nervi: vt in lecore, corde, & pericranio capitis. At vbicumque percipitur dolor, ibidem ſenſorium tactus eſt. Ergo hic reſidet in partibus non nervoſis, & à quibus nervi longè abſunt.

46 *RESP.* Nervum, in quo collocamus ſenſorium tactus, ita eſſe diſperſum per totum corpus, vt nulla pars ex ijs, quæ ſentiendi vim habent, aut tangi, aut feriri, aut immutari vtcumque poſsit a qualitatibus tangibilibus, quin ſtatim nervus ipſe id percipiat, ſive aliquantulum diſtet à cute & carne extima, ſive non: quemadmodum licèt ſenſorium viſus aliquantò, immò & non parum, diſtet à pupillis, adhuc hæ nullum percipiunt colorem, qui ſtatim non percipiatur a ſenſorio viſus. Nimirum, quemadmodū ex pupillâ vt medio, & nervis opticis vt organo, coaleſcit ſenſus videndi, ideoque ſimul omnia illa concurrunt per modum vnius ad videndum; ita ex carne comprehendente cutem, aut per accidens cà carente, vt medio intrinſeco, & nervo interiori, vt organo, coaleſcit tactus; ideoque ſimul per modum vnius concurrunt ad palpandum & ſentiendum ictum in quacumque ſenſitivà corporis parte fiat. Ex quibus rectè expenſis nulla vis ſupereſt argumento. *AD Confirm.* nego ſuppoſitum; quia omnes partes in ea enumeratæ, ſicuti ſenſum habent, & animales ſpiritus à cerebro participant, ſic etiam nervis conſtant ab eo ductis, vt vehiculis ipſorum ſpirituum. Et Ariſt. lib. de Spiritu col. 7 inquit: *Cordis ſubſtantia nervos habet.* Et lib. 3. de Part. Animal. cap. 4. ait: *Copia nervorum in corde eſt.*

47 *INSTABIS.* Si propterea caro non ſentit per modum organi, dum pungitur, quia habet ſenſibile immediatè poſitum ſuprà ſe; neque etiam nervus ipſe erit organum ſentiendi, quia ſæpe habet, vel habere poteſt ſenſibile immediatè ſupra ſe poſitum. Quando enim quis gravitèr vulneratur, enſis non ſolùm ſcindit carnem, ſed etiam nervos per illam diſperſos, & immediatè illos dividit. Ergo tunc neque ij ſentient dolorem immediatè per modum organi. Conſequens autem patet eſſe falſum: quia tunc verè in nervis ſentitur dolor: idemq; eſt ſi poſtquam denudati ſunt tota carne extimâ, perforentur acu immediatè. Ergo quod caro, dum pungitur ſeu vulneratur, habeat ſenſibile immediatè ſupra ſe poſitum, non impedit ab ea rationem organi ſentientis.

48 *RESP.* Fernelius vbi ſuprà, nervum poſſe ſentire, quia cingitur duabus tunicis deductis a duabus meningibus cerebri: quare cum eæ mediant inter ſubſtantiam nervi & obiectum tangibile, optimè ſentire poſſunt. Caro autem contrà ſe habet, quoniā nihil mediat inter illam & rem attactam. *SED Contrà I.* Quia obiectio contendit, nervum in ſuâ ipſius ſubſtantiâ vulneratum ſentire, poſtquam eæ tunicæ abſciſſæ aut denudatæ ſunt: ideoq; videtur corruere principium illud, quo aſſeritur, ſenſibile poſitum immediatè ſupra ſenſum non ſentiri; aut certè dici debet, in nervo ſenſorium tactus non eſſe, vt Adverſarij volunt, ſed in carne, non obſtante hâc ratione. *Contrà II.* Si enim propterea nervus ſentire poteſt per modum organi, quia ſupra ſe habet tunicas illas, mediis quibus tangat obiectum ſenſibile; idem quoque de carne dici poterit, quoniam

niam supra se habet cutem, quà mediante tangit sensibile obiectum. Ergo non est ratio vlla ad excludendam carnem ab organo sensus, quæ pariter aut fortiùs non vrgeat in nervo.

49 *IDEO* Aliter occurri posset, asserendo, quoties nervus nudus tangitur, immediatè, aut scinditur quò ad internã substantiam, nihil in eo sentiri doloris, magis quàm in ossibus, & pilis, qui in se omnis sensus expertes sunt. In quod probandum Ioannes à S. Thoma *quæst. 5. art. 6. §. Quod verò* allegat Arist. *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 4.* & in præsenti *lib. 2. textu 79.* tanquam ita loquentem: *Nervi, spili, & ossa, non habent aliquem sensum.* At verò neutro loco ex allegatis ea verba inveniuntur, neque illa invenire potui apud Philosophum, in omnibus ijs locis, quibus differit de nervis, quamvis plurimi sint. Par verò est existimare, ea extare apud ipsum, quamvis ex incuriâ Typographi, aut aliâ simili causâ, in allegatione non designetur verus locus. Quia tamen satis defertur Aristoteli, si testimonia eius indubitata excipiantur, quin & incerta; ideo

50 *DICENDVM* Est, admisso nervum perforatum in propriâ substantia sentire aliquem dolorem, id fieri præternaturaliter solùm: quoniam, vt rectè monet D. Thomas *lib. 2. lect. 22.* caro est *medium connaturale*, vt sentiat tactus. Neque tamen eo admisso putandum est nervum sentire in ea ipsâ parte, quà immediatè tangitur à gladio, vel acu perforante; sic enim sensus perciperet obiectum immediatè sibi coniunctum: quod fieri nequit, adhuc præternaturaliter, sicut neque vt percipiat sine specie interiectâ. Potiùs existimandum est, dolorem non sentiri in illa parte nervi, quæ immediatè tangitur, vulneraturvè, sed in alia vicinâ, cui prior illa deservit, vt medium præternaturale deferendæ speciei, quâ mediante sentiat.

51 *SED* Vrges. Ergo pariter dici posset, carnem non esse quæ sentit dolorem connaturaliter in propriâ substantia, sed solùm interiectâ cute, vt medio connaturali. Quin etiam asseri poterit, quando caro vulneratur, nihil sentiri ab illa parte, quæ immediatè scinditur à gladio; sed solùm ab alia immediatè, quæ ipsi deserviat vt medium speciei deferendæ. Ergo de primo ad vltimum nulla est ratio cur in carne non existat sensorium tactus, potiùs quàm in nervis. *RESP.* negando vtramque illationem. Priorem quidem: quia, vt supra dicebamus, cutis non ponit in numero cum carne, sed est quædam ipsius extremitas; atque adeò nequit esse medium, quo sentiat caro. Posteriorem autem ex eodem ferè principio: quoniam caro nihil superpositum habet, quod deservire proinde possit vt medium connaturale tangendi per directam emissionem; ideoque nulla eius pars mediante altera sentire potest, aut habere rationem organi. Cæterùm nervus per se loquendo carnem superpositam habet, mediâ quâ sentiat, per directam emissionem. Quare si per accidens careat illo medio, poterit adhuc habere rationem medij præternaturalis vi partis, quæ immediatè in seipsa tangitur; & rationem organi in parte ipsi vicinâ.

52 *OPPONES II.* Aptiorem videri carnem, quàm nervos, ad percipiendas qualitates alterativas, aliasque tangibiles corporum externorum: siquidè nervi sunt magis terrestres, frigidi, & sicci, similesque proinde ossibus, quæ omni sensione carent. Ergo & aptior est caro, vt in eâ resideat proprium sensorium tactus. *RESP.* negando antecedens. Ad probationem, quam desumit Averla ex Arist. 1. *de Anima textu 79.* quasi ibidem doceat, nervos omni sensione carere; dico nihil eiusmodi allegato loco invenin. Si autem alicubi verè dixisse inveniatur, nervos non sentire, intelligendum est id ad summum de nervis seorsim ab omni medio intrinseco, iuxta solutionem suprà *num. 49.* indicatam: nam alioqui, & interposito medio connaturali carnis, verè sentiunt, & percipiunt obiecta tangibilia, dolentque factâ qualibet divisione continui. Idque patet in nervis alijs, qui habent rationem organorum in alijs sensibus, vt in visu, & auditu. Quamvis enim nec videant nec audiant denudato medio intrinseco illius, quod est pupilla, & huius, quod est aër spirituosus; adhuc tamen vtroque eo medio interiecto, vt dispositione propria & connaturali, verè & strictè sentiunt videndo & audiendo. Idem ergo dicendum de nervis per totum corpus respersis, vbi interpositum habent medium sibi connaturale carnis, quamvis ab eâ denudati non sentiant. Verius tamen videntur, vt nuper dicebamus, adhuc in eâ hypothesi sentire,

id-

idque præ nervis proprijs prædictorum ſenſuum: quoniam ij ad hauriendum ſpecies egent ſimpliciter medio intrinſeco humoris chryſtallini, vel aeris ſpirituoſi, quibus ablatis experimento conſtat nihil videri aut audiri. Nervi autem ad recipiendum ſpecies ab obiecto tangibili, ſive vt illud tangant, & doleant, non egent ſimpliciter carne interpoſita, ſed ſolum connaturaliter: ideoque ab ea denudati, adhuc tangere & ſentire inveniuntur.

53 *EX* Dictis corruit opinio communiter Averroi adſcripta, quæ requirit medium aliquod extrinſecum, vt tactus percipiat ſuum obiectum, quemadmodū de cæteris ſenſibus ſtatutum eſt proprijs locis. Corruit, inquam, quia ad ſenſum patet quælibet obiecta tangibilia immediatè percipi ac diſcerni à manu, & quolibet alio externo corporis membro. Præterea reijcitur: Quia ſi illud corpus interiectum, ſit aèr aut aqua (neque enim aliud videtur poſſe aſsignari) etiam illud immediatè percipitur à tactu ratione primarum qualitatum ſenſibilium prædominantium; præſertim ſi hæ ſubeant intenſionem, vt poſſunt, & ſolent. Idemque eſt de quocumque alio corpore ſuperpoſito immediatè animali, & in qualitatibus ſuis tangibilibus exceſſum habente. Ergo quodcumque medium extrinſecum aſsignetur, illud immediatè tangitur ab animali: atque adeò eo ipſo non eſt medium externum, ſed obiectum tactus.

SVBSECTIO TERTIA.

Quot & quænam tangibiles qualitates ſpectent ad obiectum Tactus, & an dolor ijs annumerari debeat, & ex quibus cauſis oriatur?

54 *SVPPONIMVS* Tactum, ſicuti & cæteros ſenſus, habere pro obiecto aliquod genus aut ſpeciem ſenſibilis qualitatis, à qua immutetur intentionaliter, ſeu patiatur; eamque non eſſe aliam, quàm tangibilem, ſive tactu ipſo perceptibilem; quoniam nulla alia ipſi propria, & diſtincta à ſenſibilibus proprijs aliorum obiectorum, aſsignari poteſt. Quare nunc oportet aſsignare quænam & quot ſint eiuſmodi qualitates immutantes tactum. Eæ vero aſsignantur ab Ariſt. 2. *de Gener. textu* 8. vbi enumerat ſeptem contrarietates tangibilium qualitatum. Prima continet calidum & frigidum. Secunda ſiccum & humidum. In quibus, ſicuti exprimuntur quatuor primæ qualitates elementorum, ac cæterarum origo, ſic & præcipuum obiectum tactus, qui eas potiſsimùm diſcernit. Tertia contrarietas eſt inter grave & leve. Cū enim volumus ſuſtinere corpus aliquod, tactu ipſo percipimus an grave ſit, an potiùs leve, an parum, vel multū pōdere. Quarta inter durū & molle, quorū alterutrū percipit tactus, quoties comprimit dura aut mollia corpora. Quinta inter lubricum & aridū. Lubricum eſt ſupra quod non bene aliud ſuſtinetur, aut quod non bene tactu apprehenditur, ſed potiùs labitur, è manibus: vt glacies ac gelu, in quo facilè cæſpitamus, & anguilla, quam difficilè capimus manu poſtquam illam tetigimus. Aridum autem è contrà lubrico opponitur, quòd facilè rem quamlibet ſuſtineat, & prendatur tactu. Sexta inter aſperum & lene. Aſperum eſt quod partibus inæqualibus conſtat, & quibuſdam extollitur, quibuſdam deprimitur, vt pumex. Lene autem quod æqualibus partibus coaleſcit, vt tabula lævigata. Septima tandem inter craſſum & tenue. Craſſum eſt quod facilè ſeſe continet, & in ſe conſiſtit. Tenue autem quod eſt ſubtile & repletivum, ſive, quod perinde eſt, facilè ſe inſinuat in corpus alterius. Omnes vero prædictæ qualitates ſunt obiectum tactus.

55 *ALIQVI* Tamen addunt ijs alias, quaſi etiam ſpectent ad tactum, & intrinſecè reſideant in organo ſenſitivo ipſius: vt dolorem & voluptatem; ac proinde titillationem & pruritum, quæ ſentiuntur veluti delinitio quædam & commotio tactus; item famē ac ſitim, ſpectantes ad tactū ſtomachi. Et ſanè de voluptate, ſpectare ad tactum, videtur conſtare generatim ex Ariſt. *lib.* 10. *Ethic. cap.* 4. vbi inquit: *In vnoquoque ſenſu voluptatem fieri perſpicuum eſt: quippe cùm & viſiones & auditiones eſſe iucundas dicamus.* De dolore ſimiliter docet S. Thomas *in* 3. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 3. & *q.* 26. *de Verit. art.* 4. *ad* 4. & expreſse 1. 2. *q.* 35. *art.* 1. & 7. vbi diſtinguit inter dolorem exteriorem corporis, & interiorem; ac primum quidem illorum ait, oriri ex malo coniuncto corpori, & ſequi apprehenſionem tactus: ſecundum verò naſci ex malo coniuncto appetitui, & proinde ſequi apprehenſionē, ſeu imaginatione dirigi. Agnoſcit igitur in ſenſu tactus ve-

rum

rum dolorem. Idemque planè conſtat ex S. Auguſtino *lib.* 14. *de Civit. c. p.* 7. & in Pſalmum 42. ad illa verba, *Quare triſtis es, anima mea*: vbi diſtinguit triſtitiam a dolore, & illam ait pertinere ad animam, ſeu ad interiorem partem, hunc verò ad corpus, ſeu exteriorem ſenſum.

56 *EX* Quibus reijcitur contraria opinio Simonis Portij *lib. de Dolore cap.* 10. Conimbricenſium *in præſenti lib.* 2. *cap.* 11. *q.* 2. *art.* 2. Eximij Suarez *lib.* 3. *de Animâ cap.* 5. Theophili Raynaudi *in Theologia Natur. diſt.* 8. *num.* 237. & aliorum aſſerentium, dolorem & voluptatem non eſſe proprias affectiones ipſius tactus, ſed potiùs appetitus ſenſitivi. Et præterea improbatur ratione: Quia appetitus ſenſitivus ſolùm reſidet in corde, vt ex communi ſententia ſuprà *diſp.* 84. *ſect.* 7. ſtatutum eſt: dolor autem corporis ſentitur in eo toto, per quod diſperſum eſt ſenſorium tactus. In quacumque enim corporis parte lædamur, ſtatim in ea ſentimus dolorem. Ergo hic eſt propria affectio ſpectans ad ſenſum tactus. *Præterea*, ad appetitum ſenſitivum non ſpectat percipere & ſentire, ſed tantùm amare & odiſſe, alijque effectus ibidem à nobis enumerati, veluti ex ijs potiſsimùm orti. Ergo quoties percipimus & ſentimus dolorem in quolibet membro externo, is actus non eſt elicitus ab appetitu ſenſitivo, ſed à ſenſu vicino parti læſæ, qui eſt tactus. *Rurſus*. Appetitus ſenſitivus quò ad omnem ſuum actum præſupponit apprehenſionem internam obiecti, apprehenſio autem interna mali, ſive doloris, præſupponit ipſum dolorem iam cauſatum & exiſtentem: atque adeo hic præſupponitur in ſenſu externo ante omnem actum cognoſcitivum & appetitivum internum. *Denique*, licèt dolor & omnis actus fugæ à malo quatenus nocente naturæ & toti ſuppoſito, ſit actus proprius ſenſitivi appetitus; non tamen dolor & fuga mali particularis, ſeu nocentis particulari ſenſui. Hic enim dolor ad ipſum ſenſum ſpectat.

57 *SIVE* Autem dolor externo tactu perceptus ſit ſenſatio ipſa diſconveniens tactui, ſive qualitas quædam ex illa reſultans (quorum vtrumvis probabile videtur) dubitari ſolet ex qua cauſâ proveniat in tactum vniverſim loquendo. Frequens & probabilis ſententia docet, provenire ex diviſione continui. Ita colligitur ex Ariſt. 6. *Topic. c.* 3. & illam tradunt Galenus *lib.* 2. *de Locis affectis cap.* 10. & Simon Portius *lib. de Dolore cap.* 3. & 4. E contra Valles *lib.* 4. *Controverſ. cap.* 5. alijque plures volunt, dolorem potiùs oriri ex intemperie qualitatum per exceſſum alicuius qualitatis vltra proportionem debitam. Media aliorum opinio docet poſſe provenire ex vtraque cauſâ: illamque tuetur Collegium Conimbricenſe *lib.* 2. *c.* 11. *q.* 2. *art.* 2. & Dandinus eadem libro *digreſ.* 60. Sumiturque ex Galeno, qui licèt loco prælegato videatur in oppoſitum inclinaſſe, adhuc videtur hanc opinionem tradidiſſe lib. 12. Methodi, illis verbis: *Naturalis notitia nos docet, vitiũ id corporis, ex quo ſit dolituruṁ, aut continuitatis ſolutionem oportere eſſe, aut alterationem aliquam.* Fundamentumque habet in Ariſt. *lib. Problem. ſect.* 5. *q.* 26 *& ſect.* 11. *q.* 3.

58 *HÆC* Poſtrema opinio videtur verior. Ad ſenſum enim patet, ex diviſione continui in ſubito vulnere ſtatim oriri dolorem ingentem, qui non videtur potuiſſe oriri ex intemperie qualitatum, quoniam quæ eo brevi temporis ſpatio cauſari poteſt, exigua eſt, & impotens inducere notabilem exceſſum vnius qualitatis ſupra aliam. Similiter, ſola intemperies, aut exceſſus nimius vnius qualitatis ſupra aliam, vt caloris aut frigoris, ſolet inducere dolorem; quin tamen ibi ſit aliqua diviſio continui. Quod enim aliqui reſpondent, tunc fieri quandam diviſionem, quaſi per rarefactionem ex calore, & condenſationem ex frigore, reſultet aliqua ſciſsio carnis dolorem inferens; id, inquã, difficile eſt: quoniam incredibile apparet quoties generatur dolor ex aliquâ intemperie, adeſſe rarefactionem, & condenſationem in eo gradu, vt carnem dividat. Melius itaque id tribuitur exceſſui alicuius qualitatis, ſeorſim à diviſione continui.

59 *IMMO* Et aliæ inſuper cauſæ aſsignantur à Nicandro Ioſsio *lib. de Voluptate & Dolore cap.* 6. quæ videntur ſufficere ad excitandum dolorem, ſeorſim à præcedentibus. Sæpe enim experimur dolorem ingentem ex ſola compreſsione, aut percuſsione, ad quem cauſandum aſsignari nequit ſufficiens diviſio continui, aut qualitatum intemperies, quæ tunc exigua eſſe poteſt. Præterea, excitatur quandoq; vehemens dolor ex aliquo humore noxio in gingivis & nervis dentium, molarumvè, abſque notabili intemperie qualitatũ,

aut

aut scissione continui. Addit quoque, nervum denudatum, si vel leviter tangatur, vehementer dolere; similiter & recentem vulneris carnem, non tectam cute. Vbi ad neutram ex prædictis causis recursus sufficiens esse potest. Quare vt omnia hæc comprehendantur, quin recedamus ab Aristotele & Galeno, dicendum videtur, dolorem oriri ex læsione continui; sive illa sit intemperies qualitatum, humorumve; sive divisio stricta, aut latè dicta, qualis accidit in compressione & percussione, quarum quælibet dividit partes à situ & positione connaturali, quamvis propriè non scindat vnam ab alia. Quâ observatione adhibita, nihil in oppositum ab experimentis præiactis objici potest.

60 *SVB* Dolore comprehenduntur fames & sitis, quas Galenus *lib. de Inæquali Temperamento* accenset speciebus doloris: & ambæ ad tactum attinent, quoniam ab eo percipiuntur. Porrò fames est dolor quidam ortus ex vacuitate seu constrictione ventriculi; sitis autem ex siccitate & ariditate. Ex eo dolore resultat in appetitu desiderium cibi & potus: quod in causa fuit, vt Arist. 2. *de Anima cap.* 3. *textu* 28. definiret famem & sitim per appetitum vtriusque, dum dixit: πεῖνα δὲ καὶ δίψα, ἐπιθυμία τις ἡ μὲν πεῖνα θερμοῦ καὶ ξηροῦ· ἡ δὲ δίψα, ὑγροῦ καὶ ψυχροῦ. *At verò fames sitisque, cupiditas est; sicci quidem & calidi fames; frigidi verò & humidi sitis.* Quæ definitiones in sensu causali debēt accipi, quatenus appetitio illa resultat ex fame & siti spectantibus ad tactum directè. Quod ille luculenter præmiserat verbis immediatè præcedentibus, dicens: *Animalia verò cuncta vnum ex sensibus habent, tactum, inquam, ipsum. Atque cui sensus inest, etiam voluptas & dolor inest, & perceptio iucundi atque molesti. Quibus autem hæc insunt, ea cupiditatem etiam habent. Hæc enim est appetitio eius, quod afficit voluptate. Tactus enim sensus est alimenti.*

61 *DENIQVE* Ad dolorem reducendus videtur pruritus, qui est quædam molestia, oriri solita ex commotione sive fluxu alicuius humoris sub cute. Similiter & titillatio, quæ licèt molesta sit, habet admixtum aliquid voluptatis, ratione cuius solet excitare risum patienti, vt obtervat Arist. *lib. 3. de Part. Animal. cap.* 10. vt quando plantæ pedis alicui leviter fricantur, vel alia corporis pars, in qua maior arteriarum copia adunatur & finitur. Ratio est quoniam eiusmodi affectio ortum ducit ex confluxu plurimorum spirituum, qui medijs arterijs defluunt; atque adeò vbi hæ plurimæ sunt, facilè oritur titillatio.

SVBSECTIO QVARTA.

An omnes prædictæ qualitates respiciantur à tactu æquè primò, an potiùs vna mediante alia? Vbi an Tactus sit specie vnus, aut multiplex?

62 *CVM* Tot qualitatum contrarietates percipiantur à tactu, & septem illarum saltem, vt *num.* 54. vidimus ex Arist. restat inquirendum an omnes æquè primò respiciantur à tactu, an potiùs vna mediante alia. In quâ re facilè concedent, omnes eas contrarietates per se & immediatè respici à tactu, quicumque illum specie distinguunt ex varietate seu contrarietate obiectiva qualitatum æquè primò inspectarum. Ij autem sunt Themistius 2. *de Anima cap.* 39. Averroes *comm.* 108. Albertus *tract.* 3. Avicenna *lib.* 6. *Natur. c. de Tactu*, & plerique alij. Verius tamen est, tactum esse vnicum specie in ordine ad omnes qualitates tangibiles, & contrarietates prædictas, omnesque illas sub vnica ratione formali ab eo respici, propter convenientiā in eodem genere qualitatis tangibilis, sive tactu perceptibilis. Ita docet D. Thom. 1. *part. quæst.* 78. *ar.* 3. *ad* 3. & plerique Interpretes Arist. 2. *de Anima cap.* 11. vbi licèt idem Philosophus *textu* 107. videatur circa hoc dubitasse, aut inclinasse in oppositum; postea tamen dum determinat quinque tantùm externos sensus, & tactum esse vnum ex ijs, videtur planè vnicum specie constituere, perinde ac cæteros. Alias nihil firmum ac certum haberemus circa numerum sensuum externorum, liceretque vnicuique distinguere eos secundum speciem, & multiplicare ratione diversitatis qualitatum sensibilium; cum plurimæ ac diversæ sint etiam in coloribus, sonis, odoribus, & saporibus.

63 *VERVM* Dices, esse specialem difficultatem in tactu præ alijs sensibus memoratis, quoniam in obiectis istorum non est, nisi vnica prima cōtrarietas:

vt in visu contrarietas albi & nigri: in auditu, gravis & acuti; in odoratu suavis & ingrati: in gustu denique, dulcis & amari. Vnde nihil mirum quòd ij quatuor sensus constituant totidem species atomas, quoniam quodlibet eorum vnicam contrarietatem respicit ex parte obiecti, & sub eâ tantùm comparatur ad quælibet obiecta partialia, sive qualitates intermedias. At verò in tactu longè maior difficultas est, quia in eo dantur plures primæ contrarietates tangibiles, quarum vna nequit reduci ad aliam: vt calidi & frigidi, sicci & humidi.

64 *RESP.* Licèt contrarietas calidi & frigidi nequeat reduci ad contrarietatem sicci & humidi, sicut contrarietates aliarum qualitatum reducuntur ad vnam in quolibet aliorum sensuum; adhuc vtramque illarum respici à tactu sub eadem ratione formali. Non enim respiciuntur ab eo sub ratione sensibilis communis, cùm non spectent ad sensibilia communia, quæ sunt, magnitudo, figura, tempus, motus, & quies. Neque etiam ad sensibile per accidens, quoniam immediatè in seipsis percipiuntur externo aliquo sensu. Ergo cùm non sint qualitates visibiles, audibiles, odorabiles, aut gustabiles; restat vt sint tangibiles, ac proinde vt sub ea ratione formali conveniant, eandemque speciem atoma tactum specificent; sicuti & aliæ qualitates extremè contrariæ specificant alios sensus sub aliquâ ratione communi visibilis, vel audibilis, &c. Neque obstat quòd qualitates obiectivæ aliorum sensuum præ tangibilibus conveniant in aliquo nomine communi, vt colotis, soni, &c. Dicimus enim, neque in visu esse vnum aliquod nomen commune, quod significet colorem ac lucem, & tamen vtrumque spectare ad eandem potentiam sub ratione aliqua generica innominata; & ita accidere in primis qualitatibus relatè ad tactum: quia ad hoc sufficit vt habeant vnicum conceptum communem visibilitatis, aut tangibilitatis propriè ac per se. Quare Aristot. *lib. 2. textu* 68. observavit, plura ac diversa corpora generatim convenire in diaphaneitate, seu transparentia, ideoque cogitari debere vnam rationem ijs communem in quâ conveniant, quamvis ea proprium nomen non habeat.

65 *HINC* Verò oritur dubium an contrarietates intermediæ, & ex primis ortæ, attingantur immediatè à tactu, an potiùs mediante vtraque prima contrarietate calidi & frigidi, sicci & humidi. Et ratio dubitandi in favorem huius posterioris partis est, quia tactus in seipso non constat ex contrarietatibus seu qualitatibus secundis & intermedijs, quas potest sentire; sed solùm ex contrarietatibus calidi & frigidi, sicci & humidi. Ergo solùm mediis his qualitatibus poterit sentire alias secundas. *CONFIRM. I.* Quotics plura obiecta spectant ad eandem potentiam, attinguntur ordine quodam, & secundarium mediante primario. At secundæ contrarietates & qualitates tangibiles spectant ad eandem potentiam tactus, ac primæ. Ergo attinguntur ordine quodam, ac proinde secundæ mediantibus primis. *CONFIRM. II.* Omnis qualitas sensibilis à tactu debet immutare organum ipsius, vt docet Sanct. Thom. *quæst. de Anima art.* 13. At plures ex secundis qualitatibus nequeunt immutare organum, nisi ratione primarum; quoniam ex se non sunt activæ: vt gravitas & levitas, asperitas & lenitas, quæ non causant qualitates sibi similes in sensu tactus, quando ab eo percipiuntur, vt experimento patet. Ergo neque sunt sensibiles à tactu, nisi ratione primarum qualitatum.

66 *CÆTERVM* Dicendum est, omnes eas qualitates tangibiles secundas, & ex primis ortas, percipi immediatè à tactu, & non mediantibus primis: quia, vt super dictum est, neque habent rationem sensibilis per accidens, neque sensibilis communis, sed proprij, relatè ad tactum. Ergo attinguntur ab eo immediatè. Idque constat etiam a pari secundarum contrarietatum in alijs sensibus, quæ immediatè ab ijs percipiuntur: vt à visu non solùm immediatè percipiuntur album & nigrum, primò contraria, sed etiam alij colores intermedij, & secundam contrarietatem habentes inter se. Præterea durum & molle, verbi gratia, immediatè percipiuntur à tactu, sive materialiter se habente in ijs contrarietate primarum qualitatum, sive nullatenus existente: vt si cœlum digito tangeretur, tactus perciperet duritiem, quia sentiret resistentiam ad permeandum, cùm tamen nulla prima qualitas in eo locum habeat, vt *tractatu de Cœlo* statutum est,

De-

Denique licèt omnes contrarietates ſecundæ oriantur ex primis quo ad mixtionem phyſicam, ſive in eſſe rei; adhuc tamen in ratione obiecti tangibilis vna non pendet ab alia, ſed quælibet habet ſuam formalitatem obiectivam immediatè perceptibilem: idque patet inductione in qualitatibus intermedijs cæterorum ſenſuum.

67 *AD* Rationem dubitandi præcipuam dicimus, organum tactus non conſtare actu & formaliter ſecundis contrarietatibus; conſtare tamen virtualiter & in potentia: quod ſufficit & requiritur ad rationem ſenſorij, quod actu debet carere qualitatibus proprijs ſui obiecti, & eſſe indifferens ad illas, vt ſæpe de alijs ſenſibus diximus. *AD I. Confirm.* Quoties plura obiecta ſpectant ad eandem potentiam per ſe & propriè, vt in præſenti accidit, non eſt opus vt vnum attingatur mediante alio; ſed ſufficit vt ordinatè tangantur, quòd omnia conveniant in vna aliqua ratione; vt colores omnes in ratione viſibilis, qualitates ad tactum ſpectantes in ratione tangibilis, ſeu in proportione temperamenti ad tactum immutandum, quæ eſt ratio innominata, vt D. Thom. vbi ſuprà obſervat. *AD III. Confirm.* Quamvis pleræquæ earum qualitatum, aut etiam omnes non ſint realiter activæ ex ſe, vt de gravitate & levitate ſpeciatim docet Ariſt. 2. *de Gener. textu* 8. omnes tamen illæ ſunt activæ intentionaliter, ſeu productivæ ſpecierum propriarum, quibus immutant tactum. Hic enim longè alio modo immutatur à calido & frigido, quam à gravi ac levi, duro & molli, &c.

SVBSECTIO QVINTA.

An Tactus ſolùm percipiat qualitates excedentes ſuum temperamentum?

68 *RESP.* Affirmativè cum Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 11. *textu* 118. illis verbis: διὸ ἅ ὁμοίως θερμὸν καὶ ψυχρόν, ἢ σκληρὸν καὶ μαλακὸν οὐκ αἰσθανόμεθα, &c. *Quo circa ſimile calidũ atque frigidum, vel durum aut molle non ſentimus, ſed exuperationes, quia ſenſus eſt quaſi mediocritas quædam contrarietatis eius, quæ in ipſis ſenſibilibus inèſt, & propter hoc ſenſibilia ipſa diſcernit: nam medium ipſum extremorum eſt index.* Rationemque ſubdit, qua ſæpe alias vſi ſumus: *Atque vt id, quod album nigrumque percepturum eſt ſenſu, neutrum ipſorum actu, ſed potentia ſit vtrumque oportet, & in cæteris eodem modo; ſic & in tactu neque calidum, neque frigidum id actu ſit oportet, ſed vtrumque potentia, quod vtrumque eſt percepturum.* Quaſi argueret in hunc modum, vt interpretatur eo loci S. Thomas *lect.* 23. Organum tactus, ſicuti & aliorum ſenſuum, non ſentit illam qualitatem ſecundùm quam eſt in actu, ſed illam ad quam eſt in potentia. Ergo ſolùm percipit in obiecto qualitates excedentes ſuum temperamentum, ad quarum exceſſum eſt in potentia; non verò eas, quæ nullatenus excedunt illud, ſed in æquali gradu aut inferiori ſunt; quia has ſenſus ipſe ex ſe iam præ habet in actu. *Confirmatur:* Quia organum tactus, ſicut & aliorum ſenſuum vt ſentiat, debet pati à ſuo ſenſibili, & ab eo immutari. At nequit pati ſeu recipere à ſuo ſenſibili illam qualitatem, quam præhabet in actu, quoniam ſimile non agit in ſimile, vt *diſput.* ſtatutum eſt: ſed tantùm illam, ad quam in potentia eſt. Ergo vt ſentiat debet non præhabere actu qualitatem ſui obiecti, ſed eſſe in potentia ad illam, vel quò ad ſubſtantiam, vel ſaltem quò ad gradum excedentem. Cũ verò ſenſus tactus ſit quoddam mixtum, coaleſcens ex temperamento primarum qualitatum, ac proinde illas actu continens; non poteſt pati quidquam ab obiecto tãgibili, ſi hoc habeat eaſdem qualitates primas in æquali aut inferiori gradu. Ideoque vt patiatur tactus, ſive immutetur, oportet vt in obiecto ſit exceſſus gradualis earundem qualitatum, ad quem tactus ſit in potentia.

69 *VERVM* Licèt hæc ſententia ſit communis ferè, nonnulli Authores in eam multipliciter arguunt. *Primò* ab experimentis: quia vna manus vbi palpat alteram manum, ſentit illam, quãvis vtraque ſit eiuſdem temperamenti, & habeat primas qualitates in æquali gradu. *Secundò.* Omnis qualitas tangibilis, caloris v.g. quãtumvis remiſſa, eſt cognoſcibilis per tactum. Ergo cognoſcibilis in gradu inferiori; quoniam tactus debet illam habere in gradu ſuperiori, cùm longè vigoroſior & activior ſit, ac proinde intenſiori calore præditus. *Tertiò.* Calor vehemens naturaliter & neceſſario calefacit, non ſolùm ſecundũ gradus excellentes, ſed ſecundùm omnes, abſque vlla præciſione.

Ergo ſi admoveatur tactui, calefaciet illũ, non modò ſecundùm gradus excellentes, ſed ſecundùm omnes, ac proinde quò ad omnes ab eo percipitur. *Vltimò.* Videtur nullius eſſe roboris probatio aſſerti ex Ariſt. quia ſenſus non debet eſſe in potentia ad qualitates ſui obiecti ſecundum eſſe reale, ſed intentionale tantùm. Patet enim in tactu eſſe realiter qualitates eiuſdem rationis ſpecificæ cum qualitatibus ſui obiecti, vt calorem, & frigus. Guſtus quoque in ſe continet actu ſaporem realem, qui ſecundùm eſſentiam eſt in obiecto guſtabili. At vt ſenſus ſit in potentia ad qualitates ſui obiecti ſecundùm eſſe intentionale, non requiritur, has eſſe in gradu excellenti. In quocumque enim ſint, adhuc remiſſo, poſſunt ſpeciem ſui mittere ad ſenſum, ipſumque proinde immutare. *Cõfirm.* Qualitates enim ſecundæ non activę, vt gravitas & levitas, ſolùm intentionaliter, non autem realiter, poſſunt immutare ſenſum. Ergo in quocumque gradu remiſſo ſint, poſſunt percipi à tactu.

70 *AD I.* Reſp. manum vnam (idemque eſt de alijs membris) vbi palpat aliam, non ſentire in ea id, in quo omnino convenit, ſed id tantùm in quo eſt exceſſus, ſive qualitatum primarum, ſive ſecundarum tangibilium, quas *n.* 54. aſſignavimus. *AD II.* Si qualitas caloris in gradu ita remiſſa ſit, vt omnis tactus habeat calorem in ſuperiori gradu, non poterit directè ab eo percipi, niſi ſummùm indirectè, & ratione alterius qualitatis præcellentis ſibi coniunctæ. Si autem calor ſit remiſſus in ordine ad vnum tactum, & excellens relatè ad alium (quod fieri poteſt, quia non omnes tactus ſunt æqualis temperamenti aut caloris) percipietur directè ab hoc, quamvis non ab illo. *AD III.* Ex obiectione non colligitur, tactum percipere in vehementi calore gradus ſibi æquales, aut inferiores, ſeorſim ab alijs, quod deberet argumento probari; ſed ſolùm vt coniunctos cum gradu præcellenti, & facientes vnum cum illo, quà ratione excedunt ipſum tactum.

71 *AD Vltimum* negatur aſſumptum: quia, vt in præcedentibus diximus, licèt ſenſus non ſit in potentia ad recipiendum qualitates ſui obiecti ſecũdùm eſſe reale, ſed intentionale, adhuc ex parte organi exigit carentiam earum ſecundum eſſe reale, vt diſpoſitionem neceſſariam; quia diverſa debet eſſe diſpoſitio & quoddammodo oppoſita in ſubiecto recipiente, & in obiecto efficiente ſpecies. Quare in tactu, quatenus potente accipere ſpecies à calido tangibili, vt quatuor v. g. debet eſſe carentia caloris, non abſolutè, ſed vt quatuor; & denique debet eſſe inferioritas relatè ad omnem perceptibilem qualitatem, quamvis eam habeat in inferiori gradu: quia ſolùm poteſt alterari phyſicè a re tangibili excellente, & ſine prævia alteratione nihil percipit tactus. Neque etiam guſtus per ſe loquendo habet realem ſaporem, quem percipit, niſi ad ſummum per accidens ex admiſtione rei amaræ, aut ex infirmitate, vt in lingua febricitantis, quæ amareſcit tunc, & proinde indiſpoſita eſt percipiendis ſaporibus. Quando autem lingua ipſa per ſe loquendo habet ſaporem, eſt quando iam abſciſſa eſt, & mortua ac proinde apta vt comedatur. Tunc verò iam non habet vllum ſenſum tactus.

72 *AD Confirm.* Qualitates ſecundæ non activæ, licèt per ſe, & vt condiſtinctæ ab alijs, nequeant immutare tactum, niſi intentionaliter, tamen vt percipiatur, debẽt alterare diſpoſitivè, & phyſicè ſenſum prout coniunctæ cum primis qualitatibus. Hæ etenim non ſolum habẽt producere alias primas ſibi ſimiles, ſed etiam ſecundas, ſi adiuventur ab alijs ſecundis diſpoſitivè concurrẽtibus. Vbi autem tactus habet aliquam ſecundam qualitatem in æquali aut ſuperiori gradu ad aliam ſimilem obiecti tangibilis, hæc nequit diſponere qualitates primas ſibi coniunctas ad aliam æqualem in tactu efficiendam, ac proinde neque ad tactum phyſicè alterandum. Ergo nullo modo poterit percipi à tactu, ſeu illum immutare intentionaliter. Lege S. Thomam *in* 2. *de Anima lect.* 23.

(*)

ILLVS-

ILLMO. ET LITTERATISSIMO D.

D. PETRO GONZALEZ DE SALCEDO.

SVMMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIO, &c.

RERVM Imagines, sive simulacra interiora eorum, quæ aliquando vidimus, aut qualitercumque apprehendimus, negant nonnulli Philosophorum, qui tamen te plurima & vidisse & didicisse gloriantur. Et sanè si de seipsis tantùm ita opinarentur, condonandum esset. At quòd cæteris eripiant thesaurum in animâ absconditum, crimen est, furtum est. Ne prædonibus quidem licuit, quibus nihil ferè non licet. Ideo Dissertatione hac vilum eos, non solùm ad tribunal Aristotelis compellare, sed ad Tuum etiam, ILLVSTRISSIME D. Curanim de crimine non postulentur coram eo, qui tandiu Iustitiæ spectatissimus Vindex, & latronum, ac crimonosorum quorum libet insectator fuit? Verùm vbi iam in Summum Senatum meritissimè evectus mitiores causas agis, non ad Areopagum compello, sed ad pacatum Astreæ prætorium. Non coram lictorum turba, sed in penitioribus mentis Tuæ adytis dijudica, & sententiam fer. Quis non ægrè tulerit, diu multumque laborasse incassum, & frustra serram reciprocasse? Quis non doleat malè collocatam fuisse operam, quam diu noctuque adhibuit, *immersus studijs, & maximus libellio*? Nihil aliud profectò est, ex iugi meditatione, lectione, disputatione, nullas rerum veritatumque derectarum formas obversari animo. Apage mentis nuditatem extremam post tot agones & pervigilia. Longè aliter in se experiuntur, qui meliorem sui partem disciplinis imbuendam curarunt, TE iam, non vt iudicem solùm, sed quasi testem appello. A primis adolescentiæ annis, eam subtilitatis, eruditionis, doctrinæque opinionem nactus es, tot libris elaboratis, editisque, vt solus sufficias ad comprobandum veritatem hanc, imaginum in animo permanentium. Vigesimo primo ætatis anno, quo vix alij discere incipiunt, docuisti, publicæ luci commisso libro DE LEGE POLITICA; postea duobus alijs in leges additas Novæ Recopilationi; alio insuper, verè aureo, DE MERCIBVS PROHIBITIS; & altero, graviore adhuc, cui epigrapha, EXAMEN VERITATIS, in quo de certas pro iure Regis Catholici ad Statum Brabantiæ. Hi & alij plures MAGNÆ MENTIS fœtus, quos patiendos expectamus, nequeunt prodire, nisi ab anima multarum rerum speciebus gravida, & quæ tot annorum pertinaci studio, observationeque, quam plura sinu suo conceperit. Neque aliud censendũ de eruditissimo ac subtilissimo Fratre Tuo *D. D. IOANNE GONZALEZ DE SALCEDO*, iam diu Inquisitore Hispalensi, & Cauriensis Ecclesiæ Scholastico: cuius amicitia, & arctissimo amoris vinculo, ab ipsa ferè pueritia, glorior, & cohonestor. Ille quidem, olim Musarum delicium, politioribus simul ac severioribus studijs strenuè operatus, multiplici iam rerum experimento, in VIRVM MAGNVM adolevit. Quidni & animum instructum habeat innumeris imaginibus eorum, quæ dicicit, observavitque, & in mentis suæ gazophylacio reposuit? Felix Fratrum par, quorum alter IVSTITIÆ, alter FIDEI onus sustinet; dignumque vt quis hùc advocet illi Claudiani de Cataneis fratribus:

Aspice sudantes VENERANDO PONDERE Fratres,
Insigni meritos semper honore coli.

Felix Naxarensis vrbs, quæ vtrumque ex nobili stirpe edidit, non iam Romæ Pollucem & Castorem invisura, nec si *lucida sidera* audiant, & in naturarum phænomena abierint. Verùm tunc illa felicior, cùm vterque vestitũ simul in eadem Hispaniæ Regia effulserit. Sic iuxta Plinium *lib. 2. cap. 37.* ijdem Helenæ fratres navigantibus auspicio sunt, vbi in eadem nave apparent coniuncti. Sed desino iam, invitus licet, & pauca hæc profero, non solùm in observantiæ pignus, sed signum etiam eius amoris, quo optimi ac litteratissimi Parentes, Tuus, ac meus, se olim dilexerunt. Vale, Clarissime & Eruditissime Vir.

DISP. OCTVAG. NONA.

DE SPECIEBVS IMPRESSIS.

Vtrùm omnis potentia apprehenſiva egeat ſpeciebus impreſsis ad cognoſcendum?

Num. 1. *HÆC Controverſia celebris eſt à pluribus ſæculis, & hoc ipſo celebrior difficiliorque reddita eſt a Recentibus Philoſophis & Mathematicis, quorum aliqui negant, alij affirmant exiſtere ſpecies obiectorum repræſentativas in potentijs cognitione præditis; rurſus quidam conceſsis in vna potentia ſpeciebus, negant eas in alijs. Procedit autem de ſolis ſpecibus impreſsis, ita appellatis, quoniam, iuxta aſſertores ipſarum, ab extrinſeco imprimuntur potentijs apprehenſivis, veluti quædam imagines obiectorum, in ijs receptæ, & concurrentes per modum principij ad actus cognitionis. In quo differunt ab alijs, quæ expreſſæ appellantur ſeu exprimuntur per ipſam cognitionem, ideoque non habent rationem principij, ſed termini. De his poſterioribus agemus diſp. ſequenti. Nunc de impreſsis tantùm eſt diſſerendum, & quidem aliquantò latiùs ſolito, quia difficultas rei, & multitudo argumentorum veterum ac recentium in vtramque partem, ita exigit. Habet verò locum apud Ariſt.* lib. 1. de Anima cap. 2. textu 25. & 26. & lib. 2. cap. 5. 6. & 12. *ſimiliter* & lib. 3. cap. 1. 3. 4. 8. & 12. *è quibus nonnulla teſtimonia exſcribemus infrà initio ſectionis tertiæ.*

SECTIO PRIMA.

Proponitur opinio negans ſpecierum impreſſarum exiſtentiam aut neceſsitatem in potentijs apprehenſivis, eiuſque varia argumenta contra ſpecies in vniverſum multipliciter roborata.

2 *SPECIERVM* Impreſſarũ exiſtentiam aut neceſsitatẽ ad cognoſcendum vniverſim negant nonnulli Auctores: vt Empedocles apud Ariſt. *lib.* 1. *de Anima textu* 25. & Plato *in Timæo* apud eundem *textu* 26. illis verbis: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐν τῷ Τιμαίῳ Πλάτων τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ. γινώσκειν γὰρ ὅμοιον ὁμοίῳ. *Eodem & modo Plato in Timæo animam ex elemẽtis facit. ſimile enim cognoſci ſimili.* Vnde cùm cẽſeret animam rerum omnium elementa realiter haberet intra ſe, conceſsit ipſi ſufficiens principium ſimile ad omnia cognoſcenda. Ita etiam Porphyrius *lib. de Senſu*, Plotinus *Enneade* 4. *lib.* 5. Galenus *lib.* 7. *de Decretis Hippocr. cap.* 6. Durandus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 6. Conſentiunt quò ad ſpecies intelligibiles Henricus Gandavenſis, Ioannes de Bachone, & Ariminenſis in eundem librum 2 *Sent. diſt.* 6. ac præterea Buccaferreus *lib.* 3. *de Animà lect.* 22. Zabarella *lib. de Speciebus intelligibilibus*. Idem quò ad omnes ſpecies ſenſibiles tuentur Gabriel *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. Ocham *ibid. q.* 14. & 17. Hieronymus Provenzalis *lib. de Senſibus p.* 1. *cap.* 7. Thomas Gianninus *diſp. de Lumine & Speciebus cap.* 27. & *ſeqq.* Dandinus 2. *de Anima digreſſ.* 31. Adſtipulantur quò ad ſenſum tactus & guſtus Toletus 3. *de Anima quæſt.* 2. *concl.* 4. quò ad odoratum præterea Hurtadus *diſp.* 12. *q.* 1. quò ad auditum etiam aliqui à Zabarella allegati; & tandem quò ad viſum Garbius *in Summa lib.* 1. *c.* 5. *q.* 63. vbi gloriatur ſe publicè defendiſſe in Bononienſi Academia, ſpecies ſenſibiles, ne quidem viſui neceſſarias eſſe. Denique Lalemandet, recens Author, cuique ſtomachus ingens eſt ad omnes ferè opiniones excipiendas, fovendaſque, *diſput.* 14. & 16. *de Anima*, omnium ſpecierum intelligibilium ſenſibiliumque neceſsitatem & exiſtentiam reijcit. Verũm, vt clariùs procedamus, ſeorſim proponam in hac ſectione ea argumenta, quibus exturbari videtur omnis neceſsitas ſpecierum ad cognoſcendum. Deinde ſectione ſequenti exhibebo ea, quæ ſeorſim militant contra ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles. Neque ſolùm ea proponam, ſed multipliciter vrgebo, nequid difficultatis diſsimulaſſe videar.

3 *PROBATVR* Primò & generatim opinio relata; quoniam ſpecies impreſſæ omnino fruſtraneæ ſunt, & ad nihil deſerviunt. Ergo de facto negari debent:

bent: cùm Deus & natura nihil fruſtrà operentur. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*. Aut enim deſervirent ad repræſentationem & aſsimilationem obiecti, aut ſaltem ad cauſandam cognitionem, ſive intellectivam, ſeu ſenſitivam. Non ad primum: quia per ſympathiam naturalem ſatis aſsimilatur potentia quælibet ſuo obiecto, illudque proinde repræſentat. Non ad ſecundum: quia quævis potentia cognitiva, vt diſtincta ab omni alio, eſt elicitiva propriæ, ac ſibi proportionatæ cognitionis. Ergo fruſtraneæ ſunt, & ad nihil prorſus deſerviunt ſpecies impreſſæ. *Secundò* probatur idē antecedens. Neque enim deſervire poſſunt, tanquam aliquid eiuſdem rationis cum obiecto, neque tanquam diverſæ. Non tanquam aliquid eiuſdem rationis: cùm manifeſtum ſit ſpeciem accidentalem, qualis ponitur a ſententiâ contrariâ, non eſſe eiuſdem rationis cum obiecto ad extrà, quod vt plurimùm ſubſtantia eſt, vel accidens aliud omnino diverſum. Non etiam tanquam aliquid diverſæ rationis: quia quod tale eſt reſpectu alterius, ineptè aſſumitur ad repreſentandum illud: vt ſi imaginem hominis pingas ad repræſentādū lapidē. *Tertiò*. Si ad aliquid deſerviret ſpecies, maximè vt obiectum fieret præſens potentiæ. Sed ad hoc non deſervit, nec poteſt. Ergo ad nihil. Probatur minor: Quia ſpecies non eſt cauſa præſentiæ obiecti, ſed potiùs obiectum cauſa eſt præſentiæ ſpeciei, ſi illa datur: cùm debeat emitti & cauſari ab obiecto, & nequeat eſſe mutua vtriuſque cauſalitas in eodem genere. Ergo ſpecies non deſervit, vt obiectum fiat præſens potentiæ. *Quartò* a pari potentiæ appetitivæ, in qua fruſtra & ſupervacue poneretur aliqua ſpecies vt proprio actu tēdat in ſuum obiectum: quia nimirum ipſi ex ſuâ ratione propriâ immediatè adhæret. Igitur ſimiliter, & ob eandem rationem, fruſtrà ponitur ſpecies in potentiâ cognoſcitiva.

4 *RESPONDEBIS* Probationi vltimæ ex doctrinâ ſententiæ communis, & oppoſitæ, negando paritatem: quia potentia appetitiva fertur à proprio obiecto, & inclinatur ad illud, quærens ipſum in ſe, & non in imagine; cognoſcitiva autem è converſo attingit ſuum obiectum, attrahendo illud ad ſe; & cùm nequeat illud attrahere prout realiter in ſeipſo eſt, debet illud attrahere ſecundum idolum aliquod, vel ſpeciem repræſentativam.

5 *SED* In oppoſitum vrget *Primò*. Potentia appetitiva non vnitur aliter quam cognoſcitiva, ſuo obiecto. Neutra enim vnitur illi realiter: cùm tam bonitas, quàm veritas obiectiva, ſit realiter extra vtramque potentiam, & ſæpe vtraque diſtans, vt propterea nequeat vniri ſecundùm rem. Neutra etiam egreditur extra proprium ſubiectum, vt quærat rem cognitam, vel appetitam: quia id eſt impoſsibile. Ergo vtraque ſolùm vnitur proprio obiecto per ſympathiam, vel adhæſionem naturalem, qua propendet in illud cognoſcendum, vel appetendum. ac per conſequens, ſicut potentia appetitiva vnitur, adhæret, ac propendet in actu ſecundo circa proprium obiectum, abſque vllâ ſpecie, ſic & potentia cognoſcitiva. *Secundò*. Quemadmodum ſe habet appetitus circa ſuum obiectū ſe inclinando ad illud, ſic etiam potentia cognoſcitiva circa obiectum proprium attrahendo illud. Sed appetitus non fertur ad ſuum obiectum ſecundum eſſe reale ipſius, nec per ſpeciē aliquam, ſed ſolùm ſecundum inclinationem ſympathicam & naturalem. Ergo & potentia cognoſcitiva non attrahit ſuum obiectum, neque ſecundùm eſſe reale ipſius, neque ſecundùm ſpeciem aliquam, ſed ſolùm penes inclinationem ſympathicam & naturalem. *Tertiò*. Eſto potentia cognoſcitiva dicatur trahere obiectum ad ſe, & appetitiva trahi ab obiecto: hæc ab obiecto trahitur nuda ab omni ſpecie. Ergo & ab illa trahitur obiectum ab omni ſpecie nudum. Probatur conſequentia: Quia nulla eſt ratio vt potentia appetitiva, per ſeipſam, & nuda ab omni ſpecie, trahatur à ſuo obiecto; obiectum verò potentiæ cognoſcitivæ veſtitum ſpecie aliqua trahatur ad ipſam potentiam. Tam immediatè enim trahitur appetitus à proprio obiecto, ac obiectum potentiæ cognoſcitivæ trahitur ab ipsâ potentiâ. Ergo ſicut appetitus ſeorſim ab omni ſpecie trahitur ab obiecto proprio, ita potentia cognoſcitiva trahit ſuum obiectum ſeorſim à propriâ ſpecie.

6 *CONFIRMATVR* Præcipuum argumentum. Propterea nanque ab Auctoribus contrariæ & communis ſententiæ potiſsimùm inter alia conſtituuntur ſpecies, vt potentia cognoſcitiva, quæ antea erat indifferens, determinetur ad hoc obiectum præ alio cognoſcendum.

Sed

Sed ad hoc frustrà adhibentur species. Nam si loquamur de determinatione quò ad speciem, potentia quælibet per se, vt distincta ab omni alia, est determinata ad obiectum proprium, ab eoque specificatur. Si autem sermo sit de determinatione quo ad hoc vel illud obiectum numero cognoscendum præ alio, sufficit determinari per hunc vel illum actum cognitionis præ alio.

7 *CONFIRM. II.* A contrario, sive ab absurdo. Si enim species non frustrà adhibentur, sed necessariæ sunt, vt potentia cognoscitiva determinetur ad cognitionem vnius obiecti præ alio; existentibus in potentia speciebus, illa necessariò & quò ad exercitium erit in assiduo actu cognitionis obiecti repræsentati per speciem: ac propterea quilibet hominum, sive in vigilia, sive in somno, ac phrænesi, lethargovè, erit in actuali exercitio cognoscendi omnia & singula obiecta, quorum species sensibiles aut intelligibiles habet. Consequens verò, quàm absurdum, & falsum sit, assiduo omnium experimẽto innotescit. Sequela probatur: Quia stante in potentia determinativo necessario cognitionis quo ad exercitium, nequit non stare cognitio quo ad exercitium: sicut vniversim stante causâ proximè ac necessariò illativâ alicuius effectus, nequit non existere talis effectus.

8 *RESPONDEBIS* Negando sequelam: quia licèt species determinet potentiã ad exercitium cognitionis, quasi per modum rationis formalis, adhuc requiritur applicatio potentiæ ad hanc numerò speciem præ illa, tanquam conditio necessaria: quæ tamen non semper adest homini vigilanti. multò autem minùs dormienti, phrænetico, aut lethargi vi correpto.

9 *SED Contrà.* Illa enim applicatio potentiæ ad hanc numero speciẽ præ illa, debet esse actus cognitionis eiusdem potentiæ; cùm sit verum exercitium potentiæ cognoscitivæ, vt talis. Ergo si potentia nequit elicere actum cognitionis sine prævio influxu speciei, neque etiam poterit se applicare ad hanc numero speciem præ alia, absque prævio alicuius speciei influxu. Eo autem posito, redit absurdum in Confirmatione deductum. Stante enim principio determinante ex natura rei ad exercitium applicationis, nequit non existere applicatio ipsa. Sed in potentia cognoscitiva hominis, etiam dormiẽtis, aut lethargo oppressi, existit species impressa ex natura rei determinans ad exercitium applicationis cognoscitivæ. Ergo nequit non existere exercitium applicationis cognoscitivæ. Proindeque, vel in ipso somno, aut lethargo, erit homo in actuali cognitione omnium obiectorum, quorum species sensibiles, aut intelligibiles intra se habet.

10 *CONFIRMATVR III.* & vrgetur præcedens impugnatio. Propterea namque ignis potest non vrere aliquid in exercitio, quia licèt habeat in se vim vsiuam necessariò determinantem ad vrendum, adhuc tamen non habet in se principium necessariò determinans ad applicationem, quæ est conditio requisita, vt in exercitio vrat. Sed probatum iam est impugnatione præcedenti, quamvis potentiam cognoscitivam ex mente Adversariorum, & iuxta ipsorum principia, habere intra se, nõ modo vim cognoscitivam, necessariò determinantem ad cognoscendum; sed etiam principium necessariò determinans ad applicationem pro cognitione obiectorum omnium, quorum species intra se habet. Ergo è converso, quævis potentia cognoscitiva, non poterit non applicari in exercitio ad cognitionem omnium obiectorum, quorum species intra se habet. Patet consequentia: Quia vbi affirmatio est causa affirmationis, ibi negatio est causa negationis, & è contrà.

11 *PROBATVR* Secundò eadem opinio argumento Durandi. Quælibet forma repræsentans aliquid potentiæ cognoscitivæ debet cognosci ab ipsa potentia. Sed species impressæ a nulla cognoscitiva potentia cognoscuntur. Ergo non repræsentant aliquid cognoscitivæ potentiæ: ideoque inaniter & frustrà ponuntur. Consequentia est legitima, & minor experimento comprobata. Maior, in qua solùm potest esse dissidium, probatur. Quælibet forma se habens obiectivè ad potentiam cognoscitivam, debet cognosci ab ipsa potentia. At omnis forma repræsentans aliquid potentiæ cognoscitivæ, se habet obiectivè ad potentiam ipsam. Repræsentare enim aliquid potentiæ, est eidem obijci, vt cognoscat. Ergo quælibet forma repræsentans aliquid cognoscivæ potentiæ, debet cognosci ab ipsa potentia.

RES-

12 *RESPONDEBIS* Ex doctrinà communi, concedendo maiorem de forma repræſentante aliquid *vt quod*, qualis eſt imago Cæſaris, ipſum Cæſarem repræſentans potentiæ: negando autem illam de formà repræſentante ſolùm *vt quo*, qualis eſt ſpecies impreſſa. Hæc enim vnitur potentiæ eo tantùm fine, vt cognoſcatur obiectum, mediante ipsà: illa verò etiam vt in ſe cognoſcatur. Quare & imagines Cæſarum, ac Virorum illuſtriũ aſſervamus, quia non modò illos repræſentant, ſed etiam inſeipſis habent quidpiam dignũ viſu ac conſideratione, propter elegantiam artis. A quà ſolutione vix differunt Conimbricenſes *in præſenti*, dum negant maiorem de repræſentativo formali, quod eſt ſpecies impreſſa; & ſolùm illam concedunt de inſtrumentali, quale eſt imago Cæſaris, & quodvis ſignum ad placitum.

13 *SED Contrà I.* Ideò enim repræſentativum *vt quod*, ſeu inſtrumentale (vt vtramque ſolutionem comprehendamus) debet cognoſci a potentia, quia obiectivè ſe habet ad illam. Sed etiam repræſentativum *vt quo*, ſeu formale, ſe habet obiectivè ad illam. Etenim, vt paſsim loquuntur Authores oppoſiti, ſe tenet ex parte obiecti. Ergo etiam repræſentativum *vt quo*, & formale, debet cognoſci à potentia. *Contrà II.* Eà ratione, quà aliquid eſt repreſentativum relatè ad potentiam, debet obijci, ac proinde cognoſci ab ipsà. Ergo ſi ſpecies impreſſa eſt *vt quo*, & formaliter repræſentativa relatè ad potentiam, debet obijci, ac proinde cognoſci *vt quo* & formaliter ab eadem potentia. At cognoſci *vt quo* & formaliter à potentia, eſt verè ac realiter ab ipsà cognoſci: ſicut in habitibus ſupernaturalibus, eſſe vitales *vt quo* & formaliter non eſt particula imminuens, ſed potiùs exprimens vitalitatem ijs reverà & potiſsimùm convenire. Ergo ſpecies impreſſa ſi *vt quo* & formaliter cognoſcitur à potentia, verè & realiter ab illà cognoſcitur. At conſequens apertè falſum convincitur experimentò: cùm nemo hactenus verè & realiter cognoverit ſpeciem aliquam in ſe exiſtentẽ, ſive illa ſenſibilis, ſive intelligibilis ſit. Falſum ergo eſt exiſtere ſpecies impreſſas, quæ ſint repræſentativæ *vt quo* & formaliter relatè ad potentiam.

14 *DEINDE* Refellitur ſolutio data. Nulla enim eſt ratio, vt ſi ſpecies impreſſa repræſentat immediatè obiectum, non repræſentet illud *vt quod*, perinde ac imago Cæſaris *vt quod* repræſentat Cæſarem. Nam obiectum non repræſentat ſeipſum *vt quod*: cùm nulla res propriè ac verè repræſentet ſeipſam, ſed aliud à ſe diſtinctum. Ergo obiectum repræſentatur *vt quod* à ſpecie impreſsà, quę eſt aliud ab obiecto per illam repræſentato, ſicut Cæſar repræſentatur ab imagine, quæ eſt aliud ab ipſo Cæſare. *Deinde.* Repræſentare *vt quod*, eſt repræſentare tanquam aliquid priùs cognitum, ex quo manuducitur potentia in cognitionem alterius. Sed tam ſpecies impreſſa, quàm imago Cæſaris, debet repræſentare tanquam aliquid priùs cognitum, ex quo manuducatur potentia in cognitionem alterius. Ergo tam ſpecies impreſſa, quàm imago Cæſaris, repræſentat obiectum *vt quod*. Proptereaque falsò aſſumitur in ſolutione, ſpeciem impreſſam ſolùm repræſentare obiectum *vt quo*.

15 *CONFIRM.* Diſcurſus præiactus ratione à priori eiuſdem Durandi: Nihil enim incognitum in ſeipſo poteſt manuducere potentiam in cognitionem alterius: præſertim *vt quo* & per modum formæ. Sed ſpecies impreſſæ ſunt incognitæ in ſeipſis. Ergo nequeunt manuducere potentiam in cognitionem alterius, præſertim, *vt quo*, & per modum formæ. Probatur maior à priori: Quidquid manducit potentiam ad cognoſcendum aliud, *vt quo* & per modum formæ, eſt propter quod formaliter potentia cognoſcit aliud. Ergo multò magis debet cognoſci id quod manuducit potentiam *vt quo* & per modum formæ, quam illud in cuius cognitionem manuducitur. Nam, vt fert tritum axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & ipſum magis*. Quod præcipuè loquendo de causà formali, veriſsimum eſt. *Secundò* probatur eadem maior. Quidquid *vt quo* & per modum formæ manuducit potentiam in cognitionem alterius, præſtat obiecto effectum formalem cogniti. At nulla forma præſtat effectum formalem, quem per ſe ipſam non habeat: cùm effectus formalis non ſit aliquid diſtinctum adæquatè ab ipsà forma communicatà. Ergo *quidquid vt quo* & per modum formæ manuducit potentiam in cognitionem alterius, debet eſſe cognitum in ſe, & per ſeipſum. *Tertiò* à pari, & inductione aliarum quarumlibet formarum, quæ nequeunt præ-

ſtare

ſtare ſubiecto aliquem effectum, ſeu rationem formalem, quin eadem ipſis primò, ac per ſe conveniat. Ideoq; vt alia exempla omittam, neque habitus per ſe infuſi poſſent in ſententia Thomiſtarum conſtituere potentiam in actu primo viventem vitâ ſupernaturali *vt quo* & per modum formarum, niſi in ſeipsis vitales eſſent: nec lux in omni ſententiâ conſtitueret *vt quo* & formaliter colorem viſibilem in actu, niſi ipſa eſſet per ſe viſibilis.

16 *CONFIRM. Secundò*, & ſpeciatim refellitur ſolutio Conimbricenſium. Species enim, ſi repræſentat obiectum potentiæ, non repræſentat illud, niſi per modum inſtrumenti. At quidquid repræſentat potentiæ per modum inſtrumenti obiectum aliquod, debet priùs cognoſci in ſeipſo ab eadem potentia: vt patet ab exemplo in imagine Cæſaris, & quacumque aliâ. Ergo ſpecies, ſi repræſentat obiectum potentiæ, debet priùs cognoſci in ſeipsâ ab eâdem potentiâ. Probatur maior, in quâ ſolùm eſt contentio. Species enim ſi repræſentat obiectum potentiæ, non repræſentat illud, niſi tanquam vicaria, ſeu vices gerens ipſius. At quod vicarium eſt alterius, ſeu vices illius gerens, non niſi tanquam inſtrumentum ipſius eſt. Ideoque ſemen à generante deciſum ſolùm inſtrumentaliter concurrit ad generationem, quia vices generantis ſubit, quod ſæpe abſens eſt, aut etiam deſijt exiſtere. Cum ergo ſpecies impreſſa, ſi exiſtit, vices ſubeat obiecti, quod etiam ſæpe abeſt, aut exiſtere iam deijt in ſeipſo, conſequens eſt, vt ad illud repræſentandum concurrat ſolùm per modum inſtrumenti.

17 *PROBATVR Tertiò*. Si dantur ſpecies impreſſæ oppoſitorum contradictoriè, privativè, aut contrariè, quoties illa cognoſcuntur ſimul à potentia, dabuntur etiam ſpecies eorundem ſimul intra eandem potentiam: quæ neque in cognitionem eorum ſeorſim & dividivè, neque ſimul & collectivè, prodire poterit abſque determinatione & concurſu ſpeciei. Sed conſequens eſt impoſsibile. Ergo & antecedens, ex quo infertur. Porrò impoſsibilitas conſequentis probatur. Nam oppoſita contradictoriè, privativè, aut contrariè, vt albedo & negatio albedinis, albedo & privatio albedinis, albedo & nigredo, non poſſunt exiſtere ſimul & collectivè ex parte obiecti. Ergo neque ſpecies repræſentativæ vtriuſque extremi, contradictoriè, privativè, & contrariè oppoſiti, poſſunt exiſtere ſimul intra eandem potentiam. Antecedens eſt manifeſtum. Conſequentia autē probatur: Quia ſpecies repræſentativæ vtriuſque extremi, ſi dantur, ſubſtituunt vices illius tanquam obiecti, ab eoq; ſuam ſpeciem deſumunt, ſicut & vnitatem, & oppoſitionem. Ergo quemadmodum vtrumque extremum ratione ſuæ vnitatis, ſpeciei, & oppoſitionis, eſt incompoſsibile ex parte obiecti; ſic & ſpecies vtrumque repræſentans erit incompoſsibilis ex parte potentiæ.

18 *RESPONDEBIS* Negando minorem: quia licèt extrema contradictoriè, privativè, & contrariè oppoſita, phyſicam oppoſitionem habeant in ſeipſis, non tamen intentionalem & prout in alio. Sub hac enim conſideratione potiùs important convenientiam in cognoſcibilitate, quam diſconvenientiam in propriâ vniuſcuiuſque ratione formali.

19 *VERVM* Adhuc inſtat argumentum cui non videtur fieri ſatis ex eo, quòd albedo & nigredo conveniant in cognoſcibilitate. Nam etiam phyſicè loquendo conveniunt in ratione qualitatis; & tamen ſecundùm rationes ſpecificas, ac ſibi proprias, opponuntur ita, vt nequeant phyſicè coexiſtere in eodem ſubiecto. Ergo pariter licèt ſpecies impreſſæ albedinis & nigredinis conveniant intentionaliter in ratione repræſentationis, adhuc ſecundùm rationes ſpecificas, & ſibi proprias, opponentur ita, vt nequeant intentionaliter coèxiſtere in eâdem potentiâ. *Deinde*: Quia obſcuritas & claritas, certitudo & incertitudo ex parte obiecti, privativè opponuntur, implicat ex parte potentiæ coexiſtere actum fidei & viſionis, ſcientiæ & opinionis circa idem obiectū. Ergo ſimiliter quia ex parte obiecti opponuntur contradictoriè, privativè, & contrariè, albedo & carentia albedinis, albedo & privatio albedinis, albedo & nigredo, implicabit ex parte potentiæ coexiſtere ſpecies vtriuſque extremi repræſentativas.

20 *PROBAT Quartò*, & potiſsimùm, Lalemandet. Negatis ſpecibus impreſsis vitantur quamplurimæ difficultates, quæ Philoſophorum ac Theologorum ingenia torquent: & præterea, quod caput eſt, ſalvatur potentiam cognoſciti-

vam

vam percipere, imò & attrahere proprium obiectum ad ſe, in quo Adverſarij vim faciunt. Etenim quævis potentia cognoſcitiva poſita intra ſphæram ſui obiecti, ratione ſolius ſympathiæ naturalis, illud attrahit, quamvis ab eo nihil phyſicum, aut intentionale recipiat. Sed quævis potentia cognoſcitiva dum habet obiectũ præſens, eſt poſita intra ſphæram ſui obiecti. Ergo ratione ſolius ſympathiæ naturalis illud attrahit, quamvis ab eo nihil phyſicum, aut intentionale recipiat. Probatur maior exemplo magnetis, attrahentis ad ſe ferrum, quamvis ab eo nihil phyſicum, aut intentionale recipiat; idque, ratione ſolius ſympathiæ naturalis inter vtrumque. Idem ergo dicendum de potentiâ cognoſcitiva vbi ponitur intra ſphæram ſui obiecti.

21 *CONFIRM. I.* Nam quod eſt magis natum ad aliquid, multo magis poteſt attrahere illud immediatè, cæteris paribus, quam quod non ita natum eſt. At quævis potentia cognoſcitiva eſt magis nata ad attrahendum obiectum, quam magnes ad attrahendũ terrum. Illa enim habet id ex primaria ratione potentiæ cognoſcitivæ; hic verò ſolum ratione qualitatis, ſive accidentis ſuperadditi. Ergo quævis potentia cognoſcitiva multo magis poteſt attrahere obiectum immediatè, quam magnes attrahat ferrum.

22 *CONFIRM. II.* Multò magis virtus requiritur ad attrahendum aliquid ſecundum eſſe reale, quàm ſecundùm eſſe intentionale. Sed ſympathia naturalis magnetis ad ferrum, quamvis ut mineris virtutis, trahit ferrum ad magnetem ſecundùm eſſe reale, abſque eo quod ferrum mittat qualitatem aliquam realem, & per hoc ſolùm, quod paſsivè ſe habeat. Ergo a fortiori, ſympathia naturalis potentiæ cognoſcitivæ ad obiectum, quæ maioris virtutis eſt, trahet obiectum ad potentiam ſecundum eſſe intentionale, abſque eo quod illud mittat qualitatem aliquam intentionalem, & per hoc ſolùm, quod paſsivè ſe habeat.

(?)

SECTIO SECVNDA.

Quibus argumentis nitantur qui negant ſpecies impreſſas intellectui, aut ſenſibus internis, aut externis, & illorum recens corroboratio.

23 AVCTORES Allegati *num.* 2. negantes ſpecierum impreſſarum neceſsitatẽ intellectui, aut ſenſibus internis, aut externis, ipſorum vè aliquibus, iuxta modum dicendi vniuſcuiuſque ibidem relatum, varijs fundamẽtis illum ſtabilire nituntur. Præcipua eorum proponam.

PRIMVM Eſt. Intellectui ſaltem, quidquid ſit de alijs potentijs, videtur repugnare ſpecierum impreſſarum receptionem. Probatur multipliciter, tum a priori, tum ab abſurdo. *Primò.* Quod eſt ſuperioris entitatis, nequit perfici ab entitate inferiori. Sed intellectus eſt ſuperioris entitatis, vtpote ſpiritualis, & invariabiliter permanentis; ſpecies autem impreſſæ, ſi darentur, eſſent inferioris entitatis; ſcilicet prouenientes ab obiecto materiali, ac proinde materiales; inſuperque non eſſent invariabiliter permanentes, cùm facilè poſſent amitti ex oblivione, aliavè cauſa. Ergo intellectus nequit perfici à ſpeciebus impreſsis. Perficeretur autem, ſi eas reciperet: ſicut vniverſim loquendo omne ſubiectum perficitur à formâ in ſe recepta. Ergo intellectus non recipit vllam ſpeciem impreſſam ab obiecto. *Secundò* probatur idem antecedens. Nulla res æterna capax eſt recipiendi aliquod accidens variabile: ideoque in cœlo & in Angelo nullum locum habet peregrina impreſsio, aut variabile accidens. At intellectus quilibet eſt æternus, ſpecies autem impreſſa, & ab obiecto miſſa, variabilis eſt, ac deficere potens, vt de ſe patet. Nullus ergo intellectus recipere poteſt ſpeciẽ miſſam ab obiecto.

24 *Tertiò* probatur eadem pars. Admitsis ſpeciebus, intellectus eſſet intelligibiliter aliquid eorum, quorum ſpeciem haberet, antequam actu intelligeret: quia antè exercitium intellectionis informaretur ſpecieibus, ac proinde reciperet effectum formalem illarum, qui eſt, eſſe intelligibiliter ipſum obiectum. At conſequens contradicit Ariſtoteli 3. *de Anima texta* 5. docenti, intellectum nihil eſſe

esse eorum quæ sunt, antequam actu intelligat. Ergo intellectus non recipit species impressas. *Quartò.* Si darentur species intelligibiles, intellectus simul & actu plura intelligeret, iuxta numerum eorum quorum species impressas habet: quia moveretur simul ab omnibus; vtpotè causis necessarijs & minimè liberis. At negat idem Philosophus *loco allegato textu* 23. posse intellectum plura simul intelligere. Ergo negari debent intellectui species impressæ. *Quartò.* Positis speciebus impressis in intellectu, nunquam posset falli: quia species naturaliter ac verè repræsentarent sua obiecta: positâ autem repræsentatione naturali ac verâ obiectorum, cognitio secuta debet esse naturalis ac vera. At, vt idem Philosophus sæpe docet, ac experientiâ notum est, sæpe intellectus fallitur. Ergo non sunt ponendæ species impressæ in intellectu.

25 *CONFIRM.* Si in intellectu essent species impressæ, quælibet illarum produceretur per actionem singularem, sicut & singulæ species singulares sunt. Ergo ijs mediantibus intellectus solum posset cognoscere obiecta singularia. At consequens repugnat experientiæ, & eidem Aristoteli, cuius opinione intellectus non cognoscit directè singularia. Quin etiam nec verum esset illud effatum eiusdem: *Oportet intelligentem speculari phantasmata.* Si enim intellectus ex se habet species impressas singularium obiectorum, vt quid ad ea cognoscenda oportebit ad phantasmata converti? Independenter enim à conversione ad phantasmata, poterit speculari singularia obiecta in speciebus ipsorum, quas habet. *Confirm. II.* Sine speciebus intelligibilibus cognoscit intellectus res purè spirituales, maximè quæ ab omni materia separatæ sunt, vt Deum, & Angelos. Ergo ad illarum cognitionem non est necessaria specierum impressarum receptio, ac proinde nec ad alia quævis obiecta cognoscenda.

26 *RESPONDEBIS* Cognitionem, quam in via habemus de rebus purè spiritualibus, esse ænigmaticam, & imperfectam, solumque abstractivam: ideoque ad eam sufficere species materiales, quibus spiritualia cognoscimus ad modum rerum materialium; quamquam non habeamus species spirituales earundem rerum in hoc statu, quæ ad solam cognitionem quidditativam, aut perfectam inter abstractivas, sunt necessariæ.

27 *SED Contrà.* Non possumus cognoscere, adhuc imperfectè & mediatè, aliquod obiectum per id, quod non repræsentat, saltem imperfectè & mediatè, tale obiectum. At nulla species materialis repræsentat rem purè spiritualem, vt Deũ & Angelos, adhuc imperfectè & mediatè. Non ergo possumus cognoscere rem purè spiritualem, vt Deum & Angelos, adhuc imperfectè & mediatè per speciem materialem. Maior est evidens. Minor quò ad priorem partem probatur: Quia species materialis est in inferiori ordine ad res purè spirituales, sicut species naturalis est in ordine inferiori ad obiectum supernaturale. Ergo quemadmodum ob hanc rationem species naturalis non repræsentat obiectum supernaturale, adhuc imperfectè (aliàs haberet connexionem naturalem cum illo) ita neque imperfectè potest species materialis repræsentare obiectum purè spirituale. Quò ad posteriorem verò partem probatur eadem minor. Quia repræsentare mediatè rem purè spiritualem, est repræsentare immediatè aliquid cum ea immediatè connexum in ratione obiecti repræsentabilis. At nulla species materialis repræsentat immediatè aliquid connexum cum re purè spirituali in ratione obiecti repræsentabilis. Species enim materialis v.g. quæ repræsentare dicitur Angelum sub forma iuvenis, nihil immediatè repræsentat, quod cum Angelo in ratione obiecti repræsentabilis connectatur. Scilicet forma iuvenis corporea, sensibilisque, nullam cum Angelo cognationem, aut connexionem habet. Nulla igitur species materialis repræsentare potest mediatè rem purè spiritualem.

28 *PROBATVR II.* Quò ad potentias sensitivas, sive sensus internos: Quoniam hi sufficienter determinantur per determinationem sensuum externorum. Ergo ad nihil opus habent alia determinatione à speciebus proveniente. Probatur antecedens: Nam sensus interni nihil sentire possunt, nisi mediante determinatione externorum. Ergo posito quod sensus externi percipiant potiùs hoc, quàm illud obiectum, sufficienter determinantur sensus interni ad sensationem eiusdem obiecti.

29 *CONFIRM. I.* Si enim intellectus indiget speciebus impressis & intelligibilibus, ideo est, quia eget determinatio-

tione ſibi proportionata, atque eiuſdem ordinis ſpiritualis, vt intelligat potius hoc obiectum, quàm illud: ac propterea non ſufficit determinatio inferioris ordinis, per ſenſus materiales facta. At determinatio ſenſuum externorum eſt eiuſdem ordinis cum determinatione internorum ſenſuum: vtraque enim eſt materialis, ſenſibilis, & circa idem numero ac ſingulare obiectum. Ergo propter oppoſitam rationem ſenſus interni non indigent determinatione alia, quàm ſenſuum externorum.

30 *CONFIRM. II.* Si enim ſenſus interni non determinarentur ſufficiẽter ab externis, ſed inſuper indigerent determinatione proveniente à ſpeciebus internis, poſſent illas intra ſe conſervare, vt obiecta ablentia cognoſcerent. Conſequẽs verò abſurdum eſſe, vel exinde convincitur, quia adhuc deficiente operatione externorum ſenſuum, poſſent ac deberent ſemper cognoſcere, ac ſimul omnia obiecta, quorum ſpecies intra ſe habẽt, vt *num.* 7. colligebatur: quod tamen falſum eſt, & quotidiano experimento reijcitur. *Deinde*, abſurdum videtur ſpeciem adeò exiguã, qualis cõtineri poteſt in ſenſu interno, repræſentare altiſſimum montem, aut plagam regionis ampliſſimæ, aut etiam immenſum cœli hemiſpherũ. *Præterea* eiuſdem conſequentis abſurditas deducitur: quia iuxta illud in ſenſu interno reſiderent ſpecies ſolo numero diſtinctæ obiectorum ſenſibilium, ſolo numero diſtinctorum, vt vnius & alterius hominis; imo & innumerabilium: vt ſiquis in ſenſu interno habeat ſpecies repræſentantes numeroſiſsimum hominum exercitum, aut ſpicas latiſsimi agri, nequeunt illæ non eſſe diſtinctæ numero; cùm poſsit vna ſeparari ab alia realiter, ſaltẽ ex obliuione: nec præterea poſſunt diſtingui ſpecie, cùm repræſentẽt eadem obiecta, & ſub eiſdem dimenſionibus ſecundùm ſpeciẽ Ergo erunt in eodẽ ſenſu interno plures ſpecies, atq; adeo & pluta accidentia ſolo numero diſtincta. Quod tamen à D. Th. eiuſque Diſcipulis, cenſetur abſurdum.

31 *RESPONDEBIS* Ex doctrina Caietani, quem referunt & ſequuntur PP. Complutenſes *diſp.* 18. *de Anima q.* 1. *num.* 20. negando ſequelam: quia ſpecies repræſentantes duos homines, aut etiam duo alba v.g. non ſolùm numero, ſed etiã ſpecie differunt. Tota enim vnius cuiuſque ſpeciei impreſſæ quidditas ſita eſt in repræſentatione illorum obiectorum, quatenus inter ſe diſtincta ſunt: atque adeo nõ repræſentant illa ſecundùm quod phyſicè in eadem ſpecie conveniunt, ſed ſolũ prout inter ſe diverſitatem habent.

32 *VERVM* Solutio hæc difficilis eſt. *Primò* quia ſpecies illæ ſenſibiles non repreſentant ſenſui interno, ſicut neque externo viſus, duo alba, duo ova v.g. niſi ſecundùm quod realiter habent penes colorem & figuram. Aliàs eſſent ſpecies diſtortæ, & ratione illarũ poſſet decipi ſenſus circa obiectum proprium in debita propinquitate poſitum. quod ſæpe Ariſtoteles, & cum eo communiter Philoſophi negant. Ergo ſpecies illæ ſenſibiles ſolùm repræſentãt duo ova ſenſui interno, & externo, ſecundũ id quod realiter habent penes colorẽ & figuram. Sed duo ova penes colorem & figurã habent conveniẽtiam ſpecificam, & ſolam diſtinctionem numericã inter ſe. Ergo ſpecies ſenſibiles ſolùm repræſentant ſenſui interno & externo duo ova, ſecundũ quòd habent convenientiã ſpecificam, & diſtinctionẽ numericam inter ſe. Ergo quemadmodũ duo ova penes colorem & figurã ſolo numero diſtinguuntur, ſic etiam ſpecies ſenſibiles vtrumque repræſentantes.

33 *Secundò.* Si quæ alia obiecta aſsignari poſſunt, quæ in ratione obiecti repræſentati conveniant ſpecificè, & ſolo numero diſtinguantur, maximè ſunt duo ova eiuſdem magnitudinis, coloris, & figuræ in quibus, nec ſecundùm eſſe phyſicum, nec ſecundùm eſſe obiectivum, apparet quidquam diverſitatis. At plura obiecta aſsignari poſſunt, quæ in ratione obiecti repræſentati conveniant ſpecificè, & ſolo numero diſtinguantur. Ergo maximè duo ova. Probatur minor. Tum à priori, quia ratio obiecti ſenſibiliter repræſentati, eſt materialis, atque adeò diviſibilis ſecundùm ſpeciem in plura numero individua: Tum à pari obiectorum partialium cuiuslibet ſcientiæ, habitus, & potentiæ; quæ, tametſi phyſicè differant ſecundùm ſpeciem, conveniunt in eàdem ſpecie formali ſecundùm rationem obiecti cognoſcibilis, & in eſſe repræſentativo: ideoque ſpecificare poſſunt eandem ſcientiam, habitum, & potẽtiam in ſpecie atoma, vt notum eſt. Ergo multò magis duo ova, quæ nec ſpecie phyſica, nec externis lineamentis coloris,

figuræ, aut magnitudinis differunt, conveniant in eadem ratione specifica obiecti per speciem impressam repræsentati sensui interno, quamquam numericè distinguantur. Ergo oportebit assignare simul in sensu interno plures species sensibilium obiectorum, solo numero distinctas. *Denique* solutione datâ infertur potentiam cognoscitivam, visum v. g. non esse vnũ in specie dererminata; quia obiectum ipsius in esse motivo, seu repræsentativo, non erit vnum formaliter, si species solùm repræsentant partialia obiecta prout inter se differunt, non verò quatenus inter se conveniunt.

34 *CONFIRM. III.* Argumẽtum præcipuum: Quoniam obiecta sensibilia & externa non habent virtutem ad producendas species, quas mittant in sensus internos. Ergo hi solùm determinantur à determinatione sensuum externorũ. Probatur antecedens. Illæ species, quæ cogitari possunt intrantes ad sensus internos, subtiliores sunt, & longè puriores à materia, quàm ipsa obiecta sensibilia & externa, vt de se patet. Ergo hæc non habent virtutem ad producendas eiusmodi species, & mittendas in sensus internos. Patet consequentia: Quia nulla res potest virtute propriâ producere effectum præstantiorem se; & obiecta si species producunt, id præstare debent virtute propria.

35 *CONF. IV.* Species debet esse indistincta ab obiecto sensibili. Ergo non est specialis qualitas. Antecedens probat primò S. Th. 7. *Met. t.* 18. & 30. ex Philosopho, cuius opinione, *omnia fiunt ab vnico*. Secundo, quia species est similitudo obiecti. At similitudo propriè est inter ea, quorum qualitas est vna, & eadem, vt docet idem Phil. 5. *Met. t.* 31. Tertiò: quia ideò essentia divina nequit videri per speciem creatam, quoniam nulla res creata potest esse eadem specie cum natura divina.

36 *PROBATVR III.* quò ad sensus externos. Tota enim necessitas specierum in potentijs oriri posset ex defectu determinationis ad vnum obiectũ præ alio. At in sensibus externis saltem deficit hæc ratio: cùm nequeant percipere, nisi obiecta præsẽtia & sibi debito modo approximata. Ergo sufficienter determinantur ab eisdẽ obiectis; ideoque nulla indigent specie.

37 *CONF. I.* Nam in tactu & gustu saltem non admittuntur species impressæ ab obiectis, quia ex seipsis determinati sunt ad percipiendum obiecta solùm præsentia & debito modo approximata. At etiã reliqui sensus externi ex seipsis determinati sunt ad percipiendũ solùm obiecta præsentia, & debito modo approximata. Ergo neq; in reliquis sensibus externis admitti debent species impressæ ab obiectis.

38 *CONF. II.* Nam, vel in sensu visus inquo maximè nitũtur Adversarij, admitti non debent species superadditæ; sed percipere potest per se colores debito modo præsentes & approximatos. Ergo multò magis dicendũ idem de alijs sensibus externis, in quibus minùs vrgens ratio est ad species superaddendas. Antecedens probatur multipliciter. *Primò*. Nam potẽtia visiva non modò percipit suum obiectũ, sed etiam distantiam ipsius. At non indiget specie ad percipiendam distantiã sui obiecti, neque talis species in oculo datur. Ergo neque indiget specie superaddita ad percipiendum suum obiectum.

39 *RESP.* cum Morisano negando minorem: quia species visualis etiã repræsentat distantiam, sicut color vicinus repræsentat rem distantem. *SED Contrà*. Nã licèt color vicinus possit repræsentare rẽ distantem, non tamen cum tali, vel tali distantia. At visui non modo repræsentatur obiectum distans, sed etiam cum tali, vel tali distantia. Ergo deberet admitti in visu species non modò repræsentans rem distantẽ, sed etiam talem vel talem distãtiam. Ergo cùm in visu non admittatur species repræsentans talem, vel talem distantiam, neque etiam admitti debet species repræsentans rem distantem.

40 *Secundò* probatur idem antecedens posterioris confirmationis. Visus enim non modò percipit colores veros, sed etiam apparentes, vt in Iride, & in alijs pluribus, quæ finguntur industriâ perspectivæ artis. Ergo non indiget ad videndum speciebus impressis ab obiecto: quia obiectum non verum, sed solùm apparens, nullatenus potest in oculis imprimere speciem veram. Solùm ergo indiget approximatione coloris & lucis, vt eliciat actũ visionis. *Tertiò*, In speculo & in aquis visuntur nostri vultus expressi ad vivum, sola luce & colore constantes. Ergo sufficit color & lux ad speciem constituendam, & non requiritur alia qualitas in oculum missa. *Quartò*, In medio aëre & muro illuminatis, & rubricatis, vel alio colore perfusis, quia lux intravit per fenestram vitream

treām cærulei, aut rubri coloris. *Quintò.* Sigua enim præter colorem & lucem requiritur species visualis, sola debet esse visio, quæ a potentia vitiva fit, velut imago obiecti. *Sextò.* Plura enim sunt colorata, quæ non mittunt in potentiam vitivam, plusquam colorem & lucem: vt patet in chalybe, & plumbo, existentibus à tergo speculi, quæ nullam mittunt speciem; cū tamen chartæ, & plura alia alterius coloris, post vitrum posita videantur. Ergo idem est dicendum de omni colorato. *Septimò,* & maximè, ab eversione fundamenti sententiæ adversæ. Si enim aliquid suaderet existentiam specierum visualiū vltra colorem & lucem, esset reflexio illarum, quam percipimus in aquis & speculis. At non datur eiusmodi reflexio: vt patet, quoties appropinquantes aquæ & speculis, non videmus vultus nostros, nec aliquid aliud reflectens. Ergo nihil est quod suadeat existentiam specierum visualium, præter colorem & lucem. *Octavò.* Coitio enim illa specierum, quæ fit in pupilla oculi habentis perspicilia, ratione cuius melius clariusque videt; ad summum probat coitionem radiorum lucis ac coloris, non tamen speciei superadditæ. *Deinde,*

41 *Vltimò.* Si eæ species visui superadduntur, quare non repræsentant obiecta visibilia vt sunt in se, sed longè aliter, & plerumque modo inverso? Sæpe enim videmus in aquis turres, & arbores, & homines, & iumenta vicina littoribus, inverso ordine caput inferiùs habentia, ac superiùs pedes. Item in speculis correspondet dextera cuiusque sinistræ, & sinistra dextræ: ac in cubiculo obscuro per foramen fenestræ apparent imagines subintrantes prætereuntium per plateam, qui videntur capitibus deorsum ambulare, & pedes supra habere. Non ergo id fit per emissionem alicuius speciei impressæ in pupillam oculi: nam si illa existeret, nullatenus repræsentaret obiecta aliter, aut inverso modo, sed prout reverà in se ipsis existunt. Sic enim falleretur sensus externus: quod sæpe negat Aristoteles.

SECTIO TERTIA.

Eligitur opposita & communis sententia, vniversim concedens potentijs cognoscitivis species impressas: eàque probatur, reiectis evasionibus Adversariorum.

42 DIGESSIMVS Hucusque in ordinem argumēta plura apud Authores dispersa, eàque multipliciter roboravimus, ad suadendum consictam esse specierum impressarum existentiam, in potentijs cognoscitivis generatim. Et certè mirum non est præiectam opinionem quibusdā Philosophis Veteribus ac Recentioribus probari, cùm plura, eaque minimè contemnenda argumenta pro se habeat, & nonnulla præsertim, quorum extricatio lucernam oleat. Nos certè illam probabilem iudicaremus nisi in oppositum vrgeret authoritas Aristotelis, Augustini, Anselmi, Damasceni, ac S. Thomæ: quos cæteri ferè omnes Authores sequuntur; Theologi quidem *in 2. circa dist. 6. & 1. p. circa q. 83. in tract. de Angelis:* Philosophi autem *l. 3. de Animâ:* vt propterea singulos allegare frustra sit.

43 *PORRO* Assertum tradit aperte Philosophus varijs locis, & vniversim *lib. 3. de Anima cap. 8.* vbi ait, *animam quoddammodo omnia esse,* probatque existētiam specierum, tam intelligibilium, quàm sensibilium his verbis: ἀναγκη δ' ἢ αὐτὰ, ἢ τὰ εἴδη εἶναι· αὐτὰ μὲν γὰρ οὐ· σὺ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος. *Atqui necesse est, aut res ipsas, aut formas in anima esse. At non sunt in ea res ipsæ profectò. non enim ipse lapis in anima, sed forma lapidis inest.* Quod ibidem vberiùs confirmat & illustrat multipliciter. Loquendo autē de sensibus generatim *lib. 2. de Anima cap. 12.* eandem doctrinam tradit his verbis: Καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν, ὅτι ἡ μὲν αἴσθησις ἐστὶ τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης· ἔστιν ὁ κηρὸς τοῦ δακτυλίου ἄνευ τοῦ σιδήρου, καὶ τοῦ χρυσοῦ δέχεται τὸ σημεῖον. *Hoc autem vniversaliter accipere de omni sensu oportet: sensum, inquam, id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest; perinde, atque annuli signum sine ferro, vel auro, suscipit cera.* Denique tum generatim de sensibus, tū speciatim de aliquibus illorum eandem doctrinam tradit *ibid. cap. 5. & 6. ac lib. 3. cap. 3. 4. & 12.* pluribusque alijs locis ad

apertè, vt neque Adversarij negent hanc fuisse ipsius sententiam, quo ad singula membra: quæ etiam omnia comprehendit *citato cap. 4 ex lib. 3 textu 3.* illis postissimum verbis *Vacare igitur ipsam* (animã) *passione, sed formæ susceptivam esse oportet: & similitudinem subire cum sensu; vt quemadmodum se se habet ad sensibilia sensus, sic se se habeat ad intelligibilia intellectus.* Quam doctrinam explicat, & luculenter confirmat ijsdem locis, plurimisq; alijs S. Thomas, eiusdem sententiæ assensor vbique constantissimus; cuius testimonia exscribunt in præsenti PP. Complutenses, alijque: vt propterea sufficiat remittere Lectorem illuc, ne disputatio vltra modum crescat. Idemque perspicuè tradit ex Patribus S. Augustinus *lib. 11. de Trinit. cap. 2.* vbi ait, *solùm tardioribus ingenijs difficilem esse* specierum existentiam; eandemque asserit *lib. 10. Confess. cap. 10. & 15. & lib. 17. super Genesim cap. 10.* Damascenus *libr. 2 Fidei*, Anselmus *in Monologio capit. 36.*

44 *RATIONE* Probatur Assertum ex discursu Aristot. ac D. Thom. *locis alleg.* in hanc formam redacto. Virtus cognoscitiva ex se & immediatè considerata, est pura potentia, nihil actualitatis habens in ordine intentionali. Ergo nisi prius actuetur per formam aliquam intentionalem, nequit elicere actum cognitionis: ac proinde indiget speciebus impressis ad cognoscendum. Consequentia patet, tum a priori, quia potentia pura, nihil actualitatis habens, sub eà ratione nequit agere, ac proinde nec elicere actũ cognitionis: tum à pari materiæ primæ, quæ, quia pura potentia est in ordine physico, & totius actualitatis expers, nequit aliquid agere, nisi prius actuetur per formam physicam, & reddatur in eius consortio potens ad operandum. Antecedens verò probatur, tum ex Philosophi axiomate communiter recepto, quo asseritur potentiam cognoscitivam ex se esse veluti tabulam ralam, in qua nihil est depictũ; tum quia potentia cognoscitiva, sive sensitiva, sive rationalis pro statu vnionis ad corpus, ex se solùm habet actualitatem in ordine physico seu naturali, prout est virtus & proprietas alicuius naturæ cognoscitivæ, per naturalem generationem productæ. Ergo ex se solùm est potentia passiva relatè ad ordinem intentionalem, nihil actualitatis habens in eo ordine.

45 *CONFIRMATVR I.* Nam sicut in ordine physico, quædam sunt in puro actu, quædam partim in actu & partim in potentia, quædam denique in pura potentia; & primum locum solus obtinet Deus; secundum, res cæteræ quoddammodo actualitatem ex se habentes; tertiam verò materia prima; ita in ordine intentionali debet assignari aliquid, quod habeat rationem puri actus, vt Deus; aliquid quod ex actu & potentia constet, vt res completæ infra Deum in eo genere; & tandem aliquid quod habeat rationem puræ potentiæ ex se, vt quælibet virtus creata cognoscitiva.

46 *CONFIRMATVR II.* Axiomate illo S. Augustini communiter recepto: *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* Quo planè denotatur, circa conceptiones partusque internos potentiam habere rationem principij passivi instar fœminæ, obiectum verò gerere munus principij activi instar viri. Ergo potentia cognoscitiva antequam participet actualitatem ab obiecto, est pure passiva & impotens concipere, aut parere aliquam cognitionem. At non participat actualitatem ab obiecto formaliter in seipso, quod nullatenus coniungitur per se ipsum potentiæ, in ordine ad conceptionem, aut partum cognitionis. Ergo solum participat actualitatẽ ab obiecto causaliter, aut efficienter, quatenus illud causat in potentia actualitatem aliquam media formâ speciei impressæ.

47 *DICES.* Potentia cognoscitiva quælibet, talem in ordine physico, seu naturali, ex se activa est, vt patet: quia in eo ordine sola materia prima est pura potentia passiva. Ergo quælibet potentia cognoscitiva ex se, & antecedenter ad quamlibet actualitatem supervenientem potest naturaliter cognoscere: quia potẽtiæ cognoscitivæ, vt activæ in naturæ ordine, naturaliter correspondet cognitio. Sed quælibet cognitio est exercitium, sive actio, non modò in ordine naturali, sed etiam in intentionali. Ergo quælibet potentia cognoscitiva, ex se est activa, non solùm in ordine naturali, sed etiam in intentionali. Nulla enim ratio est, vt quævis cognitio ex se & indivisibiliter habeat esse exercitium, seu actionem in vtroque ordine, & tamẽ quævis potentia cognoscitiva non habeat ex se esse activam & operativam in vtroque ordine.

SED

48 *SED Contrà I.* Licèt enim quævis potentia cognoscitiva ex se in ordine naturali sit activa cognitionis consideratæ quò ad vitalitatem, ac motum physicum à principio intrinseco; non tamen quò ad rationem repræsentationis obiecti, quia hæc debet provenire ab actualitate aliqua, seu forma existente in ordine repræsentativo. Sicut in sententia Societatis, licèt intellectus ex se sit potentia immediatè activa visionis beatificæ, consideratæ quò ad vitalitatem, ac motum physicum à principio intrinseco; non tamen quò ad rationem supernaturalitatis; quia hæc solum potest provenire ab actualitate, seu forma aliqua existente intrinsecè in supernaturali ordine. Ergo quemadmodum intellectus in illa sententia ex se solùm est potentia passiva circa omnem formam & actionem supernaturalem sub ratione supernaturalitatis; ita quævis potentia cognoscitiva ex se solùm est passiva circa omnem formam & actionem repræsentativam sub ratione repræsentationis. Ergo de primo ad vltimam, sicut intellectus nequit elicere visionem Dei obiecti supernaturalis sine forma intrinsecà supernaturali; ita nulla potentia activa elicere potest cognitionem obiecti in esse repræsentativo sine forma aliqua intrinseca, quæ ex se illud repræsenter.

49 *Contrà II.* Quælibet visio beatifica est exercitium, sive actio, non modò vitalis & physica, sed etiam supernaturalis indivisibiliter & in re. Et tamen locus est in opinione relata, vt intellectus ex se habens rationem potentiæ activæ circa visionem vt vitalem, sit potẽtia purè passiva circa eandem vt supernaturalem, antequàm actuetur per supernaturalem formam, in cuius cõsortio visionem eliciat. Ergo pariter, licèt quævis cognitio sit exercitium, sive actio, non modo in ordine naturali, sed etiam in repræsentativo, indivisibiliter & in re; locus erit, vt potẽtia cognoscitiva, ex se habens rationem principij activi circa cognitionem, vt physicam & vitalem, sit potentia purè passiva circa eandem vt repræsentativam, antequam actuetur per formam repræsentantem. Et ratio disparitatis à priori est, quia in cognitione tam ratio actionis vitalis, quam repræsentativæ, & expressivæ obiecti, idem sunt intrinsecè, solaque mentis consideratione differunt, vt proindè reipsa separari nequeant. At in principio cognoscente vis naturalis activa, & vis repræsentativa obiecti realiter differunt; ideoque separari possunt, & de facto separantur quoties potentia nuda, & nullis speciebus prædita est.

50 *CONFIRM. III.* Possibilis est potentia cognoscitiva, intra ordinẽ physicum, seu naturæ, quæ ex se non habeat actualitatem aliquam in ordine repræsentativo proximè & completè saltẽ, sed indigeat forma superveniente ad repræsentandum obiectum. At statuta eius possibilitate nulla est ratio, cur omnis potentia sensitiva de facto existens, & intellectiva pro hoc statu, non sint eiusmodi. Ergo, &c. Minor patet: quia omnis potentia sensitiva de facto existens, & intellectiva pro hoc statu, sæpe carent omni actualitate ad repræsentandum aliquid: vt patet in fœtu animato, & potentijs cognoscitivis prædito in vtero matris, absque obiectorum repræsentatione. Ergo statuta possibilitate virtutis cognoscitivæ sine actualitate ad repræsentandum, non est cur potentia cognoscitiva de facto existens, & intellectiva pro hoc statu, nõ sint eiusmodi. Maior autem probatur: Tum, quia in eo nulla apparet repugnantia, nec facilè assignabitur: Tum, quia esse cognoscitivum, & esse repræsentativum, important rationes formaliter diversas, ac proinde separabiles in actu primo: Tum etiam, quia esse entitativum & repræsentativum, seu intelligibile, aut intentionale, vt communiter loquimur, constituunt diversos ordines: proindeque potentia cognoscitiva, quæ in ordine naturali habet vim actus, seu principij activi, potest in ordine intentionali & repræsentativo habere rationem puræ potentiæ, seu principij passivi. Sic substantia completa & actuata in ordine naturali, est pura potẽtia passiva in ordine artificiali, recipitque formas ab arte constructas. Sic & potentia completa iam ad agendum & eliciendum perfectè cognitionem naturalem, est purè obedientialis & passiva in ordine ad formas supernaturales. Possibilis ergo est potentia cognoscitiva, quæ in ordine physico & entitativo ex se activa sit, & tamẽ activitatem non habeat ex se in ordine intentionali & repræsentativo, sed solùm ratione formæ superadditæ.

(*)

SECTIO QVARTA.

Suadetur eadem vera & communis sententia quatenus docet, intellectum egere speciebus impressis ad cognoscendum.

51 PROBATVR Insuper eadem vera & communis sententia, loquendo de intellectu speciatim. Intellectus, sive angelicus, sive humanus, ex se indifferens est ad intelligendum hoc obiectum & illud. Ergo vt determinetur ad intelligendum potiùs hoc obiectum, quàm illud, necessum est vt eius indifferentia auferatur per aliquid intrinsecè in ipso receptum: quia ab indifferenti, vt indifferenti, nulla potest provenire determinatio. Porrò intellectum ex se indifferentem esse ad intelligendum hoc obiectum præ alio, evidens est: cùm ex se possit cessare ab omni actu cognitionis, vel non cognoscere simul omnia, quæ sub obiecto ipsius adæquato continentur, sed aliqua illorum tantùm. Cur ergo in exercitio cognoscet potiùs hæc, quàm illa, si non determinatur ab aliquà forma intrinseca ad cognoscendum vnum præ alio, quæ sit eiusdem ordinis intelligibilis.

52 *RESPONDEBIS I.* ex doctrina Adversariorum, concesso antecedente negando consequentiam: quia vt indifferentia intellectus determinetur ad cognoscendum hoc obiectum præ alio, sufficit prævia sensatio interna huius obiecti potiùs, quàm alterius; sicut ad determinandam indifferentiam sensus interni sufficit sensatio externa vnius obiecti præ alio, absque additamento specierum. Porrò sufficere præviam sensationem internam, quamvis inferioris ordinis, ad determinandam indifferentiam potentiæ intellectivæ superioris, multipliciter probãt. *Primò:* quia multoties causa superior, & vniversalis, vt Sol, determinatur per aliquid inferius, & particulare, ad producendum effectum diversum ratione variarum dispositionum; vt à luto ad indurandum, & à cera ad emolliendum, & liquefaciendum. *Secundò:* quia sensus interni maximã cognationem habent cum intellectu, quatenus radicantur in eadem anima. Ergo multò magis determinare poterunt intellectum, quàm cera Solem, in cuius formã neutiquam radicatur. *Tertiò:* quoniam iuxta Philosophum nihil est in intellectu, quin fuerit priùs in sensu interno; nihil etiã in interno sensu, quin priùs in externo fuerit. Vnde & sicut externi sensus ministrãt internis circa adquisitionem specierum sensibilium, sic & internus, sensus, præcipuè phantasia, creditur ministrare intellectui in ordine ad species intelligibiles.

53 *SED Contrà I.* Quidquid sit de intellectu humano pro hoc statu, saltem de illo in statu separationis, & de angelico, certum est non determinari ad intelligendum hoc obiectum præ illo, vi alicuius præviæ sensationis, cuius incapax est Angelus & anima separata. Ergo determinatio illa debet provenire ab aliquà formà, potiùs repræsentante hoc obiectum, quàm illud. *Secundò*, & loquendo de intellectu aliquorum pro statu vnionis ad corpus; intellectus enim humanus Christi, & Adami à principio creationis, independenter ab operatione sensuum internorum poterant intelligere res naturales, absque prævia operatione sensuum, per scientiam infusam ordinis naturalis: quod de Christo certum habetur 3. *p. q.* 8. & de Adamo indubium apparet: quia incredibile videtur tantam, & tam miram cognitionem rerum naturalium, à prima sui cõditione, ministerio sensuum adquisisse. Vnde ea proculdubiò per accidens infusa fuit. Ergo assignari debet forma, quà potiùs determinaretur in instanti primo ad cognoscendum vnum obiectum, quàm aliud. Hæc autem nulla alia esse potest, quàm species à Deo impressa.

54 *Tertiò* refellitur, vel in ipsis intellectibus cæterorum hominum: qui etsi pendeant ob operationem prævia sensuum internorum ad cognoscendum, & comparandum sibi notitiam, quasi *in fieri*; postea tamen, & *in facto esse*, per se ipsos determinantur ad cognoscendum potiùs illa obiecta, quæ antea sensibus perceperant, quàm alia, quæ non perceperant ministerio sensuum. Ideo ergo est, quia dependenter à sensibus internis compararunt sibi formam aliquam intrinsecè determinantem ad cognoscenda priora obiecta, præ posterioribus, quàm speciem appellamus. Nã ea secluſa, parùm interest in fieri, & pro tempore antecedenti, præcessisse operationem sensus interni; cùm postea illa non maneat, neque in se, vt patet, neque in aliquo effectu à se producto. Ergo præter determinationem prævia, & quasi dispositivam, & *in fieri* à sensatione interna,

na, indiget intellectus alià ſubſequenti, & formali, atque *in facto eſſe*: quæ, proinde à ſolà ſpecie permanenti, ſpirituali, & intellectui intrinſecà, provenire poteſt.

55 *Denique*, exemplum de Sole non iuvat, ſed potiùs retorquetur in Adverſarios: cùm ſpeciale temperamentum, ſeu qualitas diverſa in cerà & luto, non determinet formaliter & intrinſecè Solem in ſeipſo ad vnam operationem præ aliâ, ſed ſolùm diſpoſitivè & extrinſecè afficiat eius concurſum ad præſtandum vnum effectum in cerà, & in luto aliud. Cæterùm quod formaliter & intrinſecè Solem determinat in ſeipſo ad præſtandum vnam operationem præ alia, debet eſſe virtus, vel proprietas, vel qualitas alia ſuperior, in Sole exiſtens. Ergo ſimiliter, licèt operatio inferior ſenſuum internorum poſsit extrinſecè ac diſpoſitivè determinare potentiam intellectivam ſuperiorem ad cognoſcendum vnum obiectum præ alio; non tamen formaliter & intrinſecè. Hoc enim tantùm præſtari valet à formà aliquà ſuperiori, & in intellectu exiſtente intrinſecè, quam ſpeciem intelligibilem appellamus.

56 *RESPONDEBIS II.* Ex Lalemandet *diſp.* 16. *de Animà part.* 2. *clypeo* 3. *ad* 4. ſufficienter determinari intellectum ad hoc vel illud obiectum cognoſcendum à potentià ſenſitivà, aut ab humore prædominante in corpore, vel à voluntate pro libito, aut à Deo, vel ab Angelo bono, aut malo; ideoque non eſſe opus aliâ formà intrinſecè determinante: maximè, quia adhuc eà poſitâ idem argumentum fieri poteſt adverſum noſtram ſententiam. Cur enim intellectus, ſive Angelicus, ſive humanus, habens intra ſe ſpecies plurium obiectorum, potiùs determinatur ad cognoſcendum modò hoc, quàm illud? Profectò aſsignabilis aliquam ex prædictis rationibus; cùm nullam invenias diſcriminis cauſam ex parte ſpecierum, quæ æqualiter & permanenter in intellectu reſident. Ergo ſimiliter negatis ſpeciebus aliqua ratio ex prædictis ſufficiet ad cauſam illius diſcriminis & determinationis reddendam.

57 *HÆC* Solutio veroſimilior eſt, & difficulter elidi poterit, quatenus cauſam ſpiritualem eius determinationis aſsignat ex parte voluntatis, aut Dei, vel Angeli, in ordine ad cognoſcendū vnum obiectum præ alio. Nam quò ad cauſam ſenſibilem in eà aſsignatā ex prævià operatione ſenſuum, vel humoris prædominantis, ſatis reijcitur impugnationibus præcedentis ſolutionis. Adhuc tamen quò ad cauſam ſpiritualem præcludi poteſt notando, intellectum, vt exeat in operationem, triplici determinatione indigere: alterà motivà & formali ab obiecto, alterà applicativà à voluntate, alterà demum elicitivà à ſeipſo. Indiget determinatione motivà & formali ab obiecto: quia, vt ſuprà obſervavimus ex Auguſtino, *ex obiecto & potentiâ paritur notitia.* Quælibet enim potentia cognoſcitiva habet non modò obiectum terminativum, & quaſi materiale, per modum rei cognitæ; ſed etiam motivum & formale, per modum rationis cognoſcendi: & terminativum quidem, ſeu materiale, nunquam obijcitur potentiæ, niſi quatenus ſubſtat motivo & formali: vt communiter Philoſophi loquuntur, & Theologi docent præſertim 1. *p. q.* 14. & 19. agentes de obiecto intellectus ac voluntatis divinæ. Ac proinde nequit potentia parere conceptionem aliquam internam, niſi fœcundetur formaliter ab obiecto. At non ab obiecto in ſeipſo, cùm extra potentiam maneat, & plerumque ratione ſuæ materialitatis in illam ingredi nequeat. Ergo ab obiecto mediante aliquà formà ab eo miſsà, & ipſius vices gerente: qui eſt planè diſcurſus Ariſt. *lib.* 3. *de Animà cap.* 8. Præterea requiritur in intellectu determinatio applicativa à voluntate proprij ſuppoſiti, vt intelligat liberè; à voluntate autem ſolius Dei vt intelligat neceſſariò. Demumque ponitur determinatio elicitiva ab ipſo intellectu, qui ſolus elicit intellectionem, ſicut & vivit per ipſam.

58 *HINC* Ergo ſolutio data præcluditur. Nam antequam intellectus determinetur elicitivè ad intelligendum, debet determinari formaliter ex parte obiecti motivi, ſicut & applicativè à voluntate propriâ, vel alienâ: quia tam impoſſibile eſt intellectum elicere actum cognitionis ſine prævià determinatione formali ab obiecto motivo, à quo ſpecificatur, quàm ſine applicatione prævia à divinâ voluntate, cui ſubditur in omni actu, & à voluntate proprij ſuppoſiti, cuius imperio circa omnem cognitionem liberam ſubiacet. Aliàs enim manebit intellectus indif-

differens sicut antea, & æquè impotens habere cognitionem determinatam vnius obiecti præ alio. At nequit determinari formaliter ex parte obiecti motivi per seipsum immediatè. Ergo solùm potest determinari per aliquam qualitatem, seu formam ab obiecto causatam, & transmissam in intellectum. Consequentia liquet: quia nullus alius modus restat determinandi formaliter & motivè potentiam. Minor, in quâ difficultas posset esse, probatur ex doctrinâ præiactâ: quia obiectum ablens, & longè extrà intellectum existens, nequit formaliter & immediatè determinare, sicut nec fœcundare, nec movere intellectum. *Deinde*, & fortè vrgentiùs, probatur eadem minor: Nam etiam obiectum, in seipso immediatè consideratum, est indifferens vt determinet, vel non determinet formaliter intellectum ad cognoscendum hìc & nunc. Posset enim non determinare illum, vt cognoscat in instanti A. sed solùm in instanti B. Ergo vt obiectum transeat de non determinante intellectum formaliter in instanti A. ad determinans in instanti B. superaddi debet forma aliqua, quâ reddat intellectum potiùs in vno instanti, quàm in alio, formaliter determinatum. Hæc autem nequit esse aliud, quàm species aliqua incipiens repræsentare obiectum in instanti B. quod nondum erat repræsentatum in instanti A. vt de se patet.

59 *VNDE* Immeritò retorquetur contra nos argumentum præiactum: quia sicut intellectus nihil cognoscit, nisi priùs determinetur ab obiecto movente, sic etiam nisi determinetur a voluntate propriâ suppositi, vel aliena applicante, & iuxta modum, ac restrictionem, amplitudinemvè ipsius applicationis. Quare licèt habeat species plurimorum obiectorum, poterit non cognoscere aliquod illorum actu, aut cognoscere vnum præ alio, quatenus vel non applicatur, vel solùm applicatur ad cognoscendum vnum obiectum præ alijs, in actu secundo.

(*)

SECTIO QVINTA.

Eadem sententia probatur generatim quò ad sensus internos, & de externis præcipuè quò ad visum, varijs rationibus & experimentis notatu dignis.

60 POSSET Multipliciter suaderi eadem vera & communis sententia quò ad sensus internos generatim, in quibus militant ferè argumenta hucusque proposita: cùm ex se sint potentiæ passivæ, expertes actualitatis in ordine repræsentativo, & indifferentes ad cognitionem vnius obiecti sensibilis præ alio, nisi ijs superaddatur forma intrinseca vnum præ alio repræsentans. Sed præter vtramque rationem, & plures alias, quas Conimbricenses, alijque ex Recentioribus proponunt, & Aduersarij facilè sibi enervasse videntur, vnicam adijcio ex quotidiano experimento desumptâ. Quid enim est, quòd oppida, agros, montes, valles, flumina, & cætera eiusmodi, antea visa, aut ab alijs audita, in imaginatione præsentia habemus, perinde ac in seipsis sunt, nisi quòd illorum imagines, idola, seu species impressas intùs acceperimus? Aut quæ ratio est, cur in tantâ imaginationum varietate, plerumque discordantium circa eadem obiecta, adeò tenax & firma sit repræsentatio oppidorum, ædium, montium, vt nunquam varietur, quoties de ijs cogitamus; nisi quòd stabilis & fixa illorum similitudo phantasiæ nostræ altè defixa sit? Neque enim vt determinetur phantasia ad exprimendum similitudinem fixam & stabilem earum rerum, sufficit sensatio externa oculorum, aut aurium, quæ præcesserit longè antea; nisi exinde aliquid derivatũ sit ad imaginativam, quod in eâ habitualiter maneat. Nam, illo negato, præcedens sensatio externa, nec manet iam formaliter in seipsâ, vt patet; nec etiam virtualiter in aliquo effectu. Ergo licèt sensatio externa præcesserit, & dispositivè concurrerit ad eam firmitatem imaginativæ adquirendam, quasi *in fieri*; posteà tamen & *in facto esse*, quod determinat illam stabiliter ad expressam dictarum rerum notitiam, est aliqua forma permanens, intrinsecè superaddita. Quin & ipsa bruta nos edocent veritatem hanc, dum sine ductu alterius repetunt loca, in quibus habitare solent, & pascua vbi antea

tea fuerunt: quod certè indicat ſpeciem aliquam eorundem locorum ſtabiliter impreſſam in phantaſia bellvarum. Poterit hæc ratio eludi ſophiſticis evasionibus, & apparenter ſolvi. At nemo erit, credo, qui illam non reputet apud ſe manifeſtam.

61 *RATIO* Quarta, & plauſibilior quo ad ſenſus externos deſumitur ab experimentis vſus, in quo miracula plura & frequentia, quæ ſola aſsiduitate vilueruut, eandem veritatem extorquent. *Primum* ſit. Color & lux percipiuntur ab oculo in diſtantia debita, & vltra illam non percipiuntur. Ergo color & lux in diſtantia debita concurrunt ad viſionem tui potius, quam vltra debitam diſtantiam. At non concurrunt immediatè & ſeipſis ad viſionem ſui, cum diſtent a potentia læpe per plures leucas quando videntur. Ergo concurrunt per aliquid à ſe productum, & in pupillam tranſmiſſum: quod ſpeciem impreſſam appellamus.

60 *Secundum* experimentum cernitur, quoties inter oculum & rem viſibilem mediat corpus opacum. Tunc enim impeditur viſio, quia corpus opacum impedit emiſsionem ſpecierum ad oculum: neque alia ratio aſsignari poteſt. Ergo è contrà ideo non impeditur viſio, vbi corpus opacum minimè interponitur, quia tunc obiectum abſque obſtaculo aliquo emittit in oculos ſpeciem repræſentativam ſui.

63 *Tertium.* Quando noſmetipſos videmus in pupillis oculorum alterius, & in ſpeculis; faciem ſibi obiectam reddunt nobis, perinde ac ſi nos ipſos præ oculis haberemus. Id autem ſolum oriri poteſt, quia tunc emittimus ſpeciem aliquã in alterius pupillam, vel ſpeculum, quæ tangens ipſum, reflectatur iterum ad nos, tranſmiſſa per medium. Neque enim in pupilla alterius, vel in ſpeculo, manet ſpecies noſtra, vt vulgus exiſtimat: ſed eadem ſpecies à vultibus noſtris miſſa in alienam pupillam vel ſpeculum, vix illud tangit, cuin ſtatim ad nos reflectitur, vt noſmetipſos intueamur media illà ſpecie reflectente. Alias ſpecies aliqua immaterialis quoddammodo exiſteret permanenter in ſpeculo materiali, & in ſeipsà videretur: quod abſurdum eſt, & Authores vtriuſque ſententiæ negant. Vnde & S. Thomas in 4. diſt. 10. q. 1. art. 3. inquit: *Oculus non videt in ſpeculo imaginem, vel ſpeciem ſui: ſed per illam reflexam à ſpeculo ad ſeipſum, videt ſe.*

64 *Quartum*, in ſpeciebus rubri coloris intrantibus in templum ſimul cum luce Solis à feneſtra clausa vitro rubro. Per illas enim reflectentes ad nos, videmus murum, ſeu pavimentum templi, quaſi tinctum eo colore; non quia vere illo tincta ſint (medium enim nunquam, niſi apparenter, tingitur) ſed quoniam ſpecies reflectentes repręſentant nobis colorem feneſtræ vitreæ, coefficientes cum pupillà oculi expreſſam illius imaginem.

65 *Quintum.* Si manum quis apponat inter chartas rubras, aut purpuriſio tinctas, manus incipiet rubeſcere, aut purpuraſcere. Ideo ergo eſt, quia à chartis colore illo perfuſis prodeunt ſpecies in manum, exindeque reflectunt in oculos.

66 *Sextum.* Si in cubiculi tui obſcuri feneſtra clausa parvum foramen verſus plateam fiat, videbis in muro, vel charta illi oppoſita, repræſentari quælibet prętereuntia: nimirum ea omnia, quæ alias videri poterant ex foramine, & quandoque cum colo ibus ſuis. præſertim ſi foramini applices vitrum oculare lenum, in quo magis vniu tur ſpecies, ob vitri denſitatem maiorem. Totum autem id aliunde provenire nequit, quàm ex reflexione ſpecierum, quæ miſſæ ab obiectis per plateam prætereuntibus in foramen, inde in oculos reflectuntur.

67 *Septimum.* Si conſulas teipſum in ſpeculo, videbis parietem à tergo exiſtentem, quem tamen directè videre non poſſes, niſi conversà retrorſum facie, aut mutando corporis ſitum. Ideo ergo eſt, quia paries a tergo poſitus mittit ſpeciem in ſpeculum, quæ exinde in oculum reflectit. Eadem quoque reflexio invenitur, quanquam non vſque adeò perfecta, in aqua, in chalybe, lacte, aliiſque corporibus diaphanis, imò & in lignis lævigatis, ac forte etiam in rudibus & impoſitis, vt novis obſervationibus contendit Sancta Crucius *lib. 2. de Animâ diſput. 2. quæſt. 3.* contra P. Arriaga, qui in ijs reflexionem negat.

68 *Octavum.* Ex perſpicilijs quædam ſic elaborata ſunt, vt de vno obiecto multiplex apparere faciant. Talia ſunt rotunda, diviſa in plures partes, quaſdam alijs eminentiores, per acutos angulos. Tunc autem manifeſtum eſt obiectum idem eſſe in ſeipſo. Ergo quod multiplex appa-

appareat, Ideo est, quia ratione inæqualium partium eiusdem perspicilij mittit in pupillam oculi diversas species representativas sui. Rursus in vitro triangulari, quod appellamus lapidem Philosophicum, idem cernere est. Multiplicat namque idem obiectum, & representat illud cum mirâ varietate colorum, quos tamen realiter in se non habet. Atqui totum id aliunde ortum ducere nequit, quam ex transmissione specierum per medium diaphanum triangulare, ex cuius dispositione multiplicantur species in oculum missæ, & multicolores apparent.

69 *Nonum.* Baculus integer videbitur fractus, si mediâ ex parte existat intra aquam. Id autem necessariò provenit eo quòd species partis latentis in aquâ mittatur per medium densius; species verò alterius partis extra aquam existentis veniat per medium subtilius; indeque obiectum divisum appareat. Hinc etiam nummus in profundo vasis aquâ pleni apparet maior, quàm extra vas. Incidem etiam Sol, vbi primùm exoritur, maior videtur, quàm in meridie; licèt vtrobique æqualiter distet. Etenim primò mane, ratione stillicidij antelucani, vel vaporum terræ, eâ potissimùm hora erumpentium, ac tegentium superficiem terræ, emittit Sol speciem sui per medium densius, quam meridie; ideoque maior apparet. Hinc præterea oritur, vt multò melius videamus, & maiores res appareant, per concava perspicilia, quam per plana. Scilicèt in perspicilijs concavis magis condensantur obiectorum species, quàm in planis. Hinc denique, vt plurima alia omittam, provenit, quod erumpente simul fulgure & tonitru ex nube, priùs fulgur videatur, quàm tonitrus audiatur. Scilicet, quia species audibiles tonitrùs sunt tardiores, quam visibiles fulguris; adeoque serius ad nos deferuntur. Fateri ergo necesse est in ijs, aliisque naturæ mirabilibus, emitti ab obiectis species, seu formas aliquas, quibus fœcundati oculi concipiant & pariant visionem eorundem, adeo mirabilem, & multiplicem.

72 *SCIO* Nonnulla ex his experimentis obiecisse sibi Lalemandetum, eaque solvere conatum recurrendo ad sympathiam naturalem inter potentiam & obiectum diaphanũ, sive transparens, absque necessitate vlla specierum; idque totum exemplo magnetis attrahentis ferrum per virtutem sympathicam. At certè hic Author, rem hucusque in Scholis apertam, & ferè ad oculum patentem, dum elucidare tentavit, obscurissimam reddidit, confugiendo ad arcana quædam naturæ sacramenta, quæ in sympathia magnetis latent. Huius enim vim attractivam ferri, mortalium nemo hactenus certò exploravit, neque deprehendit, in quonam sita sit, nisi coniecturaliter. Atqui durum est innumeras res, quas quotidie in sensibus nostris, tum interternis, tum & externis, experimur, quarũque prona & in aperto ratio est ex emissione specierum, in æquale & non minùs abstrusum mysterium revocare, ac sit efficacia magneticæ vis. *Deinde*, esto magnes attrahat ferrum, absque vlla qualitate ab eo missa, non tamen illud attrahit, nisi vicinum, & ferè contiguum, vt sæpe experimento deprehendimus. At potentia visiva non modò attrahit obiectum vicinum, sed distans, & pluribus leucis remotum. Quomodo ergo illud attrahere poterit in seipso, & non media qualitate ab eo producta? Nam obiectum in seipso manet absens sicut antea. Ergo vt attrahatur ad visionem modò, potiùs quàm antea, necesse est vt mittat meò virtutẽ suam per medium, quæ solùm potest esse species aliqua ad oculum missa.

71 *CONFIRM. I.* Licèt sympathia naturalis duorum disponat, vt operante vno, operetur & aliud, qualiter cõtingit in duabus citharis ad æqualem proportionem dispositis, & in duobus mutuò oscitantibus, & in pluribus alijs; nunquam tamen id contingit, nisi ambo inter se vicina sint: imò, quod caput est, neque id contingit, nisi alterum diffundat virtutem suam per mediũ in alterum. Cithara enim prior, quæ pulsatur, excitat sonum, & per collisionem aèris mittit qualitatem alterativam alterius citharæ. Similiter & qui oscitat, collidendo aèrem mittit speciem oscitationis in alium, qua facilè commovetur ad oscitandum. Aliter namque intelligi non potest, cur ad pulsationem vnius citharæ insonet alia, vel ad oscitationem vnius commoveatur alter ad oscitandum. Ergo multò minùs intelligi potest, quomodo color lucidus, maximè si valde distans sit, excitare possit oculum ad videndum, nisi mittat qualitatem alterativam oculi.

72 *CONFIRM. II.* Et retorquetur exem-

exemplum de magnete: quia licèt poſsit ferrum attrahere abſque qualitate à ferro tranſmiſsà, nihil exinde mirum; cùm ferrum in eà attractione non agat, ſed ſolùm patiatur. Si autem ferrum ageret in magnetem, neceſſum eſſet, vt in illo aliquam imprimeret qualitatem; ſicut magnes, quia in ea attractione agit, proculdubio mittit aliquam qualitatem in ferrum. At obiectum potentiæ viſivæ, & cuiuslibet alterius cognoſcitivæ, proculdubio in eam agit: nam ex obiecto & potentia paritur notitia. Ergo obiectum neceſſariò mittit qualitatem aliquam in potentiam viſivam.

73 *Confirmatur III.* Omnis imago debet activè procedere ab eo, cuius eſt imago ex naturà rei, vt communiter Theologi ac Philoſophi loquuntur cum Auguſtino: ideoque filius eſt naturaliter imago patris, non ſolùm in creatis, ſed & in divinis, quia per naturalem generationem ab eo procedit. At potentia viſiva, tam in omnibus experimentis ſuprà expenſis, quàm in viſione cuiuſcumque rei diſtantis, exprimit per actum viſionis imaginem obiecti viſi; vt & Adverſarij fatentur; & patet, quia in actu ſecundo repræſentat obiectum viſio ipſa. Ergo imago illa procedit activè ab eodem obiecto. At non procedit activè ab eodem obiecto immediatè: cùm obiectum ſeipſo non coniungatur, ſeu vniatur potentiæ. Reſtat igitur, vt imago illa expreſſa procedat activè ab obiecto mediante virtute, ſeu qualitate ab eo tranſmiſsa, quæ meritò appellatur & eſt ſpecies impreſſa. Sed de his vide plura alia obſervatu digna, & admiranda, apud Zuchium *in ſuâ Optica*, Scaligerum *exercit.* 298. *ſect.* 3. & Athanaſium Kirchérum *in Arte Magnâ lucis & vmbræ.*

74 *DE* Alijs ſenſibus internis & externis, iam ſatis probata eſt neceſsitas & exiſtentia ſpecierum impreſſarum diſputationibus præcedentibus: ideoq; nihil addendum cenſuimus.

(?)

SECTIO SEXTA.

Reſpondetur argumentis opinionis adverſæ, propoſitis ſectione primâ, quibus generatim ſpecies impreſſæ reijciebantur; & pleraque illorum retorquentur in Adverſarios.

75 EX Doctrinâ hucuſque traditâ facilè occurritur argumentis propoſitis à principio contra exiſtentiam impreſſarum ſpecierum. *AD I. ex num.* 3. nego antecedens, quò ad vtramque partem: quia ſpecies impreſſæ neceſſariæ ſunt, tum vt potentià aſsimiletur cum obiecto in eſſe intentionali, quod ex ſeipsà non habet; tum vt eliciat cognitionem prout expreſsivam eiuſdem obiecti. *AD I. Probationem*, nego ſympathiam naturalem ſufficere vt potentia aſsimiletur obiecto: quia illa ſiſtit in phyſica inclinatione ipſius potentiæ: ac propterea indiget ſimilitudine intentionali ſuperadditâ; quemadmodum licèt voluntati inſit naturalis ſympathia circa obiectum, adhuc eget prævià directione intellectus. *AD II. Probat.* Species deſervit ad repræſentationem obiecti tanquam aliquid eiuſdem rationis cum illo in eſſe repræſentativo, quamquam diverſum in eſſe rei: vt & in imagine externâ videre eſt. *AD III. Probat.* nego minorem. Licèt enim obiectum ſit cauſa activa & extrinſeca præſentiæ ſpeciei; ſpecies ipſa eſt cauſa formalis conſtituens obiectum præſens potentiæ: quæ mutua dependentia in diverſo genere non repugnat. *AD IV.* Optima eſt ſolutio aſsignata *num.* 4.

76 *AD I. Impugnationem* eiuſdem ſolutionis *ex num.* 5. nego antecedens: quia licèt neutra potentiarum cognoſcitivæ & appetitivæ vniatur cum obiecto extrinſeco in ſeipſo; cognoſcitiva tamen præ appetitiva habet vniri proprio obiecto in eſſe repræſentativo, & per aliquid ipſius vices gerens. Cuius ratio à priori eſt, quia ſola potentia cognoſcitiva eſt apprehenſiva obiecti, ac proinde ſola illa habet vim trahendi obiectum, vel inſeipſo, ſi fieri poteſt (vt contingit in viſione Dei, vel Angeli cognoſcentis ſeipſum) vel ſaltem per aliquid ipſius vices gerens. Potentia verò appetitiva, cùm cognoſcitiva non ſit, conſequenter nec apprehenſiva eſt, nec vim habens trahendi obiectum, ſed potiùs ab eo fertur; non quidem ita, vt à pro-

proprio subiecto exeat reipsà; sed solùm vt in illud secundùm bonitatem, quàm in seipso habet, propendeat, absque vlla tractione illius ex parte voluntatis. *AD II. Impugnationem* solutionis respondeo, quèadmodum appetitus per solam inclinationem sympathicam nequit trahi ab obiecto, nisi præterea adsit cognitio quæ illud proponat; sic etiam nec obiectum posse trahi à potentia per solam inclinationem sympathicã, nisi addatur species, quæ illud repræsentet, sibique faciat præsens; maximè vbi obiectum absens est, aut in seipso nondum existens. *AD III.* constat ex præcedentibus, & præterea est disparitas, quia nullum obiectum movetur à potentia, sed potiùs potentia movetur ab obiecto: ac proinde opus non est vt potentia emittat à se aliquid, quo transmutet obiectum: est tamen necessarium vt obiectum, maximè absens, emittat aliquid, quo transmutet potentiam, vel immediatè, si cognoscitiva sit; vel mediâ cognitione, si potentia sit appetitiva.

77 *AD Confirm. I. num.* 6. Potentia quælibet ex se est determinata incompletè solùm & inadæquatè circa proprium obiectum: quia licèt habeat vim physicam & vitalem ad illud percipiendum; adhuc caret similitudine necessariâ, vt exprimat illud intra se, & intueatur quasi præsens, vbi reverà absens est. Neque vrget, quòd quævis potentia cognoscitiva per suam entitatem, vt distinctam ab omni alia, sit constituta in specie atomâ. Id enim solùm est verum loquendo in genere physico, seu naturæ; non verò in genere repræsentativo, quod omnino diversum est, & provenit à formâ diversæ rationis. Indidem constat, ante actus cognitionis determinatos in individuo requiri determinationem mediâ specie factam in actu primo. Et certè si obiectio quid evincit, nimium probat: scilicet, appetitum posse quoad speciem & individuum ferri ad proprium obiectum per actus multiplices numero, absque prævio actu cognitionis, quia ex se est potentia distincta secundùm speciem ab omni potentiâ cognoscitivâ.

78 *AD Confirm. II.* rectè ibi. Ad impugnationem ipsius, patet ex dictis potentiam, vt eliciat actum cognitionis, nõ solùm debere esse determinatam ex parte obiecti specificantis & moventis, sed etiã ex capite principij applicantis hic & nunc; quod circa cognitiones necessarias est causa prima, quamquam sæpe in concursu alicuius humoris prædominantis, vel passionis, aut dispositionis subiecti: circa liberas verò est voluntas cuiuslibet prædita influxu opportuno Dei, quo adiuta applicat potentias cæteras ad exercitium cognitionis, aliter non futurum. Et certè obiectio æqualem, aut maiorem vim habet contra Aduersarios: nam si potentia seorsim ab omni specie superaddità est ex se determinata sufficienter ad totum suum obiectum cognoscendum; cur, quæso, semper non est in actuali ipsius cognitione? Aut cur sæpe ex duobus obiectis partialibus cognoscit vnum præ alio.

79 *AD Confirm. III.* negatur minor. Nulla enim potentia cognoscitiva habet intra se principiũ applicans ad exercitium cognitionis: cùm hoc solùm sit voluntas aliena, aut propria, quamquam sæpe in concursu alicuius præviæ sensationis, humoris, aut dispositionis subiecti, in quo est. Vnde retorquetur instantia proposita ab Aduersarijs in igne, cuius quidem proprium est comburere si applicetur; non tamen applicare seipsum. Ita cuiuslibet potentiæ, vbi necessarijs speciebus prævenitur, proprium est cognoscere; non tamen applicare seipsam.

80 *AD II.* Argumentum *eo num.* 11. etiam Aduersarij respondere tenentur, cur cognitio ipsa, in qua sit am volunt formalem representationem obiecti, & quæ reddit obiectum cognitum formaliter & in actu, non cognoscatur pariter à potentiâ. Si enim quia species repræsentat obiectum in nostrâ sententiâ, colligunt debere seipsam prius repræsentare, quoniam nequit præstare obiecto effectum formalem cogniti, aut repræsentati, nisi illud habeat in se, & per se; quomodo non idem dicendum erit de cognitione ipsâ, quæ in eorum opinione præstat quidquid posset præstari per speciem? Deinde, prætermissâ solutione argumenti ibidem assignatâ, & multipliciter impugnatâ, quasi ex mente Aduersariorum; dico, falsum esse absolutè, & in vniversum, quòd species repræsentativæ à nullâ potentiâ cognoscantur. Nam saltem a divino intellectu intuitivè cognoscuntur, quemadmodum & alia quævis entia creata, quantumcumque subtilem & minimam entitatẽ habeant, iuxta illud Scriptura: *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Deinde ab intellectu an-

angelico cognoſcuntur intuitivæ ſpecies in ijs reſidentes: quia non egent ſpecie diſtincta ad cognitionem propriæ ſubſtãtiæ, aut accidentium omnium, quæ intra ſe habent intra naturæ ordinem, qualiacũque ea ſint: idemque eſt de anima ſeparata. Denique & intellectus noſter pro hoc ſtatu, quamquam non intuitivè, abſtractivè ſaltem cognoſcit ſe habere ſpecies impreſſas, quibus actu cognoſcit, ſi ſequitur hanc ipſam ſententiam, quam tuemur: ſicut cognoſcit abſtractivè ſolùm ſe intelligere dum actu intelligit, quamvis non intueatur actũ ptopriæ intellectionis, prout in ſeipſo eſt. Ergo vniverſim loquendo falſum eſt, ſpecies impreſſas nullatenus cognoſci à potentia ijs vtente.

81 *DICES*: Intellectus noſter, ſaltem pro hoc ſtatu, nihil intra ſe exiſtens valet intelligere, adhuc abſtractivè, ſine prævia ipſius ſpecie impreſſa. Ergo ſi pro hoc ſtatu intelligit, ſeu cognoſcit abſtractivè, ſpecies intra ſe exiſtentes, cognoſcet illas non ſine pręvia ipſarum ſpecie; & hãc rurſus nõ ſine alia prævia, & ſic in infinitũ procedens aſsignando ſpeciem ſpeciei alterius repræſentativam: quod planè abſurdum eſt. *RESP.* Intellectum noſtrum pro hoc ſtatu, quoties abſtractivè cognoſcit ſpecies in ſeipſo exiſtentes, terminari ad illas tanquam ad obiectum cognitum; nõ verò tanquam ad rationem formalẽ cognoſcendi: ſicut quoties reflectit ſupra proprium actum, terminatur ad illum, tanquã ad obiectum, non verò tanquam ad exercitium formale cognitionis. Vnde ſicut nequit reflectere intellectus ſupra vnum actum niſi per alium; ſic nec poteſt reflectere in abſtractivam cognitionem ſpecierum, niſi per aliam ſpeciem, quæ illam repræſentet indutam ratione obiecti; neque in hanc rurſus, niſi per aliam. Qui proceſſus in infinitũ, ſicut nihil abſurdi habet quò ad actus cognitionis reflexæ, quos intellectus ſucceſſivè in infinitum elicere, ac replicare poteſt; ita etiã in ſpeciebus nullũ infert abſurdũ; cùm pariter poſsit intellectus adquirere ſpecies infinitas in potẽtia.

82 *SED* Quia argumentum ſemper vrget quò ad directam cognitionem cuiuslibet obiecti, quà non cognoſcitur ſpecies impreſſa ad eandem cognitionem præſuppoſita, & maximè in potentijs ſenſitivis, quæ incapaces ſunt reflectendi ſupra proprios actus; ideò reddẽda eſt ratio, cur licèt ſpecies impreſſa ſit forma repræſentans obiectum, non priùs aut principaliùs repræſentet ſeipſam, neque terminet cognitionem directam, ſicut reliquæ imagines exteriores. Ad hoc dico, rationem eſſe, quia ſpecies impreſſa conſtituit potentiam ex parte actus primi potentem exprimere obiectum intra ſe, & facere ſibi præſens per actum cognitionis. Id autem quod ex parte actus primi præſupponitur ad cognitionem, non oportet, vt per eandem attingatur: vt patet in qualibet potentia, quæ quia præſupponitur tanquã actus primus ad cognitionem, non attingitur per illam. Cognitio enim ſolùm exigit attingere obiectum, ſive terminũ cognitum; non verò rationem attingendi ex parte actus primi ſe tenentem, ſive illa ſit potentia, ſive comprincipium cum eadem potentia concurrens. At ſpecies impreſſa ſolùm à nobis ponitur tanquam ratio attingendi ſe tenens ex parte actus primi; non verò tanquam obiectum, ſeu terminus cognitus. Ergo cognitio non exigit attingere ſpeciem impreſſam: ideoque incognita illa poteſt cognoſcere obiectum, ſeu terminum ab ea repræſentatum. Contrà ſe habet res in imagine externà, quæ nõ ſe tenet ex parte actus primi ad cognitionẽ obiecti, potẽtis abſolutè ſine illa cognoſci, ſed per modũ termini, ſive obiecti intermedij. Vnde adoratio imaginum Dei nõ eſt actus theologicæ virtutis: quia obiectũ immediatũ eius non eſt quid increatũ ſed creatũ; nẽpe Imago Dei, per ſe attacta illo cultu, tendente ſolũ indirectè ad Deũ.

83 *INSTABIS*: Species impreſſa eſt vicaria obiecti, & ſolùm dicitur ſe tenere ex parte ipſius; non autem ex parte potentiæ: ideoque negari ſolet poſsibilitas ſpeciei creatæ repræſentantis Deum. Ergo ſpecies impreſſa etiam pertinet ad lineam obiecti, ſeu termini. At quidquid pertinet ad lineam obiecti, ſeu termini, debet attingi in ſe per actum cognitionis. Ergo ſpecies impreſſa in ſe debet attingi per actum cognitionis: quod tamen experientia demonſtrat eſſe falſum, vt in argumento contenditur. *RESP.* Speciem impreſſam communi loquendi modo dici, non ſe tenere ex parte potentiæ, ſed obiecti, quia non eſt virtus phyſica potẽtiæ, ſed ſolùm vicaria & repræſentativa obiecti; quòd, cum nequeat ſeipſo vniri potentiæ ex parte actus primi, vt pariat notitiam & conceptum expreſſum ipſius; vnitur mediante ipſa ſpecie. Cæterum

rùm abſolutè ſpecies ipſa ex parte actus primi ſe tenet, quia dat potentiæ continentiam obiecti in eſſe repræſentativo, ſine quà nequit in actu ſecundo exprimere ipſum obiectū. At quidquid ſe tenet ex parte actus primi ad cognitionem aliquam, non debet per ipſam cognoſci. Ergo ſpecies impreſſa concurrens ad cognitionem aliquam non debet per ipſam cognoſci. Itaque principium proximè elicitivum cognitionis conſtatur in actu primo ex duplici virtute, altera phyſicà potentiæ, altera intentionali ſpecici, & neutra illarū attingi debet eodem illo actu cognitionis directæ.

84 *AD III. Argum. ex num.* 17 etiam deſideramus ſolutionem Adverſariorum, efformādo obiectionem eandem in actibus potentiæ cognoſcitivæ; quam certum eſt ſimul ac ſemel attingere plura phyſicè incompoſsibilia in eodē ſubiecto. Exempli gratia, ſimul & ſemel videmus colorem album & nigrū approximatos ſibi, idque ſive eodem, ſive diverſis actibus viſionis. Quomodo ergo color albus & niger, phyſicè incompoſsibiles in eadē parte obiecti, compoſsibiles ſunt repræſentativè in eodem actu viſionis, vtrumque ſimul attingentis? Deinde reſpondeo, potētiam cognoſcitivam extendi ad plura in cognoſcendo, quàm ſubiectum quodlibet in habendo, vt patet vel in ipſis ſenſibus externis, qui ad innumerabilia obiecta partialia, ac ſæpe contrarijs qualitatibus affecta, extenduntur, cùm tamen nullum ipſorum patiatur ſimul qualitates contrarias in ſe. Hinc ergo eſt, vt quemadmodū potentia eadem ratione ſuæ amplitudinis poteſt cognoſcere plura obiecta phyſicè ſibi contraria; ſic etiam poſsit ac debeat habere intra ſe illorum repræſentationē intus impreſſam. Cæterū ſicut vnum idēque obiectum partiale nequit ſimul habere qualitates cōtrarias, aut prædicata privativè, ſeu contradictoriè oppoſita; ſic etiam nec potentia eadē poteſt ſimul cognoſcere illud vt ſubſtans exercitè qualitatibus aut prædicatis inter ſe oppoſitis, neque habere ſimul repræſentationem ipſius ſub eà ratione. Aliàs cognitio & repræſentatio illius falſa eſſet, ac repugnans. Indeque oritur, vt nequeat, ſaltem naturaliter, coëxiſtere eiuſdem obiecti cognitio demonſtrativa, & opinativa, evidens & obſcura.

85 *AD IV. Argum. ex n.* 20. non eſt opus quidquam addere præter dicta *à n.* 70. & ſæpius obiter, contra Lalemandet, probando non ſufficere ſympathiam naturalē vt potentiæ ſua obiecta cognoſcāt.

SECTIO SEPTIMA.

Occurritur argumentis ſectione ſecunda propoſitis contra ſpecies intelligibiles, ſenſibiles, & viſuales.

68 *AD I. Argum. ex num.* 23. nego antecedens. *AD I.* Probationem dico, ſpecies, quibus perficitur intellectus, eſſe ſpirituales, quamquam miniſterio ſenſuum cōparatas, iuxta ea quæ præmiſi im⁹ *diſp.* 83 *ſect.* 3. ideo que poſſe intellectum ijs perfici accidentaliter. Neque obſtat quòd intellectus ſit æternus & indefectibilis; è contrà vero ſpecies: quoniam id ſolùm probat eas non eſſe perfectionem eſſentialem intellectus, ſed accidentalem tantùm: vt patet in actibus intellectionis, ſive angelicæ, ſive humanæ, qui perficiunt accidentaliter vtrūque intellectum naturà ſuà æternum, quāquā variabiles & defectibiles ſint. Ex quibus patet ad II. Probat. *AD III.* dico, intellectum antequam actu intelligat, nō eſſe intelligibiliter aliquid eorum, quæ intelligit, in actu ſecundo, & expreſsè; quod ſolùm colligitur ex doctrina Philoſophi eo loco. Sed cū hoc cohæret, quòd ſit in actu primo & intelligibiliter ipſum obiectum, quatenus informatur ſpecie repræſentāte ipſum in actu primo. *AD IV.* Solùm infertur, intellectū poſſe ſimul intelligere plura, quatenus in eadem ratione formali conveniunt; non verò quatenus differunt, ſive in quantùm plura: quod ſolùm negat Philoſophus. Idque debent reſpōdere Adverſarij, ſi eodem argumento impetantur, quòd certè non magis vrget poſitis, quàm negatis ſpeciebus impreſsis. *AD V.* Negatur ſequela, nullam vim habens in noſtra ſententia maiorem, quàm in oppoſita, vt conſideranti patebit. Deinde dico, poſſe intellectum falli: quia licèt quælibet ſpecies repræſentet naturaliter obiectum, poteſt cum alia confundi, & perperam combinari in intellectu; ſicut & in ſenſu interno, ratione ſpecialis indiſpoſitionis, aut temperamenti; ideoque reſultare falſa cognitio. quod tamē in ſenſu externo minimè accidit, quia primò recipit limpidā & immediatam obiectorum repræſentationem.

AD

87 *AD Confirm.* Sicut intellectus ex ſe potentia vniverſalis eſt circa omne verum, quamquã producatur actione ſingulari creationis ſimul cum anima; ita ſpecies quælibet intellectualis, ſeu intelligibilis, eſt vniverſalis in repræſentando, quamquam producatur actione ſingulari. Vnde non tollitur neceſsitas reflectendi ad phantaſmata, vt intellectus diſtinctè ſingularia cognoſcat. *AD II. Confirm.* Iuxta Apoſtolum *ad Romanos* 1. inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Iuxta Philoſophum etiam, nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu. Hinc colligitur, ante cognitionem intellectualem abſtractivam Dei, quam in via habemus, ſimiliter & Angelorum, præcedere in nobis notitiam aliquam ipſorum, miniſterio ſenſuum comparatam, ac proinde medijs ſpeciebus omnino improportionatis, nullamque cum ijs obiectis connexionẽ habentibus. Cæterùm poſtea intellectus abſtrahendo res à materia, & rationes vniverſales conſiderando, poteſt medijs ſpeciebus purè ſpiritualibus abſtractivè evidenter deprehendere exiſtentiam & perfectiones Dei ſimpliciter ſimplices, ac de facto id præſtat: ſimiliter & exiſtentiam ſubſtantiarum ſpiritualium infra Deum ex effectis mirabilibus magiæ ſuperſtitioſæ, vt diximus in Theologia Florulenta *tomo priore Ludo* 1. *excurſu* 2. & 8. Ex quibus patet ad vltimam inſtãtiam.

88 *AD II. Argum. ex num.* 28. nego antecedens. Non enim ſufficit determinatio externorum ſenſuum, vt poſtquam illorũ operatio deſijt, ſenſus interni cognoſcant eadem obiecta, niſi in ijs maneat determinatio aliqua fixa & permanens, atque interno ſenſui ſuperaddita; vt oſtenſum eſt. *num.* 53. Ex quibus patet ad 1. Confirm. *AD II. ex num.* 30. nego minorem: quia adhuc requiritur applicatio potentiæ. Ad vlteriorem inſtantiam nego ſpeciem altiſsimi montis non poſſe recipi in ſenſu interno, aut externo. Illa enim, non mole, ſed virtute, aut repræſentatione magna eſt; ſicut & imago externa totius Orbis terrarum in exiguo globo ſphærico, iuxta illud Lucij Flori, initio Romanæ Hiſtoriæ: *Quia ipſa ſibi obſtat magnitudo, rerumque diverſitas aciem intentionis obrumpit, faciam quod ſolẽt qui terrarum ſitus pingunt: in brevi quaſi tabella totam eius magnitudinem amplectar.* Et certè ſi Adverſarij volunt viſionem oculi tantillam repræſentare potentiæ totum montem; cur renuunt id concedere ſpeciei in oculo exiſtenti? Vtriuſque enim difficultas eadem eſt.

89 Ad impugnationem vltimam, quæ longè difficilior eſt in principijs Thomiſtarum, faciliè reſpondebunt quicumque docent plura accidentia ſolo numero diſtincta poſſe coexiſtere in eodem ſubiecto. Conſequenter enim dicent, nihil abſurdi in eo eſſe, quòd plures ſpecies ſolo numero diſtinctæ ſimul inſint eidem potentiæ. Ego certè probabiliſsimam cenſeo, & in nullo diſcordantem à veritate, aut à D. Th. eam opinionem, ſi accipiatur, non de accidentibus omnino abſolutis, ſed de connotativis, & quæ nõ individuantur à ſubiecto in ſe præcisè conſiderato, ſed prout connotante terminum ſpecialẽ extra ſe, vt diſtinctũ ab omni alio. Ideo exiſtimo in eodem indiviſo corpore Chriſti eſſe diverſas ſolo numero præſentias ſacramentales per ordinem ad hoſtias ſolo numero diverſas, ſub quarum vna potuit non eſſe, adhuc poſtquã exiſtebat ſub alia. Idemque videtur dicendum de pluribus ſpeciebus repræſentantibus individua plura eiuſdem ſpeciei, ſecundùm propria ac ſingularia cuiuſque lineamenta: quia non individuantur ab vnitate numerica ſubiecti abſolutè conſiderata, ſed vt connotante obiectum numero diſtinctum ſub ratione individuali & propria. An verò idem dicendum ſit de relatione patris ad plures filios, conſtabit ex dicendis in Metaphyſica: vbi hæc ipſa difficultas accuratiùs veſtiganda eſt. Et certè ad ſenſum patere videtur, ſpecies plurimorum ovorum eiuſdem magnitudinis ac figuræ ſolo numero diſtingui, ſicut & ipſa ova; nec habere vnde eſſentialiter differant inter ſe.

90 *AD III. Confirm. ex num.* 34. dicendum, ſpecies ſenſuum internorum non cauſari immediatè ab obiectis, ſed mediante operatione ſenſuum externorum, quã non præeunte, nequit ſenſus internus aliquid cognoſcere. Quia tamen adhuc in ſpeciebus ſenſuum externorum eadem ferè difficultas eſt, quoniam ſubtiliores ſunt obiectis ſenſibilibus; dico poſſe illas ab obiectis cauſari, in iſſque contineri, quemadmodum & relationes prædicamentales, & proprietates occultæ, & plura alia ſenſuum noſtrum prætergreſſa continentur: quia

in quovis obiecto eſt virtus æquè ſubtilis ac ſpecies ipſæ vt eas producat, & adhuc illa materialis eſt ſimpliciter, ac proinde non ſupra exigentiam obiecti ſenſibilis materialiſque, à quo abſolutè exceditur, ſaltem quatenus ſub eiſdem accidentibus ſenſibilibus habet eſſe ſubſtantiale. Fateor plura horum difficilia eſſe, & quorum ſolutionem ab alio diſcere mallē, quàm reddere.

91 *AD Confirm. IV.* Species debet eſſe indiſtincta ab obiecto in genere repreſentativo; diverſa autem in genere entis, vt & in imagine externa videre eſt. Neque ampliùs evincit I. aut I. Probatio: nam qualitas obiecti & ſpeciei eſt vna in eſſe repræſentativo, in quo ſolùm ſimilitudinem habent. *AD III. Probat.* alia eſt ratio in natura divina, cùm quà ſicut nulla forma creata poteſt eſſe idem in genere entis, ſic neque in repræſentativo genere.

92 *AD III. Argum. ex n.* 36. conſtat ex dictis circa ſingulos ſenſus præcedentibus diſputationibus, omnes eos egere ſpeciebus ad percipienda propria obiecta, etiam approximata. Solùm ſupereſt reſpondere ad II. Confirmationem eiuſdē argumenti, cuius antecedens negatur. *AD I. Probationem* recta eſt ſolutio Moriſani ibidem interiecta: vt patet ex dictis *tom. præced. diſp.* 41. *à num.* 15. vbi oſtenſum eſt multipliciter, diſtantiam, & indistantiam, motum & quietem, percipi viſu, interſenſibilia communia. Ex quibus patet ad impugnationem. *AD II. Prob.* ex Iride deſumptam, poteſt primò reſpōderi cum D. Th. 3. *Meteorōn c.* 4. & Suarez *l.* 3. *de Animâ c.* 15. colores Iridis veros eſſe: ac proinde poſſe mittere ſpeciem veram in oculos. Iuxta opinionem verò oppoſitam, quæ communis eſt Recentiorum, & multiplex fundamentum habere creditur apud eundem D. Angelicum alijs locis, dicendum, ſpeciem repræſentativam colorum non mitti ab Iride, tanquam ab obiecto; ſed à nube rorida, quæ perfuſa luce Solis mittit ſpeciem ſui veri coloris in Iridem, tanquā in medium, è quo ſpecies ipſa reflectit in oculos: ſicut & ſpecies veri coloris rubri exiſtentis in feneſtra vitrea tingit ſolùm apparenter aërem, indeque veluti è medio reflectit in oculos intuentis. Vnde ſicut in hoc poſteriori exemplo ſpecies mittitur reflexè à colore vero, ſic & in priori. *AD III. Prob.* Quamquam in ſpeculo & aquis videantur noſtri vultus ſola luce & colore conſtantes ex parte obiecti; debet præterea aſsignari aliquid intrinſecè fœcundans potentiam, & non ſolùm extrinſecè aſsiſtens, vt pariat viſionem. *AD IV.* Patet ex nuper dictis ad I I. Probat. *AD V.* Ante ipſum viſionis actum aſsignanda eſt virtus obiecti, ex cuius conſortio potentia fœcundetur in actu primo ad pariēdam notitiam. *AD VI.* Omnia quæ in debita proportione præſentia ſunt oculis, & ſufficienter illuminata, mittunt ſpeciem ſui. Hinc patet ad VII. quia in aquis & ſpeculis deeſt quādoque illuminatio, ac proinde & ſpecierū miſsio, & reflexio. Coitio autem radiorū lucis & coloris in denſioribus perſpicilijs, non ſufficit, niſi addatur ſpecies denſior in oculum miſſa.

93 *AD Probat. vltimam*, pariter reſpondere tenentur Adverſarij, negatis ſpeciebus, cur actus viſionis ſolo concurſu extrinſeco coloris ac lucis ea omnia obiecta inverſo ordine repræſentet. Nos dicimus, turres, & arbores, & homines, & iumenta littoribus proxima, repræſentari inverſo ordine, quia infima illorum pars eſt proximior aquæ, quam ſuprema, ac proinde mittit ſpeciem reflexam repræſentantem immediatiùs obiectum, quod margini propinquius eſt. Eadem quoque ratione ſiniſtra apparet dextera in ſpeculo: quia parti dexteræ ſpeculi proximior eſt ſiniſtra noſtra. Neque ideo in ijs, aliſve inverſionibus obiectorum fallitur ſenſus externus: quia ipſe non iudicat obiecta eſſe inverſa in ſeipſis, neque ad illum ſpectat iudicare de ſitu, loco, aut poſitione recta, inverſave colorū; ſed percipere ſuū obiectum, qualiter repræſentatur in ſpecie.

SECTIO OCTAVA.

Corollaria quædam ex dictis circa naturam & munus ſpeciei impreſſæ, diſtinctionemque ab expreſſa, & habitibus adquiſitis.

94 EX Dictis toto ferè diſputationis progreſſu conſtat, ſpecies impreſſas eſſe neceſſarias vt potētiæ cognoſcitivæ habeant præſentia obiecta ſecundùm eſſe intentionale. Aliter enim non poterunt illa intra ſe exprimere, ſeu qualitercumque cognoſcere; quia nequit potentia cognoſcere aut exprimere illud obiectum, cuius ſimilitudi-

ne m

nem intra ſe non habet. Dubium autem eſt, an ſpecies impreſſa ſit ſimilitudo formalis obiecti, an ſolùm virtualis. Quidam formalem aiunt, quidam ſolum virtualē, & vtrique ſatis probabiliter, tam intra, quam extra Scholam Thomiſtarum: vt videre eſt apud Suarez *lib.3. de Anima cap.* 2. & Ioannem à S. Thom. *quæſt.6. art.3.* Controverſia eſt levioris notæ, & in qua quoddammodo vtrumque ſtatui poſsit. Quamvis enim ſpecies impreſſa non ſit formalis ſimilitudo obiecti in eſſe entitativo, ſicuti neq; expreſſa, quia neutra earum habet entitatem eiuidem formæ cum entitate & forma realiter conſtitutiva obiecti, & vtraque differt ab eo ſicut accidens à ſubſtantia; attamen in alio ſenſu poteſt ſpecies impreſſa dici formalis obiecti ſimilitudo, quatenus formaliter habet eſſe intentionale, quod eſt eſſe repræſentativum obiecti; & totum quod eſt in obiecto realiter, convenit ſpeciei in genere repræſentativo. Ergo eſt formalis ſimilitudo, ſeu repreſentatio obiecti. In quo planè differt à ſemine, quod ita eſt virtus generantis in eſſe naturali, vt tamē nullo modo participet eſſe ipſius geniti, ſed ſolū ſit virtus ad illud producendū. Species autem impreſſa ita eſt virtus ad producendā cognitionem & exprimendum intentionaliter obiectum, vt tamen habeat eſſe ipſius obiecti, pront in genere repreſēntativo.

95 *ALIVNDE* Etiam poteſt dici virtualis ſimilitudo obiecti, tum quia eſt virtus ſe tenens ex parte obiecti ad cōcurrendum cum potentia in ordine ad ſui cognitionem; tum etiā comparatione facta ad ſpeciem expreſſam, quæ longè formalior ſimilitudo obiecti eſt, quoniam obiectum per illam magis formatur, & redditur in actu ſecundo repræſentatū, veluti in expreſſa imagine; cùm tamen per ſpeciem impreſſam ſolùm repræſentaretur in actu primo. Poteſt igitur ſub hac poſteriori cōſideratione ſpecies impreſſa dici ſolùm virtualis ſimilitudo obiecti. Sive autem vnum, ſive alterum dicatur, ſub munere ſpeciei impreſſæ non exprimit aliquid de genere entitativo, ſed illud præſupponit: quia in quantùm ſpectat ad repræſentativum genus, ſolùm comparatur ad obiectum quatenus verum, ſeu cognoſcibile; licèt ex conceptu tranſcendenti & communi ſit, vel ſubſtātia, vt in Deo, & Angelo ſeipſum cognoſcente; vel accidens inhærens potentiæ. Vt enim potentia cōſtituatur potens cognoſcere & exprimere obiectum intra ſe, debet dari vnio realis, ſive inhærentia ſpeciei gerētis vices obiecti: & ex vtroque principio, ſcilicet, potētia vt ſubiecto, ac ſpecie impreſſa vt forma intentionali, reſultat concretum potens cognoſcere & exprimere obiectum, ſaltem vbi obiecti ſpecies expreſſa produci poteſt, de quo *diſp ſeq.*

96 *COLLIGITVR* Præterea, ſpeciem impreſſam concurrere efficienter ad cognitionem. Quod docet S. Th. 1. *p. q.56. art.1. & q.86. art.2. & q.2. de Verit. art.6.* vbi inquit: *Similitudo cogniti, quâ informatur potentia, eſt principium cognitionis ſecundum actum, ſicut calor cálefactionis.* Ratio eſt: quia concurrit vt virtus ſupplens vices obiecti, & fœcundans potentiam, ac præſtans ipſi continentiam intentionalem, tū eiuſdem obiecti, tum & cognitionis, quam ex ſe non habebat, ſaltem completam, vt *ſect.3.* oſtenſum eſt. Præterea id ſuadetur, quia iuxta modum loquendi Ariſt. Auguſtini, D. Th. & aliorū, ibidem obſervatum, potentia ſe habet vt fœmina, & obiectum inſtar viri, ad pariendam cognitionē. Ergo quemadmodū vir media virtute ſeminis concurrit activè phyſicè in ordine ad generationem conceptumque naturalē; ſic etiam obiectum media virtute, ſive ſemine intētionali, quod eſt ſpecies impreſſa, concurrit activè intentionaliter ad pariendam cognitionē & conceptū internū. Vnde & neceſſum eſt, ſpeciē impreſſam activè cōcurrere. Quare & ſpecies expreſſa evadit valde ſimilis impreſſæ, vt rationi agendi, & formaliter in actū ſecundo eſt idem ipſum, quod erat ſpecies impreſſa in actu primo: cum hoc tamen diſcrimine, quod ſpecies impreſſa ſolùm ſit virtus, intentionalis, & medium *quo* ad cognoſcendum; expreſſa verò, terminus, ſeu mediū *in quo*. Verum de ijs amplius diſputatione ſtatim ventura.

97 *QVAMVIS* Autem ſpecies impreſſa efficienter concurrat ad actū cognitionis, non tamen vt principium vitale illius, ſed ſolùm vt virtus determinativa & effectiva ex parte obiecti extrinſeci, quæ proinde non exigit oriri intrinſecè à potentia, ſeu ab ipſo vivente; ſed poteſt provenire ab extrinſeco. In quo certè aſſimilatur habitibus præſupponētibus potentiā, qui vitales non ſunt; quoniā, eſto effectivè concurrāt ad operationem, non tamē per modū principij vitalis, ſive ab intrinſeco

conveniēs viventi, sed pōtentis ipsi cōvenire ab extrinseco. Differunt autē habitus eiusmodi à speciebus impressis in pluribus alijs: ac primùm quidem in eo quòd species impressæ constituant potentiam proximam in ordine ad cognoscendum, ideoque tribuant ipsi simpliciter posse: habitus autem adquisiti totam potentiam proximè constitutam supponunt, solumque ipsi præstant maiorem facilitatem, seu determinationem ad operandum. Vnde & sine ijs absolutè fieri solet operatio eiusdem rationis simpliciter, & quò ad substantiam saltem, cum ea, quæ fit medio habitu. Secundò differunt in hoc quod habitus determinat potentiam ex parte virtutis, & confortando vires eius activas, iam præsuppositas, in ordine ad determinatum obiectum: species autem impressa determinat potentiam tanquam virtus obiecti, constituens eam potentem ad ipsum exprimendum activè. Quare obiectum non concurrit efficienter ad cognitionem sui mediante habitu, quoniam non est virtus ipsius; sed mediante specie impressa, quæ pro illo substituit, estque virtus eius vices gerens.

98 *EX* Quibus obiter constat, falsam esse opinionem eorum, qui aiunt habitus consistere in speciebus impressis invicem coordinatis inter se. Constat enim diversam esse omnino rationem vtrorumque, & determinationem potentiæ provenientem à speciebus impressis esse longè allam ab ea, quæ provenit ab habitu adquisito. Verùm de hoc vberior redibit sermo in Metaphysicà, ad quam directè spectat.

DISPVT. NONAGESIMA.

DE SPECIEBVS EXPRESIS.

An sint necessariæ species expressæ in omnibus potentijs apprehensivis?

Num. 1. *SVPPOSITA Ex præcedentibus necessitate & existentia specierum impressarum in omni potentia apprehensiva, tam intellectuali, quàm sensitiva, tum interna, tum & externa; procedimus modò ad vestigandum, an præterea in omnibus eisdem potentijs sit necessaria specierum expressarum existentia. Porrò generatim loquendo, nomine speciei expressæ nihil aliud accipitur, quàm similitudo quædam, seu imago, aut idolum repræsentans in actu secundo, obiectum ipsum, quòd in actu primo, & per modum principij, repræsentabatur in specie impressa. In intellectu autem non solùm habet communem appellationem speciei expressæ, sed etiam allam singularem conceptus, seu verbi, quoniam dicendo, seu interiùs loquendo, exprimitur. Cuiuscumque autem potentiæ sit, frequenter à D. Thom. appellatur medium* in quo, *seu habens se instar medij*, in quo: *vt* q. 4. de Verit. art. 2. ad 3. *quia illa, vt termino cognito, contemplamur obiectum. Dissidium itaque est, an necessariò admittendæ sit in qualibet potentia, habente vim cognoscendi, eiusmodi species. Et quia fortasis non omnium potentiarum apprehensivarum eadem ratio est, procedemus ordine quodam, primò circa sensus externos, secundò circa internos, tertiò denique circa ipsum intellectum. Omnia hæc viam sternent ad quærendum quomodo species expressa comparetur ad actum cognitionis: quod vestigabitur à sect. 5. vbi & allegabimus Authores vtrimque dissidentes. Excitari potest disputatio hæc in omnia loca, in quæ præcedens, quoniam in ijs agit Aristot. de formis intentionalibus obiectorum.*

SEC-

SECTIO PRIMA.

An in ſenſibus externis admittēdæ ſint ſpecies expreſſæ? Eligitur ſententia negans, & argumenta in oppoſitum expediuntur.

2 SIT I. *Aſſertio.* In ſenſibus externis nulla datur ſpecies expreſſa, ſive imago obiecti, tanquam terminus cognitionis, ſed ſola cognitio terminata ad obiectum præſens. Ita docet luculenter S. Thomas pluribus locis, præſertim *Quodlib.5.art.1.ad 2.& Quodlib.8. art.3.& 1.p.q.85. art.2.ad 3.* Quin & argumentum præcipuum adverſæ opinionis deſumptum ex eo quòd omnis actio debet producere terminum, præoccupat 1. *contra Gent. cap.100.* vbi docet non eſſe de ratione immanentis actionis, quòd operetur, ſeu efficiat aliquid, *ſicut audire*, inquit, *& videre: huiuſmodi enim perfectiones ſunt eorum, quorum ſunt operationes: & poſſunt eſſe vltimum, quia non ordinantur ad aliud, quod ſit finis.* Si autem eiuſmodi operationes in ſenſibus externis producerent ſpecies expreſſas obiectorum, verè aliquid efficerent, & non eſſent quid vltimum, ſeu terminus, ſed potiùs medium & via ad ſpecies ipſas, tanquam ad terminum: quod D. Thomas negat. Denique 1.*p.q.27 art.5.* docet operationem ſenſus externi perfici in immutatione ab obiecto ſenſibili. quo planè indicat ſufficere immutationem ſenſus externi mediante ſpecie impreſſa ab obiecto producta, quin præterea opus ſit vt operatio ſenſitiva producat in ſenſu terminum perficientem. Hæc ſententia eſt contra omnes illos Authores, qui aiunt ſpeciem expreſſam non diſtingui ab actu ipſo cognitionis; atque adeò fateri debent, omnem potentiam cognoſcentem actu, eo ipſo formare ſpeciem expreſſam obiecti.

3 *RATIO* Potiſſima deducitur ex ipsa naturâ externæ ſenſionis, quæ prout diſtincta ab actibus cognitionis internæ, eſt experimentalis, experientiâ deducta ab obiecto præſenti, & ex motione ipſius in ſenſum externum, veluti à quâ primò inchoatur. Ergo in illam vltimò debet reſolvi omnis noſtra cognitio, tanquam in id, à quo primò incepit: quia vnumquodque vltimò reſolvitur in id, à quo primò incipit. Ergo nulla ſenſio externa producit ſpeciem expreſſam, veluti terminum à ſe diſtinctum. Patet hæc conſequentia: quia ſi hæc produceretur, in eam tandem fieret vltima reſolutio cognitionum noſtrarum; non autèm in ipſam externam ſenſionem. *Confirm.* Si enim res exteriùs ſentirentur in imagine aliquâ, & non immediatè, ac ſine ipſius interventu, cognitio illa non eſſet experimentalis rerum in ſeipſis, ſed in alio; ſcilicet, in imagine illarum, in qua repræſentarentur. Ergo ſenſatio illa exterior adhuc reſolubilis eſſet per comparationem eius imaginis ad rem, cuius eſt imago. *Confirm. II.* Quia ſi exterior ſenſio adhuc reſolubilis eſſet per comparationē eius imaginis ad rem, cuius eſt imago, deberet vi eiuſdem comparationis cognoſci vtrumque extremum immediatè, ſcilicet, & imago, & res ipſa, vt ſic evidenter noſceremus eſſe imaginem illius rei, & non alterius. Ergo tunc oporteret actum ipſum ſenſionis externæ terminari immediatè ad rem ipſam abſq; imagine interiectâ, & ad præcedentem imaginem. Ex quo planè ſequitur non ſolùm quòd prior ſenſio externa non fuiſſet experimentalis, ſed etiam quòd ſicut hæc poſterior ſenſio terminata fuit immediatè ad obiectum exterius, ſic etiam potuit terminari illa prior. Cumque eadem ratio ſit de omni alia ſenſione externâ, conſequens eſt vt nulla habeat producere rerum exteriorum imaginem, ſed potiùs percipiat obiecta immediatè in ſeipſis.

3 *DICES*: In Angelis datur cognitio experimentalis rerum in ſeipſis, & tamen illas non agnoſcunt, niſi mediâ imagine, ſeu ſpecie expreſsâ earundem. Ergo quòd omnis ſenſio externa in nobis ſit cognitio experimentalis, non probat excludi debere imaginem, ſeu ſpeciem expreſſam interiectam. *SED Contrà.* In Angelis eſt longè diverſa ratio experimētalis cognitionis, quæ non ſumitur à rebus ipſis, ſed ex ſpeciebus inditis, à quibus totam ſuam certitutinem habet. In nobis verò omnis cognitio experimentalis deſumitur à rebus ipſis, atque adeò non in aliquam imaginem interiectam reſolvi debet certitudo notitiæ, ſed in immediatam earundem perceptionem. Nec ſufficit ad eam certitudinem habendam quòd imago, ſeu ſpecies expreſſa naturaliter repræſentet rem: quia poſſet non bene, aut aliter ac eſt, illam repræſentare, vt accidit ſæpe in ſpeciebus phantaſiæ, quamvis etiā naturaliter repræſentent obiecta. Vt igitur

ex

ex omni sensione externa habeatur certitudo experimentalis, debet illa terminari ad rem in seipsâ, & absque interventu alicuius imaginis. *Præterea.* Ex nulla potentiâ internâ, saltem spirituali, qualis est intellectus, fieri potest argumentum, quò ad interiectionem imaginis, ad sensus externos: quia hi ratione materialitatis suæ in infimo cognoscendi gradu, nequeunt cognoscere aliquid sibi intrinsecum, neque vllo modo reflectere suprà aliquid intrinsecum sibi. Si autem perciperent obiecta externa mediante aliquâ imagine in ijs existente atque immanente, iam cognoscerent illam veluti medium *in quo*: ac proinde cognoscerent aliquid sibi intrinsecum, & per comparationem illius ad obiectum quoddammodo in id reflecterent.

5 *OPPONES I.* D. Thomam in librum Arist. de Somno & Vigilia *lect.* 2. docentem interdum permanere simulacra rerum sensibilium iam absentium in sensibus externis: vt quoties aliquis defixit oculos in Sole, & eos avertat aliorsum vbi Sol non lucet, omnia videntur lucida; & quoties intentissimè vidit colorem aliquem, omnia apparent postea eiusdem coloris. Ergo tunc in oculis sunt species expressæ earundem rerum absentium, quia impressæ nequeunt in ijs casibus permanere, cùm dependeant in suo fieri & conservari à præsentia reali obiectorum.

6 *RESP.* Simulacra illa non esse species expressas sensuum exteriorũ, nec impressas immediatè ab obiectis in sensus externos, quoniã hæ cessant absente obiecto, seu abscondito; sed alias species impressas, quæ ab oculis, & alijs sensibus externis transmittuntur in sensum communem & cæteras potentias internas, recipiunturque in spiritibus, tanquam in vehiculis. Itaque quoties excellens aliquod sensibile, vt lux Solis, vehementer movet sensum externum, omnes spiritus, qui in eo sunt, replentur illis speciebus: quæ proinde ab ijs aliquantulum detinentur in sensu externo, antequam interiùs trajiciãtur; atque adeò, etiam absente obiecto, & succedentibus speciebus aliorum obiectorum, simul cum ijs sunt, confusionemque pariunt, ità vt recentia obiecta videantur prioris illius exhibere similitudinem. Cæterùm trajectis speciebus sensibilis vehementis in sensus internos, cessat omnis illa sensus externi hallucinatio.

7 *OPPONES II.* Nulla vera actio prædicamentalis dari potest, quæ non sit productio alicuius termini, & immanentis intra ipsam potentiam, si actio immanens & vitalis sit. At omnis externa sensio est actio prædicamentalis, & immanens ac vitalis. Ergo nequit non producere aliquem terminum immanentem intra ipsam potentiam; qui certè nullus alius esse potest, quàm species expressa. Maior cum consequentia patet. Minor quò ad primam partẽ, quæ sola probatione eget, suadetur. Si enim sensio externa non est actio prædicamentalis, nihil aliud esse poterit, quàm vera qualitas à sensu producta. Ergo cùm nihil possit produci à sensu, nisi mediâ aliqua actione prædicamentali, oportebit assignare in sensu actionẽ aliquam prædicamentalem, qua producat sensionem externam, vt terminum immanentem. Ergo cùm terminus immanens eius actionis prædicamentalis nequeat esse alius, quam expressa species, de primo ad vltimum in externis sensibus debemus concedere speciem expressam.

8 *RESP.* Concessâ maiori, negando minorem quò ad primam partem: quia, vt vidimus ex D. Thomâ, omnis sensio externa est vltima perfectio sensus: atque adeo nequit esse prædicamentalis actio, quia hæc non est vltima perfectio agentis, sed motus imperfectus & via ad terminum; neque quæritur propter seipsam, sed propter terminum ab ea productum. Vnde & cessat, seu desinit esse, producto termino. Sensio autem externa, eo ipso quòd sit vltima perfectio sensus, non quæritur propter aliquem terminum ab eâ distinctum, sed propter se, neque habet adiunctum motum, seu passionem prædicamentalem; ideoque non est prædicamentalis actio. Ad probationem minoris, concedo sensionem externam esse veram qualitatem; non tamen procedentem à sensu mediante aliquâ actione prædicamentali; sed immediatè & naturaliter ab eo emanantem in præsentiâ obiecti; sicuti emanat actio prædicamentalis à potentia immediatè, & absque interventu alterius actionis. Differt tamen essentialiter ab eâ in pluribus alijs, & maximè in hoc, quòd actio prædicamentalis respicit terminum, vt effectum à se productum cum physico motu & passione: sensio autem externa solùm respicit terminum suum,

vt

vt obiectum attactum, abſque vllà productione, paſsione, aut motu phyſico. Quæ omnia lucem pleniorem mutuabunt ex progreſſu diſputationis.

9 *DICES.* Senſiones externæ habent producere ſpecies impreſſas in ſenſibus internis: quoniam hi non participant ſpecies immediatè ab obiectis, ſed mediātibus externis ſenſibus, qui primo accipiunt ſpecies ab obiectis, & deinde tranſmittunt in ſenſum communem, alioſque interiores. Ergo ſenſus externi habent, ſeu eliciunt aliquam actionem prædicamentalem, quà eiuſmodi ſpecies producant in internis ſenſibus: quia ſine tali actione nequit in ijs produci terminus ſive effectus realis. At eiuſmodi actio nulla alia eſt, quàm ſenſio externa; neque enim alia eſt, aut elici poteſt ab externis ſenſibus. Ergo illa eſt actio prædicamentalis.

10 *RESP.* Productionem ſpecierum non debere eſſe actionem prædicamentalem: vt patet in obiectis externis ſenſibilibus, quæ per ſolam emanationem producunt ſpecies impreſſas ſui ipſorum in ſenſibus, abſque vllà prædicamentali actione. Hæc enim adiunctam habet phyſicam alterationem & motum, cùm tamen exploratum ſit poſſe mitti ſpeciem ab obiecto abſque omni phyſicà alteratione & motu. Quare ex eo quod ſenſus externi producant ſpecies in internis, ſeu illas emittant, malè colligitur, operationem, qua id præſtant, eſſe actionem prædicamentalem. Fatemur itaque, ſenſus externos concurrere ſimul cum externis obiectis ad productionem ſpecierum in internis ſenſibus; quia illæ non producuntur ab obiectis externis ſeorſim & immediatè, ſed ſimul cum ipſis ſenſibus externis. Etenim interni ſenſus non modò iudicant de obiectis ſenſuum exteriorum, ſed etiam de illorum actibus, vt quòd oculus viderit, auris audiverit, &c. quod iam *diſp.* 84. vberiùs ſtabilivimus: ideoque ſpecies interiorum ſenſuum, præſertim ſenſus communis, repræſentant ijs obiecta externa, quatenus cognita à ſenſibus externis. Quare Ariſt. in præſenti *lib.* 3. *c.* 3. *textu* 161. definit operationem phantaſiæ per hoc, vt ſit κίνησις ὑπὸ τῆ αἰσθήσεως τῆ κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης: *motus factus à ſenſu iam operante.* Patet verò, ſenſum iam operantem non aliter movere poſſe phantaſiam, quàm media productione ſpecierum: quæ ſicut in obiecto externo non eſt prædicamentalis actio, ſic neque in externo ſenſu.

SECTIO SECVNDA.

An ſenſus interni producant idola, ſeu ſpecies expreſſas obiectorum ſenſibilium? Statuitur affirmativa pars, & difficultates nonnullæ extricantur.

11 *SIT II. Aſſertio.* In omnibus ijs ſenſibus externis quibus adeſt vis cognoſcitiva obiecti indifferenter, ſeu abſtrahendo à præſentiâ & abſentiâ illius, neceſſariæ ſunt ſpecies expreſſæ. Aſſertio hæc luculenter traditur à D. Thomâ 1. contra Gent. cap. 53. vbi inquit: *Species expreſſa debet formari quando poteſt indifferenter cognoſci res abſens & præſens; & ſecundò quando res debet immaterialiter ſeu ſpiritualiter attingi: & in primo convenit cū intellectu imaginatio, quæ etiam rem abſentem cognoſcit.* Cum verò eadem ratio ſit de memoriâ ſenſitivâ, quæ rerum ſenſibilium ſpecies in abſentiâ conſervat, earumque recordatur, conſequens eſt, vt & in eâ admitti debeant ſpecies expreſſæ. Ratio deſumitur ex principio oppoſito aſſertioni præcedenti. Omnis enim cognitio, quæ non eſt experimentalis, eo ipſo eſt expreſsiva obiecti intra ſeipſam. At ſenſatio interna abſtrahens à præſentiâ & abſentiâ obiecti, eſt cognitio non experimētalis. Ergo eſt expreſsiva obiecti intra ſeipſam, ac proinde inferens ſeu habens rationem ſpeciei expreſſæ. Conſequentia conſtat quò ad primam partem, & ſimiliter quantum ad ſecundam, in quâ modò abſtrahimus à diſtinctione indiſtinctionevè reali inter cognitionem & ſpeciem expreſſam, de quo *infrà*: Minor patet: Quia cognitio experimentalis eſt, in quam vltimò reſolvitur, & à quâ primò incipit omnis cognitio. At in nullam ſenſationem internam abſtrahentem a præſentiâ & abſentia obiecti, vltimò reſolvitur, ſicut nec ab eâ incipit omnis noſtra cognitio. Inchoatur enim tantùm a ſenſione externâ, & in eam ſolam vltimò reſolvitur, vt omnibus palam eſt, & ſtatutum ſuprà *num* 3. Ergo ſenſatio interna abſtrahens à præſentia & abſentiâ obiecti eſt cognitio non experimentalis.

12 *IAM* Maior illa præcipua ſuadetur. Omnis enim cognitio, quæ non eſt

ex-

experimentalis, debet habere præſens obiectum immediatè intra ipſam potentiã, non autem præſens immediatè extra ipſam, quia hoc eſt proprium cognitionis experimentalis, ſeu externæ ſenſitionis. At nequit habere præſens obiectum immediatè intra ipſam potentiam, niſi exprimendo obiectum. Cùm enim obiectum in eſſe reali & materiali nequeat eſſe intra potentiam, debet exiſtere ſecundùm eſſe intentionale. Neque ſufficit quòd ſit ſecundùm eſſe intentionale ex parte ſpeciei impreſſæ. Hæc enim tantùm ſe habet per modum principij, & quidem neceſſarij ad eliciendam omnem cognitionem, ſive experimentalem, ſive non experimentalem, ſive in præſentiã, ſive in abſentiã. Ergo requiritur neceſſariò ac preterea vt obiectum ſit præſens intentionaliter potentiæ per modum termini, ſive notitiæ, quã appellamus expreſsionem obiecti, ſeu ſpeciem expreſſam.

13 *INFERTVR I.* Etiam in ſenſu communi, & æſtimativã, neceſſariam eſſe ſpeciem expreſſam obiectorum præſentium & externorum. Ratio eſt: quia vtriuſque perceptio non eſt experimentalis, cùm ab ea non incipiat omnis noſtra cognitio, nec in illam vltimò reſolvatur, ſed in ſolam ſenſationem externam, à quã primò proceſſit. Nec præterea terminatur immediatè ad obiectum præſens in ſeipſo, ſed quatenus attactum mediã ſenſione externa, de quã iudicat. Ergo oportet vt vtraque potentia intra ſe habeat obiectum intentionaliter preſens per modum termini, ſive notitiæ expreſſæ, in qua illud contempletur. Quemadmodum verò ſpecies impreſſæ vtriuſque obiectum præterea non repræſentant ijs quomodocumque, ſed prout attactum ſenſione externa, de quã iudicant, vt *diſp.* 84. dictum eſt; ita etiam nec ſpecies expreſſa repræſentat in actu ſecundò idem obiectũ, niſi prout præcognitum ſenſione externa. Quod verum exiſtimo, adhuc ſuppoſitis contra P. Suarez *lib. 3. de Animâ cap.* 30. ſpeciebus inſenſatis in æſtimativã, quas ioco nuper indicato ſtabiliuimus. Quamvis enim exterior ſenſus in gallina & ove v. g. non percipiat inimicitiam ſeu diſconvenientiam aliquã in milvo aut lupo, adhuc neceſſum eſt vt lupus vel milvus percipiatur aliquo ſenſu externo, vt æſtimativã apprehendat inimicitiam, ſeu diſconvenientiam in eo obiecto. Quare ſpecies impreſſa in æſtimativã reſidens non repræſentat obiectũ illud immediatè & nudè in ſeipſo, ſed prout attactum prævia ſenſatione aliquã externã. Neque etiam vtrumque opponitur teſtimonio D. Thom. ſupra allegato: quia ibidem ſolùm docet debere formari ſpeciem expreſſam quoties res cognoſcitur, aut modo indifferenti ad præſentiam & abſentiam, aut modo immateriali. Non autem negat debere etiã formari, quamvis neutrum eorum contingat, ſi tamen obiectum ipſum non ſit immediatè ſeipſo præſens potentiæ cognoſcenti, vt ex ipſius mente oſtendimus præcedenti ſectione.

14 *INFERTVR II.* Phantaſiem ſeu imaginativam (ac proinde & cæteros ſenſus internos) debere formare ſpeciem expreſſam vitaliter intra ſe, & non recipere illam productam ab alio ſenſu. Ratio deſumitur ex naturã ſpeciei expreſſæ, & diſcrimine ab impreſsã. Hæc enim non habet rationem termini, aut notitiæ, ſed principij ab extrinſeco provenientis: ideoque ab vnã potentia in aliam transferri ſeu produci poteſt, ſicuti & ab extrinſeco obiecto per puram emanationem. Contrà autem ſe habet ſpecies expreſſa, quoniam debet eſſe partus ex obiecto & potentiã cognoſcente ortus, ideoque nequit ab extrinſeco provenire, ſed potiùs naſci debet ex viſceribus eiuſdem potentiæ fœcundatæ per ſpeciem impreſſam. *Confirm.* Aut ſpecies expreſſa eſt indiſtincta realiter ab actu cognitionis, aut terminus per illam productus vitaliter, iuxta varias opiniones inferiùs expendendas. In neutrã autem earum opinionũ poteſt provenire in phantaſiam à ſenſu diſtincto. Si enim eſt indiſtincta ab operatione vitali, nulla operatio vitalis poteſt provenire ab extrinſeco. Si autem ſit terminus vitali actione productus, debet procedere ab eãdem potentiã, à quã actio vitalis oritur. Si ergo omnis operatio vitalis phantaſiæ oritur ab illã, etiam omnis ſpecies expreſſa, quæ in illa eſt.

15 *OPPONES* D. Thomam, qui videtur contradicere nobis Opuſc. 14. vbi docet, ſimilitudines obiectorum exprimi à ſenſu, & terminari in phantaſia, quoniam hæc eſt motus factus à ſenſu ſecundùm actum. Et 4. *contra Gent. cap.* 11. eandem doctrinam confirmat, præcipuè dum ait: *Senſibile exterius ſuam formam exteriorem ſenſibus imprimit, à quibus procedit in imagi-*

na-

nationem, & vlteriùs in memoriæ theſaurũ. In quolibet tamen huius emanationis proceſſu principium & terminus pertinent ad diverſa. NON ENIM ALIQVA POTENTIA SENSITIVA IN SEIPSAM REFLECTIT. Vbi apertè videtur tradere, terminum cognitionis phantaſiæ, ſive ſpeciem expreſſam, non procedere ab eàdem potentià, vt principio effectivo: quia ſic phãtaſia reflecteret ſupra ſeipſam. quod repugnat potentiæ ſenſitivæ. Quare & nos ſectione præcedenti *num.* excluſimus à ſenſibus externis ſpecies expreſſas, ne concederemus ijs vim aliquam reflectendi. Quæ ratio æque militat in phantaſia alijſque ſenſibus internis. Eo namq́; ipſo quòd intra ſe forment ſimilitudinem expreſſam, in quà obiectum contemplentur, iam reflectunt quoddammodo in ſuam notitiam, ſeu conceptum expreſſum.

16 *RESP.* S. Doctorem non contradicere doctrinæ præiactæ. Non enim negat ſpeciem expreſſam à phantaſià productam, in qua, vt medio, cognoſcat ſuum obiectum; cùm hoc planè ſit de ratione cognitionis internæ & vitalis: ſed tantùm indicat formationem eius ſpeciei in phantaſià dependere à pluribus motibus corporeis & phyſicis, quibus ſpecies ad phantaſiam deferri ſolent ab alijs ſenſibus, vel depromuntur è memoriâ ſenſitivâ, multiplici agitatione & commotione ſpirituum humorumque. Quæ commotio interdum fit ab homine in ſomno, aut vigiliâ, & datà operâ, vt docet idem S. Thomas *q. 3. de Malo art. 4.* interdum verò à causâ extrinſecâ, vt ab Angelo, vel dæmone, qui poſſunt in phantaſia excitare apparitiones plures commovendo ſpiritus, ſanguinemque, vt ibidem tradit, & *q. 16. ſequenti.* Quare formatio ſpeciei expreſſæ in phantaſiâ non eſt perfectè intrinſeca, ſed plurimùm pendens ab immutatione extrinſeci moventis, & à motu phyſico humorum ac ſpirituum. In quo admodum differt ab intellectu, cuius ſpecies impreſſæ licèt producantur ab intellectu agente, & pendeant à miniſterio phantaſiæ, non tamen à phyſicâ commotione humorum ſpirituumque animalium, quoniam perfectè ſpirituales ſunt. Verùm non vſque adeò perfectæ, ac ſpecies Angelorum, quoniam hæ non pendent à phantaſmatibus: ideoq́; Angeli puriorem rerum notitiam ſive ſimilitudinem intra ſe efformant, quàm nos; teſte eodem D. Thomâ loco allegato *ex 4. contra Gent.*

17 *NEQVE* Obſtat quòd eodem loco aſſerat, intellectum non mittere conceptiones ſuas ad aliquid aliud, ſecus verò ſenſum. Ijs enim verbis ſolùm tradit, in hoc differre ſenſum ab intellectu, quòd hic, cùm ſit vltima & perfectiſsima potentia, non mittit ſpecies obiectorum impreſſas ad aliam potentiam vlteriorem; è contrà verò ſenſus ob rationem oppoſitam. Mittit enim conceptiones ſuas, id eſt, ſpecies impreſſas rerum à ſe conceptarum in phantaſiam. Iam verò quod attinet ad rationẽ præcipuam, quæ in obiecto teſtimonio proponitur, ex impotentiâ reflectendi in qualibet potentiâ ſenſitivâ; dicimus, illam cognitionẽ obiecti in ſpecie expreſsâ formatâ ab ipsâ phantaſiâ, non eſſe propriam reflexionem, ſed impropriam. Non enim cognoſcit ipſam ſpeciẽ expreſſam in actu ſignato, neque per aliam cognitionem regredientem ſupra ipſam ſpeciem; quæ eſſet propria reflexio, & ſoli intellectui cõvenire poteſt; ſed tantùm illam cognoſcit vt mediũ *in quo* repræſentatur obiectum, & quaſi non ponentem in numero cum ipſo. Ea verò qualiſcumque reflexio, licèt concedatur phantaſiæ vt nobiliori potentiæ, & alijs ſenſibus internis; non tamen externis, qui infimum perfectionis gradũ obtinent in cognoſcendo, ac proinde nihil omnino percipere poſſunt, niſi obiecta externa & materialia in ſeipſis.

18 *EX* Quibus ſubtiliùs adhuc expendere licet cauſalem illam S. Thomæ, quòd in potentijs ſenſitivis, ſeu in proceſſu emanationum ipſarum, principium & terminus ſpectare debeant ad diverſa, quia nulla potentia ſenſitiva reflectit ſuprà ſe. Quod rectè & ſapienter eſt dictum. Sola enim potentia illa, quæ habet propriè & ſtrictè loquendo reflectere ſupra ſe, habet ex proprijs principium ſuæ cognitionis, & terminum. Scilicet, ſolus intellectus quia eſt virtus cognoſcitiva immaterialis, habet reflecti propriè ſupra ſeipſum, atque adeò & producere ſibi ſpecies impreſſas, habentes rationem principij cognitionis, & expreſſas habentes rationem termini: quia non dependet ſimpliciter ab aliquo organo corporeo, vel ſenſu, vt cognoſcat. Omnes verò potentiæ ſenſitivæ ac materiales, eo ipſo pendent à ſenſibus externis, ab ijſque recipiunt principia cognoſcendi, quæ ſunt ſpecies impreſſæ, quamvis ſemel ijs fœcundatæ habeant, vitaliter cõcipere & parere intra ſe terminum cognitionis.

SE-

SECTIO TERTIA.

Virùm ab intellectu, quoties actu intelligit qualibet obiecta mediante ſpecie impreſsa creata, producatur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis? Eligitur ſententia affirmans, & ab obiectionibus vindicatur.

19 SIT III. *Aſſertio.* Intellectus circa omne obiectum quod cognoſcit (ſcilicet, mediante ſpecie impreſsa creata; nam quando hæc increata eſt, vt ad videndum Deum, ſect. ſequenti decidetur) producit ſpeciem expreſſam, quæ in illo appellatur verbum. Hæc aſſertio quantùm ad id, quòd affirmat traditur apertè à D. Thoma pluribus locis, præſertim 1 *p. q. 27. art. 1. & q. 9. de Potentiâ art. 5. & q. 4. de Veritate art. 1. & 4 contra Gentes cap. 11.* in eâque conveniunt omnes Philoſophi ac Theologi, ſive diſtinguant intellectionem à verbo mentis, ſive non. In omni enim ſententiâ intellectio aut eſt ipſa formalis expreſsio & repræſentatio obiecti, aut affert illam ſecum neceſſariò connexam, ſaltem quoties procedit ab intellectu fœcundato per ſpeciem impreſſam creatam.

20 *PROBANT* Suarez, Vazquez, & plures alij infra allegandi *ſect. 5.* concluſionem præiactam, quia omnis intellectus operatio eſt actio prædicamentalis, atque adeò debet producere terminum aliquem: qui nullus alius eſſe poteſt à ſpecie expreſsa. Ergo quoties intellectus operatur, producit intra ſe ſpeciem expreſſam. Quare in intellectu aſsignant operationem aliquam productivam intellectionis, veluti qualitatis abſolutæ, quam cenſent eſſe idem omnino cum ſpecie expreſsâ, ſeu verbo mentis. Sed prætermiſſo hoc poſteriori, de quo infrà ex profeſſo, ratio prçiacta reijcitur: quia operatio intellectus non eſt actio prædicamẽtalis, ſed vera qualitas, vt conſtat ex dictis ſectione primâ, & conſtabit ampliùs ex dicendis. Ideoque ex non verâ ſuppoſitione colligunt relati Authores requiri ſpeciem expreſſam in omni actu intellectus.

21 *ALIVNDE* Igitur probanda eſt iuxta doctrinam D. Thomæ 1. *contra Gent. cap. 53.* vbi non infert neceſsitatem admittendi ſpeciem expreſſam in intellectu ex parte potentiæ, aut operationis ipſius; ſed tantùm ex parte obiecti, quod vel eſt abſens, & ideo debet eſſe præſens potentiæ per modum termini intrinſeci: vel quamvis ſit præſens aut vicinum, eſt tamẽ materiale in ſe, ideoque nequit reddi proportionatum cum intellectu, niſi exprimatur immaterialiter in aliqua ſui imagine. In quorum primo convenit cum imaginativâ, quæ etiam nequit cognoſcere obiectum abſens, niſi habeat illud intra ſe per modum termini intentionaliter præſens: in ſecundo autem differt ab eâ, quoniam præ illa eſt potentia immaterialis, ideoque obiectum ipſius debet cognoſci in aliquo medio ſive idòlo prorſus immateriali. Verba S. Doctoris ſunt: *Intellectus per ſpeciem rei formatus, intelligendo format in ſeipſo quandam intentionem rei intellectæ, quæ eſt ratio ipſius, quam ſignificat definitio. Et hoc quidem neceſſarium eſt eò quòd intellectus intelligit indifferenter rem abſentem & præſentem: in quo cum intellectu imaginatio convenit. Sed intellectus hoc ampliùs habet, quòd etiam intelligit rem vt ſeparatam à conditionibus materialibus, ſine quibus in rerum naturâ non exiſtit: & hoc non poteſt eſſe, niſi intellectus intentionem ſibi prædictâ formaret.*

22 *RATIO* Deſumitur ex eodem teſtimonio dupliciter. *Primò.* Omnis potentia apprehenſiva obiecti abſentis debet habere illud ſibi intentionaliter præſens: quia eo ipſo quòd illud cognoſcatur debet trahi ab ipsâ potentia, ac proinde, eſſe quoddammodo præſens potentiæ; atque adeò intentionaliter præſens, ſi realiter præſens non eſt. Ergo cùm intellectus ſit potentia apprehenſiva obiecti abſentis, debet trahere illud ad ſe, ac proinde habere præſens intentionaliter. Neque etiã ſufficit quòd ſit intentionaliter præſens ex parte ſpeciei impreſſæ: quia hæc præſupponitur ex parte actus primi, ſive principij ad actum cognitionis: ſed præterea requiritur vt ſit præſens per modum termini cõſiderati ab ipsâ cognitione. Niſi enim hæc habeat terminum cognitum intra ſe, fruſtranea erit, quamvis habeat obiectum vnitum potentiæ in ratione principij præſuppoſiti. Quare licèt in ſomno quis habeat ſpecies impreſſas quorumlibet obiectorum, frequenter nihil actu cognoſcit, quoniam nullum eorum habet ſibi intentionaliter præſens per modum termini, ſed ſolùm per modum principij. Omnis ergo intellectualis cognitio debet habere ob-

obiectum intentionaliter preſens per modum termini, ſive exprimere intentionaliter illud intra ſe. Hæc ratio eſt communis intellectui & imaginativæ, vt monet ipſe D. Th. quoniã vtraque potentia extẽditur ad cognoſcendum obiecta abſentia.

23 *Secundò* ſpeciatim de intellectu probatur, quoniam eſt potentia apprehenſiva ſpiritualis. Ergo debet trahere obiectum ad ſeipſum, tam ex parte principij, quàm termini intentionalis, in aliquo eſſe ſibi proportionato; ac proinde non in illo eſſe materiali, quo realiter conſtat obiectum, ſi materiale ſit; ſed in alio eſſe ſpirituali. Quemadmodum enim quia intellectus eſt potentia apprehenſiva ſpiritualis, nequit trahere obiectum ad ſe per modum principij, niſi ſecundùm aliquam ſimilitudinem impreſſam, quæ ſit in ſe ſpiritualis, & expers totius materiæ; ſic etiã nequit illud trahere ad ſe vitaliter, & per modum termini intrinſeci contemplationis, niſi in aliqua ſimilitudine ſpirituali eã cognitionẽ terminante, quã appellamus ſpeciem expreſſam, ſive verbũ mentis.

24 *DICES*: Ergo ſaltem quoties obiectũ cognitum ab intellectu fuerit ipſi præſens & ſpirituale, vt vnus Angelus relatè ad alterum, vel vna anima ſeparata in ordine ad aliam, no erit opus ſpecie expreſſa. Patet conſequentia: quia tunc neutra ratio ex propoſitis vrget, cùm neque obiectum ſit abiens, neque materiale, ſed ſpirituale, quod proinde ſeipſo poſſit eſſe præſens potentiæ. Præterea in ipſo intellectu inſtatur: quia cùm ſibi præſens, ſive potiùs quàm præſens ſit, & potentia ſpiritualis, poterit ſeipſum cognoſcere ſine formatione vlla ſpeciei expreſſæ. Conſequẽs autem contradicit concluſioni, in qua generatim aſſeruimus, intellectum circa omne obiectum, excepto Deo clarè viſo, producere ſpeciem expreſſam. Ergo perperã illa probatur vtraque ratione præiacta.

25 *SED Contrà*. Neutrum enim ex illatis abſurdis colligitur. Non primum: Quia licèt vnus Angelus ſit præſens alteri, non tamen habere poteſt vnionem neceſſariam cum illo, vt terminet eius cognitionem tanquam ſpecies expreſſa, immò neque vt habeat rationem ſpeciei impreſſæ relatè ad illam. Non enim poteſt vnus Angelus vniri alteri ſecundùm ſuam ſubſtantiam, quia id repugnat; neque coniungi ipſius intellectui per modum formæ informantis, quia nulla ſubſtantia poteſt informare realiter aliquod accidens, præſertim extraneũ; neq; per modũ materiæ, cum non ſit ſubiectum eius; nec denique in ratione principij efficientis, quia ſolius Dei propriũ eſt efficere intellectũ Angelicum. Ergo nullo tandẽ modo vniri poteſt vnus Angelus intellectui alterius in ratione ſpeciei expreſſæ aut impreſſæ, neque eſſe præſens eo genere vnionis, quod requiritur ad alterutrũ vel vtrumque munus præſtãdũ. Quare ſemper efficax perſiſtit ratio D. Th. quod ſit neceſſaria ſpecies impreſſa orta ab ipſa potẽtia, in ordine ad obiectũ abſens: ſive abſentia hæc ſit ſecundũ locũ, ſive ex ſolo defectu vnionis neceſſariæ procedat; qualiter procedit in intellectu creato in ordine ad quodlibet obiectũ impotens vniri per ſuã ſubſtantiam intellectui alieno. Idemque à fortiori patet de intellectu animæ ſeparatæ in ordine ad aliam.

26 Nec ſecundum infertur, quamvis intellectus ſit angelicus. Licèt enim ſubſtãtia Angeli ſit intimè præſens proprio intellectui, tanquã ipſius ſubiectũ, immò & tanquam principiũ intẽtionale, ſeu ſpecies impreſſa; adhuc ei vniri nõ poteſt per modum ſpeciei expreſſæ terminantis intellectionẽ, ſeu, quod perinde eſt, habere præſentiam intentionalem per modum termini. Vt enim S. Th. probat 4. *contrà Gẽt.* c. 11. intelligere Angeli non eſt ipſius ſubſtantia, ſeu eſſe, ſed eſt aliquod accidẽs. Ergo neq; ſpecies expreſſa, ſeu verbũ mẽtis angelicæ, eſt ſubſtantia, aut eſſe ipſius, ſed accidẽs. Species enim expreſſa, ſeu verbũ mentis angelicæ, repræſentat ſubſtantiam Angeli & eſſe, quatenus actu intellectũ & cognitũ. Ergo ſi in Angelo eſſe actu intellectum & cognitum, non eſt ſubſtãtia, ſed accidens, ſicut ipſa intellectio; neque etiã ſpecies expreſſa, ſeu verbũ mentis angelicæ, erit ſubſtãtia ipſius, ſed accidens. Deinde, eadem ſubſtantia idemq; eſſe Angeli, multipliciter actu intelligitur, & non vno ſemper eodemque modo; cùm tamen illa in ſe vna & eadem ſemper ſit; inſuperq; ſeparari poteſt realiter ab eo quod eſt actu reddi intellectum, ſicuti & carere intellectione actuali, ſaltẽ ſupernaturaliter. Ergo quemadmodũ eam ob cauſam ſubſtantia & eſſe Angeli nequit habere rationem intellectionis, ſic neque obiecti actu intellecti, ſive verbi mentis: Poteſt tamen habere rationem ſpeciei impreſſæ in ordine ad cognoſcendum ſeipſum, quia in ea non vrget ratio aliqua ex præiactis:

quia in Angelo esse intelligibile non est prædicatum accidentale, sed substātiale; nec variabile, sed fixum; neque vllo modo separabile ab ipsius substantia; neque aliunde obstat quidquam, vt eadē Angeli substantia, quæ efficiēter realiter producit intellectionē sui, cōcurrat intentionaliter simul ad eam simul cum intellectu efficiendam. Verùm de hoc fusiùs agemus Deo dante tom. 2. Cursus Theologici.

SECTIO QVARTA.

An idem dicendum sit quādo intellectus actu intelligit per speciem impressam increatam, vt in visione beatifica? producatne speciem expressam, an non? Negativa pars defenditur & opposita fundamenta diruuntur.

27 SIT IV. *Assertio.* Quoties ex parte principij adest species impressa increata, vt supponimus adesse circa visionem beatificam, intellectus non producit verbum, sive speciē expressam, sed ipsa Dei essentia gerit munus speciei expressæ, sicut & impressæ. Ita nobiliores Thomistæ 1. *p. q.* 12. vbi cum Doctore Angelico reijciunt omnem similitudinē creatam intuitivè repræsentantem Deum; nō quidem ex parte potentiæ se habentem, quale est lumen gloriæ & visio ab eo procedens; sed ex parte obiecti, seu per modū imaginis, aut repræsentationis eius. Quæ enim se habet ex parte potentiæ, tantum exigit proportionem activitatis & tendentiæ ad attingendum Deum, quæ non repugnat in re inferioris ordinis ad superiorem. Quæ autem se habet ex parte obiecti per modū imaginis seu repræsentationis intuitivæ, debet adæquare obiectum ipsum increatum secundùm esse intentionale, seu repræsentativum. Impossibilis est autem forma creata, sive species adæquas Deum in esse intentionali, seu repræsentativo. Sicut ergo impossibilis est species impressa creata, sic & expressa, representans intuitivè Deum. Quapropter visio creata seu intuitiva Dei, nullatenus est productiva verbi, seu speciei expressæ: quia hæc deberet esse repræsentatio formalis & intuitiva Dei, quam repugnat ortum ducere ab intellectu creato. Quare ipsa essentia divina, quæ ratione suæ infinitæ perfectionis & intelligibilitatis fœcundat mentes Beatorum per modum speciei impressæ, etiā ratione suæ actualitatis infinitæ vtitur ipsis in vi verbi, sive speciei expressæ, aut termini contemplationis. Quæ omnia vberiùs confirmare non est Philosophici instituti, & postea fusè à nobis in Theologia expendentur.

28 *OPPONES I.* D. Thomam. 1. *p. q.* 27. *art.* 1. dicentem: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio intellectus, ex vi intellectionis proveniens.* Et q. 9. de Potentia art. 5. ait: *Verbum est de ratione ipsius intelligere.* Ergo nulla est intellectio, nequidem beatifica, & proveniens ab intellectu per speciem increatam fœcundato, quę non sit expressiva verbi, sive, quod perinde est, productiva speciei expressæ. Immò & loquendo de visione beatifica idipsum tradit *q.* 4. *de Veritate art.* 2. dum inquit: *Omne intellectum in nobis est aliquid realiter procedens ab alio: & hoc vniversaliter verum est de omni quod à nobis intelligitur, sive per essentiam videatur; sive per similitudinem.* At intellectum in nobis est verbum mentis, sive species expressa, vt patet. Ergo adhuc quando intelligitur seu videtur Deus per essentiam, verbum, sive species expressa, est realiter procedens ab alio, scilicet, ab ipso intelligente.

29 *RESP.* S. Doctorem primo illo testimonio non tradere illam propositionem vniversaliter pro singulis generum, ita vt quicumque in individuo intelligit, eo ipso habeat producere aliquid intra se; sed tantùm pro generibus singulorum, vt nullum genus naturæ intelligētis sit, in quo non procedat aliquid intra ipsam dum intelligit, & eo ipso quòd intelligit. Hoc enim sufficiebat, immò & necessariò ita accipi debet, vt vim habeat ratio, quā ibidē vrget Sabellianos & Arianos, negantes intellectualem Verbi divini processionem. Eo namque ipso quòd ab intelligente vt intelligente debeat aliquid procedere realiter intra ipsum in omnibus generibus intelligentiū, necessum est vt & à Deo intelligente procedat realiter aliquod verbum internum, & proinde eiusdem immaterialitatis cum illo, quod est Verbum divinum. At necessum fuit, vt dixi, hanc ratio hæc probaret de singulis eodem genere aut quasi genere contentis; quoniam sic nimium probaret; scilicet, etiam à Filio & Spiritu Sancto, intelligentibus

tibus, procedere realiter aliquod verbum interius. Quam illationem præoccupat S. Doctor poſtea *quæſt. 34. art. 1. ad 4.* vbi repetit propoſitionem eandem, & limitat illam, vt intelligi debeat ſolùm de intelligente, non præcisè vt intelligente, ſed quatenus fœcundo. In quo eodem ſenſu exponendum eſt ſecundum teſtimoniũ, vt verbum quidem ſit de ratione ipſius intelligere, non quidem conſtitutivè & per identitatem, vt *ſect. ſeq.* conſtabit, ſed terminativè, quatenus impoſsibilis eſt intellectio, quæ non habeat terminum intrinſecum, quem vel producat & ſpeculetur ſimul, vel ſaltem ſpeculetur quamvis non producat. Denique poſtremo loco non agit de obiecto quod videtur per eſſentiam increatam, ſed creatam, habentem rationem ſimilitudinis, vt in Angelo cognoſcente ſeipſum, qui debet producere intra ſe verbum ſeu ſpeciem expreſſam, vt *num.* .oſtendimus. Porrò hunc eſſe germanum ſenſum D. Thom. conſtat ex ipſo contextu, quem rectè expendit Ioannes à S. Tho. *q. 10. art. 2.*

30 *OPPONES II.* Omnis intellectio, etiam beatifica, eſt vera & propria operatio, ſive actio: ac proinde debet aliquid agere, ne fruſtranea ſit. Nihil autem aliud eſt quod agat, niſi verbum mentale, quod eſt ſpecies expreſſa. Hæc ergo producitur per omnem intellectionem, etiã beatificam. *Confirm. I.* Quia ſi intellectio beatifica non eſt actio, erit terminus ſeu qualitas abſoluta per aliquam actionem intellectus producta. Ergo eo ipſo habebit rationem verbi, quia hoc eſt terminus intellectualis productionis: ac proinde in viſione beatifica dabitur verbum creatum ab ipſa indiſtinctum, quod plerique Adverſariorum volunt. *Confirm. II.* Viſio beatifica debet eſſe manifeſtativa eius, quod intelligit, per modum intellectualis locutionis. Ergo aut producit mẽtale verbum, aut ſeipſa habet rationem verbi.

31 *RESP.* Omnem intellectionẽ, etiam beatificam, eſſe verã & propriam operationem, ſeu actionem metaphyſicam, vtpotè actum ſecundum potentiæ vitalis & activæ; non tamen operationem ſeu actionem phyſicam, ſive de prædicamento actionis; quia hæc neceſſariò adiunctum habet motum phyſicum, imperfectumque, & paſsionem prædicamentalem. Hoc autem repugnat, non ſolùm viſioni beatificæ, ſed & quilibet intellectioni, quæ eſt & dicitur motus entis perfecti, ſeu exiſtentis in actu per formã intentionalem. Et cæteræ quidem intellectiones non habẽt producere verbum, ſive ſpeciẽ expreſſam, ex ſolo capite operationũ ſeu actionum metaphyſicarum, ſed ex indigẽtia obiecti, quod vel abſens eſt, & ita debet fieri preſens interiùs per modum termini; vel ſi ſit præſens, nequit identificare ſibi rationem intellecti in actu, vt *ſect. præced.* oſtendimus. Cùm verò Deus, qui eſt obiectum immediatum viſionis beatificæ, ſeipſo identificet rationẽ intellecti in actu, conſequens eſt vt in ordine ad viſionẽ beatificam habeat rationem verbi. Quare illa non habet terminum productum intra ſe, vt aliæ intellectiones, ſed purè attactum, & conſideratum; idque ſufficit ne ſit operatio fruſtranea. Videantur ea, quæ *ſect. 1.* præmiſimus, probantes nullum actum cognitionis, etiam infimæ, & externo ſenſu elicitæ, ſpectare ad prædicamentum actionis. Quam doctrinam luculenter tradit S. Th. Opuſc. 4. tract. de Prædicamentis, vbi hæc habet: *Similiter intelligere & ſentire ſunt actiones immanentes, quæ dicunt actum intelligendi & ſentiendi eſſe actu intelligente & ſentiente. HÆC AVTEM ACTIO IMMANENS NON EST DE PRÆDICAMENTO ACTIONIS.* Quid clarius?

32 *AD I. Conf.* patet ex dictis eodẽ loco, ſenſiones externas, quamvis non producant aliquid circa obiectũ & ſint veræ qualitates, adhuc non egere actione aliqua ad eas terminata, ſed ſeipſis emanare naturaliter à potentia, ſicuti & actiones prædicamentales emanãt à principio immediatè operativo, ablq; alia actione interiecta. Quare ſicut illæ non habent rationem termini, ſed ſoliùs exercitij, quaſi ſpeculativi, quo à ſenſibus percipitur obiectũ ſenſibile præſens immediatè in ſeipſo; ita & viſio beatifica, nõ habet rationẽ termini, ſed exercitij intellectualis, quo immediatè attingitur ſpeculativeq; Deus præſens in ſeipſo. *AD II. Conf.* patebit ex dicendis ſectione ſequenti nullam intellectionẽ eſſe idem cum verbo, ſive ſpecie expreſſa. Nunc dicimus, viſionem beatificam ſolũ per modum tendentiæ & actualis perceptionis eſſe manifeſtativã eius quod intelligit; non verò per modum verbi, ſeu ſimilitudinis expreſſæ, quia hæc repræſentat Deum vt intellectum in actu, ac proinde ſub vltima actualitate & intelligibilitate

divinæ immaterialitatis: quod repugnat omni creatæ intellectioni, & verbo per eam producto.

SECTIO QVINTA.

An intellectio distinguatur realiter à specie expressa, sive verbo mentis? Eligitur affirmativa sententia, & probatur præclusis Recentiorum effugijs.

33 *VERVM* Quidquid à principio disputationis statutum à nobis fuit, maximè pœdet ex alia graviori difficultate, an scilicet, species expressa, sive verbum mentis, sit reipsa quid distinctum ab actu ipso cognitionis, sive intellectionis. Qui enim omnem cognitionem aiunt seipsa esse speciem expressam, consequenter asserunt, sensus externos & intellectum beatum, formare sibi verbum eo ipso quòd cognoscant. Vnde & consequenter aiunt, verbum, sive speciem expressam, non esse terminum cognitionis, neque medium *in quo* cognoscatur obiectum, sed ipsam obiecti cognitionem & perceptionem actualem, nullo alio egentem ad obiectum in actu secundo repræsentandum & exprimendum. Ita Henric. *Quodlib.* 1. *q.* 2. Alensis 1. *part. q.* 62. *memb.* 1. *art.* 1. Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 8. eiusque Discipuli, maximè Lichetus, & Hugo Cavellus 3. *de Anima sect.* 3. Durandus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. Paludanus *quæst.* 4. Albertus M. *art.* 7. Bonaventura *q.* 1. & 4. atque in præsenti Eximius Suarez *lib.* 3. *c.* 5. Arriaga *disp.* 6. *sect.* 2. *à num.* 50. Rubius *ibid. tract. de actu intell. possibilis q.* 3. *num.* 276. Sancta-Crucius *q.* 2. *sect.* 7. *à n.* 673. Hurtados *disp.* 6. plurimique alij Recentiores in eundem librum tertium de Anima, vt Oviedo, Tellez, Castelvi, Aversa, Bagorius, & Lalemandet, atque ex Theologis Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. Granado 1. *part. tract.* 5. *disp.* 1. eruditissimus Ruiz de Mõtoya *de Trin. disp.* 59. *sect.* 3. 4. & 5. Vazquez 1. *p. disp.* 38. *cap.* 1. ac denique Mæratius, Martinonus, alijque plures. Verùm ijs minimè obstantibus,

34 *SIT IV. Assertio*, & præcipua, intellectionem distingui reipsa à specie expressa, sive verbo mentis. Ita S. Thomas locis infrà indicandis, & ferè omnes eius Sectatores domestici, quos referunt & sequuntur Zumel 1. *part. quæst.* 27. *art.* 1. Complutenses *in præsenti disput.* 21. *quæst.* 2. ac præterea Molina 1. *part. quæst.* 12. *art.* 2. *disp.* 1. & Conimbricenses *hoc lib.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. quatenus affirmant rationem intellectionis totam esse sitam in actione, & hanc habere terminum productum.

35 *PORRO* S. Doctorem tradidisse hanc sententiam, manifestissimè patet ex quamplurimis illius testimonijs mira arte contextis in vnum ab Alamanio, Authore Societatis, in Cursu Philosophico ex verbis ipsius solius composito, *quæst.* 96. & 97. vbi primo loco inquirit, vtrum omnis intellectio producat verbum: secundò, vtrùm intellectio distinguatur realiter a verbo: tertio, an verbum sit medium *in quo*, veluti interiori imagine, intellectus res exteriores cognoscat. Et ijs omnibus dubijs respondet S. Doctor affirmativè, vt constabit legenti. Verùm par est indicare nonnulla ex ijs testimonijs. Primùm iam suprà *num.* 28. exscripsimus, nec repetere piget, ex 1. *part. quæst.* 27. *ar.* vbi ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quòd intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio intellectus, ex vi intellectionis proveniens.* Non posset autem conceptio intellectus, sive verbum, procedere ex intellectione, si esset idem realiter cũ ipsa: quia nihil realiter à seipso procedit. Et Opusc. 43. *Istud ergo sic formatum & expressum in anima dicitur verbum interius & ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut* in quo *intelligit, quia in isto sic expresso formato videt naturam rei intellectæ.* Sic autem intellectio esset indistincta à verbo, hoc non esset *in quo* intellectus intelligit obiectum, sed *quo* intelligit, quemadmodum ipa intellectio. Denique, vt plura alia omittam, *quæst.* 8. de Potentia *art.* 1. *Intelligens*, inquit, *in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem: scilicet, ad rem quæ intelligitur; ad speciem intelligibilem, quâ fit intellectũ in actu; ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus: QVÆ QVIDEM CONCEPTIO A TRIBVS PRÆDICTIS DIFFERT: à re quidem intellecta, quia res intellecta est interdum extra intellectum, conceptio autem intellectus non est, nisi in intellectu ..... differt autem ab actione intellectũ, quia prædicta cõceptio cõsideratur vt terminus actionis.* Et cõcludit: *Hæc autẽ cõceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur.* Ergo conceptio, sive verbum dif-

differt, iuxta D. Th. ab ipſo *intelligere*, ſeu actione intellectus, tanquam terminus ipſius; ac proinde realiter, quia omnis actio reipſa diſtinguitur à ſuo termino. Quibus ponderationibus, etſi brevibus, videntur præoccupatæ evaſiones Adverſariorum, multipliciter ea teſtimonia explicare conantium: ideoque eas non refero.

36 *CONSONAT* Eidem doctrinæ Ariſt. *in præſenti* locis indicatis *diſp. præced. n.* 2. præcipuè verò *lib.* 3. *textu* 16. & 37. vbi docet, intellectum intelligendo fieri omnia, ſcilicet, non realiter, ſed intentionaliter. Non fit autem intentionaliter omnia per ipſam intellectionem directam, quia intelligens non fit intellectio directa, adhuc intentionaliter, neque vllus vnquã Philoſophus ita loquutus videtur: ſed per imaginem ipſam & notitiam formalem obiecti, quæ eſt ipſum obiectum prout in eſſe intentionali, ſive prout intellectum in actu. Ergo iuxta Ariſt. intellectio directa eſt quid omnino diverſum ad imagine ipſa & notitia formali obiecti.

37 *RATIO* Præcipua deducitur ex D. Thom. locis allegatis. Omnis terminus cauſatus efficienter per aliquam actionẽ, ſive illa ſit prædicamentalis, ſive metaphyſica, diſtinguitur realiter ab ipſa. Atqui omne verbum ſeu ſpecies expreſſa creata mentis eſt terminus cauſatus efficienter ab intellectione, ſive ea ſit actio prædicamentalis, ſive metaphyſica. Ergo omne verbum ſive ſpecies expreſſa creata mentis diſtinguitur realiter ab intellectione. Conſequentia eſt formalis. Maior videtur certa: tum quia omnis terminus cauſatus per aliquam actionem, ſive prædicamentalem, ſive metaphyſicam, dependet ab illa realiter, & recipit eſſe ab ipſa. At manifeſtum eſt, nihil poſſe dependere & recipere eſſe à ſeipſo, ſed ab alio realiter diſtincto. Tum præterea ſuadetur à pari omnium actionum productivarum alicuius effectus, quæ certè ab eo realiter diſtinguuntur. Minor præcipua probatur. Et primò quòd omne verbum ſeu ſpecies expreſſa creata habeat rationem termini, ſuadetur: Quia ſaltem quando obiectũ eſt abſens, vt plerumque evenit, intellectus debet habere aliquem terminum, in quo ipſum contempletur. Non enim poteſt intellectus exire ad quærendum obiectum in ſeipſo & extra animam, ſed intus debet habere terminum aliquem, veluti imaginem, in qua ipſum contempletur, intentionaliter præſens. Idque experimur omnes intra nos ipſos, dum quælibet obiecta abſentia intelligimus. Ergo verbum ſive ſpecies expreſſa mentis creatæ, habet rationem termini, in quo intelligimus obiectum. Modò ſic. Ille terminus verè eſt cauſatus efficienter ab intellectu in omni ſententia, quia ab obiecto & potentia paritur notitia, ac proinde per aliquam actionem ſive prædicamentalem, ſive metaphyſicam; quæ nulla alia eſſe poteſt, quam intellectio. Ergo omne verbum ſive ſpecies expreſſa creata mentis eſt terminus cauſatus efficienter ab intellectione.

38 *OCCVRRES I.* ex Oviedo *contr. 6. p. 1.* & alijs, negando maiorem: quia eadem entitas ſimul eſt intellectio & terminus, neque opus eſt vt intellectio diſtinguatur à termino ſuo. Verùm hic dicendi modus refutatus iam eſt triplici probatione illius maioris præcipuæ, & præterea reijcitur: quia ſi poteſt actio productiva verbi identificari cum termino à ſe producto, poterit etiam identificari cũ principio à quo procedit. Nulla enim maior difficultas eſſe poteſt in identitate actionis cum principio efficiente, quam cum termino: quoniam vt actio identificetur cum principio efficiente, ſolum obſtare poteſt quòd actio realiter ab illo dependeat, & recipiat eſſe, producaturque: quæ tamen rationes in ea opinione non vrgẽt circa verbum, ſive terminum, qui licet dependeat & recipiat eſſe producaturque per intellectionem (alioqui non eſſet terminus per eam productus, vt ſupponitur) adhuc aſſeritur ab ea indiſtinctus. Deniqua iuxta eam doctrinam non erit aliqua efficax ratio ne aliquid ſimul ſit principiũ & terminus, ſeu cauſa & effectus ſui ipſius: nam quæcumque afferatur, pati poterit non levem inſtantiam in intellectione, ſi ſemel identificantur in ea rationes termini & actionis productivæ. Neque hoc ipſum telum in me converti poterit, quamvis ſuprà aſſeruerim dari aliquam intellectionem, vt viſionem beatificam, & nõnullas ſenſationes, quæ nõ producant terminum diſtinctum. Contra enim eſt, quòd in ijs actibus, vt ibidem monui, nihil eſt quòd habeat rationem termini producti, ſed conſiderati tantùm: qui relatè ad viſionem beatificam, eſt divina eſſentia ſub munere ſpeciei expreſſæ; & relatè ad ſenſiones externas, eſt ſenſibile externũ.

In opinione autem Oviedi, & aliorum ex Adversarijs, quoties intellectus intelligit, datur terminus per intellectionem productus, atque adeò debet ab ea distingui realiter. In nostrà autē sententia semper verū est, omnem terminum, sive productū, sive consideratum, reipsa ab intellectione distingui.

39 *OCCVRRES II.* ex Suarez vbi suprà, & alijs Adversariorū, ac præterea ex Zuñiga *tract. de Trinit. disp. 1. dub. 4.* negādo minorē præcipuam: quia verbum mentis, sive species expressa non est terminus causatus efficiēter ab intellectione, vtpote cum qua identificatur; sed ab actione quadam prævia distincta, quæ habet producere entitatem indivisam intellectionis & speciei expressæ, seu verbi. *SED Contrà.* Intellectio, quamvis sit qualitas, vt ij Authores statuunt, & nos cū ijs suprà asseruimus, est tamen vera actio immanens. At nulla vera actio, quæcumque ea sit, producitur per aliam actionē realiter distinctā. Ergo intellectio non producitur per aliam actionem distinctam. Consequētia patet, & minor ab omnibus traditur cū Arist. 5. *Physic.* vbi ex professo probat actionis no dari actionem: sic enim esset in infinitum abitio. Maior, in qua est difficultas, suadetur multipliciter. *Primò* authoritate expressa D. Tho. loco suprà *n.* 32. exscripto, vbi negat intellectionem esse actionem prædicamentalem, & affirmat esse actionem immanentem. Idēque ipsum apertissimis verbis docet Arist. 9. *Metaph. c. 2. text.* 11. & *c. 4. text.* 16. præsertim vbi ait: *Quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, IN IPSIS ACTIO EST: vt visio in vidente, & SPECVLATIO in speculante, & vita in anima.* Quid apertiùs? *Secundò* suadetur eadem maior: Quia intelligere est vivere. At vivere seu vita consistit in actione. Ergo intellectio cōsistit in actione

40 *RESP.* Zuñiga, & præterea Arriaga vbi suprà *sect. 6. subsect. 4.* intellectionē non esse vitā physicam, sed intentionalē, & hanc non importare actionem, sed repræsentationem obiecti. *SED Contrà.* Vt enim nuper audivimus ex Philosopho vita anima, sive ad sensitivum genus, sive ad intellectivum pertineat, consistit in actione, scilicet, à se, vt & generatim stabilitū relinquitur *disp. 76.* Ergo quemadmodum vita physica, quæ est vegetatio & augmētatio viventium, cōsistit in physica actione; sic & vita intentionalis, quæ est cognitio, seu quælibet obiecti apprehensio, consistit in actione intentionali. Neque enim aliter verificari poterit, vti necessariū est, & eo loco probavimus, vitā prout abstrahentem à physica & intentionali consistere in actione sive operatione ab intrinseco. Videantur ibidem dicta, quibus efficacissimè præcludi potest evasio hæc. Ijs adde, in Tridētino *sess. 6. can. 4.* damnari eos, qui dixerint liberum arbitrium in iustificatione adultorum nihil operari, sed veluti quoddam inanime instrumentū se habere. Quo indicatur, vitam animæ consistere in operatione: quia dum anima non operatur, mortuo modo se habet. Atqui anima, si quando aliàs, maximè vivit per intellectionē, quæ est potissima ipsius vita. Ergo intellectio consistit in operatione. *Tertiò* suadetur illa præcipui syllogismi maior, & simul reijcitur data solutio: Quia neque actio illa intellectus, qua Adversarij aiunt produci intellectionem, est vita physica; quoniam hæc ad solum gradum vegetativum restringitur ex communi sententia, & consistit in motibus nutritionis aumentationisque per intussumptionem, vt Philosophi loquūtur. Et tamen ijdē Authores asserunt illam esse actionem verā, quocumque demum nomine eam appellent. Ergo pariter ex eo quòd intellectio non sit vita physica, malè excludunt intellectionem a ratione veræ actionis.

41 *OCCVRRES III.* cum alijs negando verbum esse terminum, seu habere rationem termini producti ab intelligēte. Solùm enim est notitia expressa obiecti, quæ cōsistit in exercitio formali, seu actuali expressione rei intellectæ. Quare nulla est ratio cur non sit realiter idem cum intellectione, quæ est expressa notitia obiecti, seu actualis expressio rei intellectæ. *Sed Contrà.* Præterquam enim quòd S. Tho. locis suprà allegatis oppositum luculenter affirmat, distinguitque notiam expressam obiecti ab actu intelligendi; obstat authoritas Patrum & Theologorum communiter probantium contra Arium & Sabellium dari in divinis processionem alicuius termini per intellectum, qui habeat rationē Verbi distincti à Patre, ex eo quòd in creatis detur productio alicuius termini per intellectum, habentis rationem termini, distincti realiter ab intelligente. Qua ratione vtitur non solùm idem D. Th. *1. p. q. 27. art. 1.* sed etiam Patres, quos in eundē locum allegant Suarez, Vazquez, Ruiz de

Mon-

Montoya, Petavius, & plerique alij. Ergo ſupponunt verbum creatum habere rationem termini, non autem intellectionis. Patet conſequentia: quia aliter nullius roboris eſſet illud argumentum, neque ad rem. Neque enim Arius, neque Sabellius, negabant in Deo intellectionem actualē, cùm ipſum neceſſariò & infinitè ſapientem faterentur: ſed ſolùm negabant procedere aliquem terminum realiter diſtinctum à Patre ex vi intellectus. Vt ergo ratio illa efficax ſit, debet ſupponi ex vi intellectionis actualis creatæ procedere aliquid, quod habeat rationem termini, realiter diſtincti ab intelligente. Alioqui aſſumerent probandum, & quod vel vnico talitro ab Hæreticis reijceretur.

42 *CONFIRM.* Impugnatio facta. Si enim verbum creatum non importat rationem termini, ſed tantùm intellectionis; ex verbo creato non poterit veroſimilis conſequentia deduci, vt Verbum divinum habeat rationem termini, ſed intellectionis tantùm. Ergo neque inde veroſimiliter colligi poterit Verbum divinū eſſe realiter diſtinctum à Patre: quia ab eo diſtingui realiter non poſſet, ſi ſolùm haberet rationē intellectionis, & non termini: ſiquidem intellectio eſt prædicatum abſolutū, & realiter idem cum Patre: ſolùm autem diſtinguitur reipſa à Patre id, quod ipſi opponitur per modum termini. *CONFIRM. II.* Si enim ratio verbi non eſt terminus, ſed ſolùm ipſa intellectio, ſicut intellectus formaliter intelligit & ſapiens eſt intellectione, ſic etiam formaliter intelliget & ſapiet verbo à ſe producto. Vnde & verè dici poterit, *Patrem æternum ſapere ſapientiâ genitâ*: quā tamen propoſitionē notum eſt reijci à Theologis cum Auguſtino expreſsè illam negante, & aſſerente, Patrem ſolùm ſapientia ingenitā, & communi tribus perſonis, ſapientem eſſe.

43 *DENIQVE,* Omiſsis pluribus alijs rationibus, ſuaderi poteſt aſſertum ex ſtatutis *ſect.* 3. & 4. vbi oſtenſum eſt, quoties intellectus creatus intelligit, neceſſariò debere dari verbum productum, non neceſſitate orta ex ipſo intellectu, aut intellectione, quæ abſolutè exiſtere poteſt abſq; verbo à ſe producto, vt diximus de viſione beatificā; ſed ortā ſolum ex indigentiā obiecti, quod vel abſens eſt; vel, quamvis preſens ſit, vt Angelus ſuo intellectui, non eſt actus purus in ordine intellectuali, aut intentionali; ideoque, ſicut nequit ex hoc capite identificare ſibe intellectionem, ſic neque rationē verbi, ſeu intellecti in actu. Ergo diverſa eſt ratio intellectionis & verbi producti, ab eaque ſeparabilis, quamvis non mutuò. Licèt enim intellectio poſsit eſſe ſine verbo à ſe producto, vt in viſione beata; non tamen verbum productum ab intellectione ſeparari poteſt, quia pendet ab ipſa, vt ab operatione vitali tanquam terminus intrinſecus, ideoque nullatenus abſque illa conſervari aut quoquo modo exiſtere poteſt. Præterea eandem ſententiam latè reijciā in Curſu Theologico ex ſpeciali fundamento: nimirum quia Authores contrarij tenentur concedere viſioni beatificę formalem iuſtificandi vim, eo ipſo quod illi concedant rationem ſimilitudinis Dei expreſſæ & formalis.

SECTIO SEXTA.

Argumenta ſolemnia opinionis adverſæ obijciuntur & enodantur.

44 *OPPONES I.* Ariſtotelem loco ipſo à nobis exſcripto ſuprà *n.* 36. vbi diſtinguit duplex genus actionum; vnum earum, quæ ponunt aliquod opus præter ipſam actionem, vt ædificatio quæ præter ſeipſam ponit domum: alterum earū, quæ non ponūt aliud opus à ſe diſtinctum, ſed fiſſunt in ſolo vſu vt viſio in vidente, ſpeculatio in ſpeculante, & vita in anima. Ergo ſentit intellectione non produci aliquod verbum realiter diſtinctum. Maximè, quia eodem loco docet vſum ipſum eſſe vltimum viſionis, proindeque & prædictarum operationum poſterioris generis: quod locum non haberet ſi verbum ſequeretur poſteriùs natura ad intellectionem, tanquā ad actionem ſui productivam. *RESP.* Ariſt. eo loco non negare omnem terminum productū actu ſpeculationis, ſeu intellectionis, loquendo ſecundùm rem: quia noverat habitus intellectuales reipſa produci per actus intellectionis multiplicatos, & ſimiliter ſpecies impreſſas per operationem, tum intellectus agentis, tum & ſenſuum, quæ etiam eſt vita animæ. Quare ſolùm excludit terminum productum ab intellectione, quatenus ſpeculatio præcisè eſt: quod vltro fatemur: ideoque ea voce *ſpeculationis* expreſsè vtitur. Intellectio enim quatenus ſpeculatio, ſive contemplatio, formaliter non habet producere verbum,

ſeu

seu speciem expressam; sed solùm in eà contemplari obiectum. Cùm hoc tamen cohæret quòd intellectio ipsa sub formalitate dictionis, vel modaliter, vel saltè virtualiter a se distincta, habeat realiter producere verbum, quoties intellectus producit verbum: de quo *sect. sequenti.*

45 *OPPONES II.* Augustinum & D. Thomam, quos nonnulli ex Adversarijs volunt apertissimè contrariam opinionē tradidisse. Prior enim *lib. 9. de Trinit. c. 10.* verbum appellat notitiam. Vnde & celebre est illud effatum ipsius: *Ex obiecto & potentia paritur notitia.* At notitia nihil aliud est, quam ipsa actualis intellectio. Ergo neque verbum est aliud, quàm ipsa intellectio. Deinde & cognitionem appellat similitudinū obiecti: ideoq; colligit fore in nobis similitudinem Dei in Patria, quia videbimus eum sicuti est: quæ verba desumpta videntur ex verbis Ioannis in quadam epistolà. Si autem semel cognitio est similitudo obiecti, cùm non sit similitudo impressa, quoniā ab hac procedit, debet esse expressa, ac proinde verbū. Posterior quoque idem ipsum confirmare videtur *1. p. q. 34. art. 1. ad 3.* dum ait: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: in quà nulla ratio originis importatur, sed informatio quædā in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Si autem verbum esset terminus realiter productus mediā intellectione, in hac nō importaretur sola habitudo intelligentis ad rem intellectam, sed præterea origo eiusdem verbi: quod est directè contradictorium verbis & sensui S. Doctoris. Deinde & *q. 8. de Potentia art. 1.* inquit: *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus: cùm ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto.* Si autem verbum nostrum esset terminus productus ab intellectione, esset ipsi quid extrinsecum, & sine quo posset illa compleri. quod S. Thomas negat.

46 *RESP.* Augustini testimonium, in quo recenter fidunt Adversarij, & præsertim Sancte-Crucius vbi suprà, iam fuisse propositū & expensum à D. Thomà *1. p. q. 34. art. 1.* vbi illud exponit in sensu nostræ assertionis, his verbis: *Cùm ergo dicitur* (ab Augustino) *quòd verbum est notitia, NON ACCIPITVR NOTITIA PRO ACTV INTELLECTVS COGNOSCENTIS, vel pro aliquo eius habitu: sed pro eo quod intellectus concepit cognoscendo. Vnde & Augustinus lib. 7. de Trinit. c. 2. dicit quòd Verbū est sapientia genita: quod nihil aliud est, quàm ipsa conceptio sapientis, quæ pari modo NOTITIA GENITA dici potest.* Patet ergo Augustinum, iuxta interpretationē S. Thomæ, nomine *notitiæ*, non actum aliquem intellectus accepisse, sed conceptū, seu verbum, quod per intellectionem generatur. Dum verò colligit, nos fore similes Deo in Patriā, quia videbimus Deum sicuti est, rectè id infert: quia licèt beatifica visio non sit similitudo obiecti increati, nec impressa, nec expressa, habet vtrāque necessario coniunctam, alterā ex parte principij, alterā ex parte termini, qui est divinitas per modum speciei expressæ, seu verbi impropriè & communiter dicti.

47 *QVOD* Verò attinet ad testimonia D. Thomæ obiecta, respondetur, sicut suprà *n. 44.* ad locum Arist. ibi sermonē esse de intellectione quatenus pura speculatio est, sive contēplatio obiecti, sic enim non habet rationem originis, nec productionis: vt patet in intellectione, quā intelligunt Filius, & Spiritus Sanctus, nullū terminum producente ad intra, sed contemplante solùm. Verùm quemadmodum eadem intellectio prout in Patre, & sub munere dictionis, habet producere Verbum substantiale realiter distinctū; ita & intellectio nostra sub munere dictionis, sive virtualiter, sive modaliter distincto, habet producere verbum accidentale distinctū realiter: vt sæpe ostensum est verbis eiusdē S. Doctoris. Nec magis vrget alterū testimonium: quia ex eo solùm infertur, verbū nostræ mentis esse quid necessario connexum cum intellectione ipsum producēte, & complente, non quidem constitutivè & in recto, aut per identitatem; sed per modum termini intrinseci, & reddentis actu intellectum obiectum extrinsecum. Sic & intelligens est intrinsecum eidem intellectioni, non quidem constitutivè & in recto, sed subiectivè & in obliquo, quatenus pendet essentialiter a receptione in illo.

48 *OPPONES II.* Verbum seu species expressa nihil aliud est, quàm actualis manifestatio obiecti. Hæc autem est ipsa intellectio, cùm sit actualis obiecti perceptio, ac proinde manifestatio illius. Ergo verbum sive species expressa est ipsa intellectio. *Confirm. I.* Essentia divina manifestat omnia intelligibilia quatenus est intellectio perfectissima eorum omnīū. Ergo intellectio ex terminis & generatim

est

eſt manifeſtatio obiecti. *Confirm. II.* Ex vi ſpeciei impreſſæ conſtituitur intellectus manifeſtativus & intellectivus in actu primo. Ergo ex vi ſpeciei expreſſæ conſtituitur manifeſtans & intelligens in actu ſecundo. *Confirm. III.* Intellectus intelligit per hoc quòd trahat res ad ſe: voluntas autem vult per hoc quòd trahatur à rebus. At trahuntur res ad intellectum per ſpeciem expreſſam ſive verbum formaliter. Ergo intellectus intelligit per illud formaliter.

49 *RESP.* Verbum eſſe actualem manifeſtationem obiecti per modum ſimilitudinis formalis; intellectionem autem ſolùm per modũ tendentiæ & actualis perceptionis; ideoque vnum reipsa importare conceptũ diſtinctũ ab altero; & quoddammodo ſicut diverſum quid importat exterior imago alicuius rei, & viſio eiuſdem rei prout in ſuâ imagine. *AD I. Confirm.* Eſſentia divina ſub expreſſo munere intellectionis ſolùm manifeſtat per modũ actualis perceptionis obiecta intelligibilia; ſub munere autem verbi communiter dicti, ſive ſpeciei expreſſæ, manifeſtat illa per modum ſimilitudinis: quæ duo munera diſtinguuntur virtualiter inadæquatè: ideoque poteſt divinitas vniri intellectui creato, & de facto vnitur ſub ratione verbi ad viſionẽ beatificam; non tamen vnitur, nec poteſt, ſub munere intellectionis, ob incapacitatem mentis creatę vt intelligat per actũ intellectionis increatæ. Sic perſonalitas & ſubſiſtentia Verbi ſunt duo munera virtualiter inadæquatè diſtincta, alterum conveniens Verbo quatenus ſuppoſitum rationale eſt, alterum quatenus ſubſtantia completa, ſeu ſuppoſitum præcisè eſt: ideoque poſſet vniri realiter naturæ irrationali ſub munere ſubſiſtentiæ, non autem perſonæ, ob incapacitatẽ ſubiecti, ſive naturæ irrationalis. Quod autem præſtant in divinis munera virtualiter diſtincta intellectionis & ſpeciei expreſſæ, præſtant in creatis duæ realitates diverſæ. *AD II. Confirm.* negatur conſequentia: quia ſpecies expreſſa non correſpondet impreſſæ vt actus ſecundus, ſed vt terminus, quo obiectum conſtituitur intellectum in actu, & interiùs terminans actualem ſui cognitionem. *AD III.* Intellectus trahit res ad ſe, tum per intellectionem, tum etiam per ſpeciem expreſſam; verùm aliter & aliter: per priorẽ activè & quaſi virtualiter, per poſteriorem formaliter & terminativè, vtpote in quâ ſolâ reſidet ſimilitudo obiecti formalis.

SECTIO SEPTIMA.

Alio exquiſitiore argumento propoſito, veſtigatur an dictio ſeu productio ſpeciei expreſſæ aliquomodo ab intellectione diſtinguatur?

50 *OPPONES III.* Si intellectio eſſet actio diſtincta à verbo, tanquam à termino producto per illam, haberet id ex ratione eſſentiali quatenus intellectio eſt, aut ex aliquo accidenti. At neutrum eſſe poteſt. Non primum: quia ſic omnis intellectio produceret verbum: quod negavimus *ſect.* 4. in viſione beatificâ. Nec ſecundum: quia ſic poſſet quælibet intellectio, ſaltem ſupernaturaliter, eſſe ſine exercitio actuali producendi verbũ, ſicuti quælibet res ſeparari poteſt ſupernaturaliter ab eo, quod ſibi accidentale eſt. At conſequens hoc videtur abſurdũ: quia impoſsibile apparet exiſtere intellectionẽ, præſertim obiecti abſentis, quin habeat illud ſibi intentionaliter præſens, quod provenit a verbo formaliter. Ergo intellectio non habet, neque ex ratione eſſentiali, neque ex accidentali, vt ſit actio diſtincta à verbo, tanquam à termino per illam producto. Potiùs igitur dicendum eſt, illam eſſe indiſtinctam à verbo realiter.

51 *HOC* Argumento tangitur difficultas illa, quâ inquiritur, ſuppoſitâ reali diſtinctione verbi ab intellectione, an hæc à dictione vllatenus diſtinguatur; præſertim, ſtatuto, vt ſuprà, intellectionem beatificam non eſſe productionem verbi. In quâ re quidam aiunt eſſe operationes realiter adæquatè diſtinctas, & ſe invicem excludentes. Ita Ferrara 4. *contrà Gent. c.* 13. Torres 1. *p. q.* 27. *art.* 1. *diſp.* 11. interturq; neceſſario ex opinione *n.* 39. relatâ eorum, qui cenſent intellectionem produci per actionem diſtinctam, quę planè alia eſſe non poteſt, quam dictio. Alij ſolùm formaliter ex naturâ rei illas diſtinguunt cum Scoto *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 7. & *diſt.* 27. *q.* 1. & 2. Themiſtæ frequenter ajunt, dictionem modaliter ab intellectione differre: quæ ſententia abſque dubio probabilis eſt, & rectè exponitur à Ioane à S. Thoma *q.* 11. *art.* & Complutenſ. *diſp.* 21 *q.* 4 vbi iſtã ſequuntur, & plures alios pro ea allegant.

CÆ-

52 *CÆTERVM* Probabilius censeo, intellectionē esse idem realiter cum dictione productivà verbi, & solùm virtualiter ab eà distingui, non solùm in divinis, vt suppono ex communi ferè Theologorum sententia contra Scotum, sed & in creatis. Itaq; dictio productiva verbi, nec distinguitur ab intellectione vt res à re, neque formaliter ex natura rei, neque vt modus, sed virtualiter tantùm. *Si autem quandoque* non producit verbum, vt in visione beatificà, tunc nullatenus habet rationem dictionis productivæ, sed tantùm speculativæ.

58 *PRIOR* Resolutionis nostræ pars videtur expressa D. Thomę pluribus locis: sed præcipuè 4. cōtra Gent. c. 11. ante medium, vbi inquit: *De ratione verbi est procedere ab intelligente secundùm suum intelligere, cùm sit quasi terminus operationis intellectualis. INTELLECTVS ENIM INTELLIGENDO CONCIPIT ET FORMAT VERBVM.* Atqui dictio productiva est operatio qua producitur verbū. Ergo si hoc producitur ab intellectu per ipsum intelligere, ipsum intelligere est dictio verbi productiva. Et q. 4. de Verit. art. 2. ait: *In nobis dicere non solùm significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est exprimere ex sè aliquam conceptionem: nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo. ET IDEO OMNE INTELLIGERE IN NOBIS PROPRIE LOQVENDO EST DICERE.* Si autem dictio esset realitas, aut modus, aut formalitas ex natura rei distincta ab intellectione, non omne intelligere in nobis, scilicet, in verbo formato a nobis, esset propriè intelligere; sed potiùs esset propriè aliqua realitas, modus, aut formalitas ex naturà rei diversa ab ipso intelligere. Constat enim quamcumque earū distinctionum sufficere, ne quod alteri extremo convenit, dicatur propriè esse alterū, vt vel levitur consideranti palam erit. Denique idipsum evincitur ex illo alio testimonio solemni 1. p. q. 27. art. 1. *Quicumq; intelligit EX HOC IPSO QVOD INTELLIGIT, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio intellectus, EX VI INTELLECTIONIS PROVENIENS.* Cùm ergo in omni sententià verbum proveniat ex vi dictionis productivæ ipsius, hæc non est aliud, quàm ipsa intellectio. Neque aliquod testimonium affertur à Thomistis, in quo S. Doctor asserat, insinuetvè sufficienter dictionem superaddere modū aliquem realiter distinctum intellectioni, sed ad summum formalitatem virtualiter diversam.

54 *EX* Testimonijs præiactis ita aliorum opiniones refello, & hanc nostrā probo, ratione illà generali & verissimà, quà asseritur, frustra fieri per plura, quod per pauciora fieri potest; quia natura compēdio studet, & nunquam frustra operatur. At quoties intellectus creatus producit verbum, per solam entitatem intellectionis, absque vllà superadditione realitatis, modi, aut formalitatis ex naturà rei distinctæ, potest dicere, seu producere ipsum verbū. Ergo quoties intellectus creatus producit verbum, frustra intellectioni additur realitas, modus, aut formalitas distincta ex naturà rei. Probatur minor. Quoties enim intellectus creatus producit verbum, ipsa entitas intellectionis, absque alio superaddito, habet vim exprimendi, & loquendi interiùs id quod concipit. Non enim est cæca operatio, sed formalis cognitio, interiùs manifestans per modum locutionis, apprehensivæ, iudicativæ, aut discursivæ, aut imperij, deprecationisvè, id quod concipit. Ergo & per suam entitatem absque alio superaddito potest dicere seu ptoducere ipsum verbum. *Confirm.* Verbum creatum nihil aliud est, quàm obiectum prout intellectū in actu per modum termini interioris. Ergo procedit per ipsum actum intellectionis, quatenus per suam entitatem est intellectio.

55 *DIXI, Quoties intellectus creatus producit verbum*: quia tunc obiectum ipsum, quamvis realiter sit præsens potentiæ, vt Angelus suo intellectui, nequit seipso habere rationē verbi, sive termini actu intellecti: quoniam, vt suprà probavi, sicut nulla creatura identificare potest suum intelligere, sic neque suū actu intelligi. Quare tunc necessum est vt intellectus per ipsam intellectionem, quà interiùs loquitur, producat ipsum obiectum quatenus intellectum in actu, quà ratione non præsupponebatur productum. Ergo & necessum est vt producat ipsum verbum: quia verbum nihil aliud est, quàm obiectum quatenus intellectum in actu. Quando autem intellectus creatus non producit verbum, vt in visione beatificà, tunc ipsum obiectū increatum, quod intimè vnitur, seipso formaliter est intellectum in actu, sicuti & est suum intelligere, ratione infinitæ actua-

actualitatis & intelligibilitatis. Quare tunc viſio, ſeu intellectio beatifica, nullatenus eſt productio, neque vllam vim habet ad producendum verbum: quia nulla intellectio, nulla actio, nulla virtus creata habet vim ad producendum verbum infinitæ actualitatis & intelligibilitatis, quale ſolũ eſſe poteſt verbum quidditativè repręſentans Deum actu intellectum.

56 *DICES*: Illa viſio eſt cognitio per modum iudicij, ac proinde locutio affirmativa. Omnis autem locutio affirmativa eſt dictio, ſive productio verbi. Ergo & viſio illa eſt dictio, ſive productio verbi. Cùm ergo conſequens hoc ſit falſum in noſtrà ſententià, & frequenti Thomiſtarum, debemus aſſerere, dictionem non eſſe puram entitatem intellectionis, ſed prętereà aliquid additum, modaliter ſaltem, quod deficiat viſioni beatificæ, & ex cuius defectu reddi poſsit idonea ratio, ne viſio beatifica ſit dictio ſeu productio verbi.

57 *SVBTILIS* Obiectio: ſed quam & iidem Authores ſolvere teneantur. Viſio enim beatifica, quamvis non producat verbum; in communi ſententià, ac certiſmà, habet rationem iudicij affirmativi, ac proinde locutionis interioris affirmativæ. Ergo ſi omnis locutio affirmativa eſt dictio ſeu productio verbi, vt in obiectione aſſumitur; viſio beatifica erit dictio ſeu actualis productio verbi. Prætereà, intellectio increata prout in Filio & Spiritu Sancto, etiam habet rationem iudicij affirmativi, ac proinde locutionis internæ: & tamen fide ſanctum eſt in neutro illorum eſſe dictionem productivam Verbi. Hæc enim propria eſt Patris. Ergo ex eo quòd beatifica viſio ſit affirmativa & interior loquutio, non bene colligitur quòd ſit productiò, ſive dictio productiva verbi. Nimirum, ſicut affirmatio & locutio increata nõ habet rationem dictionis productivæ, niſi ex coniunctione ad primam perſonam; ſic neque intellectio creata, quamvis ſit affirmatio & locutio, habet rationem dictionis productivæ, niſi ex cõiunctione ad intellectum fœcundatũ ſpecie impreſsà creatà. Eo namque ipſo quòd ſpecies impreſſa ſit creata, obiectum per eam repræſentatum eget productione ſui per modum verbi, ſive termini actu intellecti, intrà ipſum intelligentem: ideoque cognitio debet producere illud ſub ratione verbi. Quoties autẽ obiectum ſeipſo immediatè venitur ſub munere verbi, vt in viſione beatificà, hæc non habet rationem dictionis locutionisvè productivæ, ſed ſolum iudicativæ. Itaque ſola locutio mentalis procedens à ſpecie impreſsà creatà eſt productiva verbi: quæ autem à ſpecie increatà procedit, tantùm eſt manifeſtativa & ſpeculativa.

58 *POSTERIOR* Noſtræ ſententiæ pars, qua aſſerimus intellectionem productivam verbi diſtingui virtualiter ab intellectione vt actione contemplativa, ſuadetur facilè: Quia quoties intra quodlibet prędicamentum identificantur realiter duo extrema, quorum alterum eſt ratio communis conveniendi, alterum ratio ſpecialis differendi, oportet vtrumque diſtingui virtualiter. Quod patet in omnibus rationibus genericis & differentialibus inter ſe collatis. Atqui hoc modo ſe habent in intellectione ratio ſpeculationis obiecti & productionis verbi. Ergo diſtinguuntur virtualiter. Probatur minor. Omnes enim intellectiones ſunt ſpeculationes obiecti, abſque exceptione vlla: quia omnes illæ cognoſcunt ſuum obiectum: at non omnes intellectiones ſunt productiones verbi, ſed illæ tantùm, quæ procedunt ex potentia actuatà per creatam ſpeciem & in ordine ad obiectum creatum. Ergo in intellectione ratio contẽplationis ſeu cognitionis intellectualis eſt quædam ratio communis conveniendi; eſſe verò productionem verbi eſt differentialis quędam ratio determinata ad intellectionem procedentem ex ſpecie impreſsà creatà.

59 *VERVM* Quemadmodum licèt animal diſtinguatur virtualiter à rationali, vtrumque tamen eſt de conceptu eſſentiali hominis per ea prædicata conſtituti; ita etiam licèt in intellectione ratio cognitionis diſtinguatur virtualiter à ratione dictionis productivæ verbi, vtraque tamen eſt de conceptu eſſentiali cuiuslibet intellectionis productivæ verbi: quia hæc eſſentialiter importat vtramque rationẽ, qua convenit cum viſione beatificà vt cognitio ſeu contemplatio eſt, alteram quà ab eà differt in munere producendi verbum. Rurſus & eidem viſioni beatificæ eſſentiale eſt quòd non ſit productio verbi, ſed contemplatio pura; quia ex ratione eſſentiali exigit procedere ab intellectu fœcundato per increatã ſpeciem & terminari à verbo improducto atque increato: in quo ſanè excedit longiſsimo intervallo omnẽ aliam intellectionem creatam.

EX

60 *EX* Quibus patet ad argumentum initio ſectionis præpoſitũ. Dicimus enim intellectioni ſecundùm communiſsimam rationem, & prout abſtrahenti à beatificâ, accidere logicè, non autem phyſicè, quod contrahatur per differentiam productionis, vel ex oppoſito puræ ſpeculationis verbi: ſicuti animali ſecundùm rationem communem accidit logicè quòd ſit rationale aut hinnibile, & eidem intellectioni quod determinetur per differentiam intellectionis beatificæ aut non beatificæ. Nimirum omnis differentia contrahens aliquam rationem generalem dicitur accidentaliter logicè ipſi convenire, quatenus non eſt de conceptu eſſentiali ipſius, licèt cùm eâ identificetur reipsâ. Quemadmodum verò hæc identitas ſufficit ne animal ſemel realiter identificatum cum rationali poſsit ab eo ſeparari in re, adhuc ſupernaturaliter; ſic etiam realis identitas intellectionis ſemel identificatæ cum dictione, ſufficiens cauſa eſt, ne quoquo modo ab eâ ſeparari poſsit.

SECTIO OCTAVA.

Inferuntur quædam obſervatu digna circa naturam intellectionis & ſpeciei expreſſæ: oſtenditurque generatim nullam cognitionem eſſe actionem prædicamentalem.

61 *INFERO I.* Intellectionem productivam verbi non diſtingui ab eò inadæquatè, vt quidam volunt; ſed realiter adæquatè, veluti actionem à termino, & cauſalitatem effectivã ab effectu producto. Intellectus enim præditus ſpecie impreſſa vt formâ intelligibili conſtituitur potens proximè ad efficiendã intellectionem, & pariendum eâ mediante verbum, ſeu ſpeciem expreſſam: ideoque intellectio ipſa eſt cauſalitas verbi productiva. Omnis autem cauſalitas productiva cuiuslibet termini diſtinguitur realiter adæquatè ab eo: vt patet in creatione, generatione, alteratione, augmentatione, &c.

62 *INFERO II.* In intellectione, ſive producente verbum, ſive non producente, nullum eſſe prædicatum intentionale per modum ſimilitudinis, ſeu imaginis obiecti, nec virtualis, nec formalis. Nõ primum: quia eſſe ſimilitudinem ſeu imaginem virtualem obiecti ſolùm convenit ſpeciei impreſſæ, quæ eſt & dicitur virtus obiecti vicaria. Non ſecundum: quia eſſe imaginem formalem obiecti dumtaxat convenit ſpeciei expreſſæ. Cùm ergo cõſtet intellectionem diſtingui à ſpecie impreſsâ vt à ſuo principio, & ab expreſſa vt termino, aut producto, aut attacto ſpeculativè; patet quoque in intellectione non eſſe intrinſecè prædicatum aliquod ſimilitudinis ſeu imaginis, nec formalis, nec virtualis obiecti. Itaque intellectio nõ ſpectat ad lineam intentionalem per modum ſimilitudinis, aut imaginis; ſed tantũ per modum actus percipientis & trahentis formalem & expreſſam imaginem obiecti ad potentiam, ſive producendo illam, ſive tantùm contemplando, vt in viſione beatifica. Qui autem ſentiunt intellectionem eſſe indiſtinctam à verbo, omni intellectioni creatæ debent aſcribere formalem obiecti repræſentationem, & concedere viſioni beatificæ rationẽ imaginis quidditativè repræſentantis Deum quod tamen ſuprà *n.* 27. reiecimus ab omni entitate creata.

63 *INFERO III.* Nullam intellectionem eſſe actionem prædicamentalẽ, ſive producat verbum, ſive non producat: idemque eſſe generatim loquendo de omni actu cognitionis ſenſitivæ, ſive internę & producentis verbum, ſive externæ, & non producentis, vt *ſect.* 1, cõſtitutum eſt. Rationem huius doctrinę iam ſuprà dedimus loquentes ſpeciatim de ſenſione externa *num.* 8. & de intellectione *num.* 20. Nunc oportet generatim id ſuadere de omni actu cognitionis: idque multipliciter. *Primò*: Quia omnis cognitio eſt actio immanens: vtpotè quà intrinſecè perficitur operans à ſe & in ſe. At nulla actio immanens eſt directè in prædicamẽto actionis, vt expreſsis verbis docet D. Thomas *Opuſc.* 48. *tract. de Actione c.* 7. Ergo nulla cognitio eſt directè in prædicamẽto actionis. *Secundò* ratione deductà ex eodem S. Doctore *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 3. Omnis enim actio prædicamentalis eſt correlativa & inductiva paſsionis ac motus imperfecti, ſive inſtantanei, ſive ſucceſsivi. At nulla cognitio eſt correlativa, aut inductiva paſsionis prædicamẽtalis, ſeu motus imperfecti, per ſe loquendo. Immò eò perfectior eſt cognitio, quò remotior à paſsione & motu imperfecto. Quamvis enim antecedenter ad omnem cognitionem exigatur in nobis mutatio aliqua intẽ-

tentionalis per ſpeciem receptam, aut lumen, habitumve, tamen formaliter ipſa cognitio nullam paſsionem aut motum imperfectum affert. Nulla igitur cognitio formaliter eſt actio prædicamentalis. *Confirm.* Omnis actio quæ affert paſsionem prædicamentalem & motum, habet ſe tãtum per modum viæ & fluxus, ideoque ceſſat adquiſito termino: vt patet in generatione, alteratione, augmentatione, & alijs eiuſmodi actionibus. At nulla cognitio per ſe loquendo ceſſat adquiſito termino, ſcilicet, vel obiecto in ſeipſo, vel ſpecie expreſſa eiuſdem obiecti; quin potiùs permaneat ſpeculando ipſum ſemel adquiſitum. Nulla ergo cognitio per ſe loquendo affert paſsionem prædicamentalem & motum. *Tertiò.* Omnis actio prædicamentalis ordinatur ad perficiendum, non quidem operans, ſed ipſum operatũ: eſt enim pura via & cauſalitas agentis, qua tendit ad producendum effectum; non autem finis ipſius. At omnis cognitio ordinatur natura ſua ad perficiendum ipſum operans, tanquam finis ipſius; &, ſi producit aliquid, vt verbum mẽtis, non eſt propter ipſius perfectionem, ſed ſolius operantis, quod intrinſecè perficitur contemplãdo obiectum in eo effectu. Ergo nulla cognitio eſt prædicamentalis actio.

64 *OPPONVNT* Zuñiga de Trinitate *diſp. 2. dub. 7.* Oviedo *contr. 6. punct. 1. num. 9.* terminum non eſſe propter actionem, ſed è converſo actionem propter terminum: nulla enim actio diſtincta a termino eſt propter ſe intenta, ſed propter terminum. Quod adeò certum exiſtimat prior illorum, vt qui contrà ſenſerit, videatur non intellexiſſe conceptũ actionis. *RESP.* terminum prædicamentalis actionis non eſſe propter illam, ſed è cõtrà; quia prædicamentalis actio, vt dicebam, eſt pura via & fluxus ad producendum terminum, non autem perfectio intrinſeca operantis; ideoque ceſſat producto termino, qui ſolus quæritur vt finis. Actio autem immanens, qualis eſt omnis cognitio, quamvis habeat rationem viæ per ordinem ad verbum vel obiectum, non tamen propter perfectionem termini vel obiecti, ſed ipſius operantis, quod intrinſecè perficitur actione ipſa, & in ſola illa collocat ſuum finem formalem. Quare ſi omnia obiecta, quæcumque cognoſcuntur, ſeipſis eſſent præſentia immediatè abſque vllo termino per cognitionem producto, qualiter Deus eſt præſens intellectui beato, & obiecta externa ſenſibilia externis ſenſibus; nihil minùs perficeretur operans per ſolam cognitionem, quam de facto perficiatur per cognitionem & terminum ad ea productum. Quare tutiſs frequenter dici ſolet cognitionem, vt diſtinctam ab actione prædicamentali, non eſſe operationem viam, ſed operationem finem.

65 *CVM* Igitur intellectio, & generatim omnis cognitio, non ſpectet ad prædicamentum actionis, & tamen certum ſit ſpectare debere ad aliquod aliud ex prædicamentis, ſupereſt vt pertineat directè ad qualitatem; ſicuti & potentia & ſpecies, a quibus procedit, & verbum quod ab ea paritur. Nullum enim aliud ex prædicamentis eſt, ſub quo directè comprehendatur, vt conſtabit excurrenti per ſingula: & præterea in omni cognitione inveniuntur aliqui effectus qualificativi, vt benè aut malè afficiendi ſubiectum, & diſponendi ad adquiſitionem habituum, alijque ſimiles.

66 *NONNVLLI* Auctores ſolent in hoc ipſo tractatu quædam alia diſputare circa intellectum & voluntatem, atque actus & habitus vtriuſque, quæ tamen directè ad Metaphyſicam, vel Theologiam ſpectant. Ideò ea in præſenti omittere viſum, proprijs locis differenda. Quare hæc ſufficiant circa libros de Anima.

IN LIBROS METEORORVM

ARISTOTELIS DISPVTATIONES QVAEDAM.

PROOEMVIM.



AM Philoſophiæ partem aggredimur, quæ minùs in Scholis tradi ſolet, quæque ſcitu iucundiſsima eſt. Ideo vix, vt in præcedentibus, iuxta methodum in Academijs ſolemnem, neque ad præſcriptum metaphyſicæ ſeveritatis, diſſeremus; ſed mitiori ac humaniori genere diſputationum, quas facilè quiſque capiat, quanquam Philoſophiæ Scholaſticæ non fuerit operatus. Trademus itaque præcipua eorum, quæ Ariſtoteles in libris Meteororum docet, ita inſcriptis, quòd in ijs de ſublimibus, ſive ſupergredientibus hæc inferiora, agatur. Μετέωρον enim Græcè *ſublime eſt*, & Μετεωρολογία *rerum ſublimium ratio*, ſive ſcientia. Quamvis enim ijs libris nonnulla etiam tradantur circa res inferiores, & ſubterraneis locis ortas, vt metalla, terræmotus, aliaque eiuſmodi; denominatio tamen à præcipuo huius tractatus argumento deſumpta fuit, quo elevata phænomena ediſſeruntur. Qui plenlorem huius materiæ notitiam exoptat, conſulere poterit Nicolaum Cabeum, inſignem Philoſophum Societatis, qui nuper in eam quatuor iuſta volumina edidit. Moneo tamen plurima ab ipſo in ijs diſcuti, quæ ad libros de Cœlo ac Generatione attinent, & iam à nobis vtroque loco plenè examinata ſunt. Ideo ea ſolum breviter libabimus, quæ ibidem prætermiſſa, & huius tractationis propria: præſertim ne volumen plus iuſto creſcat, & ſubeamus notam illam Græcorum: μέγα βιβλίον, μέγα κακόν: *MAGNVS LIBER, MAGNVM MALVM.* Quemadmodum verò vtroque præcedenti tractatu, politiores amœnioreſque diſputationes inſcripſimus Illuſtriſsimis Conſiliarijs Supremi Caſtellæ Senatus, nullo eorum prætermiſſo; ſic & modò quæ reſtant, ſub nomine quorundam inſignium, eruditiſsimorumque Virorum, lucem aſpicient, quamquam nondum fuerint in eundem ſummum Magiſtratum evecti, quo iam pridem digni exiſtimantur. Auſpicio exaltationis futuræ ijs eſſe poterit, quòd vtrorumque nomina in eodem Opere coniungantur.

IL-

ILLMO. ET LITTERATISSIMO HEROI.

D. D. PETRO VLLOA GOLFIN,

ALCANTARENSI EQVITI, SVMMI SENATVS INDIARVM CONSILIARIO, &c.

EXPECTAVI Diu, desideraviq́ue, *ERVDITISSIME VIR*, vt communi bonorum voto ac spei responderet eventus. Expectavi felicem Astreæ diem, lapillo margarito dignum, quo in album Senatorum Supremi Iustitiæ Prætorij referretur nomen Tuum: vt sicut cæteris, ita & *TIBI*, μνημεῖον χαλκοῦ σοι τεωτερον consignarem. *At non ita benè nobiscum agitur, vt meliora placeant*, Seneca testante, & dolente. Ideo impatiens moræ, & iam impositurus coronidē Philosophiæ Nov antiquæ, posteriori hoc volumine, cuius vltimæ propemodum chartæ sub prælo gemunt, Dissertationem hanc *DE PHÆNOMENIS COELESTIBVS* mitto. Accusabit quispiam trito illo —— *in sylvam ne ligna feras*. Quorsum enim, aut qua fronte, paucula & exilia hæc dirigam & inscribam litteratissimo Viro, & omnium disciplinarum amœniorum floribus ornatissimo? cui vtraque splendidissima Domus *DE VLLOA*, & *GOLFIN*, Heroum Principumq́ue innumerabilium, & Filia, & Mater, origo fuit? cui Sophirina Maioris Collegij Conchensis Toga, veste cœlum exprimere docuit? quē Salmantica, Chrisiani orbis Athenæ, præstantissimæ Decreti Cathedræ Professorem celeberrimum venerata est? cui, præter severiores & graviores animæ curas in Cæsareo Iure, ac regimine tot Senatuum Regiorum, mitiores litteræ, & penitiora Antiquitatis adyta, ac Naturæ sacramenta, delicijs & lenocinio fuere? Videbor itaque importunus, vel audax, quòd levidensi hoc munere *TE* adeundum, aut mihi conciliandum existimaverim. Atqui non ideo desisto. Compulit in obsequium hoc, præter egregias animi Tui dotes, tenera ac suavis recordatio dulcissimi Avunculi Tui, & Mœcenatis (heu quondam!) mei, Illustriss. *D. D. IOANNIS GOLFIN*, Supremi Iustitiæ Senatus Consiliarij, & Granatensis Præsidis: cui quantùm amoris, confidentiæ, ac bonę existimationis, ego debuerim, vix exprimere queam. Ereptus vna fuit Castro Cæsaris nobilissimus Heros, expugnatorum eius vrbis ramentum præcipuum; Senatui, spectatissimus Consul; Iustitiæ, integerrimus Administer; Pietati, cultor eximius, cuiq́ue nihil antiquius fuit, quàm studium honesti. Verum nec generis splendor, nec doctrina, —— *nec pietas moram Rugis, & instanti Senectæ Attulit, indomitæq́ue morti*, vt cum Lyrico fleam. Sed enim iam meliore sui parte, vt sperare par est, in cœlum translatus, ridebit, credo, inanes Philosophorum Astronomorumq́ue opiniones, circa cœlestia phænomena. Nemo illorum, qui inæstimabili Dei beneficio melioribus iam auris fruuntur, nescit quidquam eorum, quæ ad ætheream regionem spectant. Omnia ijs perspecta sunt. Nos humi repentes, divinamus. Et certè mihi neque hoc affatim licet in præsenti quasi parergo præcipui Operis. Ideo circa Cometas, recentes stellas, & Galaxiam, brevitati studeo: vt non tam rem diseruisse, quam indigitasse videar. Licuit hactenus exspatiari, & iuxta ritum Scholæ indulgere genio, plerunque hispidis & salebrosis speculationibus assueto. Sed tamen & mitiora certaminum genera, amœnioraq́ue placent. Qualiacunque tamen ea sint,

TV calamo exculto corrige. namque potes.
Quippe TIBI penna est calamus, celeresq́ue cothurni,
Seu pede currenti, seu volante manu.

DISP. NONAGES PRIMA.

DE PHÆNOMENIS COELESTIBVS.

An in cœlo generentur phænomena Cometarum, & quarundam ſtellarum recentium?

Num. 1. PRO *Intellectu eorum, quæ exponenda ſunt in hoc tractatu, præmittere oportet, cauſam effectricem meteorologicarum impreſſionum eſſe potiſſimùm terram & aquam: queniam ex ijs oritur materia proxima illarum, quæ eſt vapor & exhalatio, vt docet Ariſtot.* lib. 1. cap. 4. *huius Operis, illis verbis:* θερμαινομένης γὰρ γῆς ὑπὸ τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἀναθυμιάσεων ἀναγκαῖον γίνεσθαι μὴ ἁπλοῦν, ὥς τινες οἴονται, ἀλλὰ διπλοῦν, &c. Incalescente nanque à Sole terra, halitum fieri non ſimplicem, vt quidam putant, ſed geminum, neceſſe eſt: alterum vaporoſum magis, alterum magis ſpiritoſum: humidi quidem halitum, quod in terra & ſuper terram exiſtit, vaporem; terræ verò præaridæ exiſtentis, anhelitum fumidum. *Itaque vapor eſt halitus, ſeu ſpiratio quædam calida & humida, quæ ex humore aqueo procedit, vt apparet in aquâ fervente. Ex hoc oriuntur nebulæ, nubes, pluviæ, nives, grandines, rores, aliaque eiuſmodi. Exhalatio verò eſt halitus terræ calidus & ſiccus: dividiturque in duas quaſi ſpecies: ex quarum altera facilè oritur flamma, & ignitæ impreſſiones, ardentesque faces: ex alterâ autem non ita facilè. Seu plerumque remotè; nam proximè ex eâ venti conſurgunt. Prior exhalationis ſpecies ex terrâ pingui oritur, & ratione tenacitatis ſuæ habet partes ſibi adhærentes, quibus vehementer imprimitur Solis calor, ideoque in ſublimiorem aëris regionem aſcendit; nam calor levitatem affert. Poſterior oritur ex aridiori terrâ, cuius partes minorè colligatione habent, eaque propter calor Solis in ijs non adeò vehementer imprimitur: vnde & obſtante gravitate minùs aſcendunt, ac plerumque diſſipantur, aut abeunt in ventorum flatus.*

2 *CONVENIVNT Autem & differunt inter ſe vapor & exhalatio. Conveniunt quidem in exprimendo ſpeciem aliquam fumi, & in eo quòd calida ſint; non quidem ab intrinſeco, cùm oriantur ex terrâ & aquâ intrinſecè frigidis, imò & ſecundum opinionem ſatis probabilem ab ijs non differant ſubſtantialiter, ideoque frigiditatem cognatam habeant; ſed ab extrinſeco, nimirum, ab influxu Solis, aliorumque luminarium cœleſtium, quæ media impreſſione caloris ea extenuant, leviora reddunt, & in ſublime tollunt. Differunt autem ratione formarum ſubſtantialium, tum & corporum, è quibus excitantur. Vapor enim ex locis humentibus trahitur, exhalatio verò ex ſiccis. Quod verum eſt adhuc quoties terra & aqua permiſtæ ſunt, & ex vtraque coniunctim vapores atque exhalationes excitantur. Quamvis enim initio coniungantur, poſtea vbi ad mediam aëris regionem accedunt, dividuntur, vapore reſoluto; exhalatione autem ſublimiùs aſcendente. Differunt præterea quòd vapor ſit humidus; exhalatio autem ſicca. His poſitis, controvertimus in præſenti, an phænomena illa, quæ ſimplici oculorum aſpectui æpparent in ipſo cœlo locum habentia, vt Cometæ, & recentes quædam ſtellæ, verè in cœlo ipſo generentur, & ſint? Ac primò quidem de Cometis agendum.*

SECTIO PRIMA.

Variæ ac diſſidentes opiniones Aſtronomorum, Philoſophorumque circa naturam Cometarum, & locum in quo generantur.

3 NVLLVM Phænomenon cœleſte ita genus humanum cõmovet in admirationem ſui, ac Cometa quilibet: nullaque ex lucidis concretionibus magis ingenia hominum in diſſidium traxit. Occaſione illius, qui anno 1665. diu viſus fuit ante obitũ PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis, de hoc argumento latè diſſero *tom. 2. Theologiæ Florulentæ Ludo XXI.* ideoque hìc breviter perſtringam quæ Phyſiologica ſunt.

4 Quorundam ex Veteribus, & plurium è Recentioribus, opinio eſt, pleroſque Cometarum in ipſo cœlo generari. Eandemque tuentur doctrinam quotquot ferè aiunt corpora cœleſtia

eſſe

eſſe fluida & corruptibilia, atque elementaribus qualitatibus prædita, & Solem propriè igneum, qui ex terræ halitibus paſcatur. Eo namque ipſo quòd hæc ita ſupponantur, locus eſt, vt in ipſo cœlo accidat vera generatio & corruptio Cometarum, ſive orta ex prævia cœleſtium corporum alteratione inter ſe, iuxta varios ſiderum & Planetarum congreſſus, ſive procedens ex mundi huius exhalationibus ad cœlum vſque elevatis calore Solis, & intra ſphæras ipſas conglobatis ſub diverſa Cometarum ſpecie, aut figura. Ita docent Tyco Brahæ *lib. 2. Progymnaſmatum*, Cornelius Gemma, & Heliſæus Roeslin alijque in obſervationibus circa Cometas viſos anno 1572. & 1577. Chriſtophorus Rothmanus *libr. de Cometa*, qui apparuit anno 1585. Chriſtianus Longomontanus *lib. de Novis Cœli Phænomenis*, Keplerus *lib. de Nova ſtella Serpent.* Camillus Glorioſus *lib. 4. de Cometis*, Doctor Zamora Primarius Salmanticæ Aſtronomus *libr. de Cometa viſo anno* 1604. Cæſius *de Mineralibus lib. 1. cap. 6. ſect. 1.* Nierembergius, Ioannes Baptiſta Cyſatus, Lottarius Sarſius, VVillebrordus, & alij circa Cometem anni 1618. ac denique plures Philoſophi quos retulimus & impugnavimus tractatu de Cœlo *diſputationibus* 64. & 66. ac referemus poſtea.

5 *SVFFRAGANTVR* Veteres aliquot Philoſophi, ijs locis allegati, ac præterea idem exiſtimaſſe putatur Nicephorus *lib. 12. Hiſtoriæ cap. 37.* quaſi dixerit, ſub Theodoſio Imperatore viſum quendam Cometam ſupra Venerem. At revera id non aſſerit: verba enim ſunt: *Inopinata & inſolens ſtella in cœlo medio noctis tempore prope Luciferum refulgens apparuit.* Quod non eſt opus accipere de propinquitate penes altitudinem eiuſdem Cometæ, quaſi reipſa iuxta Venerem fuerit; ſed ſolùm de apparitione ſimplici ſub illa cœli parte in qua eſt Venus: ſicuti communiter dici ſolet de quolibet inferiori Planeta, eſſe prope hanc vel illam firmamenti conſtellationem; ſcilicet, apparenter; & quaſi ſub ea, quantùm oculi ſimplici aſpectu videre poſſunt. Quare & ſubdit nonnulla, ex quibus colligatur, fuiſſe Cometem elementarem. Alt enim: *Paulatim ad eam ſtellam ingens etiam aliarum ſtellarum vis aggregabatur. Spectaculum id ſi vidiſſes, opum examini, quæ circa Regem ſuum in orbem obvolitant, contuliſſes.* Quod certè in ipſo cœlo accidere non potuit, ſed intra inferiores elementorum ſphæras. Cardanus quoque *lib. 4. de Subtilit.* refert, Albumazarem obſervaſſe quendam alium Cometam ſupra Venerem. Sed alij negant, id ab eo obſervatum.

6 *VERVM* Licèt prædicti Auctores, alijque poſtea allegandi, conveniant in eo quòd omnes, aut ſaltem plerique Cometæ in cœlo ipſo ſedem habeãt, adhuc tamen circa materiam & modum, quo formantur, diſſident inter ſe. *Primò* quidam dixerunt eſſe aſtra cœleſtia, diſtincta a Planetis quos agnoſcimus, quæ non ſemper nobis appareant, ſed interdum ſolùm, id eſt, quoties motus errans illorum ita exigit. Ita Artemidorus apud Senecam vbi ſupra *cap. 13.* qui eandem ferè opinionem videtur ſequi *capit. 17.* ſequenti dum ait: *Credis autem in hoc magno & pulcherrimo corpore, inter innumerabiles ſtellas, quæ noctem decore vario diſtinguunt, quinque ſolas eſſe, quibus exercere ſe liceat; cæteras ſtare ſixum & immobilem populum?* Quo planè indicat, quamplurimas eſſe ſtellas errantes, ex quarum varia coniunctione poſſint apparere inſolita phænomena in cœlo, Cometarum nomine ſignificata. Et pro eadem doctrina allegat Apollonium Myndium, ex ſenſu Chaldæorum aſſerentem, Cometas eſſe varias ſtellas errantes in cœlo, quarum modò vna, modò alia appareat. Conſentit Hieronym. Cardanus vbi ſupra, quatenus tradit, eſſe quædam ſecundaria & errantia aſtra in orbibus Planetarum. Suffraganturque ex Recentioribus, quotquot exiſtimant cœlum ſolidum non eſſe, ſed fluidum, & luminaria cœleſtia in eo vagari vt piſces in aquâ: ſic enim poterit ex vario eorum congreſſu quandoque apparere inſolitus ſplendor. *Secundò* alij ex Pythagoricis apud Ariſtot. in præſenti *lib. 1. cap. 7.* putarunt, omnem Cometam eſſe vnam quandam ſtellam errantem, quæ certis temporibus ſe ſpectandam exhibeat. Subſcripſere Hippocrates, & Æſchylus, quamvis addiderint comam ſive caudam Cometæ procedere ex quadam refractione ad noſtrum viſum è vaporibus ſurſum attractis à Sole. *Tertiò* Libanius *p. 2 Singul. tract. cap. de Cometis*, exiſtimat eos eſſe quaſdam cœli partes magis addenſatas, & conſpiſſatas virtute aſtrorum, ideoque viſibiles. *Quartò* Keplerus *in Epitome*

Astronomiæ censet, non esse, nisi exhalationes quasdam è corpore Solis, aliorumve astrorū eductas, quæ simul collectę & cōspissatæ recipiant luminis impressionem, & proinde spectabiles fiant. Consentit Camillus Glorioſus supra allegatus *lib.* 5. *capit.* 1. nec dissentiet, credo, Athanasius Kircherus à nobis allegatus *disput.* 72. alijque vapores ac fuligines admittentes in Sole, & ipsius flammæ pabulum assignantes. Quin & videtur eiusdem existimationi subscribere Nicolaus Cabeus *tom.* 1. *lib.* 1. *ad textum* 37. vbi materiam Cometarum esse docet effluvium Solis & astrorum, quod dum opacatur, & concrescit, remittit ad nos lumen Solis vel astri, & splendescere videtur. *Quintò* denique alij ita Cometis sedem in cœlo assignant, vt addant, formari ex vaporibus, non quidem cœlestibus, sed è terra attractis vi radiorum Solis, & sphæras cœlestes permeantibus, donec condensati effulgeant. Ita, præter plures ex allegatis, Paulus Aresius *lib.* 2. *de Gener. quæst.* 4. *cap.* 2. Raphael Gualterotus *libro Italico de Cometa anni* 1604. Marius Guiduccius *lib. de Cometis*, & Galilæus, lib. etiam Italico, quem *il Saggiatore* appellavit.

7 CÆTERVM Sententia Aristotelis in præsenti *lib.* 1. pluribus locis est, Cometas nullatenus intra cœlum existere, sed intra ipsa elementa, infra concavum Lunæ, coalescereque ex pinguibus & viscosis exhalationibus è terra attractis. Eandem sequitur *ibidem* S. Thomas *lect.* 11. & Albertus Magnus *tract.* 3. *capit.* 5. alijque Peripatetici Antiquiores, & ex Recentioribus insignes Astronomi, vt Ioannes Regio-montanus, occasione cuiusdam Cometæ visi anno 1475. & Vogelinus occasione alterius observati anno 1592. ac generatim circa illos aliosque quoslibet, Bartholomæus Sculterus, Andræas Noltius, Nicolaus Vvinklerus, Thomas Erastus, Thaddæus Hagecius, & Simon Grynæus, quos allegat Tyco circa finem libri secundi Progymnasmatum. Idem de Cometa anni 1618. tradidit ex professo Scipio Claramontius, & postea scripsit librū, quem Antityconem cognominavit, vbi probat, tam Cometen a Tycone observatum anno 1577. quàm alios quoslibet, habuisse locum sub cœlo Lunæ. Consentiūt ex Philosophis Recentioribus, Alphonsus Perez *in Meteora cap.* 1. Conimbricenses *tract.* 3. *cap.* 3. Aversa *quæst.* 33. Besaranus *libr.* 1. *Meteor. quæst* 4. *artic.* 1. ac præterea Valleſius *Sacræ Philoſ. cap.* 89. Eximius Suarez *disp.* 13. *Metaph. à sect.* 10. Hurtadus *disp.* 1. *de Cœlo sect.* 5. Arriaga *disp. unica*, Oviedo *contr. unica num.* 20. Pontius *d.* 22. *sect.* 4. Anaujo 10. *Metaph. quæst.* 3. omnesque Thomistæ, quorum plures allegat & sequitur novissimè Ioannes ab Annuntiatione *d.* 3. *quæst.* 1. Monet tamen ipse Aristot. in præsenti, nihil circa rem hanc demonstratum haberi, rationesque quibus ipse vtitur, solum probabiliter suadere opinionē ipsius, quàm mox statuemus. Favēt alij ex allegatis supra *disput.* 64. & 66. pro incorruptibilitate & solidítate cœlorum: vbi cùm vtramque ex professo statuerimus, oportebit eandem doctrinam supponere ad definiendam præsentem controversiam, quæ maximè exinde dependet.

SECTIO SECVNDA.

Reijcitur multipliciter prior opinio, iuxta omnes modos dicendi præiactos, & præfertur Aristotelica docens, Cometas nullum in cœlo locum habere, nasciique ex terreis exhalationibus.

8 SIT *Assertio.* Cometæ non generātur in ipso cœlo, neque ex materia cœlesti, neque ex sublunari; sed solùm ex pinguibus & viscosis exhalationibus, è terra ascendentibus per regiones aèris, & nunquam pervenientibus ad ipsum cœlum Lunæ. Ita Authores omnes vltimæ sententiæ. Assertum plura capita continet oppositā primæ opinioni quò ad omnes modos, quibus defendi solet. *Prima* pars excludit generationem Cometarum in ipso cœlo ex materia cœlesti. *Secunda*, ex sublunari. *Tertia* tribuit eorum generationem exhalationibus viscosis è terra ascendentibus per regiones aèris. *Quarta* limitat eorum ascensum ne transeant vltra concavum Lunæ.

9 *PRIMA* Pars suadetur. Si Cometæ generarētur in cœlo ex cœlesti materia, aliqua cœlestis substantia esset generabilis, & de facto generaretur: nimirum, substantia ipsius Cometæ, quæ in ea hypothesi deberet esse cœlestis, tam ex parte materiæ, quàm formæ ex ea genitæ. Atqui falsum, absurdum, & indignum est qualibet substantia cœlesti quòd generabilis

bilis aut corruptibilis ſit. Igitur Cometæ non generantur in cœlo ex materia cœleſti. Minor, quæ ſola probatione eget, late ſtatuta eſt *diſputat.* 64. vbi & præoccupata ſunt Adverſariorum effugia. Similiter & *diſputat.* 63. probatum relinquimus, materiam cœleſtem eſſe omnino diversã à ſublunari, & adſtringi ad vnicã formam inamiſsibilem, quam ſemel à creatione mundi ſociam accepit. Vnde nullus locus eſt vt ex ea educatur nova aliqua cœleſtis phænomeni forma, quà informetur, priori amiſſa. Quare meritò Ariſtot. lib. 1. de Cœlo cap. 3. inquit: ὁμοίως δὲ εὔλογον ὑποκαβεῖν περὶ αὐτῶ, ὡς ὅτι ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, καὶ ἀναυξὲς, καὶ ἀναλλοίωτον. *Similiter rationi conſonum eſt, & ingenerabile & incorruptibile ipſum cœlum exiſtimare, neque incrementa decrementaque ſuſcipere, neque alterationibus ſubijci poſſe.* Itaque ſuppoſita ingenerabilitate ſubſtantiæ cœleſtis, nullus videtur eſſe locus vt Cometæ ex cœli materia generentur.

10 *DICES,* Adhuc ſuppoſita cœleſtis ſubſtantiæ ingenerabilitate locum eſſe vt Cometæ ex materia cœli generentur, non quidem ſubſtantiali generatione, ſed mutatione quàdam accidentali, quæ oriatur, ſive ex coniunctione plurium ſtellarum errantium, ſive ex apparitione vnius cuiuſdam antea occultæ, ſive ex maiori quarundam partium cœleſtium addenſatione, iuxta tres priores modos defendendi opinionem adverſam, ſuprà *num.* 6. relatos.

11 *SED Contra primum* illorum eſt argumentum duplex Ariſtotelis. Prius, quia experimento & obſervationibus patet, Cometas apparere ſolitos, quando omnes ſtellæ errantes, quotquot Aſtronomis notæ ſunt, apparent diſiunctæ: è contrà verò ſolere vnam ſtellam errantem congredi cum alijs, ſive errantibus, ſive fixis, quin vllus Cometa appareat. Ergo non oriuntur Cometæ in cœlo ex congreſſu plurium ſtellarum errantium. Poſterius eſt: Quia quotquot ſtellæ errantes deprehenſæ ſunt in cœlo, communiter cientur ſub Zodiaco, ibidemque tantum congrediuntur, cùm tamen ſæpè Cometæ extra Zodiacum appareant (quod in Cometa anni 1664. menſe Decembri nos ſæpe obſervavimus.) Ergo Cometæ non conſiſtunt in eo errantium ſtellarum congreſſu. *CONFIRM.* Quia ad ſenſum patet, coniunctionem ſtellarum errãtium, brevi tranſire; Cometas autem diu, & nonnunquam pluribus mẽſibus perſiſtere. Quibus addi poteſt, abſque vllo fundamento addi novum numerum ſtellarum errantium, vltra ſeptenariũ, quem ſolùm tot ſæculis præſtantes Aſtronomi invenire potuerunt. Alioqui non modo plures, quam ſeptem, eſſent, ſed innumerabiles, ſi ratio Senecæ valeret à pari ſtellarum inerrantium. *Denique,* vt apparerent Cometæ tantæ magnitudinis, quantæ interdum apparent, vt mox videbimus, neceſſarius eſſet confluxus innumerarum ferè ſtellarum errantium, qui omnino invero-ſimilis eſt.

12 *SECVNDVS* modus dicendi Pythagoricorum eſt, vt ſuprà vidimus: & reijcitur, quia Planeta ille, quem aiunt frequenter eſſe abſconditum, & rarò apparere, nullo cœli loco abſconditus eſſe poteſt. Non quidem in ipſo Aplane, ſeu Firmamento, cuius ſidera, quotquot ſpectabilia à nobis ſunt, palam & abſque vlla invidia apparent. Non in ſphæris ſtellarum errantium, quarum quælibet vnicum Planetam proſpectui exhibet. Neque quiſquam illorum ita magnus eſt, vt occultare poſsit quoſdam Cometarum, qui apparent ſub ſpecie longè maiori, quam ipſius Solis. Quod teſtatur, præter alios, Seneca *vbi ſuprà cap.* 12. aſſerens aliquando viſum Cometam non minorem Sole, & interdũ occupaſſe totam cœli plagam, quę dicitur lactea. Vnde per ipſum Solis limbum, ſeu extremam circunferentiæ oram, deberent videri in circulum: ſicuti in Sole eclipſim ſubeunte obſervavit Clavius *diſput.* 72. *num.* . allegatus. *Præterea.* Aliquando ſimul plures Cometæ viſi ſunt, vt Ariſtot. tradit, & Iulius Scaliger *exercit.* 70. *in Card.* Ergo Cometa non eſt vnica aliqua ſtella errans, quæ communiter abſcondatur.

13 *TERTIVS* dicendi modus omni fundamento caret. Si enim totum cœlum, & quælibet ipſius luminaria ſint proſsus ſolida vt ex vera ſententia ſupponimus, nequeunt partes ſubire addenſationem, ſeu occupare minorem locum, quàm antea, ſed retinere debent totam illam extenſionem, quàm à principio creationis habuerunt. Ergo Cometæ interdum apparentes non oriuntur ex recenti aliquâ partium cœleſtium condenſatione. *Præterea,* permiſſo gratis, totam cœli ſubſtantiam fluidam eſſe, non poſſet

in ea habere locum condensatio, quia hęc fit virtute frigoris, quod nullum in cœlo locum habet, eo ipso quod supponatur incorruptibile. Sic nec locum potest habere in eo rarefactio, quoties Cometa dissolvitur: quia illa procedit ex calore, cui nullus est locus in corpore incorruptibili. *Rursus*, quoniam aër naturâ suâ diaphanus est, nũquam ita partes eius addensari possunt, vt visum terminent per se. At cœlum multò magis diaphanum est. Nunquam itaque partes cœli ita addensantur, vt terminent visum, qualiter experimur terminari à Cometis.

14 *DENIQVE* Quovis modo asseratur, Cometas esse stellas aliquas, sive errantes, sive inerrantes, vnam aut plures in cœlo ipso sedem habentes, multipliciter reijcitur. *Primò*, quia nequeunt componi tot motus Cometarum diversi à reliquis cæterorum luminarium cum soliditate cœli, nisi detur penetratio, quæ naturaliter est impossibilis, aut nisi detur speciale cœlum ijs solis deputatum, immò & plures cœli, cùm plures simul Cometæ quandoque sint, diversis motibus circumacti. *Secundò* id deprehenditur ex diversa figura, motu, & duratione brevi Cometarum, qui in omnibus ijs, alijsque pluribus, longissimè differunt à quibuslibet stellis. *Tertiò* ijdem visu sunt sæpe crescere ac decrescere, modò in partes dividi, modò è pluribus in vnum conglobari. quæ omnia quammaximè dissident à natura stellarũ, sive errantium, sive inerrantium. Quare Tyco Brahæ, præcipuus contrariæ opinionis assertor, quamvis Cometis locum in cœlo tribuerit, nullum videtur invenisse modum, quo probabiliter exponeret, qualiter ij debeant stellarum cœlestium numero accensen.

15 *Quartus* modus, quo Keplerus, & alij, adversam opinionem exponunt, recurrentes ad vapores sive exhalationes, è corpore Solis, aliorumve astrorum eductas, absque vlla expensione apparet absurdus & improbabilis. Qòis enim luminaribus cœli perfectissimis, vsque adeò sublimibus, & mirabili virtute præditis, tum ad cœlum & terram illustrandam, tum & ad operandum in toto mundo inferiori, adscribat tam fœculentam naturam, quæ in vaporum exhalationumve excrementa solvatur? Sane vapores exhalationesq; quascunque experimur, non, nisi ex calore elementorum, cum alijs primis qualitatibus permisto, procedunt. Oporteret igitur Solem, & astra, calore prædita esse, & admistionem cæterarum qualitatum primarum subire, ad eos halitus emittendos. quæ quidem ignobilitas aliena est, vel ipsis elementis inferioribus, vbi pura existunt, & sine vlla admistione contrarij. Obstant præterea huic solutioni plura alia, quæ proposui *disp. 72. n. 20. & seqq.* contra Kircherum, Sancta-Cruciũ & alios idem ferè opinantes, omnino videnda. Mitto cætera, quæ in eam congerit Nicolaus Cabeus *tom. 1. Meteorol. l. 1. ad textum 37.*

16 *VNA* Adhuc superesse posset via ad componendum formationem Cometarum in cœlis cum omnimoda eorũ incorruptibilitate; asserendo, ea phænomena in nullo alio consistere, quam in coincidentia quadam radiorum ex ipsis astris, & potissimùm ex Sole, in certas quasdam cœli partes cõcurrentium. Inde enim videtur oriri posse tantus splendor, quantus sufficiat à apparendum nobis è cœlo ipso. Hunc modum dicendi cogitavit Philippus Appianus apud præallegatum Tyconem libro primo capite nono. Sed refellitur facilè: Quia cùm Cometæ cieantur tam vario & inconstanti motu, ac dissimili periodo quorumlibet siderum, nequit eorum lux procedere ex coincidentia radiorum ab ijs provenientium in certa aliqua cœli parte. Sic enim oporteret Cometam eodem motu cum sideribus ipsis cieri, præsertim per totum id tempus, quo Cometes in cœlo apparet. Cùm verò pateat Cometas proprio sibi motu cieri, necessum est, priorem illam lucem non ab eisdem radijs stellarum postea procedere, à quibus antea, sed ab alijs. Insuper & oportebit, vbi sub alia iam constellatione sunt, brevissimè illos deficere, nunquamque persistere aliquot cierum spatio; aut certè esse alios & alios numero succedẽtes sub constellationibus varijs. Quæ omnia palam reijciuntur ipso oculorum, & non modo telescopiorum experimento.

17 *IAM* Secunda pars Asserti suadetur ex soliditate cœlorum omnium statuta ex professo supra *disp. 66.* Eo namque ipso quòd cœlum solidum supponatur, nequeunt exhalationes è terra elevatæ virtute Solis cœlestes sphæras trajicere, vt ex se manifestum est. Ergo nequeunt formari in cœlo ex materia sublunarium exhalationum. Verùm permisso gratis, cœlos fluidos esse, adhuc suadetur multipliciter

id

id ipſum. *Primò*: Quia exhalationes igneæ naturæ, ſeu conditionis, nequeunt virtute Solis elevari ſupra ſuam ſphæram. Cùm igitur ſphæra ignis ſit inferior cœlis omnibus, & ſub ipſo Lunæ concavo, vt *diſp. 58. ſect. 2.* oſtenſum à nobis eſt, etiam ex communi ferè Adverſariorum ſententiâ; nullus eſt locus, vt exhalationes vltra ſphæram ignis eleventur, & intra cœlũ ipſum ingrediantur, quamvis ſolidum ſupponatur. *Secundò* & ſpeciatim contra pleroſque Adverſariorum exiſtimantes Cometis ſedem eſſe in ipſo cœlo ſidereo, ſeu firmamento, cùm tamen appareant magnitudinis longè maioris, quàm plures ſtellæ primæ magnitudinis ſimul, in eo reſidentes, quarum vnica excedit centum quinquagies quinquies magnitudinem totius orbis terrarum. Ergo impoſsibile eſt Cometas generari in cœlo ſidereo ex terreis exhalationibus in illud elevatis. Nam quâvis totus orbis terraqueus reſolveretur in exhalationes, quæ in cumulum congeſtæ levarentur vſque ad firmamentum, ibidemque luce Solis illuſtrarentur, non poſſent adæquare ſtellam vnam primæ magnitudinis, imò neque ſextæ, ſed nimiũ ab eâ excellerentur; ideoq; nullatenus ſimplici viſu à nobis diſcerni poſſent; cùm tamẽ Cometæ omnes apertiſsimè diſcernãtur, & quandoque in magnitudine æquali, aut maiori, quàm Solis, ſe ſpectabiles præbeant, vt ſuperiùs dictum eſt. Ergo permiſſo quod cœlum ſit fluidum & permeabile à terreis exhalationibus, adhuc illæ quid valde exiguum eſſent ad tantam molem efformandam. *Tertiò*, quia cùm ſidereum cœlum tot millibus milliarium a terrâ diſſet, neceſſaria eſſet longiſsima annorum, immò & fortè ſæculorum mora, vt exhalationes terræ eò tandem devenirent: ſiquidem vel ingens lapis exinde ad nos ruens, & velociùs ac velociùs in progreſſu ac fine motus, inſumeret longiſsimũ annorum intervallum, vt obſervat & computat Clavius in ſphæram Sacro-Boſci, & ex eo Nierembergius. Vnde non ex ſiccitate alicuius anni præſentis, nec multorum ex præcedentibus immediatè, ſed ex eâ terræ diſpoſitione, quæ plurimis antea annis, aut etiam aliquot ſæculis præceſſiſſet, dicendum foret, vnumquemque ex Cometis generari. Quod ex te abſurdiſsimum apparet, putabiturque, vel ab ipſis Adverſarijs.

18 *TERTIA* Aſſerti pars non tam probatione indiget, quàm explicatione. Nulla enim materia aptior eſt ad generationem Cometarum, quam exhalationes pingues ex terrâ aſcendentes, quæ ratione caloris condenſati poſſunt vincere obſiſtentiam aèris frigidi mediæ regionis, & permeare vſque ad ſupremam. Quòd ſi perveniant ad ſummum eius regionis, poſſunt accendi ab igne elementari vicino: ſi autem adhuc ſint in infimo, aut paulò ſupra infimum ipſius, inflammari etiam poterunt à fulmine aliquo ex nubibus inferioribus eiaculato ſurſum. Porrò prædictam materiam eſſe, ex quâ fiant Cometæ, aliunde colligit Ariſt. dum ait: *At eorum concretionem igneam eſſe, hoc argumento conijci debet, quòd plures ſi fiant, flatus & ſiccitates denuntiant. Perſpicuum enim eſt eos fieri, quia magna huiuſmodi concretionis copia habeatur. Aèrem itaque ſicciorem eſſe, & eum humorem, qui exhalatur, exhalationis calidæ multitudine dirimi, vt non facilè in aquam concreſcat, neceſſe eſt.* Quòd verò attinet ad efficientem eorum cauſam, remota eſt Sol & aſtra, dum eiuſmodi exhalationes è terrâ excitãt, & ſurſum attollunt; proxima autem virtus illa, quæ immediatè exhalationem inflammat, ſive ea ſit ignis ſuperior, ſive fulmen inferius, vt paulò ante monuimus. Cauſa materialis ſunt exhalationes prædictæ: formalis, ſi de ſubſtantiali agatur, forma ipſa ignis; ſi autem de accidentali, figura illa, quam Cometes præ ſe fert, ſive pogonata, ſive caudata, aut crinita, alteriuſvè rationis.

19 *QVARTA* Demum pars, in ipſo ſectionis progreſſu ſtabilita fuit, vel ex ſola cœleſtium corporum ſoliditate, quę obſtat aſcenſui exhalationum. Cumque illæ præterea igneę conditionis ſint, nequeunt tranſire vltra ſphæram ignis, ſed manere debent infra concavum Lunæ.

SECTIO TERTIA.

Argumenta mathematica ac præcipua opinionis adverſæ, ex varijs obſervationibus Cometarum, proponuntur, & extricantur.

20 OPPONVNTI. Adverſarij, & præſertim Tyco Brahæ loquẽs de Cometa viſo anno 1577. Cometa ille ciebatur motu quodam ſibi proprio per circulum quendam maximum in hoc Vniverſo; & toto eo tempore,

re, quo duravit, perficiebat exactè portionem ciusdem circuli maximi. Ergo nõ erat sublunaris, sed cœlestis. Porrò, vt vis argumenti percipiatur ab ijs, qui Astronomiæ non studuerunt, circulus maximus in sphæra appellatur, qui dividit illam in duas medietates æquales, eaque propter habet idem centrũ cum ipsa sphæra: in quo differt a circulis minoribus, qui nõ transeunt per centrum sphæræ, sed dividunt vnam partem minorem ab alia maiori. His positis, antecedens sibi persuadent Adversarij, quoniã sæpe observarunt, Cometam ipsum semper fuisse motum per circulum quendam dividentem Ecliptica in certo puncto, scilicet, in gradu decimo octavo, & minuto quinquagesimo quinto Sagittarij; semperque servasse eundem inclinationis angulum cum Ecliptica. Consequentiam verò probant: quia proprium est corporum cœlestium moveri per circulum maximum intra suos polos. Non enim id convenire potest corporibus elementaribus, in quibus experimento deprehenditur, non esse constantem & eundem tenorem motus, sed sæpe variam. Præsertim si Cometa esset flamma accensa in aëre, quicumque motus illius, sive ad quærendum pabulum, sive ad sequendum impulsum astrorum attrahentiũ, non posset vsque adeò constanter ferri per circulum cœli maximum, ob materiæ fluxibilitatem.

21 *RESP.* Posse in primis negari antecedens, vt negatur à Claramontio *lib. 2. Antityconis c. 4.* vbi probat Cometam illum non fuisse motum directè per circulum maximum, sed potiùs per motum lineæ tortuosæ & obliquatæ varijs inflexibus. Verùm antecedenti permisso, consequentia nõ rectè infertur: quia etiam corpora elementaria possunt in gyrum cieri per circulum maximum. Sic navis eodem vento impulsa sæpe exactè conficit portionem aliquam circuli maximi, idemque quoddammodo esse potest de sagittà indirectum transmissà. multò autem magis de igne elementari, qui quamvis fluidus sit, rapitur motu astrorum, ideoque exactè potest per circulum maximũ cieri. Immò & plerique Adversariorum cœlo ipsi fluiditatem adscribentes, non propterea ipsi negant periodum circuli maximi. Quare Cometa, licèt igneus & fluidus, potest per circuli maximi portionem servato eodem tenore à corporibus cœlestibus agitari.

22 *INSTANT.* Cometa ille movebatur semper & exactè regulariter. Ergo non erat in regione elementari, sed cœlesti. Nomine motus regularis accipitur ille, quo mobile, aut transmittit semper æquale spatium loci pro æquali tempore, vel æqualiter & vniformiter in motu crescit aut decrescit, acceleratur aut retardatur. Hoc supposito probant antecedens: quia sæpe observatum est cometam illum regulariter ita motum fuisse, vt singulis diebus sextam velocitatis partem remitteret. Consequentiam probant: quia solus cœlestis motus est ita regularis, & cæteri variant in aliquo ex prædictis.

23 *ATQVI* Obiectionis assumptum etiam negari potest: quia Claramontius vbi nuper *cap. 6.* demonstrat ex eijsdem Tyconis observationibus, motum illius Cometæ non fuisse exactè regularẽ, sed potiùs inæqualiter decreuisse, interdum verò creuisse. In alijs quoque Cometis manifestum habetur, motus illorum fuisse valde irregulares. Verùm transmisso antecedenti, negatur consequẽtia, quia licèt omnis motus cœlestis sit exactè regularis, non tamen è contrà. Nihil enim absurdi apparet in eo quod ignis elementaris contiguus cœlo Lunæ motum omnino regularem teneat; & idem ferè appareret in aquâ maris regulariter peragente fluxum & refluxum per certas horas, assiduo augmento aut decremento. Itaque potuit Cometa cieri similiter motu perfectè regulari, causato ex impulsu corporum cœlestium.

24 *OPPONVNT II.* Cometa ille ciebatur proprio motu tardiùs, quàm Luna: ergo erat supra Lunam, ac proinde in cœlo. Antecedens probant: quoniam Luna, adhuc quando cietur tardissime, transmittit saltem decem gradus vnicâ die ab Occidente in Orientem: Cometa autem, etiam in maximâ sui velocitate, nõ conficiebat tantundem spatij. Consequentia verò suadetur: Quia inter sidera talis ordo servatur, vt superiora tardiùs moveantur motu sibi proprio, quàm inferiora, vt *diff. 70. sect. 3.* statutum reliquimus, & observat Arist. *l. 2. de Cœlo textu 58.*

25 *CONFIRMATVR.* Quia Cometa prædictus exactè imitatus est motus proprios Planetarum: siquidem eum ordinem in proprio motu tenuit, vt exactè illũ perageret intra duos tropicos, & incipiens à proprio Capricorni perveniret tandem

ad

ad tropicum Cancri, ibiq; extingueretur. Ergo verè in cœlo fuit, inſtar quorumlibet Planetarum.

26 *RESP.* Quidquid ſit de Cometa illo, plures alios fuiſſe obſervatos velociores, quàm Lunam, in proprio motu: vt Regio-Montanus notavit in quondã alio, qui vnico die quadraginta gradus peregit. Deinde nec velocitas proprij motus Planetarum eſt minor eo ſtricto ordine, quo ſuperiores ſunt: quoniam eodem loco in obiectione allegato obſervatum eſt ex communi ſenſu, Solem, quamvis ſit ſuperior Mercurio, & Venere, adhuc eodem circiter tempore, ſcilicet, vnius anni, ſuã periodum conficere. Verùm & permiſſo quòd is ordo omnino ſervandus eſſet inter omnes Planetas, & quæcumque corpora cœleſtia; & dato gratis quòd omnes Cometæ tardiùs, quàm Luna, cierentur proprio motu; adhuc reſtat probandum Adverſarijs, Cometam eſſe ſidus, ſive corpus cœleſte. Stat enim optimè tardiùs quã Lunam moveri, id quod elementare, aut mixtum eſt. Et fortaſſe ſuprema regio ignis tardiori motu cietur quàm Luna, cùm tamen non ſupra, ſed infra omnes cœlos ſit.

27 *AD Confirm.* Eſto Cometa ille intra vtrumque tropicũ confecerit ſuam periodum, alij tamen eum ordinẽ non ſervarunt, ſed intra totum cœli ambitum circumacti ſunt: & nonnulli extra tropicos inceperunt, idque obſervatum à nobis eſt in Cometa anni 1664. circa Nativitatem Domini. Quare potiùs hinc argumẽtum deſumitur contra Adverſarios, eos præcipuè, qui volunt omnes Cometas eſſe ſtellas cœli errantes: ſic enim deberent ab initio ad finem ſuæ periodi intra vtrũque tropicum cieri. Quod verò ſpeciatim Cometa ille intra tropicos pertecerit ſuũ motum, ad ſummum probare poteſt, id factum ſpeciali influxu alicuius, aut quorundam Planetarum intra vtrumque tropicum circumactorum; non verò eiuſdem cum ijs naturæ, aut cœleſtem fuiſſe.

28 *OPPONVNT III.* Cometa idem exhibuit longè minorem parallaxim, ſive diverſitatem aſpectus, quàm ſi fuiſſet ſub cœlo Lunæ. Ergo erat longè ſublimior, quàm Luna. Conſequentia eſt perſpicua experimento vtentium teleſcopio, & notiſſima Aſtronomis. Antecedens vero ſuadere conatur Tyco pluribus obſervationibus à ſe factis, tum in eodem terræ loco, tum & in diverſis diei horis, quando Cometa errabat per diverſa cœli loca. Præcipua obſervatio hæc fuit. Notavit Tyco quantùm diſtaret Cometes à ſtella ipſi propinqua in ore Pegaſi: & tranſactis tribus horis notavit, eundem Cometam apparere propinquiorem ipſi ſtellæ duodecim minutis: at ratione motus proprij ac regularis, quo ciebatur, debuiſſet accedere quindecim minutis: quapropter ratione parallaxeos diverſificabatur aſpectus tantùm per tria minuta. At ſi Cometa fuiſſet in orbe Lunæ, debuiſſet eo ſpatio temporis ſubire parallaxim quindecim minutorum. Ergo habebat parallaxim minorẽ, quam lunarem. Igitur erat longè ſupra Lunã. Plures alias obſervationes addit Tyco, quas & Salmanticæ fecit eodem tempore Doctor Hieronymus Muñoz, & Thaddæus Hagecius Pragæ. Aliaſq; ſimiles à ſe præſtitas referunt, Doctor Zamora, Cylatus, & alij, circa Cometas viſos annis 1604. & 1618.

29 *RESP.* Antecedens poſſe negari, quidquid Tyco illud proprijs aliorumque obſervationibus conteſtetur: nam alij præſtantes Aſtronomi eiuſdem temporis, & præſertim Regio-Montanus ac Vogelinus, obſervarunt, tum in ipſo Cometa, tum & in alijs ſequentibus, præſertim anni 1618. notabilem parallaxim, longè maiorem lunari; & quandoque circiter ſex graduum. Hoc autem nequit eſſe, niſi extiterint longè inferiores Lunà, in qua maxima parallaxis vix aut ne vix quidem excedit vnicum gradum. Denique, præter multa alia, quæ omittimus, & apud allegatos Authores videri poſſunt, Claramontius *vbi ſuprà c.* 11. probat pluribus erraſſe Tyconem proponendo locum viſum pro loco vero, & diſtantiam apparentem pro diſtantià verà: quia adhuc permiſsà regularitate motus in Cometà, & factà ſuppoſitione Tyconis circa motum quindecim minutorum, inter tempus primæ ac ſecundæ obſervationis, parallaxis Cometæ fuit tribus minutis maior lunari, ac proinde ille debuit eſſe in loco inferiori Lunæ. In tantà verò obſervationum contrarietate, reſtat Tyconi probandum, ſuas fuiſſe melioris conditionis, ac præferri debere cæteris: quod tamen nõ fecit, quamvis ſe facturum promiſerit. Itaque aliorum obſervationes præferimus, vel ex hoc capite, quòd confirment ſententiam de generatione Cometarum infra cœlum,

quam

quàm existimamus longè veriorem. Porrò quidnam significent Cometæ, & an ex naturâ suâ, an ex solo Dei arbitrio, latè dissero allegato loco Theologiæ Florulētæ, multiplici historiarum observatione: ideoque in præsenti omittendum duxi. Non nihil tamen in simili dicam *disput. seq. num. 29.*

SECTIO QVARTA.

Quid sit putandum de quibusdam stellis noviter apparentibus? An verè in cœlo exortæ fuerint salva eius incorruptibilitate? Vbi de Stella celebri in Cassiopeia.

30 OPPONVNT IV. Nullam esse rationem desumptam ex incorruptibilitate cœlorum ad probandum Cometas infra cœlum generari. Nam quandoque experimento deprehensa est generatio recentis stellæ intra ipsum cœlum sidereū, vt anno 1572. in signo Cassiopeiæ. Quod omnes ferè Astronomi eius temporis, veluti rem exploratam, tradiderunt, & variis observationibus demonstrārunt. Id autem adscribere miraculo videtur indignum Philosophis, & solùm dictum ab aliquibus, vt vitarent difficultatem argumenti. Præterea alienum à Theologia est asserere, prædictam stellam fuisse ex integro à Deo productam verâ creatione: quia post primam mundi genesim nulla stricta creatio admittitur, nisi solius animæ rationalis. Oportet igitur fateri in eo eventu, stellam illam fuisse naturaliter productam medio concursu causarum naturalium, sive corporum cœlestium, ac proinde interfuisse veram illius generationem intra cœlum, sive ex materiâ cœlesti, sive ex terrestribus exhalationibus ad cœlum vsque elevatis virtute Solis, ex quibus id phænomenon ortum fuerit. Ergo & nihil absurdi erit si dicamus, aliquos, vel etiam omnes Cometas in cœlo naturaliter generari, aut ex materia cœlesti, aut ex mundi inferioris exhalationibus in cœlum elevatis.

31 HOC Argumentū, quod Astronomos & Philosophos præcedentis ac præsentis sæculi in varias sententias, seu potiùs divinationes traxit, iam proposui & discussi latè *tract. de Cœlo disp. 64. sect. 3.* vbi reiectis dicendi modis aliorum præstiti solutionem satis verosimilem, cum incorruptibilitate cœlorum cohærentem, quam repetere nec vacat, nec moris est. Nunc alteram exhibebo à Vallesio indicatam *in Sacram Philosophica c. 1.* quam & aliqui Recentiores postea approbarunt. Pro qua tria observanda sunt. *Primùm*, licèt in cœlo non sit motus rarefactionis, nec condensationis, vt suprà *num. 13.* probavimus, adhuc, quasdam in eo partes esse densiores, quasdam rariores ab ipsâ cœli conditione: ideoque *disp. 72. sect. 1.* per totam, constituimus, maculas Lunæ nihil aliud esse, quam partes quasdam eius Planetæ rariores cæteris, quæ proinde nequeant reflectere radios Solis in se receptos, sicuti alliæ densiores. *Secundum*, corpora, præsertim luminosa, si videantur per medium corpulentius, sive grossius, apparere maiora: vt patet in perspicilijs, seu vitreis, seu chrystallinis, grossioribus, quæ res & litteras maiores reddunt. Indeque est vt quæ videntur sub aquâ, maiora appareant, & Sol in Horizonte maior videatur, quàm in auge, propter interpositionem crassioris medij. *Tertium*, cœlum virumque Saturni, & stellarum inerrantium, lento gradu suos motus peragere: nam Saturnus non, nisi triginta annis, explet suam periodum; stellæ autem fixæ pluribus annorum millibus, *vt disp. 70. sect. 3.* statutum reliquimus.

32 HIS Præsuppositis videtur probabiliter dici posse, siquando præter miraculum nova stella in firmamento apparuit (vt omittam stellam Magorum, quæ prorsus miraculosa fuit, vt satis colligitur ex sacro textu *Mathæi 2.*) non fuisse illam noviter à Deo creatam, nec productam vi causarum naturalium ex materiâ cœlesti, sed solùm detectam, & apparentem solito maiorem ex interpositione partium densiorum sphæræ Saturni inter ipsam & nostrum aspectum. Idque putandum accidisse eo anno in signo Cassiopeiæ, quæ communiter censetur tredecim stellis constare, sed valde exiguis, & quæ proinde simplici visu vix discerni possint. Fieri enim potuit vt aliqua illarum, quamvis exigua, existens tamen supra densiorē sphæræ Saturni partem interpositam, maior appareret, & veluti stella primæ magnitudinis videretur. Cumque motus proprius vtriusque sphæræ lentus sit, vt præmonuimus, facile accidere potuit duratio eius phænomeni per integrum annum, & in ordine ad quascumque terræ plagas, quibus per-

perinde eſt aliqualis variatio in corporibus adeò ſublimibus, ac fere nulla. Durante itaque eà interpoſitione per ſpatium vnius anni, neceſſum fuit ſtellam illam ſolito maiorem apparere; & eà ceſſante ex defectu correſpondentiæ denſiorum ſphæræ Saturni partium ad ſtellam ipſam, diſparere, ſicut antea. Qui dicendi modus, licet nonnullas difficultates pati poſsit, adhuc tamen probabilis videtur, & meliùs conſulit incorruptibilitati cœleſtium corporum, ac permanentiæ ſingulorum à principio Vniverſi, quàm aliorum plurium effugia.

33 *PRÆCIPVA* Difficultas contra hunc dicendi modum hæc eſt: Quòd eadem illa denſior pars cœli deberet ſupponi alijs & alijs ſtellis fixis, earumque aſpectum pariter augere. Imò cùm Saturnus trigeſimo quoque anno conficiat ſuam periodum, oporteret vt ſingulis triginta annis eadem illa ſtella appareret, ſicuti apparuit anno 1572. Præterea, ſic non potuiſſet durare apparitio eius ſtellæ pluſquam integro anno, vt revera duravit: quia quamvis Saturnus ſit tardiſsimus Planetarum, ſpatio illo peregit viginti circiter gradus: atque adeò debuiſſet pars illa denſa eſſe amplisima, quæ proinde in cæteris Caſsiopeiæ ſtellis, imo & in pluribus alijs, cauſaſſet ingentem illam lucis apparentiam.

34 *PROPTEREA* Magis placet ſolutio alia, quã tradit Raphael Averſa in politiſsimo ac lectu ſuaviſsimo Curſu Philoſophico *q.* 33. *ſect.* 3. vbi multis aliorum placitis ſubtiliter refutatis, tandem id phænomenon ſtellæ apparentis in Caſsiopeia ad novam reducit mutationẽ, non quidem ſubſtantialem, ſed accidentalem in cœlis locum habentem. Et ſtatuta in quibuſdam cœli partibus præ alijs denſitate ac raritate, non quidem minuẽte ſoliditatem, ſed accepta pro diaphanei-tate oppoſitâ quoddammodo opacitati aliarum partium cœleſtium; reſpondet argumento præiacto, partem aliquã cœli diaphanam in eo eventu fuiſſe redditam aliquatenus opacam, ſicuti & corpora quorumlibet ſiderum opaca ſunt; ideoque inſtar illorum potuiſſe eiaculare, ſeu reflectere ſolares radios. Si autem roges, a quà potiſsimum cauſa, ſive ex quo aſtrorum concurſu habuerit eam opacitatem, & vehementem lucis impreſsionem, ad reflectendos radios; reſpondet rem incertam eſſe, quanquam nonnulli ex Aſtrologis eam determinatè aſsignaverint, quibus ipſe nõ fidit. Et revera hæc opinio lõgè alia eſt a præcedenti: quia non recurrit ad medium denſius interpoſitum, ſed ad opacitatem in aliquà cœli parte noviter cauſatam, & vehementi lucis impreſsione iaculantem radios. Illamque valde probabilem iudicamus, & cohærentem doctrinæ à nobis traditæ *diſp.* 72. *n.* 35. circa maculas *Solis*, quæ omnino recolenda eſt.

35 *EX* Dictis exponi poſſunt variæ Hiſtoricorum narrationes de ſtellis recentibus, quæ quibuſdam temporibus apparuiſſe memorantur. Plinius *lib.* 2. *c.* 6. aſſeverat, Hipparchum præſtantem Aſtronomum ſuo tempore detexiſſe novam quandam ſtellam. Idem quoque alij obſervaſſe dicuntur tempore Adriani Imperatoris. Cyprianus Leovicius teſtatur ſe legiſſe in Hiſtorico quodam, idem accidiſſe tempore Othonis 1. Sed tamen nihil horum fidem facit, vt notavit Tyco *lib. Progymn.* 1. *c.* 3. quoniam non eo authoritatis rationumque pondere traditum eſt, quo oportebat, ad exiſtimandum ea recentia phænomena in ipſo cœlo locum habuiſſe, ſicuti traditum eſt de ſtellà in ſigno Caſſiopeiæ viſa anno 1572. Quare potiùs putandum, fuiſſe aliquos Cometas raros, & ſtellis ſimiles, præter communem aliorum figuram. Maiorem fortè fidem facient narrationes recentium Aſtronomorum, qui detectà iam in ipſo ſigno Caſsiopeiæ ſtellà illà, attentiùs cœleſtes plagas exploràrunt, & in ijs teſtantur ſe invenisſe recentes ſtellas, prorſus à Cometis diſtinctas. David Fabricius apud Ioannem Keplerum *in Practicà Aſtronomiæ pag.* 446. inquit ſe detexiſſe anno 1596. ſtellam novã in Ceto. Iuſtus Byrgius apud Averſam *vbi ſuprà* notavit aliam in Antinoo. Alia viſa eſt anno 1600. in pectore Cygni, quæ adhuc ipſo tempore, quo in lucem edebat Philoſophiam idem Author, ſcilicet, anno 1627. durare putabatur: quamvis hoc poſtremum appareat difficillimum. Keplerus nuper relatus teſtatur ſe vidiſſe aliam anno 1602. in Piſce, & aliam rurſus in pede Serpentarij ſub ſigno Sagittarij anno 1604. de quà & librum edidit. Hæc tamen omnia incerta ſunt, & ab alijs Aſtronomis refutantur, præſertim circa ſtellam anni 1604. quam Antonius Lorenzinus libro Italico de eà edito oſtendit non apparuiſſe

in

in cœlo ipſo, ſed inferiùs. In eà opinionum varietate, par erit exiſtimare tem dubiam, an infra, an ſupra Lunam apparuerint; an Cometæ fuerint, an ſtellæ cœleſtes.

36 *NON* Enim Cometæ eandem ſemper figuram exhibent, ſed variam, & quæ ſæpe referat oculis ſpeciem alicuius ex ſtellis cœleſtibus, ferè abſque vllo diſcrimine apparenti, quamvis toto cœlo ab eis diſtet: ideoque accidere potuit in memoratis narrationibus, vt veri Cometæ in ſummo aëre apparentes, aut ſaltem iuxta concavum Lunæ, exhibuerint vultū ſtellarum in cœlo exiſtentium. Frequenter tamen Cometæ aliquid præ ſe ferunt, quo diſſidentes appareant a ſtellis, tum errantibus, tum & inerrantibus, & præſertim comam, à quà & cognominati ſunt; idque dupliciter iuxta Ariſt. Quandoque enim coma per totum gyrum, ſeu in circulum extenditur, & tunc dicitur Cometa crinitus: quandoque autem verſus vnam partem, & tunc nominatur pogonatus, id eſt, barbatus, ſeu etiam caudatus, ſecundùm quòd barbæ, aut caudæ ſpeciem præſefert. Sunt & plures Cometārum figuræ, quarum decem commemorat Plinius *lib.* 2. *c.* 25. & ſchematibus editis repræſentavit Cornelius Gemma *lib.* 1. *de Diuinis Naturæ Characteriſmis c.* 8. Omnes tamen in ſubſtantia videntur eſſe eiuſdem ſpeciei, vtpotè ignei, & ex terræ ſiccis ac viſcoſis exhalationibus orti.

SECTIO QVINTA.

De Galaxiâ, ſeu Viâ Lacteâ, quid ſit, & an in cœlo, an potiùs in ſummo aëre exiſtat.

37 *OMNIBVS* Pater albicans quædam in cœlo zona, quā Græci Galaxiam, Latini viā lacteam, Hiſpani *Camino de Sant Iago*, Ariſtoteles circulum, alij varijs circumloquutionibus appellant. Non eſt æqualis & recta, ſed varijs inflexibus obliquatur & frangitur, atque alicubi apparet duplicata, aut diviſa. Abundat ſtellis præ aliâ qualibet cœli parte, & multæ imaginū, ſive ſignorum cœleſtium, in eà ſedem habent: vt propterea non immeritò dicatur in eo circulo Caſsiopeia ſedere, Cygnus canere, Aquila volare, Scorpio pungere, Sagittarius ferire, Opiucus cum ſerpente luctari, Ara fumare, Centaurus ambulare, Navis appellere, Canis ardere, Gemini ludere, Auriga currere, & Perſeus cum capite Meduſæ pugnare. Nulla vnquam in ea variatio notata fuit quibuſlibet ſæculis: & ſuperiùs pars eſt ſiderei cœli, ſeu Firmamenti, quoniam ſemper viſa eſt ciere eodem motu cum ipſo. Variè circa illam fabulati ſunt Ethnici, præſertim Poëtæ, quorum phantaſiæ apud Veteratores Mythologos videri poſſunt, & immeritò ſeveritati Philoſophicæ, cui ſtudemus, adiungerentur. Ariſtot. *lib.* 1. huius Operis *cap.* 7. tres Philoſophorum opiniones circa Galaxiæ naturam & originem refert, quæ vix a fabulis diſtant, illaſque reijcit argumentis pluribus, quæ apud ipſum videri poſſunt.

38 *IDEO* Poſtea ex propriâ ſententiâ ſtatuit, circulum lacteum eſſe magnam congeriem terreſtrium halituum ſub ea cœli parte, cui circulus correſpondet, exiſtentem in ſuprema aëris regione: halitus verò ipſos illuc attrahi virtute, & motu ſiderum ibi frequentiorum & proin de ſplendidiorum, ab eorumq; luce communicatà reddi albicantes, & quaſi lactei coloris. Atque inter alia inquit: *πρὸς δὲ τούτοις ἄστρων ὁ τόπος πλήρης ἐστὶ τῶν μεγίστων, καὶ λαμπροτάτων καὶ ἔτι τῶν σποράδων καλουμένων. Adhæc, locus ipſe maximis ſplendidiſsimiſque ſtellis, & inſuper hiſce, quas SPARSAS vocant, oppletus eſt.* Quo etiam modo docuerat Cometas conſiſtere in halitibus terreſtribus, qui in ſublimi regione aëris accenduntur: ideoque reipſa Galaxiam cenſet eſſe magnum quendam & perpetuum Cometam. Et quemadmodum interdum apparet Cometa ex ſola aggregatione comæ factà alicui ex ſtellis cœleſtibus, quæ coma verè non exiſtit in cœlo, ſed in aëre, quamvis ſtellæ proxima appareat: ſic etiam apparet lacteus circulus ſtellis eius zonæ cœleſti adhærens, quamvis revera in aëre ſit. Idque ampliùs exponit exemplo coronæ luminoſæ, ſeu areæ cuiuſdam apparentis circa Solem aut Lunam; cùm tamen in cœlo non exiſtat, ſed in aëre. Hunc dicendi modum ſequuntur & exponunt, quamvis diverſimodè, nonnulli ex Veteribus, vt Alexander, & Averroes, ac D. Ioannes Damaſcenus *in Phyſica*, aliiſque plures. Subſcripſit S. Thom. *lect.* 13. in preſenti, & noviter eandem doctrinam contrà aliorum opinionem ferè communem, mox re-

referendam, ex profeſſo tradiderunt, Antonius Polus *in Digreſsione de Circulo Lacteo*, Cæſar Cremoninus *in Apologia de Via Lacteâ*, Federicus Bonaventura *lib. Meteorol. tract. de cauſis Ventorum cap.* 43. Niphus, Vatablus, Vicomercatus, & Tartaretus, quos refert ac ſequitur Bejaranus in præſenti *lib.* 1. *q.* 3. *art.* 1. ac recentiùs Ioannes ab Annuntiatione *diſp.* 3. *ſect.* 2. vbi hanc opinionem ſubtiliter fulcit, & vindicat ob argumentis in oppoſitum. Franciſcus autem Piccolomineus *Meteor. c.* 9. ex mente Ariſtotelis diſtinguit duplicem viam lacteam, vnam ætheream & cœleſtem, alteram aëream & elementarem: ijſque poſitis faciliorem viam aperit ad occurrendum difficultatibus plurimis, ac pene inſuperabilibus, quibus, etiam fideliſsimi ex Peripateticis ſuccubuerunt.

39 *NOS* Certè, ſi otium eſſet, ex profeſſo decertaremus pro eâdem doctrinâ, tanquam ſatis probabili, & quæ hactenus non ſit falſitatis convicta, quantumcumque in eam invehantur, præter innumeros alios, Conimbricenſes *tract.* 4. *c.* 2. Averſa *q.* 34. *ſect.* 10. & Nicolaus Cabeus *lib.* 1. *Meteor. ad t.* 43. qui cum cæteris ferè cenſent, totam viam lacteam vere in cœlo ſidereo exiſtere, ſimulcum cæteris ſtellis fixis; ibidemque propter multitudinem ſiderum, ita diſtantium, vt noſtro ſimplici aſpectu notari nequeant, & ita vicinorum, vt lumen eorum omnium confundatur, apparere candorem illum ad modum lactis. Cui tanè ſententiæ negare non poſſumus, communem, & intelligibiliorem eſſe, nullique vrgenti admodum difficultati obnoxiam. Verùm & licèt non poſsimus in eâ refellendâ immorari, aut ex profeſſo Ariſtotelicam ſtabilire ſententiam, placet huius fundamentũ ſummatim proponere & vrgere.

4 *RATIO* Ariſtotelis hæc ferè eſt. Quemadmodum ſe habet virtus alicuius ſideris aut aſtri ad elevandum è terrâ plures exhalationes ſiccas & viſcoſas, quæ in ſummo aëre appareant inſtar ſtellæ comantis, vti aliquando apparent; ita etiam ſe habet congeries plurium ſiderũ, aſtrorumq; in ordine ad elevandum è terrâ plurimos exhalationum cumulos, qui proinde quamplurium ſtellarum comantium ſpeciem oculis exhibeant. Eadem quippe vtriuſque ratio eſt. Cùm igitur in cœlo circulus lacteus, ſive Galaxia, conſtet plurimis aſtris, ſive conſtellationibus; videtur ab ijs quaſi in gyrum attrahi è terrâ quamplures exhalationum cumulos vndique, qui proinde inſtar magni ac circularis Cometæ iugiter ſub ijſdem aſtris appareant, & comam exhibeant. Ac præterea, ſicuti vnicum ſidus aſtrumve quandoque Cometam motu ſuo circumagit; ita & tot aſtrorum congeries in Galaxiâ plures Cometas, ſive potiùs vnum extenſum per totam ferè cœli faſciam circumagere poterit.

41 *VRGETVR I.* Ratio eadem. Exhalationes enim, vt ſuperiùs ſtabilivimus, ſunt leviores vaporibus, ratione caloris ab extrinſeco impreſsi, quo adiuvante ſublimiùs elevantur, ac relictis ijs in mediâ aëris regione, ad ſupremam evolant: quod nec Adverſarij diffitentur. Quemadmodum ergo vapores, vi cœleſtiũ corporum elevati, occupant perpetuò mediam illam aëris regionem, in quâ, præter ſpecialia meteora nubium, pluviarum, nivis, & grandinis, quandoque generari ſolita, cauſant illum colorem cœruleum, veluti expanſum infra totum cœlum: ita etiam exhalationes non in minori copiâ elevatę vſque ad ſupremam regionem aëris, debent per totam eam expandi: ac proinde, præter meteora vnius vel alterius Cometæ interdum apparentis, debent componere alium quaſi communem in circulũ ſub eâ cœli faſciâ, quæ ſpiſsis conſtellationibus plena eſt. Cum enim denſiſsima illa ſtellarum congeries habeat efficaciſsimam vim attrahendi, & conſpiſſandi prædictas exhalationes in circulum, putanda eſt id præſtare ſub propriâ circunferentiâ, ac proinde in cauſa eſſe, vt perpetua illa quaſi coma iugiter ſub cœlo appareat.

42 *VRGETVR II.* Aſsidua enim vis & efficacia Solis, aſtrorumque ad trahendas elevandaſque iugiter è terrâ exhalationes, nequit non parere ingentem earum cumulum, per ſupremam aëris regionem expanſum: ſicuti & mediam eiuſdem aëris regionem implet vaporibus è terrâ levatis. Ergo quemadmodum hanc ob cauſam in media regione frequenter apparent nubes, aut ſaltem cœruleus ille color in modum bracteæ extenſus ſub toto cœlo; ita etiam oportet vt tota illa exhalationum congeries aliquomodo ſub cœlo appareat, ſeu qualitercumque ſe ſpectabilẽ reddat. At non apparet frequenter ſub figurâ inſolitâ Cometarum, titionum, lan-

cea-

cearum, stellarum cadentium, aliorumque eiusmodi phænomenorum, de quibus plura *disp. seq.* quoniam ea insolita sunt. Restat igitur vt perpetuò appareat in modum fasciæ sub toto lacteo circulo discurrentis. Cum enim ibidem longè efficacior sit astrorum vis propter siderũ multitudinem, opportuna adest ratio, vt exhalationes in maiori copia illuc attrahantur, & ratione densitatis appareant; cùm tamen sub cæteris plagis cœli rariores sint, ideoque non discernantur visu.

43 *OPPONVNT.* Adversarij potissimùm. Omnis effectus invariabilis exigit invariabilem causam. Atqui aspectus Galaxiæ invariabilis est, vt experimento omnium sæculorum patet. Ergo exigit causam invariabilem. Elevatio autem exhalationum non est invariabilis, sed potiùs varia & inæqualis: quia quandoque pauciores, quandoque plures exhalationes elevantur, iuxta temporum varietatem. Ergo illarũ elevatio non est causa aspectus Galaxiæ. *Præterea.* Si exinde prodiret, appareret hõ solùm in illa cœli fascia, sive zonâ, in quâ videtur, sed etiã in qualibet alia cœli parte: quia nulla est, è qua cœlestia corpora non possint elevare assiduo exhalationes. *Denique*, in regionibus frigidissimis circa Polum nullæ ferè exhalationes elevantur è terrâ; & tamen in ijs æquè apparet Galaxia, ac in nostro climate. Non ergo aspectus illius provenit ab exhalationibus.

44 *RESP.* Effectum eo modo, quo invariabilis, est exigere causam invariabilem, & non aliter. Quemadmodum verò licèt exhalationum copia inæqualis, & varia sit pro temporum diversitate, adhuc non tollitur quòd assiduò excitentur virtute astrorum exhalationes è terrâ, quæ summam aëris regionem impleant, modò magis, modò minùs; ita neque impeditur aspectus Galaxiæ, cuius sublimitas magnitudoq; tanta est, vt quasi nihil reputetur, nec discerni à nobis possit, varietas quam subit penes plures aut pauciores exhalationes. Sic etiam mare propter magnitudinem suam vix vllam variationem subit, aut subire videtur ratione alluvionum, imò & inundationum, nec differe pluvio aut sereno tempore. Ad instantiam vlteriorem resp. ex D. Thoma in præsenti, negando sequelam: quia in illa cœli parte congeries stellarum habet fortiorem vim attrahendi & coniungendi exhalationes. Quod non habet locum in circulo Zodiaci, præsertim, quia abundat excellenti calore, quo exhalationes dissipantur & evanescunt. Vnde observatum est, Cometas eam ob causam non apparere sub Zodiaco, sed extra vtrumque tropicum. Ad vltimum negatur assumptum: quia etiam in regionibus Septentrionalibus viget virtus astrorum ad educendos halitus è terra: vt patet ex Cometis, qui ijs etiam generari solent, vt Arist. observat *lib.* 1. *cap.* 6. Vnde & ibidem educi possunt sufficientes exhalationes ad aspectum Galaxiæ, quamvis fortè pauciores, quàm in alijs regionibus calidioribus. Sed de his plenius consulendi Auctores allegati.

(::)



IL-

ILLMO. ET LITTERATISSIMO D.

D. EMMANVELI GONZALEZ TELLEZ.

CATHOLICÆ MAIESTATIS CONSILIARIO IN SVPREMO GENERALIS INQVISITIONIS SENATV, &c.

DIVERTE Aliquantulum à gravioribus curis, & severioribus studijs, *AMPLISSIME ET EXCVLTISSIME VIR.* Diverte nonnihil, si tamen potes. Meteora lucida regionis aèreæ mereâtur apud *TE*, vel subcessivam horam. Sufficiat anteactæ vitæ periodum egisse in illustrando Iure Cæsareo, ac Pontificio; & hoc præsertim publicæ luci commisisse, elucidatum ex toto ferè, novem iustis, ac cedro dignis voluminibus, insigni R. P. litterariæ emolumento, accessioneque. Sufficiat omnes sacræ ac penitissimæ eruditionis latebras exploràsse. Sat communi vtilitati datum. Sat honoris & famæ, etiam apud Exteras Nationes, adquisitum. Ambitiosus plus nimiò sit, qui vel æquare præsumat. Non minori triumpho ex litteris promerendo, natus es. Non minori expectatione ab ipsa pueritia, antegressus æquales, in summum id, quo emines, Sapientiæ fastigium ascendisti. Iuvenem adhuc, Salmantica demirata est. Quid iam Virum, & per varios Cathedrarum gradus, non ascendentem, sed volantem? Prælectiones subitariæ, quibus ea honorum incrementa promerebaris, longævi temporis partus videbantur. Vbicumque sors cecidisset, asservatas diu gazas de promebas ex recondita totius Antiquitatis penu. Nullus apex Pontificij Iuris, absque exquisitis observationibus. Nihil, vel leve, quod Tuis Notis illustratum, non spiraret abstrusæ eruditionis fragrantiam. Id toti litterario Orbi manifestius ostendunt, non modò Illiberitanum Cõcilium iam diu noviter illustratum, sed tot Opera nuper in Gallia edita. Meritò quis de *TE* dixerit circa sacros Canones, quod de Aristotele circa res Naturæ protulit Laërtius, insigni sanè elogio: *αἰτιολογικώτατος δὲ πάντων ἐγένετο καὶ ἐπὶ τοῖς κατὰ μέρος τῶν ἐλαχίστων ἀποδιδόναι τὰς αἰτίας. Omnium maximè rationes reddidit, etiam ad res vsque minimas.* Vix enim aliquid apparebit in vastissima Iuris sphæra, quamvis minimum sit, cuius rationem non reddideris nov-antiquo splendore. Meritò Maius Collegium Conchense vsque adeò singularem margaritam sua concha includendam curavit. Meritò sui cœli sideribus tantum luminare addidit. Merito & Fidei Summo Senatui adscripsit litteratissimus Princeps, immò & litteratorum facilè Princeps, Excellentiss. *D. D. DIDACVS SARMIENTO VALLADARES*, post Supremũ Hispaniæ Magistratum Inquisitor Generalis, & Gubernator Se-vir: qui, vt cæteris se exhibuit exemplar doctrinæ incomparabilis, ita & iustitiæ. Conquereretur hæc, clamaret, provocatet ad tribunal, nisi ascendisses. Dolerent ij omnes, quibus æqui & iusti amor est. Sed nec Astræa postremum colophonem addidit. Parat adhuc maiora, sublimiora; quæ tamen iam meruisse, quàm obtinuisse, gloriosius est. Itaque, vt ad institutum primum redeam, Dissertationem mitto, quà *de Meteoris lucidis in aère apparentibus* agitur, quamvis cursim, veluti in lacinia præcipui argumenti. Habes fortè in exquisito gazophylacio Bibliothecæ Tuæ, qui de ijs plenius agant. Nec dubito, vt ea lectissima & apparatissima est. Atqui potiùs illam alteram *TIBI* invideo, quã geris animo impressam, vt olim Nepotianus, qui, teste Hieronymo, *assiduâ lectione & meditatione pectus suum bibliothecam fecerat.* Hæreditarium quippe est id gazophylacij genus *TIBI* ac Tuis, quos tanta ingenij ac doctrinæ opulentia cœlum beavit; quibus ea animi ornamenta, veluti parerga nobilis & defæcati sanguinis, dedit. VALE, Musarum delicium, & Salmanticensis Academiæ decus.

DISP. NONAG. SECVNDA:

DE METEORIS LVCIDIS SPHERÆ AEREÆ.

Num. 1. *EGIMVS Diſputatione præcedenti de ijs phænomenis, quæ vel apparent, vel reipſa ſunt in cælo. Nunc diſſerendum de ijs, quæ in aère locum ſibi vendicant, & lucida ſunt; ac raptim quidem per ea excurrendum, quoniam nec ab Ariſtotele, neque ab alijs ferè, niſi tranſitu quodam veſtigantur. Vendicat ſedem diſputatio hæc locis pluribus ex Ariſt. indicanáis in eius progreſſu.*

SECTIO PRIMA.

De Iride, ſive arcu cœleſti; eiuſque natura, cauſis, coloribus, numero, ſitu, ac formatione diurna, & nocturna, itemque ſemicirculari figurâ.

2 *NVLLVM* Phænomenon in aère apparet æquè pulchrum, ac Iris, ſive arcus cœleſtis: proptereáque nobiliſsimum elogium meruit in ſacris litteris Eccleſiaſt. 43. v. 12. vbi dicitur: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ, manus Excelſi aperuerunt illum, &c.* Quare Plato in Theætheto Iridem Thaumantis filiam dixit, ſicut & Virgilius Æneid. 9. Thaumantiadem appellavit, propter admirationem quam excitat: θαῦμα enim Græcè miraculum, ſive rem miram viſu ſignificat: ſicuti & θαυμάσιος idem eſt, ac admirabilis. Agit de Iride Ariſt. *lib. 3. huius Operis c. 4.* & ibidem latè S. Thomas *lectionibus 5. 6. & 7.* ſicuti & Albertus Magnus *tract. 4. cap. 8. & 26.* ac Picus mirandula *libr. 1. de Examine vanitatis c. 12.* alijq; plures è Recentioribus, quamvis curſim.

3 *PRÆTERMISSIS* Aliorum, tum fabulis, tum & opinionibus circa naturam Iridis, quas referunt Ariſt. vbi nuper, & Plutarchus *lib. 3. Placitis cap. 5.* ſententia ipſius Philoſophi eſt, Iridem generari ex oppoſitione Solis ad nubem roridam, ſcilicet, incipientem pluere minimas guttas, aut iam deſinentem; quæ à parte exteriori ſit translucida, vt lumen in ſe imbibat; ab interiori autem opaca, vt radios lucis reflectat; ac denique concava, vt non æqualiter vndique illuminetur à Sole, ſed ex parte centri imbibat eius radios, abſque reflexione vlla; ex parte autem extremitatum illos frangat ac reflectat ratione guttularum labentium. Quare Iris definitur: *Arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concava, ex reflexione radiorum Solis oppoſiti apparens.* Vbi nubes prædictis circunſtantijs prædita habet rationem ſubiecti, ſive cauſæ materialis. Comparatur enim ad Iridem, tanquam ſpeculum in quo radij ſolares refrangũtur, & ex quo reſiliunt ad oculos intuentium, dum in eâ formant ſpeciem arcus. Cùm enim nubes ſit vapor addenſatus, vt progreſſu Operis apparebit, habet quidquid neceſſarium eſt, tum ad refrangendum, tum & ad reflectendum radios Solis: ratione enim craſsitiei, quæ in vapore eſt, poteſt illos refrangere, ſicuti & reflectere ratione denſitatis. Cauſa efficiens, in ordine ad quam definitur, eſt Sol irradians nubem. Cauſa formalis ſubſtantialis, eſt forma pluviæ, aut vaporis: accidentalis autem tres ſemicirculi colorati, quibus conſtituta apparet.

4 *PRO* Cuius intellectu notandum ex doctrina Perſpectivorum, quam noviter illuſtrant Zuchius *in Optica*, & Athanaſius Kircherus *in Arte Magna libr. 1. p. 1. cap. 2. & lib. 8. in Arte Anaclaſtica cap. 1.* radium corporis luminoſi eſſe triplicem, rectum, reflexum, & refractum. *Rectus eſt, qui multiplicatur per medium ſecundùm lineam rectam.* Reflexus, *qui occurrit medio, per quod tranſire vlteriùs non poteſt; ideoque redit in ſeipſum, vel in partem contrariam an obliquam.* Hoc modo ſe habet radius lucis vbi impingit in ſpeculum & reflectit, ad eum fere modũ quo ſonus directus impingens in corpora expolita & corpora, fit Echo, ſive ſonus reflexus, vt *diſput. 87 ſect. vlt.* dicebamus. Refractus denique eſt, *qui non habet inceſſum rectum, nec reflexum, ſed veluti decidentẽ & fractũ.*

Sci-

Scilicet, ratione medij crassioris franguntur radij, ideoque luminosum aut coloratum apparet maius: vt quando stellæ in obscuro loco videntur maiores, & semibaculus intra aquam tortuosus. Monet verò Arist. posse radium refrangi in omni corpore plano & terminato: scilicet, in omni eo, quod ex parte anteriori est læve, sive tersum, ex posteriori autem opacum. Ideoque species, quæ a parte sui extima sunt lævia ac terta, vt reflectant ac refrangant radios lucis ac species colorũ, induuntur à tergo opacitate aliqua, terminante seu finiente oculorum intuitum. Sufficit etiam quandoque ad refractionem lucis aliqualis crassities medij absque perfecta opacitate: vt superioribus observavimus in pupilla oculi, seu chrystalloide, & in profundis aquis, quæ ob copiam materiæ, quamvis diaphanæ, reflectunt species visuales ac lumen. Ex quibus omnibus colligitur, radios lucis solaris posse refrangi in guttulis roridæ nubis: quia licèt non habeant tantam opacitatem, quãta requiritur ad reflexionem specularem; habent tamen eam, quæ sufficiat quoddãmodo ad refrangendum illos, seu non sinendum vt recta via per nubem incedãt, sed potiùs ibidem distrahantur, & quasi frangantur. Vnde & Arist. vbi suprà concludit: ὅτι μὴ ὂν ἀνάκλασις ἡ ἶρις τ᾽ ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιόν ἐστι, φανερόν. *Patet igitur, arcum esse refractionem visionis in Solem.*

5 *QVAMVIS* Autem plurimi colores in Iride repræsentari videantur, vt propterea de illa Maro cecinerit, *Mille trahens varios adverso Sole colores*; attamen tres potissimùm in eà observantur; puniceus, viridis, & purpureus: vt obtervat Arist. loco nuper allegato, & *cap. 5. seq.* Eorum causa in eo sita est, quod radius lucis refractus ab exigua opacitate degeneret in colorem puniceum, sive flavum; à mediocri, in viridem; a maiori, in purpureum, & viciniorem nigredini. Cùm igitur rorida nubes in superficie exteriori opposita Soli sit translucida, & proinde parum opaca; consequens est, vt in ea appareat flavus color: cùm verò parte sui media sit opaca mediocriter, necessum est in eà apparere colorem viridem, quandoque etiã cæruleum: ac denique cùm in parte aversa a Sole, longè maiorem opacitatem habeat, opus est in eà resultare quasi colorem purpureum. Quam doctrinam tradit S. Thom. vbi supra *lect.* 6. quatenus docet, clarum colorem radiorum Solis abire in puniceum à parte nubis viciniore, quoniam in ea fortior & intensior est operatio luminosi propter minorem distantiam; & eiusmodi refractionem fieri in prima peripheria, seu circunferentia nubis: refractionem verò factam in secunda peripheria esse debiliorem, ac facientem viride, in tertia denique valde exiguam, & efficere cæruleum ac rubeum: qui colores sunt præcipui in Iride.

6 *SED* Difficultas est, an ij tres colores sint veri in Iride, an solùm apparentes: quod solùm obiter tetigimus *disput.* 89. *numer.* 93. Et sanè certum est eos non esse colores stabiles ac perfectos, quales sunt colores naturales, qui in corpore opaco resultant ex permistione primarum qualitatum; sed citò transeuntes, & causatos ex fluxa lucis refractione. Quare solùm dubitatur, an verè & quò ad substantiam inter colores censeri debeant. Circa hoc placet nobis sententia D. Thomæ vbi supra *lect.* 3. *dub.* 3. asserentis esse colores veros. Convenit enim ijs ratio vera coloris, quam suprà exposuimus *disput.* 86. *sect.* 4. per extremitatem perspicui in corpore terminato, scilicet, in nube rorida, quæ sufficienti modo opaca est ad terminandum intuitum. Deinde, licèt non procedant ex primis qualitatibus, oriuntur tamen ex lumine, quod est vera causa colorum. Denique non, nisi veri coloris, est terminare visum, seu esse obiectum ipsius. Patet verò colores Iridis terminare visum tanquam ipsius obiectum. Veri igitur colores in Iride sunt.

7 *CVM*, Sol debeat esse oppositus nubi roridæ vt Iridem efficiat, consequens est vt ea regulariter tantùm appareat manè in Occidente, ac vespere in Oriente: sic enim nubes opponitur Soli vbi oritur & occidit. Fieri tamen potest, vt Sole existente in meridie appareant tres Irides, vna ad Orientem, altera ad Occidentem, & ad Septentrionem altera: quia sufficienter opponitur meridianus Sol nubibus existentibus in eà triplici plagà, vt in ijs radios suos refrangat. Possunt quoque plures Irides simul formari circa eundem situm: ita tamen, vt vna priùs fiat directè à Sole: secunda autem ex reflexione primæ. Quo casu secunda debilior est, quia ex causa debiliore procedit immediatè. Si

quando verò apparet tertia, ex iterata reflexione, debiliſsima apparet, coloribus penè evaneſcentibus. Ratio autem eius multiplicationis eſt, quia interdum circa eandem cœli plagam contingit eſſe duplicem nubem roridam, cum materia ac diſpoſitione idonea ad exprimendum arcum. Vnde ſi Sol alteram earum directè ex oppoſito aſpiciat, in eam primò radios diriget, & arcum formabit; ex quo reſultet alter in alteram nubem, quæ ſit diſpoſita ad reflexionem excipiendam. Immò cùm accidere poſsint tres ſimul Irides quando Sol in Meridie eſt, vt diximus, ex vnaquaque illarum poſſent reſultare duæ aliæ in ſingulis plagis, Orientali, Occidentali, & Aquilonari; ac proinde ſimul videri novem Irides. Quod fortè aliquando contigit, aut continget. Et Cornelius Gēma *l.1. de Divin. Nat. Charact. c. 8.* narrat, anno 1551. prima die Martij viſas fuiſſe ſeptem Irides.

8 *NOTAT* Ariſt. vbi ſuprà *c.4.* Iridē non videri à nobis, niſi ſimus conſtituti inter Solem & nubem. Et ratio eſt, quam ſuprà tetigimus, quod nubes ſe habeat tāquam ſpeculum, ex quo radij Solis ad nos reflectuntur: ideoque opus eſt vt nullum corpus inter eā & nos interiectū ſit: ſicuti vt reflectatur ſpecies, ſive radius, ex ſpeculo, oportet nihil opacū interiacere viſum & ſpeculum. Aliunde neque nubes ipſa cōſtituenda eſt inter nos & Solem: ſic enim tantùm poſſet illuſtrari quà parte Solem aſpicit, & à nobis averſa eſt. Igitur quāvis formaretur Iris, à nobis tunc videri non poſſet: quia pars converſa ad nos eſt valde opaca, ideoque impedit tranſmiſsionem radiorum ſpecierumque partis averſæ. Si denique Sol inter nos ac nubē medius exiſtat, multò minùs à nobis videbitur Iris: quoniam hæc, iuxta obſervationem Perſpectivorum, cùm ſummùm diſtat, tantùm apparet in tribus diſtantiæ milliaribus. Iris autem media exiſtens inter nos & Solem, debet diſtare à nobis vt minimùm octodecim gradibus, quorū ſinguli iuxta Ptolemæum continent ſexaginta duo milliaria, & aliquid ampliùs; ac proinde omnes ſimul, mille centum viginti quinque milliaria diſtantiæ. Ergo cùm viſus noſter nequeat percipere Iridē, niſi ad tria milliaria, tunc Iris incomparabiliter ampliùs diſtans, videri nō poterit. Quare quotquot habitamus in quinto climate, nunquā poſſumus cernere Iridem ad Meridiem: quia fieri nequit vt ea parte ſimus inter Iridem & Solem: ſiquidem ad id neceſſum eſſet nubem eſſe ad Meridiem, Solem verò vltra verticem capitis noſtri, quod in hoc climate repugnat propter ingentem diſtātiam à linea Æquinoctiali. Quare experimento dignoſcitur, Iridem matutino tēpore ſemper ad Occaſum cerni, veſpere autem ad Orientem vel Aquilonem: quoniam vtroque eo tempore medij ſumus inter Solem & Iridem.

9 *LVNA* Etiam quandoque Iridē efficere viſitur, vt obſervat idem Philoſophus *l.2. c.2.* quamvis non æquè pulchram & variam, ac Sol; ſed vnicolorem ferè, & albam. Quare *libr. 3. ſumm. 2. cap. 3.* inquit: *Quæ fit à Luna Iris, apparet alba valde.* Ratio eſt, quoniam radij lunares ob tenuitatē ſuam nequeunt ita profundè permeare nubem roridam, ac ſolares radij: ideoq; eam tantum attingentes in extima ſuperficie, ſolo illo candore nubē pingunt. Monet vero Albertus Magnus *l.3. c.4. tract. 22.* lunarem arcum non apparere continuum, vt ſolarem, ſed interceptum lineis quibuſdam ſubnigri coloris. At eſto id ſæpe accidat, nihil prohibet vt interdum etiam continuus ſit; quoties, ſcilicet, nubes rorida æquabiliter diſpoſita fuerit ad reflectēdum radios Lunæ. Quamvis autē nocturna Iris rarò, aut nunquam, à nobis conſpiciatur; frequentiſsimam eam dicunt in Africę ora, iuxta Inſulam S. Th. vbi apparere ſolet. Sic enim ex nautarum teſtimonio tradit Ramuſius *tom. 1. Navig.* Ariſt. vbi ſupra ſe tantùm bis comperiſſe Iridem lunarem teſtatur ſpatio quinquaginta annorum. Similiter & lucerna poteſt Iridem efformare: vt idem Ariſt. docet *l. 3. c.4.* & D. Th. ibidem *lect. 4.* dum inquit: *In hyeme circa lucernas apparet circulus habens colorē puniceum Iridis: quod fit propter refractionē luminis lucernæ ad aerem circunſtantem, qui eſt ingroſſatus à frigido.* Verùm quantū perfectione diſtat lucerna à Luna, & hæc à Sole; ſic etiam pulchritudo arcuum vniuſcuiuſque, ſi invicē conferantur. Nec propterea minùs rectè definitur Iris in ordine ad Solem, vt ſupra ſtatuimus *n.2.* Definitio enim illa eſt de Iride ſimpliciter, ſive antonomaſticè tali, quæ tātùm ſupponit pro ſolari, vtpotè cæteras Irides minoris notæ longiſsimè ſupergrediente.

10 Quod verò legitur apud Scafnaburgenſem, anno Domini milleſsimo ſeptuageſimo quarto, quo ille vivebat, Iridē no-

nocte circa gallinaceum cantum ſereniſſimo cœlo apparuiſſe non procul ab Herveldia; videtur miraculoſum, ſi verũ. Iris enim, ſive ſolaris, ſive lunaris, non, niſi in nube fit. Niſi fortè dicatur, quandoque rorem per aerẽ diſperſum, etiam ſerena nocte, poſſe excipere radios Lunæ, & reflectere in formam arcus; qualiter notũ Italis eſt, & Plinius teſtatur *lib.* 2. *c.* 59. quotidie Locris, & in lacu Velino, apparere Iridem, quamvis non quotidie nubes ibidem conſpiciatur. Fieri enim poteſt, vt vapores ex lacu elevati, & guttulis intertexti, perinde reflexioni radiorum ſolarium deſerviant, ac nubes rorida. Poſſunt etiam aliquali induſtria formari apparentes Irides ſolares: vt ſiquis averſus a Sole aquam ex ore ſpargat in aërem, ita vt illa diſſipetur in minutas ſtillas, apparebit quaſi arcus Iridis. Idemque in mari accidit, quoties remis in altum aſpergitur & diſſipatur aqua; immò & quoties manu ſpargitur atque irroratur inter Solem ex vna parte, & locum vmbroſum ex altera. Quæ exempla afferũtur ab ipſo Ariſtot. Denique ſunt aliqui artificiales fontes, in quibus decidit aqua minutiſsimè concila & aſperſa: vbi ſiquis ſe conſtituat medium inter aquam & Solem, perſpicuè notabit Iridem cum triplici colore & ſemicirculari figura, vt teſtatur Averſa *q.* 42 *ſect.* 5.

11 *PORRO* Iris ſolùm exhibet figuram ſemicirculi, aut ſectionis minoris: quod non ſolùm docet Ariſt. *lib.* 3. *c.* 5. vbi & D. Thom. aliique Interpretes, & Vitellio *propoſit.* 74. *Perſpectivæ*, ſed etiã experimento aſſiduo patet. Rationes verò eius ſemicircularis apparitionis plurimùm olei & operę inſumunt Perſpectivis, ac difficiliores captu ſunt, quàm vt ſimplici hac doctrinæ methodo percipiãtur. Conſulendus ea de re Vitellio allegatus *lib.* 10. ſicuti & circa plura alia huc ſpectãtia, & ſatis abſtruſa: vt quod Iris alta appareat demiſſo Sole, & demiſſa alto: quòd minor fiat manè ac veſperè, ſed in latitudinem ſparſa: meridie verò exilior, ſed ampliori ambitu; quòd denique breviſsimis anni diebus frequenter accidat; æſtate poſt meridiem rarò, vel nunquam; poſt Autumni verò Æquinoctium, qualibet ferè hora. Id certè intelligibilius eſt, Iridem non poſſe excedere ſemicirculum: quia cùm directè opponatur Soli, oporteret alterum ſemicirculum, ſi eſſet, fieri intra terram, in qua tamen non poteſt. Prætea rea & rectè capitur, Sole exiſtente in Horizonte, compleri integrum ſemicirculum Iridis; remotiore verò ab Horizonte, & appropinquante Meridiano, eò minorem fieri portionem ſemicirculi. Quod obſervat Ariſt. *l.* 3 *ſum.* 2. *c.* 4. Et ratio eſt, quia quanto Sol magis elevatur ab Horizonte, tãtò profundiùs è regione Solis ſub Horizonte reconditur centrum illius circuli, qui apprehenditur in Iride. Vnde & tempore æſtivo vix apparebit Iris dum Sol circa Meridiem eſt: quoniam eo tempore, pluſquam quolibet alio, Sol eſt remotior ab Horizonte, vt idem Ariſtot. notat.

SECTIO SECVNDA.

Irides num ante diluvium apparuerint? Quænam illarum ſignificatio, ſive naturalis, ſive ex inſtituto Dei? An nonnulla effecta ex ijs ortum ducant?

12 QVONIAM Deus in ſacra Geneſis hiſtoria *c.* 9. aſſerit poſturum ſe arcum ſuum in nubibus cœli, tanquam ſignum nunquam futuri diluvij, arbitrati ſunt nonnulli ex eo tempore viſam Iridem, non autem antea: quaſi non ſit opus naturæ, quod æquè bene potuerit antea fieri ex Sole & nube rorida, ſed oſtentum quoddam divinæ potentiæ, eo fœderi pangendo inſtitutum. Vera tamen & communis ſententia Interpretum S. Scripturæ & Theologorum in eundem locum eſt, Iridem inter naturæ effecta contineri, & ſæpe ante diluvium apparuiſſe, quamvis poſt diluvium ſit ſignum fœderis inter Deum & homines, quo oſtenditur nunquam fore vniverſalem terræ inundationem. Lege Cornelium à Lapide, Pererium, & Tirinum in idem caput nonum Geneſeos. Ratio autem deſumitur ex dictis *ſect. præced.* vbi cauſam efficientem Iridis aſſignavimus intra naturæ limites, & iuxta ea, quæ frequenter accidunt: nimirum, Solem radijs ſuis illuminantem roridam nubem, opacam, & concavam, in qua proinde fiat reflexio, ac refractio eorundem radiorum. Atqui totum id naturale eſt, & æquè bene accidere potuit ante, ac poſt diluvium, vt ex ſe patet. Iris ergo accenſenda eſt effectibus naturæ, etiam ante diluvium. Neque obſtat quod

Deus iniens pactum cum Noemo dicat: *Arcum meum ponam in nubibus cœli, &c.* quo videtur ſignificari non antea poſitum fuiſſe arcum. Reſpondetur enim, in ipſo fonte, ſive textu Hebraico, non haberi verbum *ponam* de futuro, ſed *poſui* de præterito: præterquamquod in Hebræo indifferēs ferè eſt vſus verbi pro futuro & præterito.

13 *VERVM* Adhuc pungit animum lacer textus, qua ratione Iris ſit ſignum non futuri diluvij deinceps diſſipantis terram. In qua re primo certum appareret, Iridem non eſſe ſignum naturale nūquam futuri diluvij, nec vniverſalis, nec particularis. Non primum: quia vniverſale diluvium vi cauſarum naturalium invehi nequit: vt docet Ariſt. in præſenti *lib.* 1. *cap.* 14. Et ratio eſt, quia neque aſtris, neque elementis, ineſt tanta vis agendi, vt poſſint naturaliter inferre Vniverſo tam grande malum, quantum eſt vniverſalis diluvij. Habent enim limitatam virtutem, atque imparem evertendo bono communi naturæ. Non ſecundum: quia conſtat poſt diluvium vniverſale, & plurimas Iridum generationes, accidiſſe quandoque diluvia provinciarum: vt in Theſſalia ſub Deucalione, octiogentis circiter annis a generali diluvio, ſcilicet, anno 2700. a creatione Mundi: ſimiliter in Pharo inſula anno circiter 3006. Si autem Iridi ineſſet naturalis vis ſignificandi nunquam futuram provincialem eluvionem, profectò illa nunquam ſecuta fuiſſet naturaliter in ijs caſibus, vti reipſa ſequuta ſupponitur, & tradunt plerique Veterum, ac præſertim Varro apud Cenſorinum *capit.* 21. *de Die Natali*, vbi & provinciale illud diluvium appellat Deucalionæum, vniverſale verò Ogygium, denominatione ſumpta à Noemo, quem Ogygen dixere aliqui, alij Siſitrim, vt Abydenus, alij diverſis nominibus, vt colligi videtur ex Tzetze in Hiſtor. Chiliade 10. dum accinit,

Ὁ ſ Νῶε, καὶ Διόνυσος, καὶ Ὄσιρις λαλεῖται.
Qui Noë, & Dionyſius, & Oſiris vocatur.

14 *SECVNDO* Statuendum, Iridem eſſe naturale ſignum pluviæ proximè futuræ, ſed non ita magnæ, ſeu habentis rationem diluvij provincialis. Prior pars communi Philoſophorum conſenſu, & innumeris experimētis conſtat, ac præterea genuina ratione, quia non gignitur Iris, niſi in nube roſcida, & ad pluendum parata. Quam ſignificationem præſertim Iridi meridianæ tribuit Seneca *lib.* 1. *Nat. QQ. cap.* 6. ac duplici Iridi Plinius *lib.* 18. *c.* 35. & Aratus illo carmine: καὶ δίθυμοι δὲ τε μέγαι οὐρανὸν ἐν γεγάασι. Hinc eſt quòd Maro 1. Georg. arcum *bibentem* dixerit, & Ovidius 1. Metamorph. cecinerit:

Nuntia Iunonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus offert.

Poſterior pars traditur à D. Thoma *Quodlib.* 3. *art.* 30. Ioanne Archiepiſcopo Canthuarienſi *in Compendio Perſpectivæ lib.* 3. *c.* 2. *p.* 9. Abulenſi *in cap.* 9. *Geneſis*, *quæſt.* 7. aliiſque pluribus. Ratio Angelici Doctoris eſt, quoniam calor Solis tripliciter ſe habere poteſt ad vapores, qui ſunt materia pluviæ. Aut enim omnino illos abſumit & diſſipat; ſicque nulla ſequitur pluvia: aut eos in ſublime elatos acervatim nequit diſpergere; & ſic ingens pluvia ſequitur, quæ & interdum, licèt raro, poſſit partem magnam alicuius provinciæ inundare: aut denique medio quodam modo ſe gerit, nec eos diſpergendo, nec ſinendo multùm conglobari; & tunc licèt ſequatur aliqualis pluvia, non tamen vſque adeò magna, ac præcedens. Atqui Iris nunquam appareret, niſi cū Sol ad vapores medio ex prædictis modo ſe habet: non enim formatur vbi nubes nimiùm gravidæ ſunt, ſed cùm tenuiores, atque magna ex parte divulſæ. Ergo naturaliter ita ſignificat pluviam, vt tamen non vſque adeo magna in proximo futura ſit.

15 *DENIQVE* Iris, licèt non ex naturâ ſua, vt ſupra oſtendimus, ex inſtituto tamen Dei ſignificat, à tempore diluvij non futuram de cætero totius terræ eluvionem, ſeu cataclyſmum. Ita frequenter Interpretes ad dictum Geneſis caput: quoniam cùm Deus promittat Noemo non fore deinceps diluvium totius terræ, eiuſque ſponſionis implendæ ſignū ſtatuat in arcu cœleſti; eſt neceſſum vt vim ſignificandi nobis ipſum habeat ad placitum voluntatis divinæ: quod quidem non habuit ante vniverſalem eluvionem, cum tamen tunc eiuſdem naturæ eſſet. Quod præter alios, eleganter ibidē exponit Lippomanus *in Catena*. Quare cauſa finalis Iridis ex arbitrio Dei, eſt ſecuritas noſtra à diluvio futuro; ex natura ſua vero, ſignificatio pluviæ mox futuræ, niſi fortè aliquando ex ſupervenienti cauſa ſubitò ferè impediatur. Quod dixerim, quia interdum poſt Iridem nulla pluvia ſequa-

ta est, vt notat Scaliger *Exercit. 80. in Cardanum*, & longè priùs indicavit Plinius *lib. 2. cap. 59.* dum dixit: *Ne pluvios quidem, aut serenos dies, cum fide portendunt.*

16 *TRIBVVNTVR* Iridi quædam effecta, Arist. enim *lib. 5. Hist. Animal. cap. 22.* docet eam esse proficuam apibus ad colligendum mel. *Construunt*, inquit, *favos è floribus: ceram ex lachryma arborum fingunt: mella ex rore aëris, sidérum exortu potissimùm, & arcus cœlestis incubitu, contrahunt.* Præterea Plinius *lib. 12. cap. 24. & lib. 17. c. 5.* auctor est, Iridem relinquere suavem odorem in terrâ, vel arboribus, vbi incubuerit, & præsertim in Alpalatho, scilicet, in spinosâ quâdam planta & floridâ, quàm aliqui censent eandem cum ligno Rhodio. Verùm nihil horum tribuendum directè Iridi, ratione solâ colorum in eâ apparentium, quibus præcisè spectatis nulla vis, nulla connexio esse potest cum ijs effectis, alijsque. Dicendum itaque conferre quidem Iridem ijs producendis, quatenus non fit in qualibet nube, nec in quibuslibet guttis aquæ decidentibus è nube: sed in ea tantùm, quæ rorida est, & rectè disposita ad reflectendum Solis lumen, & varios colores exprimendos. Eiusmodi verò dispositio etiam confert plurimùm ad structuram mellis. Maximè cùm *ibidem* Aristoteles doceat, *non ipsas apes facere mel, sed rorem candentem aeferre*: idque experimento probet: *quia vno aut altero die cellas melle repletas inveniunt Apiarij.* Vnde colligitur, rorem ex Iride cadentem esse mel, quod apes condiunt, & cellis includunt. Idemq; Philosophus docet *sect. 12. Probl. q. 3.* non semper ex arcu cœlesti procedere odorem aliquem, nec in omnibus plantis: si quando autem procedit, tribuendum esse aquæ mediocri decidenti, & adiuvanti plantas ad expirandum odorem.

SECTIO TERTIA.

De Virgis, & Parhelijs, in quibus replicantur Solis imagines: de Voragine quoque, & Hiatu, atque Halo, sive Corona, quæ etiam Area.

17 *VENIAMVS* Modò ad alias imagines minoris notæ intra eandem sphæram aeream: quarum quæ primùm occurrit, & Iridi similior est, appellatur *Virga*, definiturque ab Arist. lib. de Mundo ad Alexandrum cap. 3. illis verbis: *Virga est arcus cœlestis exhibitio in directum conformata.* Scilicet, solares radij ferientes nubem roridam, quâ parte in directum à terra ad cœlum extollitur, reflectuntur ab eâ, simili colorum apparentia, atque in Iride, exceptâ figurâ semicirculi; quamvis non semper exhibeat totidem colores. Solent plures simul apparere, vt observat idem Philosophus in præsenti *lib. 3. sum. 2. c. 5.* ideoque plurali nomine ῥάβδοι, seu *Virgæ* appellatur.

18 Quandoque verò ad latus Solis in nube idoneo modo disposita ad reflectendū eiusdem Solis imaginem, fit vt appareat quasi alter Sol. Dicitur autem *Parhelion*, quasi παρὰ ἥλιον, *iuxta Solem.* Porrò ad id phænomenon exhibendum, nubes debet esse non infrà versus terram, nec è regione, sed ad latera, & ex obliquo; scilicet, ad Austrum, vel ad Septentrionē, quæ sunt Astrologis veluti latera Solis ab Oriente in Occidentem. Debet præterea esse proxima ad pluendum, itemque versus Solem diaphana, & ex oppositâ parte in modum speculi terminata ad reflectendum lumen.

13 Interdum autem accidit vt imago Solis impressa in aliquâ nube, inde in alteram reflectatur, & hinc rursus in alteram; ideoque simul duæ aut tres imagines Solis appareant. Quod priscis temporibus contigisse testatur Plinius *lib. 2. c. 31.* alijque, & recentiùs, id est, anno 1622. die Februarij vndecimâ Romæ, veluti oculatus testis scribit Aversa *c. 42. sect. 5.* additque id insolitum phænomenon Solis triplicati visum meridie, ac duabus post meridiem horis, & alterum Parhelion altero illustrius apparuisse; nimirum, ob rationē *num. 7.* indicatam circa pluralitatem Iridum splendore inæqualium. Quod quidem rarò contigisse putatur eodem meridiei tempore: quia, vt monet Arist. vbi suprà *c. 1.* nunquam ferè apparuisse legitur, nisi Oriente, aut Occidente Sole, & rarò circa Meridiem: & veluti quid insolitum observat, semel accidisse in Bosphoro, vbi ab Ortu ad Occasum integrâ die permansit. Quandoque etiam apparuerunt plures Lunæ, testante Plinio *lib. 2. c. 32.* idque in plenilunio, quia tunc Luna potentior est ad eiaculandum lumen, & depingendam suam imaginem in nube claræ. Vnde quidam eleganter cecinit:

Se-

Sæpe etiam duplicem in tenebris esse cernere Lunam,
Nube cavâ referente aliam sub imagine formam.

20 *SOLENT* Serena nocte consţipari multæ exhalationes in sublimi aëre, medio quidem densiores, & rotâ circumferentiæ ora rariores, inter astrorum lumen, nostrumque aspectum constitutæ, ideoque exhibētes similitudinem foveę: quia cùm medium ob densitatem suam minùs illustretur, refert imaginem specus, seu profunditatis cuiusdam: quæ, si magna sit, *Vorago* dicitur; si parva, *Hiatus*. Plura eiusmodi phænomena suo tempore visa refert, & schematibus incisis exprimit Cornelius Gemma *lib. 2. Characterismorum c. 2.*

21 *VBI* Autem multa exhalatio, vel nubes æquabiliter spargitur sub Sole, Lunâ, aut aliquâ è splendidioribus stellis, ita vt radius luminosi corporis propter densitatem nubis aut exhalationis interiectæ nequeat in directum progredi, sed diffundatur per omnes extremitates; appareat circulus splendens sub astro in modum luminosæ coronæ, quam Græci ἅλων, nos quoque ex ijs Halon, sive *Coronam*, aut *Aream*, dicimus. De qua Arist. l. 3. c. 3. inquit: γίγνεται μὲν ἡ ἅλως ἀνάκλασις τῆς ὄψεως, συνισταμένης ἀέρος καὶ ἀτμοῦ εἰς νέφος, ἐὰν ὁμαλὸς καὶ μιγομερὴς συνισταμένη τύχῃ. *Fit igitur aspectus refractio, cùm vapidus aër in nubem cōcrescit, dummodo consistens æquabilis sit, & partibus constet exiguis.* Porro si magis magisq; addensetur, denotat aquam: quoniam significet multitudinem vaporū ascendentium, qui in nubes concrescant, & imbres pariant. Mirabilis est figura, sub quâ quondam apparuisse refert idem Gemma vbi nuper *cap.* 8. his verbis: *Sub imperium Augusti Cæsaris, vt auctor est Plinius, ingens circulus circa Solem, ceu radiantibus stellis insignita corona apparuit: deinde & alij duo, vt ex Suetonio patet, atque Dione; quorum alter Iridis elegantissimæ formam, alter ex spicis triticeis sertum præseferebat.*

(?)

SECTIO QVARTA.

De Meteoris igneis in triplici aëreis regione apparentibus, eorumque multiplici varietate, naturâ, & causis.

22 DE Ijs agit Arist. *lib. 1. cap. 4.* & cum eo alij, tum Philosophi, tum & Astronomi. Et vniversim quidem oportet duo præmittere. *Primum* est, prædicta meteora plurimùm inter se differre: vt magnitudine, figurâ, colore, motu, ac tempore. Differunt magnitudine, quoniam alia alijs maiora sunt: figurâ, quoniam alia quadrata, alia rotunda, alia obliqua, &c. colore, quia quædam opaca & fumida propter densitatem, quædam lucida & præalba ob raritatem: motu, quia aliqua in gyrum cientur raptata motu cœli Lunæ, & regionis igneæ; aliqua sursum, naturali propensione igneâ; alia ad latus divertunt, aut lento aut celeri excursu: tempore tandem, quia quædam interdiu, quædam noctu accidunt; quædam æstivo, quædam hiberno tempore; aliqua multùm durant, alia parum. *Secundum* est, materiam remotam earum impressionum esse corpus terrestre; proximam, exhalationes calidas & siccas è terrâ ortas; causam efficientem principalem, astra; minùs principalem, calorem, & frigus circunstans; causam formalem, propriam cuiusque formam; finalem verò, consumptionem fumosarum terræ exhalationum, purgationemque aëris, ad salubrem inferioris mundi temperiem. Tanta verò illarum varietas ortum ducit ex multiplici dispositione halituum terræ diversorum pene, subtilitatem aut crassitiem, raritatem aut densitatem, multitudinem aut paucitatem, graviratem aut levitatem. Locus illarum est intra sphæram aëris, modo in suprema, modò in media, modò in infima regione, iuxta impressionum diversitatem.

23 *IGNEÆ* Impressiones, in summa aëris regione generari solitæ, plerumque sunt, *Columna*, *Fax*, *Lancea*, & *Titio*. Si exhalatio sit lata & longa, subtilior que in superiori, quàm in inferiori parte, dicitur *Columna*, aliàs *Ignis perpendicularis*, quoniam ea supra suam basim quasi ad perpendiculum se sustinet. Vbi autem exhalatio eadem nimiùm longa & lata est, atque in vnum quasi conglobata, dicitur,

Fax,

Fax, aliàs *Flamma*, & quandoque adeò lucida, vt nox diei ſpeciem referat: qualis memoratur a Vigilio 2. *Æneid.* vbi accinit, *Stella FACEM ducens multà cum luce cucurrit.* Et apud Lucretium, non minùs Philoſophum, quàm Poëtam *lib.* 2. habetur, *longos flammarum ducere tractus.* Vbi prædicta exhalatio longitudine valde ſuperat latitudinem, apparet veluti quędam *Lancea*; qualem nos ſæpe vidimus Salmaticæ anno 1668. circa Occidentem, & poſt ipſum Solis Occaſum. Appellāt etiam aliqui *Trabem*, alij *Iaculum*, quòd omnium eorum ſimilitudinem referat. *Denique* vbi minoris magnitudinis eſt, dicitur *Titio.*

24 *IN* Secunda aeris regione ſpectantur phænomena alia. Primum dicitur Græcè αἶγες, Latinè *Capræ ſaltantes.* Quoties enim materia exhalationis in longum magis, quàm in latum, protenditur abſque interruptione, & ad latera habet veluti fila quædam inter ſe diſtincta, efficit flamma accenſa excurſiones quaſdam, inſtar caprarum ſaltantium. qua etiam ratione Medici pulſum ſaltientem, *caprinum* dicunt. Alij diverſimodè id phænomenon exponunt. Secundum dicitur *Stella cadens*: & fit quando exhalatio ipſa parùm lata, eſt, & longè protenditur. Tunc enim accenſa velociſsimè excurrit, & tota materia comburitur, veluti rivus tormentarij pulveris. Dicitur autem *cadens*, quia, vt monet D. Thomas *lect.* 7. eiuſmodi ſtellæ *aliquando proïciuntur propter hoc quòd expelluntur à ſuperiori frigore: ſicuti cùm aliqua cadunt expulſa ex digitis, vt nux cerajij.* Ominoſæ fuerunt Ethnicis eæ ſtellæ, de quibus Artemidorus *lib.* 2. *c.* 28. inquit: Ὅτε δὲ καταπίπτουσιν ἐπὶ γῆν οἱ ἀστέρες εἰσὶν ἀγαθοὶ, ὅτε ἀφανιζόμενοι· πολλῶν γὰρ κακῶν μαντεύονται. *Neque cadentes in terram ſtellæ, neque diſparentes, bonæ ſunt. multorum enim perniciem præſagiunt.* Denique tertium cōtingit, vbi exhalatio multa eſt, & longè porrigitur, non directè, ſed in obliquum, & à parte inferiori diu retinet inflammationem tortuoſam: diciturque *Draco volans.*

25 *IN* Infima aeris regione gignuntur plura alia. Quoties exhalatio eſt multa, & citiſsimè inflammatur, conſpicitur ſupra terram veluti cumulus paleārū ardentium, & dicitur *Stipula ardens.* Si exhalatio ſit exigua, & citò comburatur, dicitur cereus ardens. Solet frequentiùs apparere in patibulis & cœmeterijs: quoniā cadavera ibidem tumulata, aut ſuſpenſa mittunt exhalationes calidas, ſiccas, & vnctuoſas, quæ citò accenduntur à calore circunſtante tempore æſtatis: in hyeme autem non inflammantur, quoniam frigiditas impedimento eſt. Si autem exhalatio ſit viſcoſa, ac tenax, quæ proinde diu perſiſtat, ſolet accendi per antiperiſtaſim nocturni frigoris, vel per colliſionem partiū ipſius exhalationis inter ſe: diciturque *Ignis fatuus.* Cietur motu aeris: indeque eſt, vt fugientem hominem ſequatur, ſequentem fugiat: aèr enim ab homine ſe movēte impulſus, eandem concretionem impellit. Si exhalatio ſit valde ſubtilis & rara, ſolet diſpergi per aèrem, & inhæreſcere capillis hominum equorumque: ac dicitur *Ignis lambens.* Videtur denominatio ſumpta ex Marone vbi ſuprà accinente:

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iúli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
LAMBERE flamma comas, & circum tempora paſci.

Innoxia canitur: quoniam ratione nimiæ raritatis ſuæ non vrit, ne crinem quidem: & excitari ſolet vbi quis comprimit manu ſucceſsivè capita animalium, præſertim canum, qui calidiores cæteris, & in ſaccharo, quoties fortiter raditur gladio, vti ſæpe experimento didicimus.

26 *IN* Imà eiuſdem infimæ regionis parte ſolet eſſe exhalatio nimis denſa, viſcoſa, ac pinguis, ideoque corporibus diu adhæreſcit. Apparet navigantibus quaſi flamma inhærens malo, antennis, aut alijs partibus navium: quoniam in eius generationem maximè conferunt cera & pix liquatæ in carbaſis, & tabulis interiectæ, accedente colliſione partium, aut anteperiſtaſi circumfuſi aèris frigidi. Vbi vna tantùm apparebat, *Helena* ab Ethnicis dicebatur: vbi autem duo, *Caſtor*, & *Pollux*: & illa quidem infauſtum aliquid portendebat navigantibus: ijs autem duo erant felicitatis auſpicia. Quò ſolet advocari illud Plinij *lib.* 2. *cap.* 37. inſcripto, *De Stellis Caſtoribus*: vbi ita loquitur: *Vidi nocturnis militum vigilijs inhærere e pilis provallo fulgorem effigie eà. Et antennis navigantium, aliiſque navium partibus, ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, vt volucres ſedem ex ſede mutantes: graves, cùm ſolitariæ venère, mergent ſque navigia, &, ſi in carinæ ima decidérint, exurentes: geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus præſuntiæ: quarū*

ad-

adventu fugari ibi ram illam ac minacem, appellatamque HELENAM *ferunt. Et ob id Pollucis & Castori id numen assignant; eosque in mari Deos invocant. Hominum quoque capita vespertinis horis, magno præsagio circumfulgent. Omnia incerta ratione, ET IN NATVRÆ MAIESTATE ABDITA.* Hæcusque Plinius. Eodem spectat quod Horatius lib. 1. Carm. Ode 3. Virgilio naviganti adiutores exoptat *fratres Helenæ lucida sidera.* Et Plutarchus libello de Oraculorum defectu, inquit: *Τυνδαρίδαι τοῖς χαλεπαίνουσι βοηθοῦσιν*, &c. *Tyndaridæ tempestate iactatis opem ferunt, adventu suo statim vehementiam ponti, præcipitesque ventorum flatus mulcentes.* E contrà Solinus exponens multa mala, quæ affert mulierum sanguis menstruus, appellat sidus Helenæ *pernitiosissimum navigantibus*, quidquid dixerit Eutipides in Oreste, vbi salutarem nautis pronuntiat.

27 *ID* Certum sit, rem prorsus naturalem esse, & iam non *in naturæ maiestate abditam*, vt aiebat Plinius, sed sufficienti ratione detectam. Hæc vero in eo sita est, quod exhalatio præacta quandoque in vnum conglobata, & in ima descendens, significet magnam vim conturbationemque ventorum superiùs impedientium ne ascendat: quibus vt resistat, sese in vnum conglobat, quoniam virtus vnita fortior est. Quare vnica concretio flammæ in malo, aut antennis navium, denotat ingentem procellam. Quandoque autem, vbi in duas partes dividitur, significat non esse tantam resistentiam in ventis superiùs flantibus, vt opus habeat se colligendi in vnum ad resistendum: ideoque serenitatem auspicatur. Facessant itaque superstitiosi homines, qui ea naturalia signa, velut augurii interpretantur.

28 *DIFFERVNT* Autem inter se phænomena omnia prænotata, præterea, quæ *suprà n.* diximus, in hoc quòd quæ apparet in suprema aëris regione moveantur in circulũ a vicina sphæra ignis rapiente secum suprema ipsam regionem aëris, ac proinde quidquid in eâ est: sicut suprà de cometis statuimus. Quæ autem videntur in media aëris regione, plerumque moventur deorsum: quia cùm ea regio sit frigida, vt *disp. 59. sect. 2.* docuimus, impeditur ascensus exhalationũ, & reperuntur ad partem contrariam, sicut refert D. Thom. *ibi supràlect. 7.* Quæ denique generantur in infima aëris regione, moventur lateraliter, scilicet, dextrorsum & sinistrorsum, & nonnunquam è terra levantur iuxta mensuram staturæ humanæ. Vnde notat Iavellus in præsenti *lib. 2. c. 3.* interdum accidere, vt ambulantes nocturno tempore, videntesque eiusmodi spectra, sequantur illa, quasi hominem secum deferentem facem. Quo fit, vt non solùm præcipitias oculorum patiantur, sed etiam maiori suo periculo deveniant ad loca aspera, aut in flumine mergantur, aut si forte exhalationem ipsam attigerint, lethifero eius halitu subeant improvisum interitum.

29 *SI* Verò causam finalem earum omnium exhalationum quæras, sive, quod perinde est, quid significent, aut annuntient naturaliter; *Resp.* si exiguæ sint, & rarò accidant, nihil fere inde conijci posse, quoniam ex levi causâ, sive alteratione oriuntur. At si magnæ sint, & frequenter accidant, vt cùm iacpiùs apparent faces, titiones, lanceæ, draconesque igniei; existimandum est de ijs, quod communiter existimatur de Cometis. Tanta enim & tam frequens copia exhalationum terræ nequit non relinquere eam sterilem, expertemque succi, & infestare aërem, quem respiramus. Vnde oriuntur calamitates, quas indicat Albertus Magnus in præsenti *l. 1. tract. 4. c. 9.* dicens: *Significationes omnium istorum sunt secundùm Martis effectum, & præcipuè quando fiunt in anno, quando Mars & Iupiter sunt coniuncti. Tunc enim in aëre significant huiusmodi tempestatem, & in hominibus iras, & pestilentias ex aëreo veneno: quia sunt illæ exhalationes huiusmodi sæpius discurrentes per aëra, cùm sint vapor frigidus, & siccus combustus, corrumpunt aërem, & faciunt venenosum, præcipuè apostemata generando, & variolas, & huiusmodi. In aëre autem, & quando hùc, & illùc feruntur, significant tempestatem propter conflictum ventorum, qui ignes iam in diversa loca proiiciunt: & hoc probatur ab experimentonautarum, qui tunc valdè timent.* Et post pauca: *Vult tamen Albumazar, quòd etiam ista aliquando mortem Regis, & Principum significant, propter dominium Martis: præcipuè quando fiunt in forma non consueta, & sæpiùs solito. Vnde Seneca dicit quòd etiã, circà excessum Augusti vidit specie pilæ ligneæ, quæ in ipso causa suo dissoluta est. Et circa mortem Sorani, & circa mortem Germanici simile visum est prodigium.* Hactenus ille.

TAN-

30 *TANTO* Autem facilius in flammatur aer, & prædicta prænomena ostendi solent, quanto subtilior & purior est. Idque experimento dignoscitur præsertim in Andibus, Peruviæ montibus, illam dividentibus à Provincia Chilensi, quos vulgò dicunt, *Cordillera de Chile*. Vt enim refert Athanasius Kircherus *l.1. p.1. Artis Magnæ cap.5.* ex testimonio Patris Alphonsi Ovalle oculati testis, aer ibidem adeò subtilis est, vt quasi penetret corpora hominum, & vix respirare sinat, ac quolibet, vel levi motu inflammetur. Apparent quandoque circa summitatem eorum montium, totius Orbis editissimorum, vtpote quatuor dierum ascensus, viatores toti ignei, equi quoque & iumenta flammas evomentia. Cuius causa est quòd ex pingui & viscoso halitu hominum iumentorumque, & sudore subtilissimo, aeri cognato, & per motum attrito, facilè sequatur accensio, sicut impulsa aeris vi vētorum agitati gignuntur inflammationes plures earum, quas hucusque posuimus.

SECTIO QVINTA.

De Imaginibus animalium, hominum, exercituum, armorumque in aere apparentium, an inter naturæ effecta censeantur? Vbi & de strepitu tubarum.

31 *SVPEREST* Dicendum de figuris quibusdam insolitis, admirandisque, in aere apparentibus, quibus non modo inanimatarum rerum species exhiberi solet, sed etiam animaliū, & quandoque hominum, immò & exercituum, quasi præliantium. Et prætermissis pluribus monimentis Antiquitatis, quæ congessit Cornelius Gemmæ in Opere sæpe allegato *de Divinis Nat. Characterismis*, amplum eius phænomeni testimoniū præstat liber secundus Machabęorum cap. 5. vbi hæc habentur: *Contigit autem per universam Hierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aerem equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricorum.* Affine huic est quod nonnullis sæculis pòst, scilicet temporibus Vespasiani, narrat Iosephus *lib.7. de Bello Iudaico cap.12.* dum ait: *Ante Solis Occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, tranantes nubila, & civitati circumusa.* Verùm hæc non naturæ effecta, sed miraculosa ostenta censeri debent: vtpote quorum priore Deus præindicavit immanem persecutionem Iudaici populi, desolationemque Templi inductam ab Antiocho Rege; posteriore autem excidium vrbis Solymorum sub Tito & Vespasiano, à Christo Domino prædictam Lucæ 19. de quà & nonnulla minime obvia protulimus in Theologia Florulenta *Ludo 2. Excurs.7.*

32 *VBI* Incidenter exhibere placuit fragmentum Privilegij cuiusdam, Serenissimi Castellæ Comitis Ferdinandi Gonçalez, in gratiam Venerandi & Antiquissimi Regijq; Monasterij mei, *S. ÆMILIANI*, vulgò de la Cogolla, quod à priscis illis sæculis manuscriptum characteribus Gothicis asservatur. Et inter alia hæc habentur, barbara licèt, ac prorsus impolita, pro ratione eorum temporum: *In istis ferè temporibus talia apparuerunt signa in terrà, quod furor Domini venturus credebatur esse in eà. In Era nongentesima trigesimà secundà, XIV. Kal. Augusti lumen Solis, die sexta feria amittens lucendi virtutem, obscuratum constitit ab horà secundà in tertiā. Quarta feria Idus Octobris colorem eiusdem Solis mulci cognoverunt effectum pallidum. Signa magna facta sunt in cœlo: & ibant stellæ, & commovebant se huc, atque illuc: maximè plus discurrebant contra ventum Africum: & miratæ sunt gentes de his signis à nocte mediā vsque manè: & fumificus vapor maximam terræ partem combusit.* Sed enim eiusmodi prodigia, sicuti & plura alia, quæ tunc contigerunt in celebri bello Septimancēsi, apparitionesque militum armatorum, equis albis insidentium, supra naturæ cursum accidisse censenda sunt. Fuere autem indicio futuræ Agarenorum cladis, in qua LXXX. millia eorum ceciderunt, præliātibus in aere *SS. IACOBO* Maiori Apostolo, & *ÆMILIANO* Abbate, quos propterea Hispania Patronos simul elegit, vt quamplurimi Authores supponunt, & latè dixi allegato loco.

33 *SED* Viciniora proferamus exempla. Tale est quod affert Vlysses Aldovrandus *lib.2. de Avibus cap.2.* vbi ita loquitur. *In Hispaniæ quoddam oppido anno 1536. Februarij die septima circa horā noctis*

secundam, visi sunt, cœlo aquoso & nubilo, duo adolescentes armati, gladijs congredientes, quorum vnus habebat in læva manu parmam aquilà insignitam, cum inscriptione, REGNABO: alter verò scutum prælongum, cum inscriptione, REGNAVI. Verùm cùm monomachiam instituissent, aquilam habens, postrato hoste tandem evasit. Refert quoque similem pugnam in Hungariâ visam, & nonnulla alia spectra aquilæ, hominis, equi, canis, & leonis, quorum & schemata addit. Fortasse primum illud ostentum idem est, quod iam pridem me legisse memini apud eruditissimum Virum, præstantissimumque Hispaniæ Poëtam, Bartholomæum Leonardum Argensolam, in Historia Maluccarum Insularum, quamvis modò libri locum designare non possim. Simile aliud in multis Germaniæ populis visum anno 1538. refert in Commentario Surius, scilicet, homines in aëre armatos.

34 *CVM* Autem Philosophis fas non sit miraculo adscribere insolita quæcumque effecta, & frequentem rerum cursum prætergressa, dicendum est, posse accidere ostenta his posterioribus similia ex toto, aut ex parte, vi causarum naturalium. Possunt enim vapores aquei, halitusque terræ, elevati in sublime ita disponi & coformari quandoque virtute astrorum, vt exhibeant specimen aliquod vnius, aut plurium animalium, hominumvè, sive armatorum, sive quidquam agentium, aut præliantium inter se: sicuti ex eisdem causis apparent quamplurima phænomena in aëre, satis admiranda, quorum pleraque recensuimus in hac & præcedenti disputatione. Nec minùs potens est natura ad exprimendum eiusmodi imagines in aëre, mediis nubibus, vaporibus, & exhalationibus, quàm in terra mediis plantis ac lapidibus. Cuius rei, præter plurima alia, testimonium præstat arbor quædam in Indiâ Occidentali apud Carthagenam generari solita, *Dracontea* nomine, in cuius fructibus apertis asserit Monardus *part.* 2. se vidisse perfectissimam draconis figuram, adeoque expolitam, vt nullius artifex industrius ex ebore posset construere elegantiorem. Albertus quoque Magnus *lib.* 2. *de Mineralibus tract.* 3. *c.* 1. testatur, se iuvenem adhuc Venetijs, cùm casu adesset incisioni marmorum, vidisse in vno eorum pulcherrimam Regis faciem naturæ genio incisam, cum corona, & longâ barbâ. Addit præterea cùm esset Parisijs, sibi ostensam fuisse à filio Regis Castellæ, qui ibi studijs vacabat, conchâ ostreaceâ, intra quam gravatæ erant perfectæ figuræ trium serpentum; & alteram similiter, in cuius extimâ parte decem & amplius serpentum formæ referebantur.

35 *MIRABILIVS* Adhuc est, quod refert Michael Marcus *lib. de Volucri Arboreâ cap.* 5. his verbis: *In quibusdam locis Comitatus Mansfeldici, mineralia æris in lapide scissili exprimunt omnis generis pisces, eorumque formas, qui in proximo habentur lacu. In succino quoque, quod fluctibus marinis in Borussiâ ad latera insulæ Sudaviæ ejicitur, variæ formæ muscarum, culicum, araneorum, papilionum, ranarum, lacertarum, & aliorum animalium, apparent.* Additque per incisionem & fractionem deprehendi vacua spatia intra succinum, absque vllo, vel levi indicio, quòd eiusmodi animalia præextiterint vnquam intra succinum, aut ibidem fuerint resolata. Quidni igitur in aëre, appareant imagines quorumlibet animalium, solius naturæ interventu? Quare & igneæ aves quasi in cœlo possunt citra miraculum apparere, talesque putaremus, quas *S.* Gregorius Magnus cum reliquo populo vidit, quando Italia à Longobardis devastata est, nisi idem *S.* Doctor *Homil.* 1. iis tribueret cœlesti prodigio ad eam cladem præsignandam.

36 *QVID* Verò dicemus de strepitu armorum, & tubarum clangore, interdum perceptо in cœlo, sive aëre? An procedere potuit ex causâ purè naturali, sicuti phænomenon armati exercitus? Porrò Plinius *lib.* 2. *c.* 57. ita loquitur: *Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis accepimus, crebrosque & prius & postea.* Et Varro inquit, quandoque *auditum sonum tubæ de cœlo.* Certè nullam merebitur notam, qui id fabulosum putaverit: quoniam apud Ethnicos tubarum clangor in aëre, atque armorum sonitus, facilè fingebatur. Qualiter confictum videtur illud Tryphiodori: Οὐρανίη δ' ἐκ Διὸς ἐλκομένων πολεμον μανῆναι σάλπιγξ. *Præcinuit cœlestis tuba venturum bellum.* Multò autem magis licentiæ poëticæ adscribendum illud Maronis *Æneid.* 8.

Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè,
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Su-

Suſpiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens,
Arma inter nubem cœli in regione ſerenâ
Perſudum rutilare vident, & pulſa tonare.

37 *VERVM* Quemadmodum de apparentia animalium & hominum armatorum in aère nuper diximus, reſultare poſſe ex varia vaporum exhalationumq; diſpoſitione & coordinatione; ſic etiam dicendum de ſonitu quaſi tubæ & ſtrepitu armorum, exhiberi poſſe certa quadam nubium diſpoſitione ac colliſione, impetuque ventorum ſonantium. Alioqui, cœlo ſereno, & ſuda nocte, ac ventorum flatibus libera, is ſonitus eſt impoſsibilis, cùm nulla adſint corpora idonea, vt ex eorum colliſione reſultet ſonus, iuxta doctrinam ſupra traditam, *diſp.* 87. Poſſe verò à dæmone ea oſtenta in aère figurari, ſcilicet, applicando activa paſsivis, ſupponit S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Civit. c.* 25. vbi refert in quadam Campaniæ planitie vitas per aliquot dies acies pugnare, idque factum miniſterio demonum. quo etiam modo accidere potuerunt alia ſimilia phænomena, & quæ habentur in Vita S. Guthlaci apud Surium, in Chronico Hirſaugienſi, & penes Delrium *lib.* 2. *Diſq. Magic. q.* 27. *ſect.* 2. Præſertim talia putanda ſunt plera-que ab Ethnicis memorata: quale forſan illud Ciceronis lib. 1. de Divin. *Ex cœlo fremitus auditus.* Et Appian. l. 4. Civ. *Hominum immanes voces, armorum ſtrepitus, equorum curſus, inſpectante nemine audiebãtur.* Forſitan & eidem cauſæ adſcribendũ illud Oroſij l. 4. c. 15. *Apud Arpos parmæ in cœlo viſæ, Sol quoque pugnaſſe cum Lunâ.* Verùm de his latis.

SECTIO QVINTA.

An ex cœlo, aèreve, ſpectatis naturæ viribus, effluere poſsit diluvium vniverſale aut provinciale ignis? Vbi de futurâ conflagratione Mundi, an Ethnicis nota.

38 *VIDENTVR* Affirmaſſe plerique Veterum, nõ Poetæ modò, ſed & Philoſophi. Ac primùm quidem Plato in Timæo ita loquitur: *Fit longo temporum intervallo cœleſtis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vaſtitas neceſſariò ſequitur.* Tempus autem ipſum aſsignat Orpheus illo carmine:

Ἕκτῃ ἐν γενεῇ καταπαύσετε κόσμον ἀειδής.
In ſexto millenario expectate finem mundi.

Scilicet, abſumente igne. Quam ſententiam ex Chriſtianis ſecutus videtur Lactantius l. 7. c. 25 his verbis: *Completis igitur annorum ſex millibus mutationem iſtam fieri oportere, & iam propinquare illum ſummum concluſionis extremæ diem, &c.* Stoicis etiam altè defixa erat totiùs orbis conflagratio, quam ἐκπύρωσιν appellarunt, & mox ſecuturam omnium rerum in priſtinum ſtatum reſtitutionem, quam παλιγγενεσίαν vocavit Varro. Ita & ex ijs Chryſippus *lib. de Providentia*, vbi & reſurrectionem futuram ſtatuit: quod mirère in Gentili Philoſopho & Græco. Apertiùs verò Diphilus Comicus:

Ἔσται γάρ, ἔσται καινὸς αἰὼν & χρέν &,
Ὅτ' ἂν πυρὸς γέμουσα θησαυρὸν σχάσῃ
Χρύσωπ & αἰθήρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλοξ,
Ἅπαντα τ' ἔργα καὶ μεταρσία
Φλέξῃ μανεῖσα.
Erit enim, erit novum tempus ſæculi,
Quando ignis effundet refertas copias
Auratus æther, flamma quæ depaſta fuit,
Terrena cuncta, cunctaque ſublimia
Vret furens.

Elegantiùs autem omnibus Naſo *lib.* 11. *Metamorph.*

Eſſe quoque in fatis reminiſcimur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

In eadem opinione fuere Democritus, Pythagoras, Macrobius *lib.* 2. *de Somno Scipionis*, Seneca *lib.* 4. *Natur. QQ.* & Avicenna *in Codicillo de Diluvio.*

39 *RATIO* Potiſsima, cui innitebantur, ortum duxit ex natura cœlorum, & ſiderum, ac Solis præcipuè, quam igneam putabant; ideoque tandem aliquando abſumpturam inferiora hæc, aut ex toto, aut ſaltem magna ſui parte. Tempus verò eius conflagrationis aliqui ex Aſtrologis deducere conati ſunt ex coniunctione Planetarũm aliorum cum Sole, eaque multiplici conditione affecta. Scilicet, vt Mars & Iupiter coniungantur Soli: vt omnes ij ſint in interiori parte ſuorum orbiũ, circa idem punctũ terræ: vt Sol & ijdem Planetæ non ſint impediti à ſtellis frigidis, quales ſunt Saturnus, Venus, & Luna: quòd coniũctio prædicta ſit cum permutatione

triplicitatis Saturni & Iovis. Insuper & pleraſque conditiones aſsignant, quibus poſitis videntur ſibi aſsignaſſe naturalem ignei diluvij cauſam. Suffragatur Albertus Magnus *lib. 1. de Cauſis propr. elem. tract. 2. cap. 12.*

40 *VERA* Tamen & certa eſt ſententia, quæ id negat. Suadeturque dupliciter. Primò ratione philoſophica ex Ariſt. in præſenti *lib. 1. c. 14.* vbi cenſet diluvium vniverſale fieri non poſſe, ſcilicet, attentis naturæ viribus, quas ſolas ille dimenſus eſt. Non enim vni, aut pluribus cauſis naturalibus, ineſt vis cognata ad inducendum commune naturæ malum, quale eſt vniverſale diluvium, ſeu aquæ, ſive ignis. Neque conſtellatio vlla, aut coniunctio Planetarum, vnquam fieri poteſt, quæ ad totam terram extendatur: vt iuxta principia Aſtronomiæ evidens eſt, & patet ex ijs quæ diximus *tract. de Cœlo.* Ipſe etiam Ariſt. *lib. de Mundo c. 3.* docet, & experimento conſtat, accenſiones rarò fieri in Auſtro, vel Septentrione: quia, nimirum, aſtra limitatam vim habent ad accendendum, præcipuè in ijs partibus. Ratione autem theologica id graviùs ſuadetur: Quia cùm Angeli naturam totã perſpectam & comprehenſam habeant, ac proinde coniunctiones omnes & combinationes Planetarum inter ſe; cognoſcerent planè diem & horam Iudicij vniverſalis: vtpotè naturaliter ex ijs ſecuturam. Conſequens autem repugnat teſtimonio Chriſti D. *Mathæi 24.* aſſerentis incertam eſſe diem & horam vniverſalis Iudicij, etiam ipſis Angelis in cœlo. Non tamen propterea negamus fieri poſſe naturaliter conflagrationem alicuius provintiæ vi cauſarum cœleſtium. Sic olim Pyrenæi montes Hiſpaniæ arſiſſe memorantur. Sic & Beroſus *lib. 5.* apud Ioannem Annium *in hiſtoriâ VII. Regis Aſsyriorum*, ſcripſiſſe legitur, Italiam multis diebus arſiſſe circa Iſtros, Cymæos, & Veſuvios. Sic & Inſula S. Dominici anno 1562. menſe Decembri, trium leucarum ſpatio arſiſſe traditur. Verùm de hoc plura inferiùs *diſp. 94.*

41 *EX* Dictis patet ad fundamentum opinionis adverſæ. Quòd verò aliqui Gentilium prædixerint totius mũdi futuram conflagrationem, putandum eſt id ortum habuiſſe ex ſacrorum librorũ lectione, aut Oraculis Sibyllarum, quæ conſultò omittimus, quia obvia, & magna ex parte à nobis indicata *tom. 1. Theologiæ Florulentæ, Ludo I. excurſu 8.* Id obiter obſervandũ, quod vel impius ac blaſphæmus Lucianus, Chriſtianorumque deriſor, eo quòd deos Gentium reſpuamus, & ἀνεσκολοπισμένον προσκυνοῦμεν, *crucifixum adoremus*; adhuc fateatur futurum vniverſale Iudicium; diem verò nobis incertum, & ſoli Deo notum innuat. Sic quippe *in Philopatride loquitur*: ἄνθρωπον ἐκ μὴ ὄντων, &c. *Hominem ex nihilo ad eſſentiam produxit Deus, eſtque in cœlo aſpiciens iuſtos pariter atque iniuſtos, & in libris deſcribens cuiuſque res & opera. Rependet autem omnibus eâ die, quam ipſe præfinivit.* Rependet vtique, impiiſsime homuncio; & ille ipſe Deus, quẽ *Sophiſtam* appellitare veritum non eſt fœtidum os tuum. Itaque nullæ in natura vires ſunt ad generalem conflagrationem inferendam: nulla quoque facultas in mentibus creatis ad definiendam illius diem & horam.

SA-

SAPIENTISSIMO ET ERVDITISSIMO D.

D. IOSEPHO FERNANDEZ DE RETES,

IN SALMANTICENSI ACADEMIA PRIMARIO IVRIS CÆSAREI ANTECESSORI EMERITO, CATHOLICÆ MAIESTATIS CONSILIARIO IN SVMMO REGIÆ GAZÆ SENATV, &c.

NVNQVAM Libentiùs calamum accipio, quàm vt *TE* alloquar litteris, quem sermone nequeo, *CLARISSIME AC PRÆSTANTISSIME VIR*. Et sanè si litteræ solidum crepent, nulla melior via adeundi, quem à primis ferè vnguiculis Sapientia formavit, ac tractu temporis Oraculum fecit. Ite procul adulationis fuci: abesto purpurissum fictæ laudis. Vt in æternis illis orbibus nullum locum habent fæculenti terrarum halitus, sic neque in *TE* fucata elogia. Cùm luderem olim, & *DE GENIIS SIDEREIS VETERVM* dissererem, auspicatus sum *TIBI* Regiorum Senatuum Magistratum, Consulatum, *OMNIA*. Astrologum agebam: & tamen eventus magna ex parte respondit. Quidni iam, vbi Philosophũ ago, cuius est non, nisi vera, nisi solida, & dicere, & docere? Expecto indies nova incrementa gloriæ, & chirographo meo confirmo. Expectat & cõmune desiderium Salmanticensium Athenarum, quibus in *TE* nova lux, novum astrum, & nunquam interiturum, effulsit. Expectat totius Hispaniæ nobilitas, quam eruditionem curasti. Illa ipsa, cui, dum doceres, & *cursus* perageres, instar irrequieti sideris, verius, quàm Troiæ, *Stella facem ducens multa cum luce cucurrit*. Non ita claræ apud Aristophanem καλλιπάρθενοι ῥόαι, ac reconditiora Inis Cæsarei adyta in ore Tuo. Profunditates ipsæ, mentium oculis reconditæ, quasi in rivulo ludentes, patebant, ridebant. Maritasti Cimmeriis tenebris lucem, & quantam lucem! Dum diceres, vt quidam olim, *rerum potiebaris*. Ad excipiendum è suggesto dictata mentis Tuæ, nulla Auditoribus fuit non angusta aula. Crederet quis Hispaniam Octaviani sæculo pacato fruentem. Et hoc, dum crebra ingeminaret vox: *Arma viri: ferte arma: vocat lux vltima victos*. Dum certaminibus præelles, confluebant omnes, ex Tuo ore pendentes. Nullus in montibus firmior scopulus, nec Marpesia cautes, ad retundendum Antagonistarum impetus. Dum ad clepsydram orares sortitia Prælectione; ἐπλήξαν ἀκίνητοι σιωπᾷ ἥρωες, vt cum Pindaro loquar. Posset què merito quis advocare illud Dionysij lib. 6 Antiq. ante orationem Mennenij Agrippæ: *Ita quieverunt, & tantum silentium totà concione factum est, vt locus ille à solitudine nihil differre videretur*. Dum impeteres aliorum castra argumentorum ariete; fulgetræ, tonitrus, fulmina, apparebant, sonabant, eiaculabantur, etiam sereno cœlo. Dum in penitioribus Doctorum congressibus, deliberares, decerneres, rationum pondere, & affluentissima rerum gestarum notitia; acquiescere omnes, suffragari. Mirum, tot homines, non modo sui iuris, sed etiam præstãtis doctrinæ, & plerosque non parùm propositi tenaces, frequẽter in vnius Doctoris quasi iurasse sententiam. Flexanima illa vis orationis Tuæ, in causa erat. Dubium, an sermonis maiestas, an rationis energia prævaleret. Nimirum, cui tot styli Veneres absque fuco, cui cognata pietas, rationis individua comes, operosum non fuit, iudicij virgà, & maiestate eloquentiæ, mentibus imperare. Verùm vbi discessisti, ad Prætoria Regia evocatus Academiæ totius Orbis clarissimæ, & Virorum insignium feracissimæ, defecit quasi —— λαμπρὸν φάος ἠελίοιο; ablentià suà, Ἔλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν, vt olim Homerus accinebat. Atqui in solatium nostri, reliquisti filios Tuos, id est, eruditos, excultos, aureos libros, digneque egregiæ animæ fœtus. Reliquisti & æternaturam nominis famam, eamque, vt nihil spectabilius, plausibiliusve Salmantica tulerit, aut suspexerit. Verùm scribenti epistolam, satis. Dissertatio, quam mitto, *de concretionibus sphæræ aëreæ* est. Qui ardeas & falcones ingenij volatu supergrederis, ac sublimia quæque facilè scrutaris, aut dissimula, aut corrige.

DISP. NONA GESTERTIA

DE CONCRETIONIBVS SPHÆRÆ AEREÆ.

Num. 1. *QVAMVIS Disp. 59. sect. 2. statutum à nobis sit ex veriore & frequentiore sententia, aërem naturâ suâ calidum esse, adhuc tamen constat experimentis innumeris mediam ipsius regionem frigidissimam esse, quidquid in oppositum velit* Zabarella lib. de Regionibus Aëris c. 8. *vbi testatur se quodam die ascendisse in altissimum montem* Veneris *appellatum, ita vt infra montis medium nubes reliquerit, & vespere invenerit pluviam copiosam inde lapsam; cùm tamen ipse circa montis cacumen aëre tranquillo & serenissimo fueretur, nullumque notabilem excessum frigoris in eo inveniret vltra hunc inferiorem aërem. Sed potuit fortassis eo die ita accidere ob specialem causam, sive nimiùm æstum radiorum Solis reflectentium ex superficie eiusdem montis, ac temperantium proinde frigiditatem mediæ regionis. Alioqui enim, & regulariter in culminibus editissimorum montium, sentitur intolerabile frigus, vt ibidem multorum testimonijs comprobavimus, & constat ex generatione grandinis in ea regione. Ratio autem cur adeò frigida sit, est quam eo loco ex communi Peripateticæ Scholæ sensu indicavi: nimirum, quoniam vapores aquei, & exhalationes terrestres, dum ex orbe terraqueo elevantur virtute radiorum Solis & influxu astrorum, vendicant sibi potissimùm sedem in ea regione: cumque natura sua frigidi sint, & calidi solùm per accidens necessum est vt refrigerent aërem circunstantem. Confert quoque in idipsum antiperistasis: quoniam suprema aëris regio incaluerit à vicino igne, infima autem à reflexione solarium radiorum. Quare in media regione, veluti remotiore à duabus calidioribus, sese colligit, & ex circumobsistentia contrariorum intenditur frigus. Addi etiam potest quædam astra ex propria ratione habere vt influant frigus intensum in eam regionem, quoniam ita expediebat communi bono huius mundi inferioris, ad pluvias, & varias concretiones, ibidem generari solitas, de quibus agendum in præsenti.*

SECTIO PRIMA.

De Nube & Pluvia, atque vtriusque causis. Altitudo nubium vestigatur ex altitudine quorundam montium, insuper & experimentali quadam regula. Vbi de discrimine Nebulæ à Nube.

2 FREQVENTER Accidit, vt elevetur plurimi vapores aquei ex mari, fluminibus, lacubus, fontibus, & tandem ex omnibus aquis terræ immersis, resolvanturque operatione Solis, & aliorum agentium præditorum vi calefactiva. Dein adquisita levitate ascendunt mediam aëris regionem, quoniam nec in hoc aëre regionis infimæ longè crassiori possunt quiescere, neque etiam pertingere ad puriorem illum & subtiliorem, qui in tertia ac suprema regione est. Itaque in media in illa regione eo adunantur, & colligantur in nubes: ac deinde operatione frigoris addensantur, ac solvuntur in aquam, quæ nativa gravitate propendet deorsum, & in pluviam solvitur. Vnde facilis expositio est doctrinæ Aristotelis in præsenti *lib. 1. capite 9.* quæ tamen paradoxi speciem præ se fert, dum ait: Δεῖ δὲ νοῆσαι τοῦτον ὥσπερ ποταμὸν ῥέοντα κύκλῳ ἄνω καὶ κάτω, κοινὸν ἀέρος καὶ ὕδατος. *Considerasse autem oportet hunc velut fluvium aëris & aquæ promiscuum, in orbem sursum ac deorsum fluere.* Quibus verbis primo aspectu quisquam putaret ex mente Philosophi esse aliquod flumen in ipsa aëris regione decurrens. At revera longè alius est sensus ipsius: non enim dixit fluvium simpliciter, sed ὥσπερ ποταμὸν, *quasi fluvium.* Rationemque subdit verbis immediatè sequentibus: πλησίον μὲν γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου, ὁ τοῦ ἀτμοῦ ἄνω ῥεῖ ποταμός· ἀφισταμένου δὲ, ὁ τοῦ ὕδατος κάτω. *Nam cùm Sol prope terram fertur, vaporis fluvius in sublime effluit: cùm verò se dimovit, aquæ fluvius in terram defluit.* Itaque sensus est, quoties calore Solis elevantur vapores è terra, assurgere ab ea quasi fluvium in mediam regionem aëris, vaporibus ipsis inclusum: quoties autem pluit, descendere ab eadem regione aëris pluviâ, quasi fluvium labentem, & currentem deorsum. quod sanè verissimũ & manifestũ est, neque

què vllo iure inter παραδοξα computandum.

3 *PORRO* Vapores ac nubes in media aëris regione adhuc retinent formam ſuſtantialem aquæ, quam à principio habuerunt; ideoque virtute ſibi innata conantur ſe reducere ad diſpoſitionem ſibi ipſis connaturaliter debitam, ſcilicet, frigus & denſitatem: vnde oritur vt refrigerent ipſum aèrem, in cuius medio ſunt. Aèr verò iam infrigidatus, adiuvat ſequentes vapores, vt citiùs facliuſque ſe reducant in debitum ſtatum denſitatis frigidatiſque, ac proinde ſolvantur in aquā fluentem. Maxime, quoniam huic effectui præſtando deſervit influxus quorundam aſtrorum, tam errantium, quàm inerrantium, vt *tract. de Cœlo* diximus. Deſerviunt etiam venti, quorum plerique excitant, & adducunt nubes, eaſque in aquas reſolvunt. Sæpe autem aut non convertitur nubes in aquam, aut non ex toto, ſed quò ad partem. Non convertitur, quoties prævalente calore diſſipatur & convertitur in aèrem, ideoque tempore æſtatis rarò pluit. Convertitur verò totùm quo ad partem, quia pluvia ſucceſsivo modo fit, & poſt partem nubis reſolutam in aquam poteſt ſupervenire contraria diſpoſitio alteri parti, vt diſſipetur, & in aèrem abeat. Quòd autem quandoque grandiores aut minutiores, rariores aut ſpiſsiores guttæ decidant, in cauſa eſt varia nubis diſpoſitio quò ad copiam aut inopiam aquæ intra ſe elaboratæ, & diſtantiam maiorem aut minorem à terrâ. quæ enim nubes ſunt terræ proximiores mittunt per ſe loquendo minores guttas, quia cùm minùs diſtent à terrâ, minùs etiam diſtrahuntur in deſcenſu.

4 *ID* Certum videtur, nunquam ita elevari nubes, vt extollantur ſupra cacumina editiſsimorum montium totius Orbis detecti, ſcilicet, Andium Peruviæ, quos vulgò appellant *Cordillera de Chile*: quoniam, vt nonnunquam obſervavimus in hoc Opere, ex Alfonſo Ovalle, & Athanaſio Kirchero, longiſsimo intervallo ſupereminent nubibus, neque vnquam in ijs apparuit niſi cœlum ſerenum, etiam cùm plagæ inferiores denſis turbinibus agitantur; nec ſimiliter herba, aut vel nimia planta in ijs orta eſt, quoniam omnem pluviam, omnemque irrigationem cœleſtem ſupergrediuntur longo tractu infra ſummum verticem. Solius vniverſalis diluvij aquas ſupra ſe habuerunt: quoniam non naturæ conditione, ſed Dei virtute factum eſt, vt cataractæ cœli rumperentur in immenſas aquarum abyſſos, & operirent culmina quorumlibet editiſsimorū montium. Montem quoque Veneris elevari ſupra nubes pluentes, audivimus *numer.* 1. ex Zabarellà oculato teſte. Montem verò Olympum in Macedonia, priſcis celeberrimum, quandoque nubibus ſubiacere, quidquid ipſi negaverint, dicendum erit, ſi verum ſupponatur quod nuper teſtatus eſt Franciſcus Philelphus in quadam epiſtola relata à Iacobo Marzonio lib. Italico, cui epigrapha, *Diſeſa della Comedia del Dante*, libro 3. cap. 12. vbi ait, ſeipſum conſcendiſſe in ſummum Olympi apicem, ibidemque ventos, & pluvias, & aves liberè vagantes, deprehendiſſe. Quo obiter evaneſcit vetus illa exiſtimatio Ethnicorum de aère ſubtili & prorſus immoto in vertice Olympi, & de litteris digito formatis in cinere ex ſacrificijs relicto, quæ anno ſequenti integræ inveniebantur. Evaneſcit, inquam: niſi dicatur, arte dæmonis factum, vt litteræ perſiſterent in cineribus, ad decipiendum cultores idolorum, vt mirabili eius rei experimento allecti, libentiùs ac propenſiùs ad impia ſacrificia procederent. Quo ſenſu interpretari quis poterit, non ſolùm Lucanum *libro* 2. *Pharſal.* & Claudianum *in Conſulatu Manlij Theodori*, ſed etiam Solinum *capit.* 13. & Sanct. Auguſtinum *libro* 1. *de Geneſ. contrà Manich.* qui immotos ſacrificiorum cineres, aut affirmant, aut ſupponunt: ſicuti & ipſe Ariſtot. *ſectione* 26. *Problem. quæſt.* 38. vbi inquit: *Super excelſiſsimos montes ſpiritus nulli excitantur, vt ſuper Athon, ac reliquos generis eiuſdem. Indicium quòd quæ reliquerint, qui anno ſuperiori ſacrificarunt, poſteriori incorrupta comperire affirmant.*

5 *EX* Menſura autem altitudinis montium, quæ varia eſt, & non vſque adeò explorata, colligi ſolet nubium ſublimitas. Albertus Magnus in præſenti *libro* 1. cenſet nubes elevari vſque ad quindecim milliaria, eſſe autem montes quoſdam adhuc ſublimiores. Poſsidonius apud Plinium *lib.* 2. *capit.* 23. cenſuit, nubes extolli quadraginta ſtadijs, ſcilicet, quinque milliarijs, nam quodlibet milliare octo ſtadia conficit.

Alij adhuc magis montes deprimunt, quia nec Alpibus, nec Pyrenæis concedunt, nisi vnicum milliare ad perpendiculum, si ducatur recta linea à summo ad infimum, & vix aliquid amplius. Quod ex Geometrarum observationibus tradit Plutarchus *in Vita Pauli Emilij*, dum ait: *Nec montis altitudinem ferunt Geometræ, nec profunditatem maris, decem stadia excedere.* Ac speciatim refert, Zenagoram, mensurato ad perpēdiculum Olympo, invenisse altitudinem eius decem stadiorum, exceptis quatuor pedibus.

6 *CÆTERVM* Veram existimo opinionem Alberti Magni, quatenus docet quosdam montium elevari quindecim milliaribus, scilicet, ducta linea recta à summo in infimum: quia id constat experimento quamplurimorum hominum, qui prædictos montes Peruviæ ascenderunt quatuor dierum spatio, & longè à summo culmine reliquerunt infra se nubes, etiam tonantes, ac mittentes fulmina; cùm tamen ipsi fruerentur cœlo sereno. Insuper & eam subtilitatem aëris, facilitatēque accensionis in tenues flammas experti sunt, quam disputatione præced. *n.* 30. indicavimus, ex narratione fidedigni atque oculati testis. Quare licèt Albertus Magnus ne nomen quidem audierit prædictorum montium, quorum nulla Europæis hominibus notitia fuit vsque ad initium sæculi præcedentis; adhuc certum apparet, eos vt minimùm quindecim milliaribus in directum attolli: & fortasse idē est de alijs. Nubes verò non ita in sublime elevantur, nec nimia earum crassities sustineri posset quindecim milliaribus in altum, vbi aër subtilissimus iam est, & impar ferendo cuilibet oneri. Quare quātum ad hoc probabilius apparet, regulariter loquendo, nubes, intra trium quatuorvè milliarium altitudinem elevari, quasdam magis, quasdam minus, immò & nonnullas longè infrà vnum milliare. Videmus enim quandoque nubes transcurrere ac pluere infrà verticem montium nobis familiarium: idque extorquet præterea experimentum Zabarellæ *num.* 1. relatum: insuper & aliorum plurium, qui in Provincia Rivogiæ, atque altissima quadam parte Disserti montis, quam *Sierra de Cogollo* dicunt, die decima Augusti Divo Laurentio sacra, cui in eius montis vertice sacellum dicatum est, non solum experiuntur sub meridiano & aperto Sole vehementissimum frigus, sed quandoque etiam nubes infra se habent pluentes & fulgurantes. Cùm verò ex narratione Fraciscì Philelphi habeamus præterea, nubes etiam supra Olympum elevari, consequēs est, vt varia sit & inæqualis nubium altitudo, & sæpe maior, quàm montium Italiæ, quandoque autem minor, iuxta inæqualem vaporum subtilitatem.

7 *ADDO* Regulam minimè obviam & probabilem ad colligendam distantiam illarum nubium, quæ fulgurāt simul & tonant, ex ipso pulsu vnicuiusque. Fac in distantia vnius milliaris ate explodi bombardam ingentem, cuius pulveris tormentarij flammam videas dum accenditur: & eà visa statim apprehende pulsum tuum, ac numera quot pulsationibus interiectis audias sonitum bombardæ, tardiùs ad te pervenientem, propter longè minorem celeritatem specierum auditus, quā visus. Eo facto disces, quot pulsationum tuarum spatio percipiatur sonus vno distantiæ milliari editus. Hac verò regula proposita, quoties aliqua nubes fulgurat, observa similiter pulsum tuum, & numera pulsationes, donec audias tonitrum. Inde enim iuxta numerum illarum maiorem, vel minorem, aut æqualem, satis probabili coniectura, & cæteris paribus deprehendes, an nubes ediderit tonitrum in vnico milliari distantiæ, an potiùs in maiori, aut minori distantia, & quanta ea sit. Sanè si hæc observatio sæpiùs fiat, poterit quis iudicium determinatum ferre circa communem altitudinem nubium tonantium ac fulgurantium simul, & subinde ferè cæterarum.

8 *DIFFERT* Autem plurimū nubes à nebula, non modò quòd hæc vicinior nobis sit, & illa remotior, sed etiā, & maximè, quia, vt inquit Arist. vbi supra, ὁμίχλη νεφέλις περίτλωμα εἰς ὕδωρ συγκρίσεως· διάπερ σημεῖον μᾶλλόν ἐστιν εὐδίας, ἢ ὑέτου· ἔστι γὰρ ἡ ὁμίχλη οἷον νεφέλη ἄγονος. *Nebula est nubis in aquam concretæ superfluitas: proinde sereños dies potiùs, quàm pluvios portendit. quippe quæ, veluti nubes infœcunda, & seminis expers existat.* Et libro de Mundo ad Alexandrum cap. 3. docet nebulam non esse genitricem aquæ: quoniam est crassior quidem aëre, sed nube rarior, & genita, vel ex primordijs nubis rarescentibus, vel ex reliquijs nubis. Vnde & frequenter experimur dies nebulosos impluvios, & similiter succedente,

im-

immediatè nebulà pluviæ, etiam copioſæ, ſequi temporis ſerenitatem.

SECTIO SECVNDA.

De Rore, Pruinà, Nive, Grandine, & Glacie, Melle, ac Mannà, illorumque cauſis, ac pleriſque concretionibus admirandis.

9 EX Nubibus ortum ducunt pleraque alia; quorum rationē curſim trademus. Ac primò occurrit ros, qui eſt modica quædam aqua in terram ſtillans, non quidem ex nube formatà, ſed informi; ſcilicet, ex vapore non admodum in ſublime elato, neque in ſecūdam aëris regionem evecto, ſed intra primam conſiſtente: ideoque non cadit ſupra culmina montium, ſed in inferiora loca. Eſt, inquam, ros modica quædam aqua ſtillans, quia, vt monet Ariſt. *lib.* 1. *c.* 9. non differt à pluvia, niſi vt paucum à multo. Et 2. de Mundo inquit: *Ros eſt guttula humida, labens tenui concretione, tempore ſerenitatis.* Vt generetur, debet eſſe aër ſerenus & tranquillus: alioqui enim tenuis ille vapor, ex quo fit, diſſipatur, & evaneſcit in aërem. Non accidit tempore nimiùm frigido, aut calido, ſed mediocriter temperato: quoniam nimio calore, abſumeretur, & nimio frigore concreſceret in pruinam.

10 *PRVINA* Autem vice roris decidit in locis ac temporibus frigidioribus: & nihil aliud eſt, quam ros concretus & congelatus. Fit autem quoties aqueus vapor deberet in aquam ſeu rorem ſolvi, ſed conſtipante frigore dureſcit. Differt à nive, quatenus pruina eſt magis tenax, & aliquatenus viſcoſa; quoniam & ipſe ros nonnihil habet permiſtum humoris viſcoſi, vt infrà apparebit. Fit etiam hiberno tempore in locis frigidioribus, vbi vapor calidus ex hypocauſtis erumpit per foramen aliquod: quoniam vi frigoris ambiētis congelatur circa extremam foraminis oram. Porrò pruinæ etymon deducit S. Iſidorus à πύρ, quaſi purina, quia licèt frigida, vrit inſtar ignis. Differt à glacie quoddammodo, ſicuti & à puro rore, iuxta Ariſt. 2. de Mundo aientem: *Glacies eſt aqua conferta à ſerenitate compactilis: pruina verò eſt ros concretus, ac veluti ros ſemiconcretus ſeu pruina roſcida.*

11 *NIX* Pro pluviâ ſubſtituit, deciditque in locis ac temporibus frigidioribus. Generatur ex concretione nubis in media aëris regione: vbi enim nubes deberet ſolvi in aquam, concreſcit in nivem vi nimij frigoris circumambientis: ideoque non differt ſubſtantiali ſpecie ab aquâ, ſed ſolùm in duritie: quippè aqua ipſa, quæ aliàs flueret à nube, dum condenſatur, fit nix, & in fruſtula dividitur, vt monet Ariſt. lib. de Mundo ad Alex. c. 3. dum ait: *Nix gignitur denſitate nubium friatili, quæ ſimulac in aquam verti cæptæ ſunt, in minuta cōcidantur*, Irridendus autem eſt, potius quā impugnandus, Anaxagoras, qui dixit nivem eſſe nigram, vt teſtatur Cicero *l.* 4. *Academ. QQ.* & Lactantius *lib.* 5. *Divin. Inſtit. c.* 3. vbi inquit, Anaxagoræ nives attramento fuiſſe. Reijciendi etiam quotquot ex Peripateticis aſſeruere candorem nivis eſſe colorem ſpecie tenus, quoniam elementa nullos ſubeunt veros colores. In oppoſitum enim eſt teſtimonium oculorum, qui vſque adeò conſtanter in nive præalbum colorem percipiunt, vt & in alijs rebus indubium colorem, quo ſe proſpectui manifeſtant. Neque vllius momēti eſt ratio inducta, quoniam ea tantùm habet locum in elementis puris, ſeu impermixtis; non autem in ijs, quæ degenerant à ſimplicitate connaturali. Et hoc modo ſe habet nix, quoniam vapores nubeſque, ex quibus gignitur, non habent rationem elementi puri, ſed mixti, quamvis imperfecti, quod ex contagione & vicinitate mixtorum contrahit aliqualem mixtionem quatuor primarum qualitatū, ex qua poſſit reſultare verus color, præſertim accedente congelatione. Quod verò Ioannes Keplerus *libro de Nive Sexangula* contendit probare, nivem cùm primùm è nube incipit decidere, ſexangula figurà conſtare in quolibet floſculo, divinatoriū eſt, nec ſatis ab eo ſuadetur. Solùm in chryſtallis, vbi effodiuntur, deprehenditur ſexangulas eſſe, vt teſtatur Georgius Agricola *lib.* 6. *de Naturâ Foſſilium.* Plura ſatis admiranda circa nives, in Borealibus regionibus contingere ſolita, legi poſſunt apud Olaum Magnum *lib.* 2. *cap.* 13. & *lib.* 19. *c.* 15. quibus accedit quod Strabo *lib.* 11. teſtatur, glebas quaſdam ſponte ſuâ intra nivem gigni, quibus ſuavis ac potabilis aqua continetur: vermes quoque intra nivem gigni.

12 *GRANDO* Subſtituit etiam pro pluviâ, ſicuti ſola pruina pro rore. Fit au-

autem, resolutâ priùs in aquam iam fluentem nube, & eius guttis in ipso descensu congelatis, ideoque conformatis in grandinem. Concrescit vero aqua in grandinem, non solùm ob vehementiam frigoris congelantis aquam, sed etiam ob teporem quendam aëris, à cuius circumobsistentia, seu antiperistasi, aqua cogitur sese colligere, frigescere nimium, & proinde indurari: ideoque ex aqua pluente potest fieri grando, tum in medià regione aëris, tum & infrà eandem, ob alterutram ex assignatis causis. Quamvis specie substantiali non differat a guttis aquæ fluentibus, alium tamen modum decidendi servat: nam, vt inquit Philosophus *lib.1. cap.* 12. quod περὶ χαλάζης, *de grandine* inscribitur, συνελθόντων πολλῶν μικρῶν, μεγάλαι καταφέρονται ψεκάδες· τοῦτο γὰρ οὐκ ἐνδέχεται γενέσθαι ἐπὶ τῆς χαλάζης· ὁ γὰρ συμφύεται τὰ πεπηγότα, ὥσπερ τὰ ὑγρά. *Coëuntibus multis parvis, magnæ deorsum feruntur guttæ: hoc autem non contingit fieri in grandine, non enim coalescunt congelata, quemadmodũ humida.* Itaque guttæ labentes aquæ possunt fieri maiores in ipso descensu, propter continuationem cum alijs, quæ facilis est inter fluida corpora eiusdem rationis: grãdines verò nunquam fiunt maiores in progressu descensus, quia cùm sint duræ & congelatę, non colligantur cum alijs, quin priùs se invicem minuunt, impingente vnà in aliam.

13 *ADDIT* Verò, paucis interiectis, quando decidunt grandines magnæ, quæ rotundam non habent figuram, signum esse quòd ceciderunt è nube parùm sublimi, sive non multùm elevatà: contrà verò, vbi decidunt exiguæ & figurà rotundæ, denotari nubem sublimem è quà procedunt: quia *quæ eminus decidunt, circumfractæ, quòd per longum ferantur intervallum, vt figurà rotundæ, magnitudine minores evadere solent.* Quare è nubibus proximis cecidisse videntur grandines quædam magnæ & horribiles, quæ quandoq; citra miraculum cecidisse memorãtur, & interdum ova anserum excessere, interdũ struthionis ova æquarunt: vt legere est apud Robertum Gaguinum *lib.9.* & Bonfinium *decade 4. lib. 2.* Qui etiam *lib.10. dec.1.* refert tempore Paschalis I. Pontificis tam horrendam grandinem cecidisse in Gallia, vt homines ac iumenta passim interimeret, atque inter alia frusta ingentia vnum æquaret longitudinem duorum cubitorum fermè pedum. Quod ipsum Augustoduni contigisse testatur Sigebertus ad annum Domini DCCC. XXIV. additque longitudinem alicuius frusti fuisse pedum sexdecim, latitudinem septem, altitudinem duorum.

14 *ID* Tamen non immeritò quis miraculo adscribat, ac singulari Dei vindictæ in odium alicuius sceleris: quoniam naturaliter loquendo non videtur tot guttas iam è nube fluente posse in vnũ coniungi & addensari, cadereque infractas ab alijs grandinum frustis simul cadentibus, vt tantam magnitudinem habeant, maximè vbi terram attigerunt. Sic certè miraculo accidisse putandum, quòd tanta & tam horribilis, grando ceciderit in Ægypto, quanta legitur *Exodi 9.v.24.* vbi dicitur: *Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quantæ antea nunquam apparuit in vniversà terrà Ægypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in terrà Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.* Patet verò grandinem, vt ea effecta præstaret, ac præsertim, vt confringeret omnia regionis ligna, fuisse ingentem, quamvis magnitudo certa in sacro textu non exprimatur. Similiter & indignationi divinæ tribuitur quod Socrates *lib.4 Hist. Eccles. c.10.* scribit tempore Valentis Imperatoris: *Sexto Nonas Iulij grando magnitudine inusitatà, lapidibus similis, Constantinopoli cecidit. Est quidem multis in ore, illam grandinem, Deo irato, quòd multi Sacerdotes, qui cum Eudoxio communicare recusaverant, essent ab Imperatore relegati, delapsam fuisse.* Sed maiorem adhuc grandinem refert Nicephorus *lib.13. cap.36.* vbi inquit, quando Vrbs ab Alarico capta est, inter plura alia prodigia, pluribus locis cecidisse grandinem laxis manuarijs maiorem, & circiter octonarum librarum ponderis, in ostentum indignationis divinæ. Denique omnibus ijs maior erit, quæ prædicitur *Apocal.16.v.21.* illis verbis: *Et grãdo magna sicut talentum descendit de cœlo in homines.* Talentum vero apud Hebræos ponderabat centum viginti quinque libras. Huius itaque magnitudinis futura dicitur grando præcurrens extremam temporum diem, absdubiè supra naturæ leges edenda, propter rationem paulò antè significatam.

GLA-

15 *GLACIES*, Vt ſuperiùs ſignificavimus, eiuſdem ferè rationis eſt cum grandine, & diſtinguitur ab eà, tùm in duritie, tum in aliquali tranſparentià, quàm habet: ideoque Græcè χρυσάλλου dici ſolet, quòd inſtar chryſtalli dura ac pellucida ſit. Et ſanè nihil aliud eſt, quam aqua cōgelata, ſive in aère, ſive in terrà, vt patet in fluminibus, fontibus, lacubus, & quandoque in ipſo mari, præſertim Septentrionali, quod *glaciale* appellant, quia magnà ex parte congelatum eſt. Quare Olaus *lib. 1. ac 2.* tradit, innumerorumque oculatorum teſtium fide conſtat, in eo, perinde ac in continenti terrà, exercitus dimicare, itinerationes publicas peditum atque equitū fieri, domus & hoſpitia ædificari. Quin & ipſa navigia poſtquam cœperunt dividere aquas, ſæpe immota conſtiterunt ſuperveniente Oceani glacie, ex frigore intolerabili, ita vt nullis remigiorum viribus dimoveri potuerint; quod Saxo Grammaticus memorat in præfatione ad res Daniæ. Eamque rationem aſsignat Theodorus Zuingerus *in Theatro*, vt Britanni nautæ tentantes breviorem viam ad Catalum, & Sinenſium regna, per mare Aquilonare, idque ipſo æſtatis tempore, quo magnus & continuus trium menſium dies eſt habitantibus circa Polum; impediti fuerint vlteriùs navigare, ſuperuenientibus quaſi glaciei montibus, quibus & naves detinebantur, & incluctabile naufragij periculum imminebat. Plura alia huius generis narrant Albertus Krantzius *in Metropoli Saxon. l. 10. c. 18. & in Vand. lib. 9. c. 32.* ac Georgius Bruin *in Moſcovia*. Demū Ananias *in Navigatione Anglicà anni 1577.* Auctor eſt, Anglos eo anno navigantes inveniſſe inſulam Metam ſupra Polum Arcticum, in quà perpetua glacies eſt, quæ quandoque ingenti ventorum vi frangitur, & in modum inſulæ plurium leucarum ambitu natat ſupra mare: montes quoque glaciatos in eo apparere ſeptuaginta pedum altitudinis vltra aquas, & bis mille paſſuum in circuitu.

16 *NOTANDVM* Verò eſt generatim, condenſationem glaciei ac grandinis non prouenire ex ſola frigoris vehementià, niſi aliæ circunſtantiæ accedant. Id patet in aqua, quæ iuxta ſuum connaturalem ſtatum eſt frigida in ſummo, & tamen intra eum ſtatum non gelaſcit, ſed potabilis, ſicuti & fluida, eſt. Quòd igitur congeletur, prouenit non ex ſolo frigore, ſed præterea ex aliquà ſiccitate innaturali: ſiccitas enim diſponit ad duritiem. Prouenit quoque ex admiſtione aliquorum halituum terreſtrium, & non quomodocumque, ſed quatenus converſorum in quendam humorem vel ſuccum, qui immiſtus aquæ ſit ipſi veluti coagulum ad efficiendam congelationem. Idem quoque ſuccus deſervit ad concretionē lapidum, ac metallorum, & quoddammodo ſe habet veluti ſal ad conglaciandam nivem, quæ ex illius aſperſione gelaſcit & conſtipatur.

17 *OMNES* Concretiones prædictæ conveniunt ſpecie ſubſtantiali cum aquà. Differunt tamen omnino ab eà aliæ, vt mel & manna, quæ ſubſtantialiter ſpectant ad genus mixtorum corporum. De melle diximus *diſp. præced. num. 16.* ex alto decidere ſimul cum aquà, præſertim ex nube rorida, atque Iridem efformante. Verùm præterea ſpargitur per omnem terræ regionem ex rore cœleſti, & præſertim in herbis, frondibus, ac floribus cōſervatur. Inde enim ab apibus colligitur, & in alvearia defertur, vt viſu ferè experimur, & Ariſt. tradit *lib. 5. Hiſt. Animal. cap. 22.* Ratione autem mellei liquoris adiuncti ros nonnihil vnctuoſus ac viſcoſus eſt, ideoque quibuſdam medicamentis deſervit.

18 *MANNA* Quoque ſimul ex alto decidit cum rore, ſicut mel, cui ſimile eſt, ſed multò excellentius. Quamvis parùm, in omnes pene regiones videtur diffundi: in paucis quibuſdam colligitur, vt in Calabrià, vbi dicitur excellens eſſe, & pretioſum ad varios Medicinæ vſus. Putant Conimbricenſes *tract. 7. cap. 11.* idem in ſubſtantià eſſet noſtrum manna cum eo, quod Iſraelitis in deſerto quondam è cœlo cecidit, excepto quòd illius generatio per miraculum contigerit miniſterio Angelorum. Verius tamen apparet longè diverſum fuiſſe in ſubſtantia, quoniam & modus generationis quo fiebat, & mirabilis ſapor, & effecta quæ præſtabat, id extorquent. Quare vtriuſque conuenientia ſolùm videtur eſſe, aut penes purum nomen, aut imperfecta, rebus ipſis omnino diverſis.

(?)

SE-

SECTIO TERTIA.

De Fulgure, Fulmine, & Tonitruo, eorumque cauſis. Quomodo coniungantur, ſeparentur vè. Admiranda & varia Fulminum effecta.

19 PRÆTER Meteora indicata hucuſque, contingunt pleraq; alia frequenter in mediâ regione aëris, vt fulgura, fulmina, & tonitrua. Fulgura conſiſtunt in ſplendore illo qui vix è nube erũpere cernitur, cùm evaneſcit. Inde autem oritur, quòd ſimul cum aqueis vaporibus aſcendant terreſtres halitus ſicci & calidi, ac proinde ad inflammationem apti; qui vaporibus eiſdem in nubium formam conglobatis clauſi, conantur ſeſe colligere, & contrarium fugere; ideoque tam vi anteperiſtaſis, quàm motus, accenduntur in flammas, è nube in circulum prodeuntes. Neque enim tantus ille fulgor tribui poteſt cœleſtibus luminaribus: cùm etiam nocturno tempore, & abſente Lunâ, atque obducto ſtellis omnibus denſarum nubium velo, fulgurâ lucidiſsima in hac regione inferiori appareant. Ergo totus quãtus eſt illorum ſplendor, non provenit ab aſtris, ſaltem proximè; ſed ab exhalationibus ſiccis & calidis, quæ circumfuſæ frigidis vaporibus, & quaſi impatientes carceris, aut clauſuram indignaræ, in flammas longè ac latè divagantur. Quamvis verò fulgura eiuſmodi in Europâ noſtrâ ſint frequentiſsima, non tamen vſque adeo ſplendida, ac quandoque videntur in America, præſertim in Braſiliâ: ſiquidem Ioſephus Acoſta in Hiſt. Indica ſcribit circa annum Chriſti 1560. *In regione S. Vincentij tonitrua longè ſuperant, quæ in Europâ ſiunt: nam ingentem omnibus terrorem incutiunt, licèt fulgura perquamrarò demittantur: at coruſcationes adeò ibi excellunt, vt Solem ipſum ſuperare videantur. Quandoque tamen fulgura eruperunt, quæ tanta coruſcatio præcedere viſa eſt, vt hominibus videndi vim obruerit.* Vbi & coruſcationes a fulgure non differre putandæ ſunt in ſubſtantiâ, neque aliunde provenire; ſed tantùm penes hoc diſſidere, quòd coruſcationes è medio aëre nõ deſcendant reipſa ad terram, ſed ſolùm mediis ſpeciebus illarum repræſentativis; fulgura autem reipſa, veluti flamma tenuis ac rara. Sic certè & quædam fulminum ſurſum proijciuntur, quædam deorſum.

2 *FVLMEN* Verò accidit quoties halitus terræ, ſive exhalatio intra nubem immota, aliquandiu durat, iuxta cõditionem ſuæ materiæ ac diſpoſitionum. Tunc enim partim à contrarijs vaporibus circumobſiſtentibus diffugiens, partem ab ijs nimiùm conſtricta, condenſatur, & cogitur modò ſuprà, modò infrà, cum ingẽti & rapidiſsimo impetu ruere. Quandoque autem condenſatio tanta eſt, vt intra nubem gignatur quaſi lapis ſulphureus, qui magna vi trudatur deorſum, & longè maiorem ædificijs ruinam afferat, quàm globus ingens plumbeus è bombardâ pulſus. Vnde Averroes in præſenti *lib. 2. ſum. 3. c. 4.* inquit: *Narravit Avicenna, quòd lapis magnus cecidit in Cordubâ igneus, in die ſereno, ſeu claro; & quòd ipſe vidit illum lapidem, & habuit odorem ſulphuris, & quaſi naturam amomaci.* Vbi non tam admirandum videtur fulmen in modum lapidis deſcendiſſe (quod ſæpius vilum eſt) quàm quòd puro & ſereno cœlo ceciderit. Cùm enim naturalis cauſa fulminum hucuſque detecta ſit quam nuper aſſignavimus, nimirum, pugna vaporum & exhalationum acrior intra nubem; videtur naturaliter non potuiſſe generari fulmen ſereno die, ac pullis nubibus obſcurato.

21 *VNDE* Refellendus venit Iulius Capitolinus, qui fulmina à Chriſtianis impetrata in Romani exercitus auxilium contra hoſtes adſcribit precibus Antonini Cęſaris, quaſi ea impetraverit à falſis dijs. Refellitur, inquam, vel ipſius Cæſaris teſtimonio in epiſt. 36 S. P. Q. R. quæ adiecta fuit libris Iuſtini in calce Apologiarũ eius. Ibidem namque fatetur ſe id beneficium, ac plura alia accepiſſe precibus Chriſtianorum. Idemque ipſum ex Ethnicis conteſtatur Xiphilinus apud Dionem *in Antonino*, Tertullianus, & Euſebius Cæſarienſis *lib. 5. Hiſt. c. 5.* Quare ea fulmina, & ſiqua ab Ethnicis *impetrata* dicebantur, ſi verè impetrata, non iuxta naturæ leges, ſed præter eas à Deo miſſa ſunt. Sic etiam apud S. Gregorium *lib. 3. Dialogorum c. 15.* legitur, tonitruũ accidiſſe cœlo ſereno; ſed id adſcribit miraculo cuiuſdam Florentij, ſanctitatis opinione celebris. Simileque prodigium habetur in Metaphraſte ad diem 22. Octobris, in vitâ S. Ambercij Hierapolitani. Fuere & alia fulmina à Deo ſupra naturæ leges miſſa: nam in dedicatione Templi S. Michaelis in Gargano (vt Surius colligit *tom. 5. ad diem 29. Septembris*) cùm Sarraceni ſacram Archangeli

ædem

ædem invadere conarentur, fulmina repentè è cœlo miſſa ſexcentos illorum combuſſerunt. Eodemque cœleſti ſupplicio interempti ſunt, tum Magi quidam obſiſtentes prædicationi SS. Simonis & Iudæ Apoſtolorum vt narrat S. Antoninus *tit. 6. c. 14.* tum & iniquiſsimus pater S. Barbaræ Virginis, vt in eius feſto narrat præallegatus Surius *tom. 6.* Verùm de his parciùs egiſſe ſatis, quoniam naturæ vires ſupergrediuntur.

22 *OBSERVAT* Ariſt. in præſenti *lib. 3. cap. 1.* quandoque fulmina magis nocere corporibus durioribus, aut plus reſiſtentibus, quam mollioribus & nullius reſiſtentiæ: rationemque aſsignat, quia halitus incẽſus citius pertranſit laxiora corpora, in durioribus autem & reſiſtentibus ampliùs detinetur. Vnde & inquit: *Quapropter & reſiſtentia quidem patiuntur aliquid: quæ autem cedunt, nihil: vt clypei æramentum, liquefactum fluit: lignum autem nihil fuit paſſum. etenim propter raritatẽ præuenit ſpiritus penetrare & pertranſire, antequam igniat.* Quam philoſophicam rationem ſubodoratus videtur præſtantiſsimus Hiſpaniæ Poëta D. Luſius de Gongora, dum miratur quoddam fulmen vires ſuas exeruiſſe in delicatum adoleſcentem, innoxia relictâ arbore robuſtâ, cui ille inhærebat. Exclamatque admirabundus:

Miniſtro, no gryſaño, duroſi,
Que en Liparis Eſterope forxò,
Piedra digo bezar de otro Perù:
Las hojas inflammò de vn alheli,
I los Acroceraunios montes no?
O Iupiter, ò tu, mill vezes tu!

23 *EANDEM* Ariſtotelis rationem confirmat, & exemplis illuſtrat Seneca *lib. 2. Nat. QQ. c. 52. & 53.* vbi ita loquitur: *Fulmen non eodem modo materiam omnem vexat. Valentiora, quia reſiſtunt, vehementiùs diſsipat: cedentia nonnunquam ſine iniuriâ tranſit. Cum lapide, ac ferro, & duriſsimis quibuſque confligit, quia viam neceſſe eſt per illa impetu quærat. Itaque viam facit, quâ effugiat. Teneris ac rarioribus parcit, quamquam etiam flammis opportuna videantur: quia tranſitu patente minùs ſævit. Loculis itaque (vt dixi) integris, pecunia, quæ in ijs erat, conflata reperitur: quia tenuiſsimus ignis per occulta foramina tranſit. Quidquid autem in ligno ſolidum & contumax invenit, vincit. Interdum etiam in eâdem materiâ multa diverſa eiuſdem vis fulminis facit: ſicut in arbore quod ariduſsimum & rariſsimum eſt, vrit; quod duriſsimum & ſolidiſsimum terebrat, ac frangit: ſummos cortices diſsipat: interiores libros rumpit ac ſcindit: folia pertundit & ſtringit: vinum gelat: ferrum & æs fundit. Illud etiam mirum eſt quòd vinum fulmine gelatum, cùm ad priorem habitum redierit, potum, aut examinat, aut dementem facit. Cur illud accidat, quærẽti mihi id occurrit: Ineſt fulmini peſtifera vis: & ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo ipſo humore, quem coegit, gelavitque, veroſimile eſt. neque enim alienare potuiſſet, niſi aliquod vinculum ei additum eſſet. Præterea quocumque decidit fulmen, odorem ſulphuris eſſe certum eſt, qui, quoniam gravis eſt, ſæpius hauſtus alienat.* Benè hæc, & philoſophicè dicta.

24 *VERVM* Et plura adhuc effecta ſatis admiranda præſtat fulmen, quæ nonnulli Authores obſervarunt, præſertim verò Gregorius Reiſch *in Margaritâ Philoſophicâ lib. 9. c. 20.* his ferè verbis. Fulmen gladium in vaginâ, aurum in burſâ, pedem in calceo demolitur, vaginâ, burſâ, calceo, illæſis. Hominem, vel animal aliud, intrinſecus in favillam & cinerem redigit; extrinſecus autem illæſum & ſine macula relinquit. Retia etiam in aqua cõſumit, quæ extra aquam minimè lædit. Venenoſitate ſuâ vnum interficit, & proximum ſtantem minimè lædit. Suâ ſubtilitate de pariete in parietem, de cubili in cubile, de inferiori in ſuperius, mirâ velocitate movetur. Interdum vas comminuit, vino aliquandiu in pelliculâ quâdam, ex viſcoſitate vini ſubitò extractâ, & indurata conſiſtente: ſed vinum hoc venenoſum redditur. Animalia venenoſa fulmine percuſſa, omne venenum amittunt. Aliquando veſtem, aut crines hominis adurit, homine illæſo: nam cùm debilis virtutis quandoque ſit, non in id quod aliquid humiditatis continet, vt corpus hominis, ſed ſicciora aggreditur. Huc etiam ſpectat quod ſæpe enſem in cineres redegerit, vaginâ illæsâ; quoties, ſcilicet, acrior eſt fulminis vis, ideoque rariori corpori parcit, & in denſius ac ſolidius ſævit, vt ſuprà dicebamus.

25 *TONITRVVS* Denique relatè ad nubem, ita ſe habet, vt bombardarum ſonitus ad pilam plumbeam. Quemadmodum enim bombarda accenſo pulvere tormentario ſonitum edit, ſive pilam iaciat, ſive non iaciat; ſic etiam nubes exhalationibus gravida, vbi diſſolvitur, ſi-

sive fulmen excludat, sive non, frequenter strepitum emittit. Fit autem tonitruus ab exhalatione intra nubem clausa, quando impatiens clausuræ erumpit. Quippe intensione ipsa rarefit, ampliorem que sibi locum quærens, velocissimè exit è nube, illamque dirumpens, sonitum ingentem efficit. Quod purè & pulchrè expressit Plinius *lib.2.c.43.* dum dixit: *Spiritum nube cohibitum tonare; naturâ strangulante sonitum, dum rixetur; edito fragore, cùm erumpat.* At quoniam species audibiles tardiùs, quàm visibiles, deferuntur ad proprium sensorium, priùs oculis percipitur fulgur, quam tonitruus auribus innotescat, vt iam alibia nobis observatum est. Quandoque verò coruscant in aère fulgura, quin tonitrua sequantur. Quod procedit ex nimiâ nubis tenuitate, quæ propterea facillimè frăgitur; sive quia spiratio ignita exiliit prope inferiorem nubis partem, adeoque facilè exit. Interdum etiam, quamvis nulla nubes in cœlo appareat, coruscationes, seu fulgura videntur in aère, etiam serenâ nocte, præsertim tempore æstivo: quoniam exhalationes sparsę in eo accenduntur & collucent. Quandoque etiam tonitruũ nulla coruscatio, nullum fulgur comitari videtur. Cuius rei causam Seneca vbi suprà *cap.17.* arbitratur esse, quòd nubes invicem se collidant absque diruptione, ideoque solum strepitum edant. Alij aiunt exhalationem ipsam, quamvis non inflammetur, suâ fuga & excursu impetere nubem, ideoque sonitum efficere. Verius tamen est, nullum tonitruum edi absque coruscatione, seu fulgure, quamvis hoc non semper appareat: quia, nimirum, exhalatio accenditur interdum circa extimam superficiem nubis, quà parte respicit cœlum: ideoque coruscatio à nobis videri nequit, inferiore nubis parte prohibẽte transmissionem specierum visualium à parte superiori. Porrò tonitrua in Aquilonaribus plagis multò horribiliora sunt, quàm in nostris Regionibus, idque propter maiorem frigiditatem vaporum ex aquâ ascendentium, qui vehementiorem cum exhalationibus luctam ineunt. Quare Olaus Magnus *lib.1.c.6.* asserit tonitrua & fulmina ibidem esse vique adeò horrenda, vt homines ac iumenta eorum strepitu exanimentur. Idemque de Tartaricâ regione, cui *Mongal* nomen, scriptis prodidit Vincentius Belvac. *lib.31.cap.3.*

SECTIO QVARTA.

De Ventis, in quo consistant; an in aère ipso concitato, an potiùs in exhalationibus terreis? Eorum causa multiplex, & ratio motus tortuosi ex influxu Planetarum.

26 ARIST. Libro 1. huius Operis c. & lib.2. c.4. refert opinionem quorundam existimantium, τὸν αὐτὸν ἀέρα κινούμενον μὲν ἄνεμον εἶναι, eundem aèrem, si moveatur, esse ventum. Fortè sunt ijdem Philosophi, quos refert Plutarchus *lib.3. de Placitis cap.7.* eorumque opinionem tuetur Albertus Magnus *lib.3. tract.1.c.6. & 7.* cui videntur favere idem Arist. *Problem.34. sect.3.* Hippocrates *lib. de Flatibus*, Galenus *in Comment. lib.3. de Humoribus*, S. Ioannes Damascenus *lib.2. Fidei c.4.* & S. Isidorus *lib. 13. Etymol.* quatenus aiunt, ventum esse aèrem motum. Idem absolutè docuerunt Stoici, atque ex ijs Seneca *lib.1. Nat. QQ. c.1.* Subscripsit Vitruvius *lib. 1. Architect. c.6.* Cardanus *lib. 4. in librum Hippocr. de Aère*, Arcsius *2. de Gener. q.10. sect.2.* Aversa *q.42. sect.* alijque plures Recentiorum, quamvis in modo exponendi causam cõmotionis venti dissideant.

27 CÆTERVM Aristotelis sententia verior & sequenda est, locis allegatis, ventum non in aère moto consistere, seu in halitu terrestri è terrâ educto, qui in eo statu sit calidus & siccus: vocarique posse fumum ad differentiâ vaporis aquei, qui calidus & humidus est: hunc verò terrestrem halitum in aère concitari, vt ab vno in alterum locum excurrat, & sic esse ventum: concitari autem ad motum ex sublimi parte, quatenus terrestris halitus è terrâ in altum elatus incurrit in aèrem motu cœli raptum, & sic non finitur vlteriùs in altum tendere, sed potiùs deorsum truditur, & cogitur in obliquum cieri circa terram. Hæc est indubia Arist. mens, quã expressit posteriori loco ex allegatis, maximè dum ait: ἐπὶ δὲ τοῦ ἀνέμου, πλῆθός τι ἀπ' ἐκ γῆς ξηρᾶς ἀναθυμιάσεως κινούμενον περὶ τὴν γῆν, φανερὸν ὅτι τὰ μὲν κινήσεως ἡ ἀρχὴ ἄνωθεν; τὰ δὲ ὕλης καὶ τὰ γενέσεως, κάτωθεν. *Cùm autem vĕtus quidam sicci halitus, quem tellus profundit, copia per terram currens sit, motionis initium ab alto provenire, materiei, & ortus ab imo, planum est.* Ita etiam D. Tho. *ibid. lect.8.* Conimbricenses *tract.6. cap.*

*c.*2. Beſaranus *q.* 2. *art.* 1. vbi teſtatur de communi Philoſophorum ac Medicorum Alphonſus Perez *p.*3 *c.*1. Ioannes à S. Th. *tract.*5 *c.*1. & Ioannes ab Annuntiatione *diſput.*4. *quæſt.* 1. Rem breviter explicemus.

28 *PORRO* Ventum non eſſe aèrem motum, ſuadetur: Quia ventus & aèr conſtant natura ſua oppoſitis qualitatibus. Ventus enim natura ſua ſiccus eſt, vt patet ab effectis. Exſiccat enim quælibet humida, & terram ex humenti aridam reddit. Aèr verò è contra natura ſua humidus eſt in ſummo, vt ex profeſſo oſtendimus *diſp.* 59 *ſect.*3. Ergo diverſa eſt natura venti & aèris, etiam moti, ſeu concitati, quia ſic aèr non exuit naturam propriam. *Præterea*: Quia aèr ſemper in ſubſtantia eſt idē, ventus autem varius, præſertim Subſolanus & Boreas, qui effectus contrarios præſtant. *Denique*, ſi ventus nihil aliud eſſet quàm aèr concitatus, nunquam navigantibus deficeret ventus, quoniam navigia quoties moventur, concitant aèrem. Conſequens verò abſurdum non eſſe vellent ipſi nautæ, qui tamen negare non poſſunt.

29 *IAM* Verò eſſe aliquid ab hiſce inferioribus elevatum, patet, vel à ſola excluſione aèris, de quo ſolo dubitari poſſet. Ergo aut vapor, aut exhalatio: neque enim quidquam aliud eſſe poteſt. At non eſt vapor: tum quia hic natura ſua valde humidus eſt, vt ſtatuimus *diſp.*91 *n.*1. vēntus autem ex propria ratione eſt ſiccus in gradu præcellenti, vt nuper oſtendimus: tum etiam, quia ex vaporibus fiunt nubes ac pluviæ, quæ tamen ex vento non fiunt, ſed potiùs ab eo diſperguntur & diſſipantur. Ergo ſupereſt vt ventus ſit exhalatio, quam eodem loco diximus è terra ortum ducere, & præcellenter ſiccam eſſe. Quod & à poſteriori evincitur, quia quò plures exhalationes elevantur è terrâ, eò vehementiores venti exurgunt: vt patet in Autumno & Vere, præ Hyeme & Æſtate, atque in tempore maturino, vbi Sol oriens exhalationes è terra tollens frequenter excitat ventum pluſquam alijs diei horis.

30 *CÆTERVM* Licèt ventus ſit in ſubſtantia halitus quidam, ſive exhalatio, frequenter ſecum defert vapores admiſtos: quoniam ſi ab ijs defæcaretur potiùs eſſet materia inflammationis, quàm venti; inſuper nec poſſet ex mari elevari, quoniam illud aſſiduos ſurſum mittit vapores, ratione præcellentis humiditatis. Quare exhalationes, quas mittit ratione ſalſedinis, & terrenæ concretionis ſuæ, aſcendunt vaporibus illigatæ & permiſtæ, donec iam in media aèris regione ſeiungantur, & vaporibus ibidem conſiſtentibus, propter agnatam gravitatem, exhalationes ſurſum attollātur, quia leviores, ſicut calefactæ in gradu præcellēti. Quare idem putandum, etiam vbi exhalationes è terra aſcendunt. non enim ex eà oriuntur defæcatà & purà, ſed permiſta aquæ, ideoque etiam tunc ſecum vapores deferunt. Vnde & colligitur ventum nō eſſe puram exhalationem, ſed vaporibus permiſtam; ac proinde licèt potiori parte ſui calidus & ſiccus ſit ab exhalatione, etiam aliqualiter frigidum & humidum eſſe ex vaporibus adiunctis. Quod idem Ariſtot. allegatus, his verbis expreſsit: *Eſt autem neque humidum ſine ſicco, neque ſiccum ſine humido: ſed omnia hæc dicuntur ſecundùm exceſſum.*

31 *NEQVE* Oppoſitum docuerunt, aut Ariſtotel. aut Patres relati pro adverſa opinione: quoniam cum aiūt, ventum eſſe aèrem motum, exponi meritò poſſunt in ſenſu cauſali: quoniam proprius effectus venti eſt impellere aèrem, & per illum à poſteriori dignoſcitur. Cæteri verò Authores arguunt ex eo quod aer ſit levior ac ſubtilior mari, quod tamen aſſiduo fluit ac refluit. Vnde & videtur, aèrem multò magis fluere & refluere, ac proinde eſſe idem cum vento. Et augetur difficultas: quia ſola concitatio aèris flabello facta excitat ventum, abſque vlla exhalationum concitatione. Hæc tamen non obſtāt. Nam licèt aer fluctuet, longè tamen aliter quàm ventus, & ratione ſummæ humiditatis, ſimul ac levitatis præcellentis: quarum prima ſaltem non convenit per ſe vento. Nec magis vrget poſterior obiectio: quoniam ſpiritus ille, ſeu flatus, qui flabello concitatur, non eſt ventus, ſed aèr commotus. Ventus enim non excitatur artificio aliquo, ſed naturæ vi, & producitur à Deo *ex theſauris ſuis*, vt loquitur David, ſcilicet, de occultis naturæ cauſis, vt interpretatur S. Auguſtinus in eundem locum Pſalmi 134.

32 *CAVSA* efficiens ventorū cōmuniter aſſeritur corpus cœleſte, præſertim Sol: quoniam ipſius eſt potiſsimum educere hali-

halitus, sive exhalationes à terra, in quibus ijdem venti consistunt. Elevatæ autem illæ ad mediam regionem aëris, ratione frigoris circumobsistentis aggregantur in vnum, & conantes ad ascensum ratione caloris ac levitatis suæ, repercutiuntur deorsum à frigore, ideoque aërem impellunt, & ventos excitant, seu potius in ventos laxantur. Quod ferè supra audivimus ex Philosopho, addente insuper, eundem Solem, cuius est excitare ventos, etiam illos sedare & impedire: quia sæpe ratione nimij ardoris absumit humiditatem & viscositatē terræ, sine quibus non fit exhalatio; aut exhalationem semel elevatā absumit in ipso ascensu, ideoque media æstate non solent excitari ventorum flatus, præsertim vehementes.

33 *MOTVS*, Quo ventus cietur, non est omnino directus, sed tortuosus & quasi obliquus: vt communiter Philosophi observant, & experimento patet, præsertim in Aquilone, qui non rectè movetur ad Orientem, sed tendit ad Austrū, quasi in modum semicirculi. Ratio eius obliquitatis deduci potest ex circulari motu Planetarum, quibus speciatim tribuitur virtus activa in ventos: vt Iovi in Septentrionales, Lunæ in Occidentales ac Meridionales, Soli in Orientales. Ergo cùm motus conveniens effectui debeat tribui motui suæ causæ, si motus causarū non est rectus, sed obliquus, sive in circulum, motus quoque ventorum similis esse debet. Adstipulatur quoque ratio philosophica: quia cùm ventus consistat in terrestri halitu, vt dictum est, & hic trudatur à frigore mediæ regionis, nec possit directe ferri deorsum, ratione levitatis suæ, necessum est, vt in circulum aut obliquè agatur. Quod satis expressit Arist. allegatus *l. 2. c. 4.* illis verbis: *Latio autem ipsorum obliqua est: circa terram enim flant, cùm tamen fiat in rectum exhalatio: quia omnis qui in circuitu est aër, consequitur lationem.* Et ferè idem ipsum habet *sect. 26. Problem. q. 48* Quæ verba iuxta sensum explicatum interpretantur & sequuntur D. Thomas eo loci, Federicus Bonaventura *lib. de Causa motus Ventorum c. 36. & seqq.* Vallesius *cap. 48. de Sacrà Philos.* Iacobus Mazzonius *lib. de Methodo Vitæ Contemplat.* Contarenus *lib. 2. de Elementis*, & alij *num. 26.* indicati.

SECTIO QVINTA.

De multiplici specie Ventorum, iuxta divisionem antiquam ac recentem. Vbi de quibusdam provincialibus, & ijs, quos Etesias vocant.

34 *QVATVOR* Venti præcipui numerantur, originemque suam desumunt a quatuor præcipuis Mundi partibus, scilicet, Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro. Hos duos posteriores, Boream & Notum appellat Arist. *l. 2. c. 4.* dum inquit: καλοῦνται δὲ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτου, βορέαι, οἱ δ' ἀπὸ τῆς μεσημβρίας, νότοι. *Qui autem à Septentrionibus mittuntur, Borea dicuntur: qui à Meridie, Noti.* Priores duo sunt, Subsolanus ab Oriēte Æquinoctiali, & ab Occidente Æquinoctiali Favonius. Addit verò quatuor alios ab ortu & occasu, qui simpliciter dicuntur *puncta*, in quibus Sol sub Æquinoctio surgit ab Horizōte, & quæ ex æquo mediant inter Aquilonem atque Austrum. Hyemali verò tempore atque æstivo, alia sunt pūcta ortus & occāsus, nimirum, sub duobus Tropicis. Itaque ab ortu æstivo statuit ventum, quem appellat Cæciam, & ab occasu æstivo Argestem: ab hyemali ortu Vulturnum, & ab occasu hyemali Africū. Insuper & alios duos ventos superaddit à duobus punctis Circuli Arctici, quem, scilicet, describit Polus Zodiaci supra Polum Mundi; eosque appellat, Thrasciam, & Mensem. At ex punctis Circuli Antarctici, qui occultus est habitantibus hoc hemisphærium, aut nullum assignat ventū, aut vnum Trasciæ oppositum, quem appellat Phœniciam. Alexander Aphrodisæus addit alium insuper, quem Libonotū vocat. Vnde consurgit duodenarius ventorum numerus.

35 *ITA QVE* iuxta doctrinam Arist. dividitur primò Horizon in multas partes, signatque punctum vnū, v. g. B in quo sit ortus Æquinoctialis, & alterum ipsi oppositum A. in quo sit Æquinoctialis occasus, ita vt his duobus pūctis finiatur diameter Horizōtis. Deinde alia puncta describuntur, quæ terminent alias diametros, in quibus figuntur è regione oppositi Septentrio ac Meridies, itēque Oriens & Occidens, tam æstiva, quā brumalia. Quo constituto, singuli venti in singulis punctis locantur, & ab ijs flant, servata contrarietate eorum qui per diametrum distāt.

Qua

Quare iuxta Ariſt. ſunt octo venti oppoſiti: quorum duo à duobus Polis ſpirant, Boreas ab Arctico, Notus ab Antarctico: alij ſex à tribus præcipuis punctis Orientis & Occidentis: ſcilicet, a duobus Solſtitijs, & ab Æquinoctiali: ab ortu Solſtitij æſtivi, Cæcias; ab occaſu eiuſdem Solſtitij, Argeſtes; ab ortu Æquinoctiali, Subſolanus; ab occaſu eiuſdem, Favonius; ab ortu Solſtitij hiberni, Vulturnus; ab eiuſdem occaſu, Africus. Et ex ijs omnibus inter ſe contrarietatem habent, Boreas & Notus, Cæcias & Africus, Vulturnus & Argeſtes, Favonius & Subſolanus. Quibus cùm idem Philoſophus addat Menſem & Traſciam à punctis Circuli Arctici, Phœniciam ab Antarctico, atque ab eodem Alexander ſtatuat Libonotum, à Coſmographis receptum; duodecim tandem venti inveniuntur.

36 CÆTERVM Hydrographi, præſertim recentes, qui rem hanc plenius examinarũt in commodiorem vſum nauticæ artis diſtinguunt triginta duos ventos, dividuntque Orizontem in quatuor partes æquales, pariter inter ſe diſſitas, in ijſque octo ventos deſignant, quos *rumbos* dicunt; deinde totidem intermedios, quos *medias partidas* appellant; ac præterea inter eos ſexdecim, totidẽ medios ſtatuunt, quos *quartas* vocant: vt proinde omnes ſint triginta duo. Eorum præcipua nomina, ac ſitus, iuxta diviſionem Orizontis in minutas partes, videri poſſunt apud Mariũ Nigrum *lib.* 1. *Geographiæ*, Stepherinum 2. *part. de Vſu Aſtrolabij prop.* 44. Mauroly-cum *Dial.* 2. *Coſmographiæ*, Conimbricenſes *tract.* 6. *Meteor. cap.* 4. ac plenius & recentius apud Ioannem Ianſonium *in Magno Athlante tom.* 5. vbi de Arte Nautica diſſerit. Nobis rem adeò exoticam Scholis indicaſſe ſatis.

37 PRÆTER Ventos dictos, & communes, ſunt alij municipales, ſeu provinciales, aut ſingularum ferè regionum proprij, ijſque experimento noti. Athenienſibus enim, ait Plinius *lib.* 2. *capit.* 47. proprius eſt Sciro, aliquatenus diverſus ab Argeſte, reliquæ autem Græciæ ignotus. Arabulus, teſte Seneca *lib.* 5. *Natur. QQ. cap.* 17. Apuliam infeſtat, Pamphyliam Cetægis, Calabriam Iapyx, Galliam Circius: quem Plinius vbi nuper in Provincia Narbonenſi celeberrimum teſtatur, ac potentiſſimum flatu, cùm tamen reliquæ Galliæ ignotus ſit, & ne Viennã quidem vicinam attingat. Quod in ſingulis fermè regionibus accidit, ſive ob diverſum clima, ſive ob varium aſtrorum influxum, ac diſpoſitionem privatam terræ marisve. Sic portubus, tam Mediterranei, quam Oceani, certa diei hora exergit levis aura, etiam æſtivo tempore; cùm tamen alia loca a mari diſſita, ſub Cane cœleſti ardeant. Sic & eà Rivogiæ parte, quæ Diſſertijs proxima eſt, circa Solis occaſum ſpirat in æſtate gratiſsimus ventus, ab indigenis *Serranillo* appellatus, cuius ne nomen quidem circunſtantes populi nòrunt. In quibuſdam etiam provincijs poſt Caniculæ ortum media æſtate quotannis flare ſolent venti, quos *Eteſias* vocant, id eſt anniverſarios. Græcis namque ἔτος annus eſt, & ἐτήσιος annuus. Solent exurgere tertia diei hora, & noctu deſinere. Eos Plinius vbi ſupra non ex eodem Orizontis puncto ſpirare ait, ſed in Hiſpaniâ & Aſia ab Oriente, in Ponto ab Aquilone, in alijs Mundi partibus a Meridie. At Strabo *lib.* 3. Subſolanos vocat: quòd ſolùm Aſiæ atque Hiſpaniæ contentaneum eſſe poteſt, quoniam ijs tantum ab Oriente ſpirant.

SECTIO SEXTA.

De diverſis Ventorum affectionibus, tum in genere, tum & in ſpecie: de procellis quoque ab ijs generari ſolitis, præſertim Etheſia, Typhone, & Præſtere.

38 VENTORVM Affectiones variæ ſunt, & oppoſitæ aſsignantur ab ijs, qui circa illorum naturam contrarijs opinionibus dividuntur. Iuxta eam, quam *ſect.* 4. ſtatuimus, venti affectiones præcipuæ ſunt ſiccitas & frigiditas, quoniam eæ ſunt connaturales exhalationibus terreis, in quibus prout excitatis diximus rationem venti ſitam eſſe. Qui verò illam in aère excitato cõſtituũt, debent ipſi aſsignare humiditatem in ſummo, quoniam illa proprietas eſt cognata aèri, vt *diſp.* 59. ex profeſſo traditum eſt. Quãadmodũ verò ſæpe diximus, exhalationes terreas, licèt natura ſuà frigidæ ſint, adhuc ab extrinſeco, & ratione influxus Solis aliorumque cœleſtium ſiderum calidas eſſe, ideoque adiuncta levitate elevari vltra vapores ac nubes; ita etiam dicendum, ventos in ijs conſiſtentes, eſſe cali-

dos per accidens, & ex operatione cœlestium corporum, eoque calidiores, quo calidior fuerit, & magis obnoxia Solis ardoribus regio, per quam excurrunt.

39 *QVARE* Venti iuxta diversitatem regionum & climatum, aut se continent intra cognatam frigiditatem siccitatemque, aut induunt peregrinas qualitates caloris & humiditatis; idque vario & multiplici gradu. Idcirco Septentrionales venti, spirantes per loca frigida, & longissimè distita à linea Æquinoctiali, frigidissimi & admodum sicci sunt, eaq; propter non excitant pluvias, sed potius dissipant. Meridionales verò, qui per humida & calentia loca ad nos veniunt, tranſeuntes sub Zona torrida, valde calidi atq; humidi sunt, ideoque pluvijs excitandis ac fovendis idonei. Dignum autem obſervatu est, quod intra Hiſpaniam idem ventus, qui frigidus est populis à parte Septentrionali existentibus, sit ardentissimus ad Meridiem ſpectantibus: vt Abdæritanis, Gienneſibus, alijque Mediterraneo vicinis. Nimirum, prioribus ſpirat frigidus ratione Oceani Borealis, è quo immediatè fere dirigitur in Cantabros, & Astures: posterioribus autem calidus, propter interſitium terræ ardentis, per quam tranſit. Contra vero, idem Africus eiſdem populis Mediterraneo vicinis frigidus est, qui tamen Septentrionali Hiſpaniæ parti ardentissimè ſpirat: ſcilicet, ex oppoſita cauſa. Alij medio quodam modo inter prædictas qualitates ſe habent: vt Subſolanus, qui calidus & ſiccus est; & Zephyrus, qui frigidus & humidus exiſtetur.

40 *IVXTA* rationem verò, & mēſuram earundem qualitatum, exiſtimātur venti aut ſalutares, aut nocivi. Quare Vitruvius *lib.* 1. *c.* 5. inquit *In inſula Lesbo oppidum Mytilene magnificè ædificatum est, atque eleganter, ſed poſitum non prudēter quòd in ea civitate cùm Auſter flat, homines ægrotant: nam is ventus putredinis cauſam præbet: cum Corus Circio affinis ab Occaſu ſolſtitiali ſpirat, homines tuſſiunt. cùm Septentrio, atque Aquilo, reſtituuntur in ſalubritatem.* Generatim fere venti Septētrionales sunt omnium saluberrimi, & Favonius: contra vero noxius Auſter, quia prævalet calore & humiditate adventitijs, ideoque infeſtantibus humores homini cognatos. De quo legendi Plinius *lib.* 2. *c.* 47. Valleriola *lib. de Locis comm.* Levinus *lib.* 3. *de Occultis Naturæ Miraculis c.* 3. atque ipſe Arist. *totâ ſectione 26. Problematum.* Id verò notandū, Solem interdum ventorum flatus comprimere, interdum augere. Comprimit, quoties exhalationes antea excitatas nimio ardore conſumit. Auget verò, eū eaſdem antea frigore topitas, calore exſuſcitat. Similiter & occaſu ſuo ventos comprimit, quoniam deſinit elicere exhalationes è terrā: ſimul & quoddammodo auget, quoniam receſſu ſuo finem imponit conſumptioni antea excitatarum.

41 *EX* Ventorum inteſtino bello oriuntur procellæ variæ ac diſsimiles in terra & mari, præſertim Euro aut Africo prævalente. Celebriores illarum ab Arist. dicuntur, Ecnephias, Typhon, & Præſter, inviſa navigantibus nomina. Porrò quoties multæ exhalationes denſæ, & confertim acervatæ extolluntur, & in cavā nubem ſubeunt, fit quandoque vt attritu rareſcant, & cogente antiperiſtaſi ampliorē ſibi locum quærant, ac tandem diſrupta nube inſtar fulminis ingenti impetu deorſum ruant. Ex ijs itaq; flatibus oritur procella à Græcis *Ecnephias* dicta, quoniam ἐκ τῶν νεφῶν, *ex nubibus* ortum ducit. Quare nautæ viſo à longè illius veſtigio, ſtatim deijciunt vela, alioqui naufragium ſubituri. Vbi autem ij flatus è diverſis nubibus, aut partibus eiuſdem nubis inter ſe congiobatis, atque invicem decertantibus, oriuntur, ſolet fieri vortex in aëre, qualis & in aqua profunda fluminum, incurrente ad ſaxum excavatum & ripæ vicinum. Is autem vortex differt ab Ecnephia, quod non rectà exeuntiatur a nube, ſed tortuoſo ſeu obliquo motu: dicitur que Typho, iuxta Olympiodorum ἀπὸ τοῦ τύπτειν σφοδρῶς, *quia vehementer quatit*, ſeu verberat naves & quæcumque ab eo tanguntur. Denique ſi accidat prædictas exhalationes inflammari ex mutua colliſione, ſicque è nube prodire, vt ſimul ignis & flatus deorſum trudantur, alia procella oritur, *Præſter* dicta, à verbo πίμπρημι, quod ſignificat incēdere: ab eaque non modò concutiuntur, ſed & amburuntur naves, & ipſum mare quoddammodo effervesçit. Differt autem à fulmine, quoniam hoc non generatur, niſi præcedente tonitruo, & ex ſubtiliori materia, ac plus flammæ, quàm flatuum habente: Præſter autem oppoſito modo quantùm ad ea omnia ſe habet.

IL-

ILLVSTRISSIMO ET LITTERATISSIMO PRINCIPI,
D. D. PETRO DE SARMIENTO ET TOLEDO,
CLARISSIMORVM COMITVM DE GONDOMAR PRIMOGENITO,
A CONSILIIS CATHOLICÆ MAIESTATIS IN SVPREMO BELLI SENATV, &c.



LAVDO Philoſophiæ Nov antiquæ periodum clave aureâ. Diſſertationem eius vltimam Tuo nomini inſcribo, ILLVSTRISSIME PRINCEPS. Neque aſpernabere, credo, qui noſti quot Regibus ac Cæſaribus illa fuerit in delitijs. Concretiones terræ ac maris pedibus Tuis advolvo, imò oculis ferè repræſento: vt quæ duo elementa Maioribus Tuis fuere toties in trophæum, TIBI etiam ſint in animi lenocinium. Quippe ſplendidiſſimo genere Tuo, tot Principibus, Hiſpaniæ Magnatibus, Summis Exercituum Claſſiumque Ducibus inſignito, eam litterarum atque eruditionis gloriam addidiſti, vt iudicium ferre poſsis, etiam de hiſce arcanis, *IN NATVRÆ MAIESTATE ABDITIS*, vt cum Plinio loquar. Teſtes ſumus quotquot *TE* vidimus in hac Salmanticenſi Academia, primùm Rectorem, atque Hiſpanæ adoleſcentiæ Principem, dein Togatum in Maiori Collegio Archiepiſcopi Toletani, cuius purpuram per ſe ſatis nobilem vividiori adhuc murice decoratti. Teſtes, inquam, eius ſubtilitatis, doctrinæ, eloquentiæ, quæ vel hominem pannoſum, & fæculentâ plebe ortum, viris Senatorij Ordinis accenſeret. Magna quidēm laus & mira, hereditario ſplendori ab armis, tantam a litteris acceſsionem feciſſe. Noverat Hiſpania in Maioribus Tuis, vtràque geneſi, Paterna ac Materna, invictos Duces, qui Mautitaniam olim, qui Saxoniam, qui Galliam Belgicam, qui Luſitaniam, Chriſtiano Imperio, & Catholicorum Regum ditioni aſſererent. Noverat & ex ijs Proreges Italiæ, Novæ Hiſpaniæ, ac Peruviæ, qui tam regimine, quàm armis, glorioſum vbique nomen comparārēt. Deerat adhuc earum litterarum decus, quæ in Scholis exercitio, ac pugnaci diſsidio ſunt. Ideone clariſsima Domus Tua gloriam hanc alijs invideret, eam ſerio promerendam curaſſi. Apage iniurium illud Diogenis, *Fortunam nunquam componere mentem cum nobilitate, ſed tantùm iſtius demere, quantùm illius addit.* Procul ea ſententia hominis malè feriati, ſi vniverſè lata. *TE* vnum, quamvis alij deeſſent, obijcio. At videtur ex induſtria factum, vt nuper non in alium è Summis Senatibus, quàm Belli, fueris evectus. Nimirum, quamvis vſque adeò litterarum gloria eſſloreueris, Domus Tua ab armis expediri neſcit. Ijs ornamentis tot retro ſæculis potiſsimùm inſignita fuit. Galea, lorica, parma, & alia id genus, quaſi naturæ indumēta ſunt. Cætera, veluti adſcititia, dedignari videtur. Vtriſque tamen ſplendidiùs effulges, quàm ſi alterutris tantùm niteres. Eadem Pallas, quæ & Minerva, duplicem *TIBI* honorem contulit: qualiter illi, de quo Homerus Odyſſ. 6.

Τὸν ῥ' Ἀθηναίη θῆκεν Διὸς ἐκγεγαυῖα
Μείζονα εἰσιδέειν.

Hunc quidem Minerva reddidit ex Iove nata
Maiorem aſpectu.

Maiorem, ſcilicet, ab armis & litteris, ac ſplendidiorem. Cæterùm quòd hanc Operis mei laciniam tanto nomine inſignire voluerim, plures præterea cauſæ ſunt. Atque inter has, tot comitatis Tuæ ac favoris in me, ac res qualeſcumque meas, argumenta, quæ nunquam animo excident. Præſertim verò vrget ſtrictiſsimus ille amor Tuorum erga conſanguineum meum, Magiſtrum *Fr. Michaelem de Aguirre*, Summi Senatus Fidei Cenſorem, & Limenſis Academiæ Primarium Theologum, quem Excellentiſsimi Principes Marchiones de Mancera, Novi Orbis Proreges, alter Avus, alter Avunculus Tuus, tandiu & tam impensè honorārunt, ac ſecùm ex Peruvia in animarum ſolatium, navigationis comitem, & fidum conſiliarium detulerunt. Nequit non eſſe grata illius memoria Domui Tuæ, cui dum viveret, vſque adeò cordi atque amori fuit. Neque ego ingratus eſſe poſſum, vbi ipſius nomen, & merita, hoc qualicumque mnemoſyno, *TIBI* ac Tuis æternatura curavi.

DISP. NONAG QVARTA.

DE CONCRETIONIBVS INTRA TERRAM, ET AQVAM.

Quænam ſint, & ex quibus cauſis procedant?

Num. 1. *HACTENVS De illo genere concretionum, quæ in ſublimi apparent, ideoque propriè Meteora appellantur, diſputatum eſt. Nunc aſſerendum de ijs, quæ inferiori loco generantur, ſcilicet, intra terram & aquam, & quidem breviter excurrendo per illorum præcipua.*

SECTIO PRIMA.

De Ignibus ſubterraneis eorumque cauſis, ac regionibus, in quibus eruptiones illorum contingunt.

2 EXISTERE intra terræ viſcera ingentem copiam ignis, patet, vel ſolo experimento thermarum, è quibus prodeunt ferventes aquæ. Patet inſuper ex fumo, ac flamma excitari ſolitis in ijs regionibus, & montibus, qui à priſcis ſæculis celebres habentur, quoniam aut perenniter, aut ſtatis temporibus, incendia horribilia, atque ardentes globos flammarum ſpirant. Ij autem ſunt, Atlas in Mauritania, Epomeus collis in Ænaria inſula, Veſuvius in Campania, & omnium maximè Ætna, in Sicilia: de quo Poëtæ paſſim, atque ex Hiſtoricis Appianus *lib. 5. C. vil.* ἐγένετο δὲ καὶ βρομοὶ τ' αἴτνης σκληροὶ, καὶ μυκήματα μακρὰ καὶ σάλπιγγες περιλάμπουσαι τὴν ὄψιν. *Terruerunt exercitum ſævi fremitus Ætnæ, horrendi mugitus, fulgura latè ſplendentia.* Et Paulus Oroſius lib. 5. cap. 6. *In Sicilia mons Ætna vaſtos ignes eructavit, ac fudit: qui torrentiũ modo per prona præcipites proxima quæque corripientibus exuſſere flammis; longinquiora autem favillis calidis, cum vapore gravi latè volitantibus, terruerunt. quod Siciliæ ſemper vernaculum genus monſtri, non portendere malum aſſolet, ſed inferre.* Mitto plurimos alios, qui de hoc paſſim, noſtro etiam ævo, & circa vtramque Indiam, Orientalem, atque Occidentalem, vbi hæc naturæ portenta horrorem ſimul ac vaſtitatem populis inferre ſolent: de quibus nonnihil poſtea.

3 *GIGNVNTVR* ex materia ſulphurea ac bituminoſa, quæ aptiſsima eſt concipiendo & conſervando igni: cõſtatque id viſu & odore ipſo in locis ſubterraneum fumum atque incendium edere ſolitis. Scilicet, Sulphur naturale, quod *vivum* appellant, prævalet maximè calore & ſiccitate: ideoque proiectus in prunas, flammam aliunde trahit. Bitumen vero eſt ſuccus quidam valde craſſus & calidus, aquis ſupernatare ſolitus, in quem ignis è longinquo tranſilit, teſte Plinio *lib. 2. c. 105.* Materia ipſa accenditur vel per antiperiſtaſim incluſo calore, vel motu & agitatione exhalationum, vt meritò docet Antonius Philalthæus in Topographiâ Ætnæ *pag. 24.* his verbis: *Si in venas ſulphureas, vel bituminoſas, vel aluminoſas, moiderint venti, ſpirituum colluctatione intrinſecus facta, non difficulter ſuſcitantur incendia.* Conferunt & in id quædam aſtra cœleſtia, ſicuti & in cætera, quæ intra terræ viſcera generantur. Semel autem incenſus ignis nimiùm durat, ob materiæ viſcoſitatem & tenacitatẽ: verùm eâ abſumptâ deſinit, & non niſi poſt novæ materiæ acceſsionem, redit: ideoque in quibuſdam montibus ſulphureæ flammæ non ſemper ſed per varia temporum intervalla conſurgunt. In alijs verò diutiſsimè ignis perſiſtit propter exuberantiam materiæ, vel quia antequam prior materia abſumatur iam poſterior ſuccedit: quippe ipſe ignis, certis quibuſdam diſpoſitionibus accedẽtibus, ac ſuo efficaciſsimo calore poteſt terram ipſam in ſulphur & bitumen convertere, vt eo pabulo ſemper alatur. Quod relatis Iuſtino *lib. de Freto Siculo*, ac Bembo *in Dialogo de Ætna*, tuetur idem Auctor *pag. 26.* Vnde conſtat, cauſam efficientem ignis ſubterranei eſſe, non ſolùm aſtra, ſed & ipſum ignem ſeſe aggenerantem ſeu augentem ex materia iconco modo diſpoſita. Cauſa formalis nulla alia cenſeri debet, quam forma ipſa ignis. Subterraneus enim, immò & tartareus ignis (cum quo continuari priorem illum volunt aliqui)

qui in quibuſdam locis) eiuſdem ſpeciei ſunt quo ad ſubſtantiam, vt latè probo *tom. 2. Theologiæ Florulentæ, Lud. XIII. excurſu 2.*

4 *CAVSA* Finalis eiuſmodi ignium, alia naturalis, alia moralis eſt. Prior conſiſtit in vtilitatibus maximis, quas afferunt mundo inferiori, eiuſque habitatoribus. Deſerviunt enim generationi pluriũ metallorum vitæ humanæ admodũ vtilium: proſunt calefaciendis thermarum aquis in ſubſidium languentium: exſufflant vapores ægritudinibus varijs aut ſanandis aut minuendis opportunos, ac plura remedia præſtant curandæ podagræ, chiragræ, atque hydropiſi. De quibus legẽdus Georgius Agricola *lib. 4. de Naturâ ignis ſubterranei.* Poſterior eſt, vt mortales ob oculos habeant teſtimonia minacis Dei iræ, & veſtigia illius ignis nunquam interituri, qui impijs paratus ſæpe legitur in ſacris litteris. Vnde aliqui adnotárunt, vix vllam eſſe Orbis regionem, in quâ ſubterranei ignes non deprehendantur magis aut minùs, vt omnibus prenum & in aperto ſit, intra terræ viſcera ignem eſſe, quo tandem aliquando arſuræ ſint impiorum animæ.

5 *ET* Prætermiſſis locis *num. 2.* memoratis, id conſtat, quia vix vlla regio eſt, in quâ thermæ non inveniantur, aut ignium voragines. Surius in Comment. ad annum Domini 1537. Author eſt, in Islandiâ inſulâ, quæ Antiquis vltima Thyle dicebatur, montem quemdam fumare, ac tonitrui more inſonare, proijcere ſaxa ingentia, ſulphur evomere, cineres egerere, vſque ad vigeſimum lapidem, ita vt agri intra id loci intervallum coli non poſſint; eſſeque ibi voragines cineribus opertas, quæ incautos homines eò accedentes obſorbeant, & apparere etiam defunctorum ſpiritus ſub notâ ſpecie. *Quæ terribilia loca*, addit idem Auctor, *voluit omnipotens Deus in terris extare, vt rectiùs norint mortales, quæ pœnæ maneant impios poſt hanc vitam, & diſcant timere Deum, vt poſsint ignes æternos evadere.* Exiſtimatque inſuper in eiſdem locis eſſe tartari loca, aut oſtia, puniendis animabus deputata. Cui conſonat quod Hiſtoria Cappucinorum refert de quodam Ipſorum Generali, eximiæque pietatis viro, Fratre Hieronymo de Monte Flores, qui in globis flammarum aſcendentibus ex profundiſsimâ quadam Ætnæ voragine percepit quaſi animarum gemitus, & mœſta ſuſpiria.

6 *IN* Mexicanâ etiam ditione, ac provincia Ciapotulam, mons eſt, qui eructat lapides non minores domibus ipſis, ac retinentes ignem flammaſque, poſtquam eructatæ ſunt, vt proinde videantur ardere. Ita Petrus Alvaradus *lib. ad Corteſium.* Similia de alijs regionibus Americæ, atque Indiæ Orientalis, teſtantur alij, præſertim de Moluccis inſulis: de quarũ vnâ, quæ *Tornate* dicitur, prodidit litteris ex Malacca Baltaſar Diaz Ieſuita anno 1556. manare ſolitum ignem ex profundiſsimis antris, eructantẽ lapides molaribus æquales, idque horrendo fragore, cui tonitruorum ſonitus, & bombardarum ſtrepitus, vix valeant comparari. Similia de Iavâ Maiori, Nucoporo inſula, & alijs Aſiæ atque Africæ regionibus conteſtantur plures apud Maiolum *colloquio 22.* Verùm nihil adeò mirabile circa hæc me legiſſe memini, ac apud Nierembergium libro Hiſpanico, cui epigrapha, *Chryſol de Deſengaños*: vbi aſſerit circa inſulã S. Michaelis, vnam earum, quas *Terceras* dicunt, anno 1639. è profundiſsimo mari, ſtaturam hominis centies quinquagies æquante, erupiſſe vſque adeò immanem eluvionem ignis, vt devicto eo aquarum pondere flammæ vſque ad ipſas nubes aſcenderint: vt propterea mirum non ſit quod generatim teſtatur Ariſt. *lib. de Mundo c. 4.* dum ait: *πολλάκις δὲ καὶ ἀναφυσήματα γίνεται πυρὸς ἐν τῇ θαλάσσῃ. Sæpenumero autem etiam in mari evaporationes ignis exſtunt.*

SECTIO SECVNDA.

De Lychnis, ſive lucernis per plura ſæcula ardentibus iuxta ſepulchra, & in ſubterraneis locis. Proferuntur hiſtoriæ, & ratio philoſophica veſtigatur.

7 *VERVM* Quoniam diximus ſubterraneum ignem poſſe perſiſtere abſque vlla interruptione, aut defectu pabuli neceſſarij, occurrit veſtigandum non vulgare dubium, an ſit materia aliqua incombuſtibilis, quâ ignis perpetuò paſci poſsit, præſertim in lychnis accenſis. Et ratio dubitandi oritur ex narrationibus Auctorũ probatæ fidei, qui teſtantur in ſepulchris noviter detectis fuiſſe lucernas, ſeu lychnos ardentes à pluri-

ribus sæculis. S. Augustinus *lib.* 12. *de Civit. c.* 6. refert, in quodam Veneris fano fuisse candelabrum, & in eo lucernam sub dio ardentem, quam nulla tempestas, nullus imber extinxit: ideoque Græcè λυχνος ἀσβεστος, scilicet, *lucerna inextinguibilis* dicta fuit. Albertus Krantzius *lib. lib.* 4. *c.* 15. *Metrop.* Fulgosus *l.* 1. *cap.* 6. & Zuingerus *tom.* 2. *Theatri lib.* 2. *pag.* 276. ac Galeotus Martius *lib. de Doctr. Promiss. c.* 36. testantur, Henrico III. Imperatore circa annum 1028. detectum fuisse Romæ in sepulchro corpus gigantæ magnitudinis, quod erectum & levatum è tumulo vibis mœnia superavit. Iuxta illius caput erat facula ardens (quod solum nostro proposito congruit) & in pectore vulnus quasi quatuor pedum, epitaphiumque ad latus positum hoc distichon:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

8 *CORPVS* Illud, in subtilicidia platearum proiectum, tandem putruit: verùm lucerna nullatenus extingui potuit, donec perforato vase ingressus fuit ventus, qui eam extinxit. Quo videtur planè colligi lucernam illam arsisse inextinctam circiter duo annorum millia, quæ præcesserunt eius inventionem, arsuramque in posterum absque fine vllo, nisi ventus fuisset in eam ingressus. Sunt & plura alia eiusmodi exempla in Historijs, quæ vbertim refert Fortunius Licetus in Opere suo de Lucernis reconditis Antiquorum *lib.* 1. per totũ. Videtur ergo naturæ artisque viribus fieri posse ignem inextinguibilem, quique sine vllâ pabuli accessione perpetuò ardeat.

9 *HVIC* Difficultati quidam Auctores diversimodè respondent. Flavius Quarencus libro Italico inscripto, *Delle lucerne de sepolchri antichi*, & Paulus Aresius libro etiam Italico, cui titulus, *Impresa sacre*, Impresa 7. oppressi difficultate rei, negant eiusmodi lucernas fuisse inventas reipsa ardentes, vt frequenter traditur, sed potiùs extinctas. Atqui tot probati ac sapientes Historici id testantur, vt nõ absque temeritate videatur posse negari. Sufficeretque vnius S. Augustini testimonium circa lychnum perpetuò ardentem in fano Veneris ad id credendum. Alij recurrunt ad operam dæmonis. Et hic dicendi modus quamvis sit satis verosimilis fundamentumque habeat in D. August. vbi suprà, circa lychnum in fano Veneris ardentem, non tamen circa alias eiusmodi lucernas. Etenim Iacobus de Voragine in vita D. Isidori Archiepiscopi Hispalensis testatur, ipsum S. Doctorem construxisse miro artificio duas lucernas, & iussisse alteram apponi ad caput sui sepulchri, alteram ad pedes: illas verò arsisse inextinctas duobus sæculis, donec incertà ex causà sublatæ sunt. Atqui iniquum esset vel sulpicari tam insignem Ecclesiæ Doctorẽ operà nefarij spiritus eas lucernas construxisse. Ergo absque nefariâ eiusmodi ope construi possunt. *Præterea.* Nota est pietas Aurelij Cassiodori, præsertim postquam Monachum egit in Cœnobio Vivariensi, de quo plurima Abbas Trithemius *lib.* 2. *de Viris Illustr. c.* 3. Ispes *tom.* 1. *Chronici Benedictini*, nos ipsi *tom.* 1. *Theol. Florul. in Apparatu num.* 257. Attamen idem Cassiodorus *lib. Divin. Lect. c.* 30. de scripto inquit: *Paravimus etiam nocturnis vigilijs mechanicas lucernas, ipsas sibi nutrientes incendium, conservatrices illuminantium flammarum quæ, humano ministerio cessante, prolixè custodiunt vberrimi luminis abundantissimã claritatem; vbi olei pinguedo non deficit, quãvis flammis ardentibus torreatur.* Hæc ille: quibus manifestè convincitur, eam industriam humanam fuisse, non diabolicam, sufficientemque extitisse vt flamma lucernarum absque externâ ope, pabulove superaddito maneret inextincta.

10 *NEQVE* Etiam fas est recurrere ad miraculum, vt videtur recurrere Maiolus *Colloquio* 22. Licèt enim hoc fortasse locum habeat in lucernâ illâ, quæ post quingentos annos ardens inventa est iuxta miraculosam Christi D. imaginem in Edessâ Syriæ intra parietem; in alijs tamẽ locum non habet, nec Philosophis licet absque evidenti necessitate recurrere ad miracula. Quare alij communiter naturalem rationem tradere conantur. Ioannes Baptista Porta *lib.* 12. *Magiæ naturalis c.* 13. suspicatur eiusmodi lucernas tali artificio fuisse constructas, accensas, & repositas in vase, vt ad vitandum vacuum oportuerit eas semper ardere. Aliter quoque rem exponit, ignem in lucernâ perpetuò ardere potuisse ita, vt ex fumo flammæ ardentis reficeretur liquor aptus ad nutriendam flammam in eadem lucerna. Plutarchus *lib. de Oracul. defectu* censuit id provenire posse ex qualitate loci, nempe ex aëris frigiditate & humiditate, vel caliditate & siccitate. Ijs enim causis existimat labefactari posse vsque adeò vires

ignis, vt non abſumat ſuum fomitem, & ſic diu perſiſtat. At omnes hi modi dicendi, tam procul à veritate ſunt, adeoque voluntarij, vt ſponte ſua corruant, & tru-ſtra tempus triverit Licetus *lib.* 2. in ijs refutandis.

11 *QVARE* Veroſimilior, quamvis adhuc incerta, eſt aliorum ratio, quà exiſtimatur, potuiſſe in ijs lucernis ſparari tale ellychnium; oleumve, vt diu, ac pluribus ſæculis inextinctæ arſerint. Videmus enim quædam terreſtria corpora, quæ in igne integra perſiſtunt, illumve ſemel intra ſe receptum adeo tenaciter poſſident, vt nec dimittant, nec ab eo abſumantur. Ita enim experimento compertum eſt in lapidibus, Amianto, Asbeſtoque, & in alio item naſcente in Chariſtia rupe, in alumine Scariolæ, in alio etiam lapide Cyprio, pluribuſque ſimilibus. Speciatim autem de Asbeſto hæc habet Albertus Magnus lib. 2. Mineralium tract. 2. cap. 1. *Asbeſtos coloris eſt ferri, qui vt plurimùm in Arabiâ inuenitur: cuius virtus mirabilis narratur, & in templis deorum eſt manifeſta, eò quòd ſemel accenſus vix vnquam poterit extingui, quia naturam habet lanuginis, quæ vocatur pluma Salamandræ cum modico vnctuoſo pingui inſeparabili ab ipſo: & illud fouet ignem accenſum in ipſo.* Hactenus ille. Quibus & addi poteſt, vis nota bituminis, quod præ alijs combuſtibilibus ignem retinet, præſertim verò temperatum condimento aliquo, ita vt nec aqua extinguatur. Oleum etiam commune, ſi certa tali portione condiatur, duplo tempore igne paſcit. Potuit itaque ex aliqua materia prædictarum parari ellychnium, quod multo tempore, aut etiam pluribus ſæculis arderet. Sunt & alij modi excogitati, quibus id cenſetur fieri poſſe. Duos illorum, quibus paretur oleum inextinguibile, ex Abbate Trithemio refert Auctor Schoſiorum apud Andræam Libavium *lib. de Naphtha cap.* 5. Alium item ex admiſtione olei cum calce viva ſæpius deſtillata commemorat Licetus allegatus *lib.* 3. *cap.* 28. Denique aliqui ſuſpicantur poſſe metalla, præſertim aurum, ita diſponi arte chymica, vt perpetuò ardeant.

12 *AT* Semper videtur res *in naturæ maieſtate abdita*, vt cum Plinio loquamur, quod aliqua, aut nonnullæ ex materijs prædictis, poſſint pluribus ſæculis retinere ignem, abſque acceſſione vlterioris pabuli. Cum enim ignis aſſiduâ operatione debeat pabulum in ſe convertere, & hoc finitum ſit, imò exiguum, vt potè levi lucernæ vicinum, & contentũ frequenter intra vas non magnum; ſemper difficilè redditur ratio, quomodo tandiu durare poſsit. Licetus vbi nuper *cap.* 20. inquit, ignem ſua levitate ſemper conari ad aſcenſum, ſed impediri ratione materiæ vnctuoſæ & viſcoſæ, ne illico evolet: ideoque ignem, vt eiuſmodi impedimentum ſuperet, indeſinenter agere in eam materiam, donec illam abſumat, & tandem ſublato impedimento aſcendat. Poſſe verò parari talem materiam, quæ viribus cum igne contendat, & proinde vel ab eo non abſumatur, vel non, niſi tranſacto longiſſimo tempore. Quæ ſanè coniectura probabilis apparet, & ſufficiens ad retundendam quoudammodo vim difficultatis, cũ non occurrit alia veroſimilior.

SECTIO TERTIA.

De Terræmotuum cauſâ & effectibus admirandis, ac multiplici ſpecie. Vbi de fontibus, fluvijs, inſuliſque, terræmotuum vi ſepultis, aut detectis.

13 *SOLENT* Accidere varij terræmotus in plerilque regionibus: & adhuc in Hiſpaniâ, quamvis rarò, contingunt; vt circa annum 1662. quodam die infra Octavam S. Ioannis Baptiſtæ, quæ ſi vna hora ante Solis ortum, plurimi diſtinctè obſervavimus, per totam ferè Caſtellam Veterem ac Navarram, concuſsis parietibus, & titubantibus ædificijs. Veſtigatur autem eorum cauſa ab Ariſt. in præſenti *lib.* 2. *c.* 8. vbi, refutatis aliorum opinionibus, docet illam conſiſtere in impulſu ſpirituum, ſive exhalationum, quæ dum fluctuantes huc & illuc conantur egredi, terram concutiunt, donec tandem erumpant. Quare circa finem capitis concludit: *αἴτιον δὲ τῆς μεγέθους, τὸ πολὺ καὶ τῆς πνεύματος, καὶ τῶν τόπων τὰ σχήματα δι' ὧν ἂν ἐνῇ*, &c. *Porrò tam ſpiritus multitudo, quàm forma cavernarum, vel cuniculi, per quem meat, magnitudinis terræmotus cauſa exiſtit. Quà enim ſpiritus reſultat, nec facilè penetrare poteſt, & maximè quatit, & in ſpecum anguſtijs intercluditur aquæ modo quæ pertranſire non poteſt, neceſſarium exiſtit.*

14 *QVANDO QVE* Autem exhalatio

lationes ipsæ cavernis terrarum clausæ ita motu suo inardescunt, vt non solùm quatiant montes & insulas, sed etiam egerant ingentem cineris ac flammarum molem. Quod perspicuè testatur idē Arist. loquens de insula, quam *Heram*, sive *Sacram* appellabant, his vebis: *In hac intumuit aliquid terræ, & ascendit veluti collis molles cum sono: tandem autem rupta, exivit spiritus multus, & favillam ac cinerem elevavit, & Lipadeorum civitatem existentem non longè incineravit omnem, & ad quasdam civitatum in Italiâ venit: & nunc adhuc ubi exsufflarit, manifestū est: etenim facti ignis in terrâ hanc putandum esse causam.* Idem quoque, & coplura alia terræmotuū effecta recēsens Plinius *l.* 2. *c.* 80. cum inquit *Variè quatitur, & mira eduntur opera, alibi postratis mœnibus, alibi hiatu profundo hausti, alibi egestis molibus, alibi emissis omnibus, NONNVM. QVAM ETIAM IGNIBVS, calidisvè fontibus, alibi adverso fluminum cursu.* Egestioni autem ignium additur quandoque sonitus, vt nuper ex Arist. audivimus: sed tamen vix adeò horrendus, ac in Sicilia cōtigit anno 1536. quando ex Ætna ruperunt ignea flumina, vt refert Antonius Philothæus *in Topographia Ætnæ*, ita loquens: *Horrendus adeo terræmotus, ingensq; tonitru, mortalium animos suo concussit spiritu, perinde ac si universus terræ globus terrâ deh fiscente corrueret, inque sua rursus elementa rediret.*

15 *ORIVNTVR* Sæpe ex assiduâ longi temporis pluviâ: quia exhalationes siccæ fugientes ab aqua sese constringunt per antiperistasim ad interiores terræ partes, & tandem carceris impatientes erumpunt, eamque quatiunt. Cuius doctrinæ simul & experimenti amplissimum testimonium præstat Ioannes Papiensis Cardinalis, veluti oculatus testis in quadam epistolâ apud Maiolum colloq. 13. his verbis: *Die quinta Decembris anno salutis nostræ 1456 tribus ferè ante lucem horis totum ferè regnum Neapolitanum concussum est ingenti terræmotu, quo oppida plura, & civitates, aut totæ multis locis, aut alibi ex parte, cum permoie hominum corruêre. Habito censu oppressorum, relatus est ad Regem numerus sexaginta millium. Res profectò in audita seculis nostris, ac vix fidem faciens, nisi ijs qui viderunt ::::: Credo continuationem imbrium, qui sine ventis duos prope menses durârunt, hoc effecisse.* Idem ipsum testatur S. Antoninus, qui eo tempore vivebat.

16 *PROCEDVNT* Ex terræmotibus interdum rara atque insolita effecta. Ac primò quidem sæpe fontes erumpunt, non antea visi: vt in memorato eventu. Idem enim S. Antoninus *in Chronico tit.* 22. *cap.* 14. testatur, tunc fuisse concussum Baianum oppidum, & ab ingenti, quæ ipsi supereminet, rupe repentè prosilijsse fontem vique adeò copiosum, vt subita inundatione demerserit trecentos supra mille homines. Similia ex Theophrasto refert Seneca *lib.* 3. *Natur. QQ.* circa Corcyrum montem terræmotu concussum: & recentiùs, ideſt, anno 1558. idem testatus est Melchior Nuñez Iesuita de terræmotu in regnō Sanctorum, quod est pars Sinensium regionum. Ratio autem in promptu est: quoniam concussâ terrâ ac præcedenti ordine inversō, fieri potest, vt fontes, qui per occultos montis meatus demergebantur in profundum, alio divertant, & apertâ ianuâ supra terram planam ac patentem excurrant. Ideo denique in causa esse potest, vt fontes & flumina antiqua terræmotu abscondantur. Nimirum, concussione ipsâ terræ fieri valet, vt aquæ prius erumpentes, impediantur exire, & per occultos terræ cuniculos, hiatusvè, alio divertant, vsque ad mare: qualiter in Hispania fluvius Anas pluribus intra terram millibus absconditur, & postea erumpit. ac sicuti, testante Arist. lib. 1. c. 13. fine, *amnis quidam haudquaquam Rhodano minor, in agro Ligustico absorbetur, rursumque alio in loco emergit.*

17 *ALIVS* Terræmotuum effectus est, quòd maria quandoque egrediantur terminos suos, & naves ipsæ in montes transferantur: qualiter accidit mortuo Iuliano Apostata. Totus enim orbis terræmotū passus est, mari limites suos transgresso, & navibus iuxta prærupta montiū pendentibus, vt testantur S. Hieronymus *in vita S. Hilarionis*, & Ammianus Marcellinus *lib.* 26. Totum verò tremuisse orbem, non est accipiendum de vnico & continuo terræmotu: cùm hic, consentientibus Philosophis, & Senecâ approbante *lib.* 6. *c.* 25. nunquam ducenta milliaria excedat. Intelligendum itaque de alijs atque alijs terræmotibus diversarum regionum, quæ sub idem fere tempus eam calamitatem seorsim perpessæ fuerint. Miraculo autem adscribendus terræmotus qui accidit ipso tempore Passionis Domini, indicatus illis verbis Mathæi 27. *Et terra mota est,*

eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. Miraculo, inquam: tum ob circumſtantiam temporis, ſocietatemque eclipſis naturæ leges ſuperantis: tum quia magnam orbis terræ partem eodem tempore conculſit, ſupra omnium aliorum vim: tum denique, quia nullus æqualis vnquam viſus, etiam Ethnicorum teſtimonio. Plinius enim *lib.* 2. *c.* 84. ita de illo ſcribit: *Maximus terræ memoriâ mortalium extitit motus Tiberij Cæſaris principatu, duodecim vrbibus Aſiæ vnâ nocte proſtratis.* Mors autem Chriſti accidit anno decimo octavo principatus Tiberij. Similiter & Phlegon Græcus Hiſtoricus & Ethnicus, à Suida relatus, teſtatur *lib.* 14. præter incredibilem eclipſim fuiſſe tunc adeò ingentem conculſionem terræ, vt proſternerentur infinita ædificia Bithyniæ, atque Aſiæ, in qua ipſe morabatur. Nomina autem vrbium dirutarum refert Nicephorus *l.* 1. *c.* 17. ſcilicet, Epheſum, Magneſiã, Sardim, Moſthenem, Hiero-Cæſaream, Philadelphiam, Tmolum, Timum, Myrinam, Cimem, Apolloniam, Hyrianam, Diam, Cybaram.

18 *DENIQVE* Quamplures effectus terræmotuum dignoſci poſſunt ex quadruplici illorum ſpecie, ab Ammiano Marcellino recenſita *lib.* 17. Prima ſpecies dicitur Braſmatia, quæ ingenti terræ conculſione, attollit moles, & inſulas nũquam antea viſas inducit in medio mari. Tales fuiſſe putantur Delos, Hiera, Anaphe, Rhodus, Ophiuſa, Pelagia, Elcuſis, aliæque. Secunda Climatia, quando montes ſubverſi ponderc ſuo omnia complanant. Tertia Chaſmatia, quoties montes aut inſulæ hiatu ſubito abſorbentur: vti accidit in Criſeo ſinu Helicæ, & Buræ & Cimiriæ in Italia. Horribilius autem fuit, ſi tamen verum, quod Plato olim ſcripſit, ac poſtea probarunt Tertullianus *in Apologetico c.* 39. alijque plures, & Marſilius Ficinus in Compendio eiuſdem Platonis *c.* 4. ſcilicit, diu ante Romam conditam, vltra Herculis columnas fuiſſe inſulam, Athlantidẽ nomine, maiorẽ Africâ & Aſiâ, cuius Reges ſubiugaverant Libyam & Ægyptũ, vſque etiam Thyrrenum mare. Illam verò tota quantâ erat, ingenti terræmotu, vnius que dici & noctis aſſiduâ illuvione, abſorptam fuiſſe ac perpetuò ſepultam intra vaſtiſſimum Oceanum. Quarta denique ſpecies Micematia dicitur ab aliquibus, quando ſonitu, fragore, fremituque diſſolvuntur compages elementorum, & & vltrò adſiliunt, conſidentibus terris. At non niſi Mycetia dicitur à mugitu, quem edit: vt palam conſtat ex Ariſt. lib. de Mundo *cap.* 4. non longè a fine: vbi præmiſſis pluribus terræmotuum ſpeciebus, ſubdit: *γίνονται δὲ καὶ μυκητιαὶ σεισμοὶ σείοντες τὴν γῆν μετὰ βρόμου. πολλαχοῦ δὲ χωρὶς σεισμοῦ γίνεται μύκημα γῆς. Fiunt verò etiam Mycetiæ, terræmotus, qui cum mugitu quatiunt terram: quanquam ſæpe terræmotus ſine mugitu contigerit.* Scilicet, μύκημα Græcis mugitus eſt, indeque Mycetijs nomen.

19 *SVBDIT* Verò ſtatim plures alios effectus in mari erumpentes ex terræmotibus. *Mam & hiatus*, inquit, *in mari fiunt, & receſſus, vndarumque excurſiones, interdum reciprocantes, interdum eluvie retrò non recurrente: id quod proditum eſt circa Buram, Helicemque contigiſſe. Sæpenumero etiam in mari evaporat ones ignis exiſtunt, fontes ſcaturiunt, oſtia fluviorum aperiuntur, arbores enaſcuntur, fluxiones & vortices exiſtunt, inſtar eorum habentes, quæ à flatibus deſignari dictum eſt, non in medio mari tantùm, ſed etiam in euripis & freti.* Inde eſt, vt retrocedente mari quandoque in terram continentem tranſierint, quæ antea inſulæ erant; exuberante autem, è contrà. Vtrumque, præter alios, teſtatur Plinius. Primum quidem lib. 2. cap. 89. dum ait: *Rurſus abſtulit inſulas mari, iunxitque terris, Antiſſam Lesbo, Zephyriũ Halycarnaſſo, Æthuſſam Myndo, &c.* Secundum verò præmiſſarat *cap.* 87. iſtis verbis: *Claræ iam pridem inſulæ. Delos & Rhodus, memoriæ proditur enatæ.*

SECTIO QVARTA.

Iterum de Inſulis, ijs præſertim quæ natant, ſeu fluitant medio mari. An à Mundi principio formatæ, & qua de cauſa fluctuent?

20 *INSVLARVM* Nomine nihil aliud accipitur, ſive in mari, ſive in fluminibus, ſive in lacubus, quàm quædam terræ portiones à cæteris prominentes, & extremâ ſui orâ vndique aquis circunfuſæ. Alioqui enim, & largiori ſignificatu, rectè docet Ariſt. lib. de Mundo cap. 2. *Vniverſam ipſam terram, inſulam eſſe vnicam, Athlantici maris ambitu circundatam.* Volunt autem aliqui totam terram fuiſſe continuam, & nullo inſularum

rùm interstitio distinctam, non modò in prima rerum genesi, sed etiam in segregatione aquarum a terra, quæ ibidem memoratur, imo & post diluvium: postea autem temporis decursu, aquarum eluvione, aut terræmotuum vi, separatas fuisse quasdam terræ partes ab alijs, & à continenti divulsas. Et hoc modo divisam aiũt, Siciliam ab Italiâ, Cyprum à Syriâ, aliasq; plures, vltra memoratas *num. præced.* Præsertim verò ita sentiunt: quia aliter nullus apparet locus, nulla via, quâ homines & iumenta post diluvium transportari potuerint ad Americam, in quâ tot Gentium regiones detectæ sunt, tot perfectorum animalium genera, toti Antiquitati penitus ignota.

21 *VERVM* Quamvis doctrina hæc in quibusdam insulis locum habeat, non tamen in omnibus. Putandum enim est, Deum in ipsa divisione primâ terræ ab aquis, distinxisse quasdam insulas à continente, idque ad varietatem & pulchritudinem Vniversi. Idque præterea constat à posteriori ex admiratione hominum à prisc̃is sæculis, quoties casu aut terræmotu aliquo accidit, è continenti terra factam fuisse insulam aliquam: quod sanè non mirarentur, si post diluvium cœpisset insularum divisio. Neque absurdum est dicere, homines ac iumenta quarumlibet specierũ, post diluvium transijsse in Americam, aut navigio aliquo, aut per partem terræ continentis cum ipsâ America continuatam, saltem sæculis præcedentibus. Quin & ab Islandiâ insulâ, quæ antiquis vltima Thyle appellata censetur, non nimiùm distat terra continens, quam hodie Geographi dicunt *Estotilant*, al. às *Cabo del Laborador*; quæ cum America continuatur, vt in tabulis Gerardi Mercatoris, Ortelij, & Ianssonij cernere est. Idque adhuc facilius fuerit, si verè extitit insula illa, quam Athlantida dixere Plato & præterea alij *sect. præced.* allegati. Cùm enim maior fuisse dicatur, quàm Asia & Africa, atque inter Americam & Hispaniam extitisse, facili negotio potuere homines ex illa transire navigio in Americam, atque animantia cætera perfecta secum deferre. Nam quod aliqui aiunt, id ministerio Angelorum factum, minùs Philosophicum est, & non apparet necessarium. Legendi circa eam controversiam, quæ celeberrima est hoc sæculo, Pineda *lib. de Rebus Salomonis*, & Sherlogus *lib. Antiquit. Hebraicarum*, qui eam accuratiùs examinârunt, & plurimùm de suo cõtulerunt.

22 *PORRO* Insularum aliquæ comperiuntur medijs aquis, more naviũ, fluitasse, idque pluribus locis, vt testatur Plinius *lib. 2. cap. 95.* dum ait: *Quædam insulæ semper fluctuant: sicut in agro Cæcubo, & Reatino, Mutinensi, Statoniensi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas, opaca sylva, quæ nunquam die ac noctu eodem loco visitur. In Lyaiâ, quæ vocantur Calaminæ, non ventis solùm, sed etiam contis, quò libeat impulsæ, multorum civium Mithridatico bello salus.* Et recenter Abrahamus Ortelius loquens de quadam insulâ in certo Scotiæ lacu, inquit: *Est insula quædam gregibus armentisque pascendis vber: sed quæ natans fluitansque, quo venti impellunt, huc illuc feratur.* Et in Hispania hodie ad Sucronem fluvium, vulgo Xucar, lacus est, *Vnna* nomine, per quem fluitat insula, olim maior, nunc minor, vndis nonnihil quotidie exedentibus. Lacum eiusmodi esse in ditione Marchionis de Cañete, & à se visum testatur eruditissimus I. Ludov. de la Cerda in 3. Æneidos. Quæ omnia nec ita accidere, nec facilè apprehendi possunt, nisi eiusmodi insulæ sint a fundo divulsæ. Dubitatur autem, quæ ratio physica sit, vt eo modo innatent, & non ferantur deorsum, siquidem terra, ex quâ compactæ sunt, excedit gravitate aquam. Dicendum verò videtur, posse id ex multiplici causa provenire. Primò si tota moles, aut maior pars, nitatur radicibus arborum per terram earundem insularum intextis: quo fiet, vt arbores naturâ suâ vim habentes natandi, secum etiam extollant terram adhærentem. Sic certè ferrum, lapides, & complura alia magni ponderis, natant supra mare intra lignea navigia. Secundò, si terra ipsa valde spongiosa sit, & proinde apta ad levitandum in aquâ: sicuti Albertus Magnus *lib. 1. de Mineralibus tract. 1. cap. 2.* observat, esse quoddam genus lapidum spongiosum, vel adustum, & perosum, instar pumicis, ideoque fluitans in aquâ. Quare Cerda vbi nuper testatur terram eius insulæ à se visæ, esse tophaceam. *Tertiò* denique accidere potest, vt intra easdem insulas sint ingentes aliquot cavernæ aere oppletæ, quarum subsidiò cætera moles supra aquam subsistat.

32 *TANDEM* De aliquâ prædictarum insularum legitur, aliquando fluitasse, postea verò obfirmatam fuisse.

Sic

Sic quippe de Delo accinit Virgilius 3. Æneidos:

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:
Quam pius Arcitenẽs terras & littora circũ
Errantem Mycone celsa, Gyaroq́; revinxit:
Immotamq́; coli dedit, & contẽnere võtos.

Nec Poetæ fabula est. Veluti rem indubiã tradit Plinius *lib.* 4. *cap.* 12. his verbis: *Ipsaque longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos, quæ diu fluctuata, vt proditur, sola terræ motum non sensit vsque ad Varronis ætatem.* Consonat à simili quod tradunt Herodotus *lib.* 4. & Ammianus *lib.* 12. ita loquens: *Symplegades geminiscopuli, in vertices vndique porrecti diruptos, assueti priscis sæculis obviam sibi cum horrendo fragore collisis mollibus ferri.* Quo planè supponitur, eos scopulos iam quievisse. Ratio autem physica quietis superveniẽtis esse potuit, quod aër priùs in cavernis insulæ aut scopulorum clausus, foras exierit, ideoque tota moles fundo hæserit.

SECTIO QVINTA.

An vnicum sit Mare totius Orbis, an plura nullatenus colligata inter se? Cur omnium eorum aqua sit salsa, & quomodo dulcis fieri possit?

24 MARIS Aquam sublimiorem esse aliqua sui parte, quàm editissima totius terræ culmina, iam statuimus *disp.* 58. *sect.* 3. nec repetere opus est. Superiunt tamen aliqua circa ipsum mare vestiganda. Ac primũ quidem, an totum mare, quantum apparet in Vniverso, sit continuatum, propterea q́ue non sint plura maria, nisi denominatione sumpta à varietate regionũ, quas alluunt. Aristoteles in præsenti *lib.* 2. *c.* 1. videtur censere plura maria esse prorsus divisa, absque vlla cõtinuatione inter se. Ait enim ἔτι δὲ ἐπὶ πλείους εἰσὶ θάλατται πρὸς ἀλλήλας ὑπερμιγνύμεναι κατ' οὐδέν τόπον, &c. *Insuper cùm plura sint maria, quæ nullo ipsa in loco inter se copulari sive permiscere soleant (quoniam Rubrum quidem cum eo, quod extra Herculis columnas iacet, parùm communicare videtur; Hyrcanum verò & Caspium, & ab extero mari seiuncta esse, & circumquaque accolas habere) fontes profectò haud quaquam latere possunt, si quo in loco eas haberent.* Vbi non negat Aristotel. Erithræũ, sive Rubrum mare communionem omnino habere cum Athlantico, sed solum asserit, parum cum eo communicare: quatenus, scilicet, mare illud nimiùm in longum porrigitur intra sinum terræ; ideoq́; stricta & modica sui extensione continuatur cum Oceano Indico, qui idem per cõtinuationem est cum nostro Athlantico: vt ex quibuslibet tabulis hydrographicis constat. Neque etiam omnino dividit mare Hyrcanum à Caspio, quod vnum reipsa esse non potuit ignorare Aristoteles; vtpotè non admodum ab eo remotus: sed veluti mare binomium effert, propter diversas regiones duobus eius lateribus adiacentes: sicuti & idem Oceanus, qui iuxta Bæticam & Lusitaniam dicitur Athlãticus, iuxta Germaniam appellatur Germanicus, & similiter iuxta alios circa Polum tractus dicitur Hyperboreus, Deucalidonius, & Scythicus. Itaque veniendo ad rem ipsam, mare Caspium, sive Hyrcanum, ex mente Aristot. nullo modo continuatur cum Athlantico, vel alio quoppiam: quia apparet vndique conclusum terra continenti, & nullũ in eo patet vestigium, quo censere possimus illud communionem habere cum alio mari.

25 *QVODCVMQVE* Autem mare sit, aut seorsim existens, aut per occultos saltem terræ meatus continuatum cũ alijs, communem salsedinis affectionem in aquis subit: quamvis non solum. nam & plures fontes lacusq́ue salsi inveniuntur, vt idem Philosophus *cap.* 3. sequenti docet, ac notissimum est. Ac post varias Philosophorũ opiniones relatas circa causam eius salsedinis, ipse concludit, provenire illam à commixtione exhalationum terrearum siccarumq́ue cum alijs adustis, accedente potissimùm virtute Solis, eiusque operatione. Consentit S. Tho. *ibid. lect.* 6. Albertus *l.* 2. *tract.* 9. *c.* 15. & communiter alij. Ratio est: quoniã exhalationes terreæ & adustæ quoties humido cõ unguntur, causant salsedinem: vt probat Arist. experimẽto vrinæ, & sudoris, ideo præferentium quandã salsedinẽ, quoniã calor animalis adurit quasdã partes terreas, quæ cõmistæ sudori & vrinæ humentibus, vtrique salsedinẽ conferũt. Idemq́; patet in lixivio, sive aquâ decurrente per cineres, quod ex eorũ adustione salsũ efficitur: imo & in ipso sale, quod resultat ex admistione humidi cũ terreo. Quare licèt aqua maris ex se omni salsedine careat, vtpotè simplex ele-

elementum, cui nullus est sapor, sicuti & nulla quatuor primarum qualitatum permistio; adhuc ex consortio prædictarum exhalationum, tanquam ex causa materiali, resultat. Causa verò efficiens est corpus cœleste, præsertim Sol, quia operatione sua adurit exhalationes prædictas salsedini deservientes. Quare minùs rectè soli Deo vt causæ principali tribuendam eam vim effectricem censuit Ioannes a S. Th. quem rectè impugnat Ioannes ab Annuntiatione *d. disp. 5. q. 7.*

26 *EX* Mixtione prædictarum exhalationum, coniunctioneque terræ & aquæ ac salis inter se, oritur quòd aqua maris crassior sit & gravior aquis dulcibus vsque adeò, *vt naves* (verba sunt Aristot. vbi suprà) *ab eodem pondere rerum in fluvijs quidem ferè submergantur, in mari autem mediocriter se habeant & navigabiliter. Quapropter aliqui onerarios in fluvijs naves, propter hanc ignorantiam damnū passi sunt.* Eandemque rerè gravitatem & vim sustinendi ponderosa corpora habet aqua dulcis, si multo sale admisceatur. Quare subdit ab experimento idem Philosophus: *Si aliquis aquam salsam fecerit valde miscens sal supernatant ova, etiamsi sint plena.* Idemque accidit in lacubus salsis; quoniam eorum aquæ facilius quæcumque pondera sustinent. In quod probandum affert narrationem de quodam apud Palæstinam stagno, *in quod siquis immisserit colligatum hominem, aut iumentum, supernatat.* Is verò lacus, dicitur Alphaltites: de quo Iosephus *l. 5. c. 5.* ita loquitur: *Is verò salsus ac sterilis est: nimia verò levitate etiam quæ gravissima sunt, in eum iacta fluitant: atque ægri autem quis in profundum, vt de industria facilè potest. Denique Vespasianus, qui eius visendi causa illuc venerat, iussit quosdam natandi inscios vinctis post terga manibus in altum projici: & evenit omnibus, tanquam vi spiritus sursum repulsos, desuper fluitare.*

27 *POTEST* Verò aqua maris à salsedine purgari, dulcisque effici, si ad ignem ferveat, & vapores ascendentes excipiantur spongia. Ibidem enim aggregatur subtilior puriorque aquæ pars & relicta in fundo salsedine graviore concrescit in dulcem ac potabilem aquam. Similiter dum ipsæ maris aquæ per meatus angustos trajiciūt terram, relinquunt in ijs salem, & dulces evadunt in fontibus ac rivulis. Quo ferè artificio nautæ aquam dulcem è medio mari colligere possunt attestante Aristot. vbi supra. *Siquis*, inquit, *vas cereum formans posuerit in mari, quod ingreditur per partes cereas fit potabilis aqua: tanquam enim percolatum quod terrestre est, & quod facit salsedinem propter cōmistionem, secernitur.* Nimirum, vt in cavis quibusdam lapidibus aquæ ipsæ dulces assiduo distillantes fiunt subtiliores ac puriores transitu ipso per angustissimos meatus, ita & aqua amara simili artificio transit in dulcem. Insana verò est vis aquarum fluvij Argentei, vulgò, *Rio de la Plata*: qui Oceano ipsi, triginta leucarum spatio in directum, aquas dulces communicat, omni salsedine præcisa. Nimirum, cùm ille latissimarum Peruviç regionum, aliarumque ijs conterminarum, aquas in se colligat, & circiter septuaginta leucarum latitudinem occupet, mari, quàm fluminì similior; vbi ingreditur Oceanum, cum illo decertat; &, quam vis nequeat plenam a tanto hoste reportare victoriam, triginta leucarum spatio illam obtinet, & non finit amarescere intra eam sphæram. Quod immemoris hominibus experimento diutino notum est, nec speciem fabulæ exhibet, qualem illud Plinij lib. 2. cap. 100. *Et in exemplis, Dionysio Siciliæ Tyranno, cùm pulsus est ea potentia, accidisse prodigium, vt vno die in portu dulcesceret mare.* Nisi fortè aut miraculo acciderit, aut evenerit subita eruptio alicuius venæ ingentis aquæ, quæ locum sibi fecerit in ipso maris ingressu, coactis ad breve tempus retrocedere salsis illius aquis.

SECTIO SEXTA.

De Fontibus ac Fluminibus è Mari procedentibus, an præterea ex alijs causis oriantur, & quænam eæ sint?

28 *DIXIMVS* Et probavimus, allegata illa disputatione 58. sectione 3. flumina, & fontes montium, è mari ortum ducere. Supposita autem doctrina ibidem tradita, & pluribus circa eam observatis, modò nonnulla alia addenda sunt circa originem fontium, ac subinde fluminum, præsertim ex Arist. *libro 1. huius Operis, cap. 13. & 14.* quæ duo lectu iucundissima sunt.

Pri-

Primum est, totam terræ molem secundùm profunditatem dividi in tres regiones, sive partes: quarum summa est hæc superior, quam inhabitamus, receptaculum pluviarum, alveus fluminum, arborum sedes, & domicilium animantium: extenditurque decem milliaribus versus profundum. Vltima est centrum ipsius terræ, & circumferentia eidem vicina, ac nimiùm a nobis disita, intra quam nihil generatur, quoniam non eousque pertingit corporum cœlestium activa virtus. Media vtramque interiacet, & intra eam generantur metalla in quibusdam cavitatibus, instar venarum, quæ dum metallis carent, implentur aere, vel exhalationibus terreis, ad impediendum vacuum. In ijs quoque generari solent ignes subterranei, & terræmotus, de quibus *sect.* 1. & 3. actum est.

29 *SIMILITER* Et in eisdē cavernis generatur aqua ex aere ac vaporibus: quoniam nimia eorum locorum frigiditas, propter elongationem à Sole, in causa est, vt addensetur aer, & concrescat in exiguas guttas illic decurrentes per occultos sinus. Aer verò iam conversus in aquam incipit occupare longè minùs spatij, & quasi decimam partem: quia aqua decies circiter densior aere existimatur. Quare, ne sequatur vacuum, opus est ingressu novi aeris in eas cavernas, qui & similiter addensatus nimio loci frigore cōcrescat in aquam. Porrò eadem ratio est de vaporibus per eas cavitates extensis. Vnde fit perennis quædam vicissitudo generationum aquæ, & corruptionum aeris: insuper & assiduus ille lapidum ac terræ quasi sudor in profundis quibusque antris, quem toties experimur visu tactuq;. Prodestque in eiusdem doctrinæ confirmationem testimonium Cornelij à Lapide in cap. 1. Ecclesiastæ, ita loquentis: *Romæ quidam insignis Mathematicus è Societate nostrà mihi asseveravit, se perscrutatum Alpes, ac salinas Alpium; atque in earum summitate vidisse cavernas ingentes in rupibus, easque pluribus rimulis intersectas, vt per eas aer copiosus ingredi posset; in quibus vapor & aer calefactus, rupium deinde & saxorum frigore condensatus in aquam defluebat, & rivum perennem efficiebat.*

30 *PRÆTEREA*, In eisdem cavitatibus terræ existunt magni aquarum lacus; sive a principio mundi ibidem depositi in prima discretione terræ ab aquâ; sive progressu temporis generati ex vaporibus aut aere, in aquam conversis, vt nuper statuebamus; sive è mari ortum ducant, iuxta doctrinam dicto loco a nobis stabilitam; sive denique ex ijs omnibus causis procedant. Quidquid enim sit de hoc, de quo infra, explorata est prædictorū laeuum existentia, vel vno experimento eorum, qui puteos detegunt, & mineralia effodiunt. Excavata enim terra ad certam ferè distantiam invenitur copiosa aqua, & quibusdam locis in ea abundantia, vt in sola Matrito, Hispaniæ Regia, testetur Bejaranus, esse octoginta mille puteos, adeo vicinos, vt vnus frequenter non distet ab alio, nisi interstitio viginti pedum. Id etiā comprobant insolitæ quædam inundationes, quæ interdum accidunt, etiam impluvio ac sereno tempore; nimirū dehiscente mole aliqua, & erumpente inde copiosa aqua, vt testatur Contarenus *lib. 2 de Elementis*, accidisse Valentiæ in Hispania, ipso præsente: aut facto terremotu, & prodeunte è terra concussa flumine aliquo nō antea viso, vt suprà *n.* 16. observavimus. Porrò lacus ab Aristot. memoratus *d. cap.* 13. circa finem, admirandus est tuo monte Caucaso, & qui immensam pene aquarum abyssum continere videatur: sed tamen a fluminibus acceptam.

31 *RVRSVS* Stagnantes aquæ intra terræ hiatus aggregantur, sive ex iteratis pluvijs, sive ex frequentibus nivibus: indeque est, vt montes altissimi, qui toto ferè anno nives retinent, aut in aperto, aut in quibusdam profunditatibus pervijs, indesinenter ferè rivulos emittant. Inde etiam quod Boreales regiones abundantiores sint numero ac magnitudine torrentium fluviorumque, quam Australes; quoniam ijs assidua ferè nix est, quam nec magni in æstate dies, ac longè maiores nostris, dissolvere queunt; frequentes etiam pluviæ, quibus prata earum virent, adhuc sub signo infœcundo Virginis, & æstuante Cane cœlesti. Quare & hiberno tempore, quo nives & pluviæ frequentiores, lacus noti, & flumina, plus solito intumescunt; etiam illa, quæ media æstate exsiccantur omnino, & solum nomen antiquum retinent, veluti exanguia, & sine succo.

32 *DENIQVE*, Quod eo loco sæpiùs indicato prænotauimus, reponendum breviter: mare, scilicet, quà parte magis attollitur, longè altius esse, quàm suprema

montium culmina: indeque esse, quòd in editissimis montibus inveniãtur putei ac fontes, fluxu ac refluxu irrequieto maris agitati, crescentes & decrescentes. Indicẽ etiam oritur, quòd quædam flumina, præsertim non distita à mari, salledinem & æstum illius in aquis exprimant; quoniam, scilicet, aqua è mari hausta, & per latentes terræ cuniculos in eorum fontes perveniens, non satis percolata fuit: ideoque nonnihil salledinis adhuc retinet.

33 *HIS* Statutis, asserendum est, perennem fluxum fontium, ac subinde fluminum, procedere ex omnibus prædictis causis collectivè sumptis. Non enim ex solis pluvijs ac nivibus: quoniam perpetuæ non sunt, sed temporaneæ: oportet autem stabilem ac permanentem causam eius perennis cursus assignare. Neque etiam ex sola conversione aèris vaporũque in aquam: quia, esto illa intra terræ cavernas sit assidua, paulatim & guttatim fit, ideoque nequit sufficere ad eruptiones ingentium fluminum, quorum aliqua primo sui exortu ingentia sunt. Danubius, qui comparatione insignium Americæ fluviorum, præsertim Argentei, quasi rivulus est, & à Nilo, Euphrate, Indo, Gange, alijsque Asiaticis, plurimùm exceditur; immani aquarum pondere primùm oritur è monte quodam Vindeliciæ vicino, & vix decurso vno milliari Germanico, penè impatiens pontum est. Quomodo igitur ille, quomodo & alij longè maiores ab origine, ex sola illa conversione aèris vaporumque in aquam, penè imperceptibili, orti possent? Neque recurri potest ad plures rivulos ex prædicta causa intra terram coèuntes: quoniam opus esset fingere maximum illorum numerum, insuper & quamplurimos meatus, per quos in vnum aggregarentur. Vel vnicus fons Regij & clarissimi Monasterij S. Salvatoris de Oña, iuxta montana Burgensis provinciæ, quem non sine ingenti voluptate videre mihi contigit superiore anno, id ipsum probat. Tanta enim aquarum vbertate, atque æqualitate in omni tempore è terra profluit, tot stagna implet, tot rivulis distinguitur, chrystallo ipsa nitidioribus, tot iubas efformat, vt impossibile appareat, tantam vndarum molem ex adeo debili causa procedere. Recurrendum igitur præterea est ad ipsam Oceani aquam per occultos meatus sese insinuantem, & depositã iam salledine, aut alicubi retenta, scaturientem. Non tamen ea sola sufficit: quia alioqui æqualis esset scaturigo, & magnitudo propria seu cognata fontium & fluminum omni tempore: quod patet esse fallum, communiter ferè loquendo. Addenda igitur est præterea iugis conversio aèris vaporumque in aquam, quæ certè copiosior est hiberno tempore, quàm æstivo: quoniam vapores plures hyeme, quàm æstate, recluduntur intra terram, fugientes frigus externum, ideoque possunt in vberiorem aquam resolvi. Addenda insuper lacuum interiorum exuberantia, ac tandem nubium & pluviarũ accessus: quamvis hic magis deserviat subitis aquarum eluvionibus, quàm statæ fontium effluxui, & fluviorũ ordini.

SECTIO SEPTIMA.

De triplici motu maris, & vniuscuiusque eorum causa, illius præsertim, qui in fluxu ac refluxu consistit. Aristotelis elogium, & conclusio Operis.

34 *TRIPLEX* Maris motus celebris est. Primus, quem describit Arist. *lib. 2. c. 1.* à Septentrione versus Austrum. Quod probat, *quia mare, vt incedit, semper altius esse cernitur: siquidem Pontus* (scilicet, Euxinus) *Mæotide altior existit: Ponto Ægeum, Ægeo Siculũ: omnium altissima, Tyrrenum atque Sardoum.* Itaque mare, quò proximiùs est Polo Arctico, eo demissius, seu minùs altum invenitur: quo autem magis in Austrum extenditur, eo sublimius est: vnde & necessariò sequitur, quòd circa Polum moveatur. Colligit hoc præterea ex multitudine fluviorum, qui circa Septentrionem tendunt: vt patet in Schaldi, Rheno, Vistula, alijsque pluribus: cùm tamen nullum flumen alicuius nominis inveniatur decurrere à Septentrione in Austrum. Ergo mare Septentrionale demissius est: siquidem flumina natura sua gravitant, ac proinde tendunt in demissiorem locum. Vnde & sequitur mare ipsum ab Austro ad Septentrionem fluere, veluti a loco editiore ad inferiorem.

35 *SECVNDVS* Motus est ab Oriente in Occidentem, inde deprehensus, quòd naves, cæteris paribus, velociùs cieantur ab Hispania ad Americam, quã è contrà. Id pluribus experimentis probat Con-

Contarenus *lib. 2. de Elementis*: atque inter alia inquit: *Qui ab Hispania navigant in eas insulas, terramque continentem, quas Columbus invenit ad Occidentem, viginti quatuor idebus circiter iter perficiunt: quòd si inde reverti in Hispaniam velint, ob aquarum mixtum in contrariam partem, tribus totis mensibus, quatuorve, vix iter perficiant.* Rationem aliqui assignant ex motu diurno cœli, quasi rapiat secum aquam maris ab Oriente in Occidentem. Immerito tamen quia cœlum motu suo, nec interiectam quidem aëris regionem rapit, sive infima, sive mediam, saltem magna huius parte, nobis viciniore, vt *tract. de Cœlo* constitutum relinquimus. Et dato quòd raperet vtcumque nobis vicinum, ille ineptus esset ad rapiendum mare in Occidentem: quin potius sæpe ventorum impetu aër concitatur in Orientem, cùm tamen Athlanticum mare semper comperiatur vergere in Occidentem. Tribuendum itaque est occultis corporum cœlestium viribus, medijs quibus fieri potest, vt Oceanus participet motum similem diurno cœli ab Oriente in Occidentem: nam alioqui nulla causa cum fundamento assignabitur.

36 *TERTIVS* Et celebrior est fluxus & refluxus maris, quem æstum cōmuniter appellant. Relictis aliorum opinionibus, placet communis ferè sententia, quæ docet eum motum provenire à corporibus cœlestibus, sed præcipuè à Luna. Ita Arist. vel siquis alius Auctor *libri de Element. proprietat.* Cicero *lib. 2. de Nat. Deorum*, Ptolemæus *lib. 2. cap. 12.* Plinius *lib. 2. cap. 97.* D. Thomas, Albertus Magnus, & Averroes *lib. 2. Meteor.* vbi & Conimbricenses *tract. 8. cap. 6.* & plerique Recentiorum, atque ex professo Borrus, integro *tractatu de Fluxu & Refluxu Maris*, & Scaliger *exercit. 52. in Cardanum.* Eandemque sententiam supponunt ex Patribus Basilius & Ambrosius *in Hexaëm.* Ratio D. Thom. est: quoniam tanta illa varietas maris penes senas aut septenas horas crescentis & decrescentis, magis aut minùs, iuxta varietatem regionem, seu climatum, à nulla causa intrinseca sufficienter provenire potest, quia mare inanimatum est, ideoque nequit a seipso moveri: neque ab extrinseco influxu inferioris causæ; quoniam nulla eiusmodi vim habere potest ad tantum effectum præstandum. Oportet igitur vt proveniat ab aliqua causa superiori & cœlesti. Siqua autem causa cœlestis id præstare potest, maximè Luna, cui vis congenita est maximè ad movendum corpora humida. Quod patet experimento in marinis ostreis & conchilijs, quorum humor crescit aut decrescit pro ratione augmenti aut decrementi Lunæ: similiter & in pituita, ac morbis ex nimio humore provenientibus, qui iuxtā varietatem Lunæ crescunt aut decrescunt. Insuper, iuxta mutationem Lunæ fit mutatio marini æstus: siquidem experimento constat, eà crescente crescere, & decrescente diminui. Et quemadmodum Lunæ motus in quatuor partes dividitur, etiam æstus maris variatur quater vnoquoque die. Quod prædicti Authores latiùs explicant & confirmant.

37 *NOBIS* Obseruasse sufficiat, aquas ideo fluere ac refluere in mari, quia crescunt ac decrescunt. Crescendo enim redundant ad littora, decrescendo autem ab ijs recedunt: quia cùm in medio mari aqua sit valde profundior, necessum est vt maior copia crescentis aquæ inde ad littora diffundatur, quæ postea in decremento sui littora deserat. Cæterùm, vt rectè obseruavit Cardinalis Contarenus *lib. 2. de Elementis*, non crescit & decrescit mare per additionem aut detractionem aquarum, sed per rarefactionem vel condensationem: rarescente enim aqua, crescit & redundat ad littora; condensata verò, contrahitur, & ab ijs recedit. Facilius enim percipitur in Luna vis ad minorem mutationem aquæ maris penes rarefactionem & condensationem, quàm ad longè maiorem, & pene incredibilem, additionis detractionisve vsque adeò magni aquarum ponderis. Deinde ob varietatem regionum, aspectuumque, Luna maiorem vim habere dignoscitur in vno, quam in alio mari. Verùm in quocumque mari crescat, fluit ad alia maria, quia aqua naturaliter tendit, vt in æquilibrio sit: quia autem hic motus successivè fit, succedunt aliæ horæ, quibus aqua decrescit: ideoque non æqualiter accidit æstus in quolibet mari. In Ligustico enim, Narbonensi, & Mexicano, vix æstus percipitur; parum quoque in Hispanis littoribus Mediterranei: nimirùm verò in Septentrionalibus Oceani Cantabrici, sicuti & Gothici, ac Britānici. Insuper, in ijs maribus, quibus aqua æquali tempotis spatio rarefit, aut condensatur, etiam æqualiter crescit aut decrescit:

quia effectus servat mensuram suæ causæ. Vbi autem tempus rarefactionis maius est quàm condensationis, diutiùs crescit, quàm decrescit; & è contrà. Vt plurimùm verò Luna incipit elevare aquas dum surgit ab Horizonte, & cum in Horizonte occidit: in punctis autem medijs incipit eas demittere. Variatur verò quandoque regula cõsueta æstus maris pro vario aspectu Lunæ cum Sole, ac cæteris astris, quibus etiam tribuitur idem motus, quamvis minùs præcipuè, quàm Lunæ; idque totum, non sola caloris aut motus vi, sed aliarũ quoque virtutum, hactenus a mortalibus inexploratarum, & inlatentium.

38 *CVR* Autem Euripus septies in spatio diei fluat ac refluat, præ alijs partibus maris, tribuendum est non soli Lunæ motui, sed dispositioni aquarum, ac loci: quæ tamen in specie difficillima assignatu est. Quod verò communiter circumfertur, Aristotelem obijsse tædio non deprehensæ causæ eiusmodi motus, videtur fundamento in Antiquis carere. Nam nec Diogenes Laërtius, qui fusè vitam & gesta eius scripsit, nec Dionysius Halycarnassæus, nec Strabo, nec Ammonius, qui de eodem argumento egerunt, & mihi modò in prospectu sunt, vel leviter id insinuarunt. Quin potiùs summis laudibus sapietiam eius extollunt, quasi nihil eorum nescierit, quæ ad mundum inferiorem, ac superiorem spectant. Quare postremus ex allegatis Aristotelem hoc summo celebrat elogio, quo & nos coronidem Philosophiæ imponendam censuimus: *τῇ μὲν γε φυσικῇ προσέθηκε τὴν πέμπτην οὐσίαν· τῇ δὲ θεολογίᾳ εἰ καὶ μηδὲν προσέθηκεν, ἀλλ' ὅμως οὐδὲν περὶ αὐτῆς ἐλλιπὲς ἐπραγματεύσατο. τὰ γὰρ τὰ ἐγκόσμια μόνα ἴδῃ, ὡς τινες ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπερκόσμια. In Physicis invenit quintam illam essentiam. In Theologiâ etsi nullum eius extat inventum, perfectè tamen omnes eius partes est exsecutus. Non enim, vt quidam falsò putant, terrestria tãtùm, & quæ ad hunc mundum spectant, novit, sed & illa quoque, quæ supra hunc mundum sunt.* Quidquid autem hucusque a nobis dictum, si cubi à veritate alienum, aut minùs conforme apparuerit sensui S. Romanæ Ecclesiæ, quam vt pijssimam Matrem diligimus ac veneramur; nostræ ignorantiæ, non autem pertinaciæ tribuatur, & veluti indictum esto. Siquæ recta vera, & orthodoxæ fidei cõlona, & Christiano populo vtilia, Deo soli adscribantur: cui laus, honor, & gloria ab omni creatura in tempora, in ævum, in æternitatem.

Amen.



INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM,

In quo d. significat disputationem, n. numerum marginalem, vnicuique ferè paragrapho præfixum.

A

ACCIDENS idem quod fuit in corrupto, an perseveret in genito, *d.* 49. per totam. Accidentium subiectum, an sit materia prima, vel potiùs substantiale compositũ, *d.* 50. per totam.

Actio immanens an debeat producere terminum, *d.* 90. *n.* 7. & 63. *cum seqq.*

Aèr vnum è quatuor elementis, residet infra ignem elementarem, non supra, *d.* 58 *sect.* 2. per totam. Quantùm extenuetur in quibusdam, *ibid. n.* 32. An calor, an potiùs frigiditas, sit qualitas connaturalis aèri, *d.* 59 *sect.* 2. latè *à n.* 22. Argumenta difficilia pro frigiditate aèris, proponuntur & solvuntur *à n.* 24. Cur in præcelsis montibus aèr excitet vehementius frigus, si tamen naturà suà calidus est, *ibid.* Est humidus in summo, *ibid. n.* 42. Cœli nomine significatur aèr in sacris & profanis litteris, *d.* 63. *n.* 26. & 27. Aèr spiritnosus an sit subiectum proprium auditus, *d.* 87. per totam. Qualiter sit medium auditus, *sect.* 2. *n.* 10. & *seqq.* An sit subiectum soni, *d.* 87. *n.* 22. & *seqq.* Aereæ sphæræ meteora lucida quænam sint, *d.* 92. per totam. Aèreæ sphæræ concretiones, quænam, *d.* 93. per totam. Aèris media regio valde frigida, & cur, *ibid. n.* 1.

Æstimativa an differat realiter à sensu communi, phantasia, & memorativa? *d.* 84. *sect.* 5. An insit omni animali, quantumvis imperfecto, *n.* 49.

Ætheris etymon à semper currendo, ideoque cœlum *æther* appellatũ, *d.* 69. *n.* 1.

Aetnæ montis subterranei ignes, *d.* 94. *n.* 2. Terræ motus horribilis, *n.* 14.

Agens an possit agere in passum omnino simile sibi, *d.* 56. per totam. Negativa sententia latè constituitur *sect.* 1. per totam. Argumenta in oppositũ soluta. Alia difficiliora ab experimentis physicis & & mathematicis objiciuntur, *ibid. sect.* 3. per totam. Statuitur posse agens agere in passum simile sibi penes virtutẽ activam, dummodo penes raritatem, densitatem, & alias circunstantias, sint dissimiles, *disp.* 57. *sect.* 1. per totam. Colligatio plurium agentium prodest ad intendendam operationis vim, *ibid. n.* 6. Eiusdem doctrinæ confirmatio viterior *sect.* 2. Omne agens agendo repati, & quomodo, *ibid. sect.* 3.

Aggeneratio simplex in quo differat à nutritione propria viventium, *d.* 75. & 76. & 80. *n.* 24.

Alphonsus Sapiens Hispaniæ Rex invenit motum cœlestem trepidationis, *d.* 67. *n.* 23. Quàm excellens fuerit in Astronomia, Philosophia, & Historia, *n.* 26.

Alteratio quotuplex sit & quomodo fiat, *d.* 57. per totam. Distinctio eius à generatione atque augmentatione ex variis capitibus, *ibid. à n.* 6. Vtrùm omnis motus alterationis strictæ sit continuus, *ibid. sect.* 2. & 3. per totas. An possint simul exerceri alterationes contrariæ circa idem subiectum, *ibid. n.* 25.

Angeli an moveant cœlos, *d.* 69 *sect.* 3. 4. & 5. An id præstent producendo impetum, vel solum motum localem, *n.* 48. An cœlum ab vnico Angelo, vel potiùs a pluribus creatur, *n.* 49. Ad quam Hierarchiam & ordinem spectet Angelus motor, *sect.* 6. *n.* 50. & 51. In quà cœli parte resideat dum movet, *n.* 52. & *seqq.* An prima operatio sit debita Angelo vt stricta proprietas, & an vivat per illam, *d.* 76. *n.* 24. & *seqq* Angeli vtrùm omnino incorporei sint, *d.* 80. *n.* 36. & 37.

Anima nullum locum in cœlo habet, ne quidem pure loco-motiva, *d.* 63 *sect.* 4. per

per totam. Loco-motiva anima nulla esse potest, nisi & sensitiva sit, *ibid. n.* 33. Error eorum, qui corpora cœlestia volunt esse animata, damnatus, *ibid. n.* 36. Quælibet substantia animata excedit perfectione quamlibet inanimatam, etiam cœlestem, *d.* 65. *n.* 4.

Anima quid & quotuplex sit, *d.* 75. per totam. Variæ Philosophorum Veterum opiniones circa ipsius naturam, *ibid sect.* per totam. Reijciuntur, *n.* 8. Eius definitio prima ex sensu Arist. & variæ difficultates circa illam expediuntur *sect.* 2. per totam. Definitio secunda illius exponitur, *sect.* 3. *n.* 22. *& seqq.* Animarũ genera quot sint, *ibid. n.* 26. *& seqq.*

Anima an informet quidquid est in corpore viuẽtis, *d.* 77. per tot. Non residet solùm in certa aliqua corporis parte, sed in toto corpore, *ibid sect.* 1. per tot. Quod saltem de anima rationali, certum inter Catholicos habetur, *n.* 4. Humores, & præcipuè sanguis, an informentur animo, *n.* 14. *& sect.* 2. *cum seqq.* Idem quæritur de cæteris humoribus, & partibus vtcumque componentibus corpus animalis, vt capillis, pilis, rostris & plumis avium, dentibus, respiratione, cibo, chylo, lachrymis, sudore, saliva, & excrementis, *sect.* 4. Opinio recens ac media, in quâ asseritur animam vt formam corpoream informare sanguinem, non verò prout anima est, exponitur & stabilitur. *sect.* 5. per tot. Vide *Sanguis.*

Anima An in quolibet homine, aut bruto sit vnica, *d.* 78. per totam. Rationes quorundam Philosophorum ad probandam pluralitatem animarũ, *sect.* 1. per totam. Sententia opposita statuens in homine vnicam animam, eamque rationalem, suadetur vt certa ex sacris litteris & doctrina Patrum. *sect.* 2. per totam. Ratio communis in eam probandam expenditur, & vrgetur contra aliquos Recentiorum, *sect.* 3. per totam. Aliæ rationes excludentes animam purè sentientem ab homine, & præsertim plures vegetativas specie diversis, iuxta varietatem membrorum *sect.* 4. per totam. Argumenta in oppositum soluta, *sect.* 5. Anima sensitiva, vegetativa, & rationalis, an vnquam in homine eodẽ separentur, *n* 48. *&* 49. Anima rationalis & spiritualis quomodo possit præstare gradum vegetativum & corporeum, *num.* 50. *& seqq.*

Anima Rationalis quid sit secundùm Christianam Philosophiam? *d.* 79. per totam. Errores Veterum circa illam relati, ac reiecti, *sect.* 1. per totam. Non est forma purè assistens, sed informans corpus humanum, *n.* 4. *&* 5. Neque accidens, sed substantia, *n.* 7. Neque substantia aërea, aut ignea, *n.* 8. *&* 9. sed incorporea & spiritualis, *n.* 10. *& seqq.* Non est particula mẽtis divinæ, *n.* 16. neque eiusdem naturæ cum Angelis, *n.* 18. neque vnica in omnibus hominibus, sed multiplicata iuxta numerum illorum, *n.* 19. neque mortalis, vel ad certum tempus durans *sect.* 2. *n.* 21. *& seqq.* Eius immortalitas ab Arist. tradita, *n.* 26. Ratione ex eodem erutâ probatur animæ immortalitas ab intrinseco, *sect.* 3. per totam. Eaque fide certa est, *n.* 34. Selectæ aliæ rationes animã ab interitu, seu mortalitate vindicantes, adversus Atheos, Epicureos, & Politicos quosdam, *sect.* 4. per totam. Argumenta in oppositum expediuntur, *sect.* 5. per totam. An in quantũ rationalis informet corpus, *n.* 46. *& seqq.*

Anima Vtrùm medio semine propagetur? *d.* 80. per totam. Res olim incerta apud Theologos, *n.* 1. Opinio affirmans quorundam Veterum, innovata à Sennerto, reijcitur ex censura Patrum, & immortalitate animæ *sect.* 1. per tot. Reijcitur quatenus asserit omne semen, etiam humanum, esse animatum, & ostenditur oppositũ de omni semine, præsertim humano, *sect.* 2. per totam. Argumenta in oppositum soluta *sect.* 3. per totam.

Animæ rationales an à solo Deo creentur, & quando? *d.* 81. per tot. Habent esse per creationem; non tamen ab Angelis, sed à Deo. Oppositus quorundam hæreticorum error reiectus, *sect.* 1. per tot. Animarum rationalium antegressio, seu creatio ante vnionẽ ad corpora, simul & transmigratio in alia atque alia supposita, suis Authoribus consignatæ, & reiectæ *sect.* 2. per tot. Vtrũ animæ rationales ex vi creationis, & pro priori naturæ ad vnionẽ cum corporibus, sint inæquales perfectione individuali, *sect.* 3. per totam.

Animæ rationales quando incipiant informare fœtum? *d.* 82. Variæ Authorum opiniones circa tempus animationis fœtus, refutantur *sect.* 1. Non infunditur anima à prima coniunctione vtriusque seminis, *n.* 2. neque post conceptum fœtum in vtero, in ipsa nativitate, *n.* 3. 4. *&* 5. Anima vegetativa non transit in sensitivam, neque hæc in rationalem, *n.* 6. 7. *&* 8. Rationalis anima non prius creatur & infundi,

liter corpori humano, quàm præceſſerint, & corruptæ fuerint, tum anima purè vegetativa, tum & alia poſterior vegetativa ac ſenſitiva ſimul, *ibid. ſect.* 2. per tot. Argumenta contraria enervantur, *ſect.* 3. Tempus quo primùm anima fœtum, informat, eſt hominibus incertũ, & ſub opinionibus poſitum, *ibid. ſect.* 4. An exinde colligatur, Baptiſmum debere adminiſtrari abortivis, quocumque tempore ejiciantur, *n.* 36. & 37. Probabilius cenſetur, fœtum virilẽ animari quadrageſimo die à coitu, fœmineũ octogeſimo, & cur, *n.* 38.

Anima rationalis an propria ſit indiviſibilitas, an etiam communis animabus brutorum? *d.* 82 *ſect.* 4. per totam.

Anima an diſtinguatur realiter à ſuis potentijs? *d.* 83. per totam.

Animalia omnia, etiam imperfecta, an conſtent omnibus internis ſenſibus, *d.* 84. *ſect.* 6. per tot. An etiam omnibus externis *d.* 85 *ſect.* 6. per totam.

Antiperiſtaſis in quo conſiſtat, *d.* 56. *à n.* 29 Galenus immerito illam negavit *ib. d. n.* 32.

Antipodes olim negati, etiam ab aliquibus Patrum, nunc verò explorati, & ratio naturalis reddita, *d.* 65. *à n.* 24.

Apes an imaginentur, *d.* 84. *n.* 47. Vtrũ audiant, utrenè, *d.* 85. *n.* 45. & 46.

Appetitus, à ſenſibus diſtinctus, vbi reſideat, quas vires, paſsiones, & operationes habeat, *d.* 84 *ſect.* 7. per tot. Eius obiectum *n.* 55. partes, *n.* 56. paſsiones, 57. & 58. Quomodo ab eo pendeat potentia locomotiva animalium, *n.* 59.

Aqua an ſit editior, ive ſublimior, quã terra, *d.* 58. *ſect.* 3. per tot. Suadetur latè affirmativa pars, præſertim ex ſacris litteris, *ibid. à n.* 46. Suadetur etiam rationibus, *à n.* 53. Cur exiſtens ſupra terram non obruat eam totam, *ibid. à n.* 57. Eſt frigida & humida, *d.* 59. *n.* 23. Et quidem frigida in ſummo & humida infra ſummum, *ibid. à n.* 34. Aquæ ſuper cœlos exiſtentes, quænam ſint, *d.* 66. *n.* 13. Aqua, ſi pura ſit, nullum habet ſaporem, *d.* 88. *n.* 39. Aqua virgo, *ibid.* Aqua maris cur ſalſa ſit, *d.* 94. *n.* 25. Eſt potentior ad ſuſtinendum gravia corpora, quam aqua fluminis, *n.* 26. quomodo à ſalſedine purgari poſsit, *n.* 27. Aqua fontium & fluviorũ, vnde procedit, *n.* 28. & *ſeqq.* Aqua dulcis in medio mari, *n.* 27.

Arbor vitæ an haberet vim ad reſtaurandum naturali humidum radicale deperditum, *d.* 52. *n.* 23. & 25. Arbores cur inverſo ordine trunci & ramorum repræſentẽtur in aqua, *d.* 89. *n.* 92.

Arcturus, quid? *d.* 73. *n.* 10.

Arcus cœleſtis. Vide *Iris*.

Ariſtotelis, Elogium, *d.* 94. *n. vlt.*

Aſbeſtos, quid, *d.* 94. *n.* 11.

Aſtra, vide *Stellæ*.

Atheorum vberrima ſages, etiam hoc ſæculo, præcipuè apud Sinas, *d.* 79. *n.* 20. Reijciuntur qui negant immortalitatem animæ, *ibid. ſect.* 2. & *ſeqq.* latè.

Auditus quid proprium habeat prout diſtinguitur à cæteris ſenſibus? *d.* 87. per tot. Structura propria ipſius, & an reſiduat in aère ſpirituoſo, an potiùs in nervis, *ibid. ſect.* 1. per tot. An medium externum auditus debeat eſſe fluidum, vel ſufficiat, ſolidum? internum quoque an ſit ſpirituoſa ſubſtantia, tam in animalibus terreſtribus, quàm in aquatilibus, *ibid. ſect.* 2. Exponitur formalis ratio ſoni, qui eſt propriũ obiectum auditus, & inquiritur an ſubiectum proprium illius ſit aèr colliſus, an corpora ſonantia, *ſect.* 3. per tot. Quanta ſit ſphæra ſoni realis in circulum, & an à principio, an potius in fine ſui, emittat ſpecies in auditum, *ſect* 4 per tot. Opinio recens aliquorum negantium à ſono reali mitti ſpecies ad auditum, reijcitur, præſertim varijs experimentis, eiuſque argumenta extricantur, *ſect.* 5. per tot. Quid ſit vox, quatenus ſpectat ad obiectum auditus, & quibus inſtrumentis fiat *ſect* 6. per totam. Quid ſit ſonus reflexus, ſive Echo, & vnde oriatur, ac quomodo fiat, *ſect.* 7. per tot.

Augmentatio exiſtit in rerum natura, diſtincta à quolibet alio motu, & præſertim à rarefactione, *d.* 52 *ſect.* 1. *à n.* 2. Quomodo peragatur, *d.* 53. Non fit in inſtanti, ſed ſucceſsivè & continuè, *ibid. ſect.* 2. *n.* 14. An morulis interrumpatur, *n.* 15 Argumenta contra ipſius continuitatem ſoluta, *ibid. ſect.* 3. Differt à nutritione, *ibid. ſect.* 4. per tot. An conveniat propriè igni, *ibid. à n.* 42. Cur quoties augetur vivens, quælibet eius per augeatur, *ibid. n.* 48.

B.

BAPTISMVS An poſsit & debeat miniſtrari abortivis, quocumque tempore ejiciantur, *d.* 82 *n.* 36. & 37.

Bitumen cuius naturæ ſit, *d.* 94. *n.* 3. Eſt cauſa materialis igniũ ſubterraneorũ, *ibid.*

C.

CALOR, vna ex primis qualitatibus, *d.* 59. Definitio propria ipſius, *ibid. n.* 12. Cõvenit igni in ſummo vt proprietas, *ibid.* An lux

lux ſit cauſa productiva caloris, *d.73 ſect.* 2. ferè per tot. An motus, præſertim cœleſtis, per ſe inducat calorem, *ibid. ſect.* 4. 4. & 5. per totas.

Canales in cœlo excogitati à quibuſdam pro periodis Planetarum, reijciuntur multipliciter, *d.67. à n.*11.

Capræ ſaltãtes, quid, & vnde, *d.92. n.*24.

Caſſiopeiæ ſignum an exhibuerit ſtellam aliquam recenter in cœlo productam, *d.* 64. *ſect.*3. & *d.*91. *ſect.*4.

Caſtor & Pollux in aere & navibus, quid ſint, quidque portendant, *d.92. n.*26.

Centrum vniverſi an ſit in Sole, an potiùs in terrâ, & quânam ratione, *d.*74. per tot. Centri etymon, *ibid. n.*1. Centrũ triplex, Vniverſi, gravitatis, & magnitudinis, *ibid.*

Cerebrum eſt ſedes interiorum ſenſuum, *d.*84. *n.*42. & *ſeqq.*

Chilenſis mons, vulgò *la Cordillera de Chile*, ſupra meteora elevatur, & ventum ignorat, *d* 58. *n.*32. Eiuſdem exhalationes faciles inflammatu, *d.92. n.*30.

Chriſtus D. nequit abſolutè dici creatura, & cur? *d.*50, *n.*4. Eius ſubſiſtentia an in triduo mortis terminaverit duplicem vnionem diſtinctam, alteram animæ, alteram corporis, *ibi. n.*44. An corpus eius in triduo retinuerit formam aliquam corporeitatis, *d.*51. *à n.*39. An ſemper retinuerit ſubſtantiam illam numero, quàm in Incarnatione accepit ex Virgine, *d.*52. *à n.*21. Damnantur hæretici, qui aſſeruerunt ipſum conſtaſſe ex materia cœleſti, *d.*63. *n.*31. item qui dixerunt, mortuum etiam fuiſſe pro aſtris, ac moriturum pro dæmonibus in futuro ſæculo, *ibid. n.*36. Chriſti ſanguis an fuerit immediatè aſſumptus a Verbo, *d.*77. *num.*41. & *ſeqq.* In Chriſto non fuit producta prius anima vegetativa, quam ſenſitiva, neque hæc, quam rationalis, *d.* 82. *n.*24. & 25. An Chriſtus naturaliter debuiſſet naſci ante nonum menſem, *ibid. n.* 26. 27. & 28. Eius corpus quàm exiguum fuerit momento Incarnationis, *n.*28.

Chylus quid ſit, & qualiter ad nutritionem diſponat, *d.*53. *à n.*3.

Cincindela, ſeu cicendula, aliàs *πυγολαμπὶς*, & lampyris, noctu lucens, *d.*71. *n.*22. Eius ſtructura, *n.*23, vis lucendi noctu, vnde proveniat, *ibid.*

Cœleſtia corpora an operantur in hæc inferiora, *d.*73. per totam. An ex contemplatione corporũ cœleſtium poſſint prævideri futura cõtingẽtia *ibid. n.*61. & *ſeqq.*

Cœlum & cœleſtia, quàm difficilia ſint veſtigatu, & iucunda ſcitu, *in Proœmio* ad diſputationes de Cœlo, *pag.*207. An cœli natura ſit ſimplex, an compoſita ex materiâ & forma, *d.*63. per totam. An ſit poſſibilis ſubſtantia corporea completa omninò ſimplex, *ibid. n.*5. & *ſeqq.* An cœlũ careat cõtrario, *ibid.* Materia cœleſtis an differat eſſentialiter à ſublunari, *d. eadem* 63. *ſect.*2. per totam. Forma cœleſtis non cõtinet eminenter omnes ſublunares, *n.*22. Si cœlum conſtaret materiâ eiuſdem ſpeciei cum noſtra, eſſet corruptibile, *ibid. latè à n.*20. Argumenta in oppoſitum ſoluta, *ſect.*3. per totam. An materia vnius corporis cœleſtis differat eſſentialiter à materiâ alterius, *n.*30. Materiam, ſive corpus cœleſte in Chriſto ſtatuerunt Marcion & Valentinus hæretici, damnati ab Eccleſia, *n.*31. An cœlum, ſicut corpore, ita & anima conſtet, *ſect.*4. per totam.

Cœlum an ſit incorruptibile, *d.*64. per totam. Cœli & elementa an ſubitura ſint mutationem aliquam in fine mundi, *ibid. à n.*14. An recentes ſtellæ aut cometæ in cœlo generentur, *ibid. ſect.*3. An cœlum ſit grave, aut leve, *ibid. ſect.*4.

Cœli perfectio quanta ſit, & qualis, *d.*65. per totam. An excedat perfectione quælibet ſublunaria, *ibid. ſect.*1. An quælibet ſubſtantia animata ipſum excedat, *ibid. n.*4. & *ſeqq.* An ſit ſphæricæ figuræ, *ibid. ſect.*2. per totam. Cœlum Empyreum an ſit figuræ quadratæ, *ibid. n.*24. & *ſeqq.* Cœli Planetarum habent epicyclos, & excentricos, *ibid. ſect.*4. per totam.

Cœlum an conſtet quantitate ſolida, an potiùs fluida? *d.*66. per totam. Vt incorruptibile ſit, nihil magis obeſſet fluiditas, quàm ſoliditas, ſicut neque vt diviſibile, ſit, *n.*8.

Cœli an motu ſuo ſonum aut concentũ edant, *ibid. n.*10. & *ſeqq.* Soliditas cœlorum ſuadetur ex motu ſtellarum & Planetarum ſimul in Orientem & Occidentem, *ibid. ſect.*3. per totam.

Cœli quotnam ſint, & quinam, *d.*67. per totam. Motus trepidationes cœli ab Alphonſo Rege Hiſpaniarum detectus, *n.* 24. Cœlorum omnium mobilium ſeries à primo mobili ad cœlum Lunæ, *n.*27. Argumenta in oppoſitum ſoluta, *ibid. ſect.*5. An primum mobile poſſit inferiores orbes movere, *n.*30. & 31. Quantũ excedat terram magnitudine, *d.*68. *n.*19. Eadem magnitudo ſingillatim deſignatur, *ſect.*3. per totam.

Cœ-

Cælum an moveatur, & quomodo? *d.* 69. per totam. Cur dictum *æther*, *ibid. n.* 1. Illud de facto moveri demonstratur, *sect.* 1. per totam. Motum eidem cœlo naturalem esse, *sect.* 2. Vrgentes in oppositum difficultates solutæ, *ibid.* A quoniam activè moveatur, *sect.* 3. per totam. An constet virtute activa ad se movendum, *sect.* 4. *à n.* 24.

Cæli quot motibus, & quo ordine cieãtur, *d.* 70. per totam. Vbi invenies quisnam motus vnicuique speciatim cœlo respondeat. An idem cœlum possit subire simul motus contrarios, *ibid. sect.* 4. Cur cæli inferiores non rapiant secum superiores sicut primum mobile rapit cæteras sphæras, *ibid. sect.* 5. An cœli ex se lucem habeant, *d.* 71. *sect.* 1.

Cæli an operentur in hæc inferiora, *d.* 71. per totam. An media luce, *ibid. sect.* 2. An etiam medio motu, *sect.* 3. An motus cœli sit causa inductiva caloris, *ibid. & sect.* 4. & 5. per totas. An cessante motu cœli cessarent omnes inferiores motus, *sect.* 6. An Cœlum habeat alias virtutes operatrices, quam lucem & motum, *ibid. n.* 59. An influat in actus humanos, *n.* 60. An necessario consequatur suos effectus, *n.* 61. An Cœlum Empyreum operetur in hæc inferiora, *n.* 38. & 66. Vide v. *Motus*.

Color verus non habet locum in cœlo, *d.* 71. *n.* 4. Quid sit, & qualiter concurrat ad videndum, *d.* 86. *sect.* 4. per totam. Non est prima qualitas, seu secunda, ex primarum commistione resultans, & quomodo, *n.* 40. & *seqq.* Color verus an distinguatur a luce, *ibid. n.* 48. & *seqq.* Quid sit dicendũ de colore apparenti, *n.* 53. Colorum septem species præcipuæ, *d.* 88. *n.* 35. Colores Iridis præcipui, *d.* 92. *n.* 5. An sint solùm apparentes *n.* 6.

Columna in aere ardens, quid sit, & vnde oriatur, *d.* 92. *n.* 23.

Cometæ an vnquam in cælo generentur, *d.* 66 *n.* 28. & 29. & ex professo *d.* 91. ferè per totam.

Concretiones sphæræ aèreæ, quænam & quales sint, *d.* 93. per totam.

Condensatio in quo consistat, seu quomodo fiat, *d.* 55. per totam. Existentia illius demonstratur *ibid. sect.* 1. Variæ opiniones circa eius naturam refutatæ, *ibid. & sect.* 2. per totam. Est vera species alterationis tendens ad densitatem, quæ est species quædam passibilis qualitatis, *ibid. sect.* 3. per totam.

Conservatio an possit invicem præstari à duobus similibus, *d.* 56. *n.* 28.

Constellationes cœlestes quadraginta octo, *d.* 68. *n.* 9. Zodiacales duodecim & singularum nomen, ac ratio, *n.* 10. Constant trecentis quadraginta sex stellis, *ibid.* Quælibet illarum dividitur in triginta gradus. Vnde & in toto Zodiaco sunt trecenti sexaginta gradus, *ibid. & n.* 11. Septentrionales viginti & vna, quænã, *n.* 12. Meridionales quindecim, in Novo Orbe a Recentioribus observatæ, *ibid.*

Copernici error circa immobilitatẽ cœli, & assiduum motum terræ in circulum, reijcitur latè *d.* 74. *sect.* 1. & 2. per totas.

Cor an moveatur à se, vel potiùs à generante, *d.* 76. *n.* 26. & 27. An in eo rendeant sensus interni, *d.* 84. *sect.* 5. An in eo sit appetitus sensitivus, *sect.* 7.

Corpus, in ordine ad quod diffinitur anima, quodnam sit, *d.* 73. *sect.* 2. ferè per totam. Corpora quænam apta sint ad bonum edendum, *d.* 88 *n.* 21.

Corruptio, vide v. *Generatio*. An in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam, *d.* 49. per totam.

Creatio animæ rationalis, a solo Deo præstatur, *d.* 81 *sect.* 1. per totam. An possit creatura aliqua esse causa activa principalis ad creandum, *ibid. n.* 7. & 8.

Creatura impotens est ad creandum in genere causæ principalis, *d.* 81. *n.* 7. & 8.

Cynosura an creatur in cœlo hodierno ab occasu in ortum, *d.* 70. *n.* 31. & 33.

D.

Deipara sanguinem Verbo ministravit in Incarnationem, & cur, *d.* 77. *n.* 33. Fuit naturalis ac vera Mater Christi, statimque illum genuit perfectè ab ipso consensu in Incarnationem, *d.* 82. *n.* 25. An Christus naturaliter debuisset ex ea nasci ante nonum mensem, *ibid. n.* 26. 27. & 28.

Definitio caloris, frigoris, necessitatis, & frigiditatis, *d.* 59. *n.* 12. & *seqq.* Definitio animæ duplex. Prima *d.* 74 *sect.* 2. per totam. Secunda *sect.* 3.

Demonstratio posterioris animæ definitionis, quæ descriptiva est, dari potest per priorem, quæ essentialis est, *d.* 75. *n.* 23.

DEVS Singulariter admirandus ex magnitudine corporum cœlestium, *d.* 86. *n.* 26. An solus ipse moveat cœlos, an potius ministerio Angelorum, *d.* 69 *sect.* 3. & 5. per totas. Dei essentia nequit constituere in gradu intellectuali, & cur, *d.* 75. *n.* 24. & *seqq.*

ſeqq. Dei vita in quo conſiſtat, *d.*76 *n.*66. Dei exiſtentia ſemel ſuppoſita, neceſſaria eſt immortalitas animarum, *d.* 79. *n.*41. *& ſeqq.* Vtrùm animæ rationales à ſolo Deo creentur, & quando? *d.*81. per totam. An ſolius Dei proprium ſit creare, ita vt nulli creaturæ id convenire poſsit, *n.*7. *&* 8. An poſt primam mundi geneſim aliquid creaverit, *n.*23. 24. *&* 25.

Dij omnes ab Ethnicis putabantur hermaphroditi, *d.*47 *n.*3.

Diluvium vniverſale an præceſſerint Irides, *d.*92 *n.*12. *& ſeqq.* Diluvium Deucalionis, *n.*13. Diluvium ignis vniverſale, aut particulare, an poſsit induci ab aſtris, aliiſvè cauſis naturalibus *d.* 92. *ſect. vlt.* per totam.

Diſpoſitio vltima qualiter requiratur & & concurrat ad veritatem ſubſtantialis generationis, *d.*49. *ſect.*3. *à n.*44. *&* *d.*54. *n.* 26. Diſpoſitionem vltimam quiquis producit, an eo ipſo producat formam, *d.* 78 *n.*44 *& ſeqq.* & præterea *d.* 80. *n.*32. *&* 33.

Dolor an ſpectet ad ſenſum tactus, an verò ſolùm ad appetitum ſenſitivum, *d.* 88. *n.*55. *& ſeqq.* Ex quà cauſa proveniat dolor in tactum, *n.*57. *& ſeqq.*

E.

Echo, quid ſit, & quomodo fiat, *d.* 87. *ſect.*7. per totam.

Eccliſes Solis, aut ex toto, aut extremà circunferentiæ ora, à Clavio obſervatæ, *d.*71. *n.*31. Eccliſes Lunæ vnde oriantur, *n.*35. *& ſeqq.*

Ecnephia quod genus procellæ ſit, *d.* 93. *n.*41.

Eductio formæ ex materiâ, quid ſit, *d.* 80. *n.*90. *& ſeqq.* Anima rationalis ineducibilis eſt ex materiâ, *ibid.*

Elementa an ſint quatuor, totidem locis diſtincta, *d.*56. per totam. Eorum definitio exponitur, *ibid. à num.*2. Rationes quorundam ad probandum elementa eſſe quatuor, videntur ineficaces *n.*8. 9. *&* 10. Solidior probatio, *n.*11. *&* 12. Quo leviora, eò ſublimiorem locum habent, *à n.*53. Quo graviora, ſunt proximiora centro Vniverſi *n.*54. Vnicuique elementorum ineſt vna ex primis qualitatibus in ſummo gradu, altera infra ſummum, & quænam eæ ſint in ſingulis elementis, *d.* 59. late *ſect.*3. per totam. Vtrum omnia elementa poſsint ſe immediatè atque invicem tranſmutare? *d.* 60. per totam. Quænam ſymbola, quænam diſſymbola, *ibid. n.*1. Vtraque poſſunt ſe invicem tranſmutare, *ibid ſect.*1. per totam. Omnia elementa ſunt ſibi invicem & immediatè contraria, ideoque immediatè ſe poſſunt mutuò tranſmutare, *ibid. à n.*8. Obiectiones difficiles propoſitæ & ſolutæ, *ſect.*2. per totam. Tranſmutatio inter elementa diſſymbola per ſe loquendo eſt difficilior, quam inter ſymbola, quamvis oppoſitum evenire poſsit per accidens, *ibid ſect.*3. per totam. An duo elementa poſsint concurrere ad generationem alterius ſpecie diſtincti, *d.*61. per totam. Ex duobus ſymbolis invicè corruptis, nequit produci aliud ſpecie diſtinctum: poteſt tamen ex duobus diſſymbolis *ibid. ſect.*1. per totam. An hæc doctrina componi poſsit cum reſolutione totius compoſiti vſque ad materiam primam in corruptione ſubſtantiali, *ibid. ſect.* 2. *à n.*8. Elementa formaliter non ſunt in mixto, *d.*62 *ſect.*2. per totam. Argumenta in oppoſitum expediuntur *ſect.*3. Manent ſolùm virtute in mixto, ſed quomodo id intelligendùm ſit, *ſect.*4. per totam. Aliter conveniunt quælibet qualitates elementis, ac mixtis, *ib. d. n.*25.

Epicyclorum & excentricorum neceſsitas in cœlis Planetarum, *d.*67. *ſect.*4. Deprehenduntur ex obſervatione quarundâ eclipſium, *d.*71. *n.*31.

Eſſentia nullius rei conſiſtit in illâ ratione, ſeu prædicato, quod à priori demonſtrari poteſt, *d.*75. *n.*24.

Eteſiæ venti, qui, & quales, *d.*93. *n.*37.

Exhalationes & vapores in quibus differant, & conveniant, *d.*91. *n.*1. *&* 2. Quænam illarum ſint materiâ cometarum, *ibid. ſect.*3. Nequeunt in cœlum aſcendere, adhuc dato quod eſſet fluidum, *n.*17.

F.

FAX In aëre ardens, quid ſit, & vnde procedat, *d* 92. *n.*23.

Figura ſphærica an ſit omnium perfectiſsima, ac proinde conveniat cœlo, *d.* 63. *ſect.*2. An etiam Empyreo, *ibid. n.* 24. *&* 25. An Soli & Lunæ, *n.*28. *&* 29. An omnium firmiſsima ſit, *n.*30. An etiam illa ſtellis conveniat, *ibid ſect.*3. per totam.

Firmamentum, vide *Cœlum.*

Fluvij terræmotibus detecti, aut abſorpti, *d.*94. *n.*16. Fluminum origo, quæ, *n.*28. *& ſeqq.*

Fœtus a quo tempore informetur rationali animo? *d.* 82. per totam. Fœtus humanus an intra vterum ſit ſemper idem numero & ſpecie, *n.* 33. *&* 34. Tempus ani-

animationis eius incertum hominibus eſt, *n.*35. Vide *Baptiſmus.*

Fontes an omnes ex mari ortum ducant *d.*58. *à n.*48. Fontes quorundam mōtium fluentes & refluentes inſtar maris, *ibid. n.*52. Fontes terræmotibus detecti aut abſorpti, *d.*94. *n.*16. Fontiū origo an ex mari, an alibunde, *ibid. n.*28. *& ſeqq.*

Forma Subſtantialis exiſtit in rerum natura, idque multipliciter demonſtratur, *d.*46. *à n.*6. Formæ plures ſubſtātiales in vnica materia locum non habent, *d.*51. per tot. Forma corporeitatis, præſertim coæta materiæ, reijcitur *ibid. ſect.*3.

Formicæ an imaginentur, *d.*84. *n.*47.

Frigus, vna ex primis qualitatibus, *d.*59 Definitio ipſius, *ibid. n.*13. An conveniat connaturaliter aeri, *ibid.* latè *à n.*24. In ſummo ſolius aquæ proprium eſt, terræ autem prope ſummum, *ibid. à n.*48.

Fulgur quid ſit, & vnde oriatur, *d.*93. *n.*19. Fulgura in Braſilia horrenda, *ibid.*

Fulmen quid ſit, & ex quibus cauſis procedat, *d.*93. *n.*20. Fulmen an interdum lapidem afferat, *n.*20. Fulmina impetrata in defenſionem Romani exercitus, falsò dijs inanibus adſcripta, *n.*21. Fulmina miraculoſa. *ibid.* Fulminum effecta varia & mira, *n.*22. *& ſeqq.*

G.

Galaxia, ſeu via lactea, in quo conſiſtat, *d.*9. *ſect.*5.

Generatio ſubſtantialis à quibus negata fuerit, *d.*46. *n.*2. Eam in rerum natura exiſtere demōſtratur multipliciter, *ibid. à n.*3. Argumenta in oppoſitum expedita *ibid. à n.*8. Per ſe loquendo fit in inſtāti, *ibid. n.*15. Definitio illius exponitur, & ab argumētis vindicatur, *ibid. à n.*16. Solùm cōprehēdit generationes creatas, & naturali lumine cognoſcibiles, non autē æternā Verbi, *ibid. n.*22. Recipitur in materia prima, *n.*26

Generatio viventium quomodo definiatur, eadē *diſp.*64. *à n.*27. Cur Spiritus Sāctus non generetur, quamvis procedat à Patre & Filio, *ibid. n.*30. Cur neque Eva fuerit genita ab Adamo, *n.*33. neque pulli à gallina incubante ſupra ova aliena, *n.*34. Similitudo in natura an exigatur ad quālibet generationem viventium, etiā monſtroſam, *ibid. à n.*36. An omnis generatio ſit ab vnivoco, *ibid. n.*39. An generationes & corruptiones rerum ſint naturales, *n.*40 An generatio vnius ſit corruptio alterius, *n.*41. An expulſio formæ ſubſtantialis præcedentis & introductio ſequentis ſint idem *n.*42. An formæ præcedentis expulſio ſit prior introductione formę ſequētis, *n.*43. An expulſio formæ præcedentis & introductio ſequentis ſint in inſtanti, *n.*44.

Generatio monſtroſa quotuplex ſit & vnde oriatur, *d.*47. per tot. Pygmæi & Gigantes an recenſendi inter monſtra, *ibid. n.*3. *&* 4. Varia hominum monſtroſorum genera ex D. Iſidoro, *ibid. à num.*5. An ex concubitu hominis ac bruti naſcatur homo, *n.*9. Multiplex generationum monſtroſarum narratio, & cauſa, Ariſtotelis verbis fusè tradita, *ibid. à n.*11. *ſect.*4. per tot. Cur quædam viventia ſint vnipara, quædam multipara, *ibid.* Cauſa multiplex vniuſcuiuſque generationis monſtroſæ, & ſingularum ferè exempla memorabilia, eādem *diſp.*47. *à n.*28. *ſect.*3. per tot. Rara etiam exempla generationū mirabilium & monſtroſarum vi imaginationis, *ibid. ſect.*4. per totam.

Generatio in qua actione conſiſtat, *d.*48. per totam. An ſit actio diſtincta realiter ab alteratione, ibidem ex profeſſo. Quomodo diſpoſitiones requirantur & concurrant ad veritatem ſubſtantialis generationis, *ibid.* latè *à n.*44. Quomodo ſemen ad eam concurrat, *n.*51. Differt longè ab alteratione, *d.*54 *à n.*6.

Generationum & corruptionum ſublunarium varietas revocari debet in varios motus cœleſtium coporum, & quo ordine, *d.*70. *ſect.*3. per totam.

Gigantes quatenus ſint monſtra? *d.*47. *num.*4.

Glacies quid ſit, & quomodo fiat, *d.*93. *n.*15. *&* 16. Glacies admirandæ in Oceano Boreali, & regionibus adiacentibus, *ibid.* Quā virtute condenſetur, *n.*16.

Grando quid ſit, & quomodo generetur, *d.*93. *n.*12. Cur quandoque decidant grandines magnæ, & non rotundæ, *n.*13. Grādines horribiles ab Hiſtoricis memoratę, *ibid. & n. ſeq.* Grandinis condenſatio ex quibus cauſis proveniat, *n.*16.

Gratia, cùm ſit ſpiritualis, quomodo corruptibilis ſit, *d.*79. *n.*30. *&* 31.

Gravitas & levitas an conveniant corporibus cœleſtibus, *d.*64 *ſect.*4. per tot.

Gravia circa centrum an moveantur velociùs quo graviora ſunt, *d.*74. *n.*45. *&* 46. An moveantur velociùs in fine quàm initio, & progreſſu motus, *ibid. ſect.*5. per totam.

Gravitas & levitas an conveniat cœleſtibus corporibus, *d.*64. *ſect.*4. Vide v. *Terra.*

Gustus est sensus à tactu distinctus, *d.* 88.*n.*25.& 26. Eius propria structura,*n.* 27.& 28. In quo subiecto resideat, an in ipsa carne linguæ, an in nervo molliori suppositio,*n.*29.*& seqq.* De speciebus intentionalibus,& medio, ad gustandum requisitis,*n.*36.*& seqq.* Exigit obiectum contiguum, sicut tactus,*n.*38.

H.

Habitus primorum principiorum an sit realiter idem cum intellectu agente,*d.*83 *n.*24.& 25. In quo differant habitus adquisiti à speciebus impressis,*d.*89.*num.*97 & 98.

Halos in aerè circa Solē apparens, quid sit & vnde oriatur,*d.* 92.*n.*21. Insignc illius phænomenon sub imperio Augusti Cæsaris,*ibid.*

Hermaprodíti seu androgyni cur ita nascantur,*d.*47.*n.*29.& 30.

Hiatus in aere apparens,quid sit,& vnde proveniat,*d.*92.*n.*20.

Hominum monstrosorum plura genera, *d.*47.ferè per totam. Cur non obstanti assidua augmentatione & nutritione homo sit idem numero,toto vitæ suæ tempore, *d.*52 *sect.*1. latè. Homo mundus brevis, *d.*69.*n.*54. Eius dextra quæque pars fortior,quam sinistra,*ibid.* Homo non producit animam alterius hominis, præsertim propagatione seminativa,*d.* 80. per totā. Homines præcedentium sæculorum statura maiores,& viribus robustiores,*d.*81. *n.*34.& 35. Homines admirandæ memoriæ apprehensivæ & retētivæ,*d.* 84.*sect.* 3.

Humiditas vna ex primis qualitatibus exponitur, *d.* 59. An sit entitas positiva, *ibid.à n.*4. An qualitas activa,*à n.*7. Definitur,*n* 14. Cōvenit aeri in summo, aquæ autem infra summum,*ibid.n.*42.

Humores quatuor animalis,*d.* 76.*n.*14. An informetur animo,præsertim sanguis, *ibid.sect.*2.*& seqq.*

Humores tres in oculis,*d,*86.*n.*3. An humor chrystallinus sit subiectum immediatum visus,*ibid.sect.*2. per tot.

I.

Ignis an verè & propriè augeatur nutriaturque,*d.*53.*à n.*42. An per se loquendo egeat pabulo, an solùm per accidens, *ibid.* Ignis an sit vnus in specie infima, an solùm subalterna,*d.*58.*à n.* 19. admirandæ conditiones variæque quorundam ignium,*ibid.* Ignis gehennæ an sit eiusdem speciei cum elementari,ac nostro,*ibid.n.* 20.& 23. Ignis elementaris an eiusdem naturæ cum hoc nostro,*ibid.n.*21.& 24. Ignem elementarem habere supremum locum elementorum,atque sub ipso cœlo Lunæ in circulum, ibidem latè *sect.*2. per totam. Ignis noster valde impurus,est, *ibid.n.*34. Cur elementaris vsque adeò purus non absumat vicinum aerem,*ibid.à n.* 35. Cur interiectus cœlum ac terram non impediat influxum cœli descendentem ad causandum in terra frigiditatem, *ibid.* latè *à n.*38. Calor & siccitas sunt propriæ qualitates ipsius.*d.*59.*n.*21.& quidem calor in summo,*n.*41. An ignis possit in se convertere aerem,vel aquam,*d.*60.*n.*25. 26.& 28. Ignis cur non vivat medio motu nutritionis & augmentationis suæ, *d.* 76 *sect.*5. ferè aer tot.

Ignis Fatuus, quid, & vnde,*d.*92.*n.*25.

Ignis Lambens, quid sit, & vnde oriatur, *d.*92.*n.*25.

Ignis perpendicularis, quis & quà ex causa,*d.*92.*n.*23.

Ignes subterranei, eorumque causæ, & regiones,in quibus eruptiones illorū contingunt,*d.*94.*sect.*1. per tot.

Imaginativa, quæ & Phantasia, quantùm possit in generationem,*d.* 47.*sect.*4. per totam. Variæ narrationes generationum mirabilium & monstrosarum vi imaginationis,*ibid.* latè. An distinguatur realiter a sensu communi,æstimativa, & memorativa,*d.*84 *sect.*2.& 5. An sit in quolibet animalium,*n.* 47. Species in imaginativa impressæ negari nequeunt, *d.*89.*n.* 60. Vide v.*Phantasia.*

Imagines ignæ animalium,hominum, & exercituum præliantium, in aere apparentes,& earum admirandæ narrationes,*d.*92 *sect.*4. per totam. An possint ex naturalibus causis procedere,*ibid.*

Immanentia an sit de ratione operationis vitalis,*d.*76.*n.*49.*& seqq.*

Impulsus an imprimatur ab Angelo in sphæram,quam movet,*d.*69.*n.*56.

Indivisibilitas an sit propria animæ rationalis, an etiam communis animabus brutorum,*d.*82 *sect.*4. per tot. An ex sola indivisibilitate arguatur spiritualitas rei, *ibid.n.*45.& 46.

Insulæ terræmotibus formatæ, aut absorptæ,*d.*94.*num.*18. Insulæ an solùm post diluvium,*ibid.n.* 20. Quædam fluitantes medio mari,& cur,*n.*22.& 23.

Intellectio an distinguatur realiter à specie expressa seu verbo mentis,*d.*91.*sect.*5 & 6.

& 6. per totas. An distinguatur aliquomodo à dictione, sive actione productiva verbi, *sect.* 7. per tot. Distinguitur adæquatè à verbo, *sect.* 8. *n.* 61. Nullum prædicatum intentionale habet per modum similitudinis, sive imaginis obiecti, nec formalis, nec virtualis, *n.* 62. Nulla intellectio, nullaque cognitio, est actio prædicamentalis, *n.* 63. *& seqq.* sed qualitas, *n.* 65.

Intellectus quodnam obiectum habeat, *d.* 83. *n.* 20. Non distinguitur à memoria spirituali, *ibid.* Differt tamen realiter a voluntate, *n.* 21. *& seqq.* Intellectus agens an distinguatur realiter à passibili, *num.* 24. *& seqq.* Intellectus agens non est idem cum habitu primorum principiorum, *n.* 25. Officium intellectus agentis, prout distincti à possibili, consistere in productione intelligibilium specierum, & quomodo ea peragatur? *sect.* 4. per totam. Illustrat phantasmata, & quomodo, *ibid.* latè. An intellectus possibilis cognoscat directè singularia materialia, *sect.* 5. per tot. Quomodo convertatur ad phantasmata, *ibid.*

Intellectus an egeat speciebus impressis ad cognoscendum? *d.* 89. *sect.* 2. & 4. ferè per totas.

Intensio & remissio an sint affectiones propriæ qualitatis, & quomodo fiant, *d.* 54. *sect.* 4.

Iris an constat veris coloribus, *d.* 89. *n.* 92. D: illius natura, causis, coloribus, numero, situ, ac formatione diurna, & nocturna, *d.* 92. *sect.* 1. per tot. De figura semicirculari ipsius, *ibid. n.* 11. Irides an apparuerint ante diluvium, *ibid. sect.* 2. Quænam illarum significatio, tum naturalis, tũ & ex instituto Dei, *ibi. n.* 13. 14. & 15. Quænam Iridis effecta, *ibid. n.* 16.

Iupiter. Vide Planetæ.

K.

Keplerus consensit Copernico & Pythagoricis, in assidua mobilitate terræ, & immobilitate cœli, *d.* 74. *n.* 4. Reiicitur latè *ibid. sect.* 1. & 2.

L.

Lancea in aère apparens, quid sit, & vnde oriatur, *d.* 92 *n.* 23.

Levia & gravia an moveantur ab intrinseco, & proinde vivant, *d.* 76. *sect.* 2. & 4.

Levitas & gravitas an conveniat corporibus cœlestibus, *d.* 64. *sect.* 4. per tot.

Loco-motivum an constituat speciale genus animarum, *d.* 75. *sect.* 4. Aut saltẽ specialem gradum vivendi, *ibid.* De potentia loco-motiva animalium, illorũque motu pendente, tũ à cognitione, tũ & ab appetitu sensitivo, *d.* 84 *sect.* 8 per totam An concurrat activè ad motum, *ibid. n.* 61.

Lumen quid sit? *d.* 71. *n.* 1. Eius causa materialis, finalis, & efficiens, quæ? *n.* 2. Formalis, nulla, *ibid.*

Luna mas & fœmina putata ab Ethnicis, *d.* 47. *n.* 30. An sit sphæricæ figuræ, *d.* 65 *n.* 28. & 29. An totam lucem suam habeat à Sole, *d.* 71 *sect.* 2. Probabile est habere aliquid lucis intrinsecè, dependẽter tamẽ à Sole, vt primo lucido, *ibid. & sect.* 3. Probabilius est nullam lucẽ habere ab intrinseco, sed tantùm a Sole, etiam quò ad partem aversam, & in eclipsibus, *ibid. sect.* 4. per tot. Lucis incrementa & decrementa in Luna quomodo proveniant ex diverso aspectu Solis, *ibid. n.* 30. *& seqq.* Cur eclipses patiatur, *ibid. n.* 35. *& seqq.* Solis filia & soror à Veteribus dicta, *n.* 37. Variæ aliorũ opiniones circa eius illuminationem, *n.* 36. *& seqq.* latè. An possit recipere lucis reflexionem a terra *n.* 44. *& seqq.* Maculæ in Luna vnde oriãtur, *d.* 72. *sect.* 1. per tot. Vide *Maculæ.* Lunæ schema admirandũ, *ibid. n.* 13. Lunæ potestas, seu vis activa in hæc inferiora, *d.* 73. *n.* 5. *& seqq.* in plantas & animalia, *n.* 8. in partus, *n.* 9. in pleniluniõ efficit caliniores noctes, & cur, *n.* 23. An formet Irides, sicut Sol, & quomodo, *d.* 92. *n.* 9

Lux corporum cœlestiũ & subcœlestiũ an proveniat a Sole? *d.* 71. per tot. Eius definitio, quatenus accipitur pro codẽ ac lumen, *ibid. n.* 1. eius causæ, *n.* 2. Sentẽtia docens cœlos a seipsis lucẽ habere, examinatur & reiicitur, *sect.* 1. per tot. An stellæ & Planetæ habeant ab intrinseco lucem, an verò mutuatam à Sole, *ibid. sect.* 2. 3. & 4. per tot. Lucis incrementa & decrementa quomodo in Lunã proveniat ex diverso Solis aspectu, *ibid.* latè *n.* 30. *& seqq.* Lux sub obscura Lunæ subcõtis eclipsim, vnde proveniat, *d. eadem 7. sect.* 4. ferè per tot. Maculæ, seu defectus lucis plenioris, in Lunã vnde proveniant, *d.* 72. *sect.* 1.

Lux an verè sit virtus activa corporum cœlestium, & præsertim productiva caloris, *d.* 73. *sect.* 2. ferè per tot. Lux stellarũ, Planetarumque, an eadem sit cum luce Solis, *n.* 66. *& seqq.*

Lux non est corpus, nec substantialis forma, sed qualitas, non intentionalis, sed naturalis, distincta à colore, tũ vero, tũ & apparẽte, *d.* 86. *sect.* 5. per tot. An lux requiratur ex parte medij, an obiecti, *se.* 7. per tot.

Lychni, seu lucernæ per plura sæcula in ex-

extinctæ in locis ſubterraneis, illarumque cauſa, *d.* 94. *ſect.* 2. per tot.

M.

Maculæ in Luna non conſiſtunt in ſpeciebus intentionalibus è globo inferioris mundi aſcendentibus, *d.* 65. *à n.* 36. Sunt partes Lunæ rariores, *n.* 37. & 38. Vnde oriantur *d.* 72. *ſect.* 2. per totam. Quidam aiunt provenire ex eo quòd terrea & aquea ſit, ipſique habitatores concedunt, ſed reijciuntur, *n.* 3. & *ſeqq.* ac poſtea *n.* 15 Alij dicunt eſſe imaginem terræ & maris, reflexam ad nos, quaſi e quodam ſpeculo, ſed refelluntur, *n.* 8. Proveniunt ex maiori raritate quarundam Lunæ partium *n.* 9. & *ſeqq.* Maculæ an etiam in Sole ſint, & vnde proveniant, *d.* 72. *ſect.* 2. & *ſeqq.* latè Non proveniunt ex eo quòd Sol igneus ſit, aut corruptionum generationumque novarum capax, *ibid. num.* 21. 22. & 23. Nec videntur tribuendæ oculorum præſtigijs, *n.* 25. & 26. nec partibus opaciori bus cœli alicuius inferioris, *n.* 27. & 28. neque opacitati & denſitati quarundam partium revolutarum, *n.* 30. neque vaporibus à terra & aqua ſublatis, *n.* 33. & 34. Oriri videntur ex mutatione accidentali penes lucem, aut ipſius remiſsionem, defectumve, *n.* 35.

Magnitudo corporum cœleſtium quanta ſit, *d.* 68. *ſect.* 2. *à n.* 15.

Manna quid ſit, & vnde oriatur, *d.* 93. An noſtrum differat ſpecie ſubſtantiali ab Iſraelitico, *ibid.*

Mare an præſtet ortum quibuslibet fontibus, *d.* 58. *à num.* 48. An ſit ſublimius quàm terra, *d.* 58 *ſect.* 3. ferè per totam, ſed præcipuè *à num.* 60. Si ſublimius eſt, cur navis quando è portu ſolvitur, ſegniùs cieatur, quàm vbi ad portum accedit, *ibid.* Cur navigantibus è Luſitaniæ in Novam Hiſpaniam Sol tardiùs oriatur, quo magis è portu recedunt, cum tamen aqua editior ſit, *ibid.* Mare glaciatum, & pedibus peragrabile inſtar terræ, *d.* 93. *num.* 15. Mare egrediens fines ſuos vi terræmotuum, *d.* 94. *num.* 17. Item & admiranda effecta in mari ex eadem cauſa, *num.* 19 An ſit vnicum mare continuum totius Orbis, an plura, *num.* 24. Cur aqua maris ſit ſalſa, *num.* 25. Cur potentior ad ſuſtinendum corpora gravia, *num.* 26. Varia eius rei experimenta, *ibid.* Quomodo aqua maris poſsit à ſalſedine purgari, *num.* 27. An fontes & flumina ex mari procedant, eàdem *d.* 94. *ſect.* 6. per tot. Motus triplex maris, & vniuſcuiuſque eorum cauſa, *ſect.* 7. per tot.

Mars. Vide *Planetæ.*

Materia an ſit ſubiectum immediatum accidentium, nec ne? *d.* 50. per totam. Negativa pars ſuadetur latè, *ibidem ſect.* 2. & 3. An habeat formam aliquam ſubſtantialem ſibi coævam, aut plures formas ſimul, *d.* 51. per totam. Materia cœleſtis an eſſentialiter differat à ſublunari, *d.* 63. *ſect.* 2. & 3. per totas. An materia vnius cœli aut ſideris differat ſpecie a materia alterius, *ibid. n.* 30.

Mel quà ratione ortum ducat ex Iride, ſeu nube roſcida, *d.* 92. *n.* 16. Quid ſit, & vnde proveniat, *d.* 93. *n.* 17.

Memoria intellectualis an differat realiter ab intellectu, *d.* 83. *num.* 20. Memoria ſenſitiva an differat realiter à cæteris ſenſibus internis, *d.* 84. *ſect.* 2. & 5. An exigat humiditatem in cerebro ad facilè apprehendendum, & ſiccitatem ad bene retinendum, *ſect.* 3. Exempla quorundam hominum admirandæ memoriæ apprehenſivæ & retentivæ ſimul, *ibid.* Memoriæ defectus, quam facilè ſubiri poſsit, *n.* 22. & 23. An memoria inſit quibuslibet animalcuis, *n.* 50. & *ſeqq.*

Meteora in cœlo apparentia, *d.* 91. per totum. Lucida ſphæræ aèreæ, *d.* 92. per totam. Non lucida eiuſdem ſphæræ, *d.* 93. per totam.

Meteora intra terram, & aquã, *d.* 94. per tot. Quære ſingula eorum ſub proprijs nominibus.

Mercurius interpoſitus cur nunquã reddat Solẽ maculoſum, *d.* 72. *ſect.* 3. per tot.

Mixtio an ſit, & qualiter fiat? *d.* 62. per totam. Exiſtenta illius oſtenditur, & ab argumentis oppoſitis vindicatur, *ibid. ſect.* 1. per tot. Quænam exigantur ad veram mixtionem, *ibid. ect.* 2. *n.* 8. 9. & 10. Elemẽta non continentur formaliter in mixto, *ibid. latè à n.* 11. Argumenta in oppoſitum expediuntur, *ſect.* 3. per tot. Elementa cõtineri virtualiter in mixto, & quomodo id accipiendum ſit, *ſect.* 4. per tot. Longè aliter quælibet primæ qualitates conveniunt mixtis, quàm elementis, *ibid. n.* 25.

Monſtrum quid ſit, & quotuplex, *d.* 47. per tot. Variæ monſtroſarum generationum cauſæ, *ibid.* Vide *Generatio monſtroſa.*

Montes editiſsimi, in quos nulla meteora aſcendunt, *d.* 58. *n.* 32. An fontes illorum oriantur ex mari, *ibid. à n.* 48. Montibus Gallæciæ altiſsimis cur priùs non oria-

oriatur Sol, quàm infimis Cataloniæ campis, *ibid.n.*64. Cur in montibus præcelsis aër sit valde frigidus, cum tamen natura sua calidus sit, *d.*59. latè *à n.*24. *& d.* 93. *n.* 1. Mons *Veneris* editissimus, & nubes supergrediens, *ibidem*. Montis Olympi altitudo, & variæ narrationes de illo, *ibid. n.* 4. Montes Peruviæ editissimi, quos Andes vocant, & de ijs mira, *d.*58. *num.*32. *& d.* 92. *n.*30. *& d.*93. *n.*4. Montium altitudo quanta, *n.* 5. *& seqq*. Montes Distertij in Rivogia *n.*6.

Motus augmentationis & nutritionis latè exponuntur, *d.*52. per totam. Vide *Rarefactio* & *Condensatio*. Motus progressivus præsupponit necessariò appetitum elicitum, *d.*63. *sect.*4. *n.*33. Motuum cõtrarietas nullam inducere potest corruptionem in cœlo, *d.*64. *n.* 23. Motus duplex nequit per se convenire eidem corpori simplici, ac proinde nec eidem cœlo, *d.* 67. *d n.*23. Ex varietate motuum cœlestium rectè colligitur denarius numerus sphærarum, *ibid*. Potest eidem cœlo convenire vnus motus per se, & alius per accidens, *n.*28. *& seqq*. Motus cœli an incipiat à dextra, aut sinistra parte, & quænam ea, *d.*68. *sect.*4. Motum cœlo convenire, *d.* 69. *sect.*1. per totam. Esse ipsi naturalem, *sect.*2. Difficultates in oppositum expeditæ, *ibid*. Quænam sit particularis causa activa cœlestis motus, *sect.* 3. per totam. Quotnam sint motus cœlestes, & quo ordine perficiantur *d.*70. per totam. Motum primi mobilis esse primum omnium, velocissimum, ac regularissimum, & rapientem inferiores cœlos, *ibid. sect.* 1. Motus cœli Chrystallini, ac præterea Siderei, *sect.* 2. Motus septem inferiorum cœlorum, in quibus deferuntur Planetæ, illorumque periodi tardiores, aut velociores, *sect.* 3. An cœlum idem possit subire simul motus contrarios, *sect.*4. latè. Motus trepidationis cœli Siderei impugnatur & defenditur, *n.*37. *& 83*.

Motus an sit medio quo cœlum agit in hæc inferiora, *d.*63. *sect.*3. ferè per totam. An sit causa caloris *ibid.* latè *à num*. Argumenta in oppositum proposita & soluta, *ibid. sect.*4. *& 5*. per totas. An cessante motu cœli pariter cessarent omnes inferiores motus, *ibid.n.*57. *& 58*. An terra moveatur semper, cœlo immoto, *d.* 74. ferè per totam. Motus graviorum corporum an velocior sit circa centrum, quam minus gravium, *ibid.n.* 45. *& 46*. An gravia velociùs moveantur in fine, quàm in principio, aut medio mot⁹, *ibid. sect.*5. per tot.

Motus ab alio quotupliciter contingat, *d.*75. item motus à se, *n.* 36. Motus ab intrinseco an, & quo sensu, constituat rationem formalem vitæ, *d.*76. per tot. Motus triplex maris, & vniuscuiusque causa, *d.* 94. *sect.*7. per tot.

Mundus inferior debet esse contiguus lationibus cœlestibus, *d.*73. *n.*3. *& 4*. Mũdi centrum an sit in Sole, an potius in terra, *d.*74. per tot. Vide v. *Terra*.

Musicæ an memoria præditæ sint, *d.* 84. *n.*50,

Musculi dispersi per totum animalis corpus, vt se localiter moveat, *d.*84. *n.*61.

Mycetia, quæ species terræmotus, *d.*94. *n.*18.

N.

Natura an vivat per emanationẽ suarum proprietatum, *d.*76. *num.*23. *& seqq*. Natura tendit de imperfecto ad perfectu, ideoque prius tempore producit animam pure vegetativam, quam sensitivam, & hanc, quam rationalem, in generatione hominis, *d.*82. *n.*12. *& seqq*.

Nervi optici oculorum, *d.*86. *n.* 1. An in ijs resideat visus, an potius in chrystalloide, *ibid. sect.*1. per tot. Nervi auditus, *d.* 87. Nervi gustus *d.*88. *n.*29. *& seqq*. Nervi tactus, *n.*41. *& seqq*. Vbi invenies, an in ijs nervis resideãt prædicti sensus. Nervi an sentiant dolorem immediatè *d.* 88. *n.*45. *& seqq*.

Nix quid sit, & quomodo generetur, *d.* 93. *n.*11. An sexangula cadat, *ibid*.

Nomina stellarum Græco latina, quænam, & vnde ceperint in sacris & profanis litteris, *d.*68. *n.*6. 7. *&* 8.

Nubes rorida quâ ratione conformetur in Iridem, *d.* 92. *sect.* 1. ferè per totam. Nubes quid sit, & ex quibus causis procedat, *d.*93. *n.*2. *&* 3. Nubes an eleventur supra montes orbis altissimos, *n.*4. *& seqq*. Quanta sit altitudo nubium, *ibid. & n.*6. Regula observatu digna ad eam inveniẽdam, *n.*7. In quo differat nubes à nebula, *n.*8.

Numerus cœlorum quantus sit, *d.* 67. per tot. An sit aliquis determinatus stellarum, *d.*68. *sect.*1. Innumerabilem esse naturaliter ab homine, demonstratur, *n.* 14.

Nutritio an verè detur, *d.*52. *à n.* 5. An eà non obstante homo idem sit in senecta ac in infantia, *ibidem*, latè *à numer.* 8. An cum eàdem componatur veritas

reſurrectionis futuræ ſingulorum hominũ, *ibid.* latè *à num.* 29. *vſque ad* 53. Quomodo peragatur nutritio, *d.* 53. per tot. Quænam actiones præviæ diſponant ad illam, *ibid. ſect.* 1. Non fit inſtanti, ſed ſucceſsivè, continuéque, & quo ſenſu, *ibid. ſect.* 2. Argumenta in oppoſitum ſoluta, *ibid. à n.* 21. D. Fert ab augmentatione *ibid. ſect.* 4. per totam. An conveniat propriè igni, *ibid. à n.* 42.

O.

Occidens ſiniſtra cœli pars, à qua non incipit motus, *d.* 69. *n.* 54.

Oculi facilè hallucinantur & præſtigias ſubeunt circa phænomena cœleſtia, *d.* 66. *n.* 25. Oculorum ſtructura, *d.* 86. *ſect.* 1. per totam. Oculus luſcorum cur vividiùs videat, *n.* 22. & 23. Oculi prominentes cur minùs videant, *ibid.* Cur oculis appareant tremientes ſtellæ, *ibid. n.* 23. Oculi Antiphrontis referebant ipſi propriam imaginẽ, & cur, *n.* 24. & 25. Oculorum ſpecies impreſſæ demonſtrantur, *d.* 89. *num.* 61. & *ſeqq.*

Odor quid? *d.* 88. *ſect.* 3. Qua ratione ſit obiectum odoratus, *ibid.* An cauſetur ex Iride, *d.* 92. *n.* 16. Vide *Odoratus.*

Odoratus, qua ſtructura conſter, & quodnam ſit illius ſubiectum, *d.* 88. *ſect.* 1. per totam. Quodnam ſit illius medium, *ibid.* Obiectiones contra ſententiam noſtram ſolutæ, *ibid. ſect.* 2. An egeat ſpeciebus intẽtionalibus, an potiùs ſufficiat realis odor in ſenſorium perveniẽs, *ibid.* Quidſit odor, qui ſit proprium illius obiectum, an ſubſtantia exhalationis fumoſæ, an qualitas ſenſibilis, & quænam *ſect.* 3. Odorum variæ ſpecies, *ibid.*

Organicum corpus quodnam ſit, *d.* 75. *n.* 20. Quænam partes organicæ, *ibid.* Organorum diverſitas in quatuor internis ſenſibus *d.* 84. *n.* 10. & *ſeqq.*

Organum viſus exponitur, *d.* 86. *ſect.* 1. & 2.

Oriens dextra cœli pars, vnde incipit motus eius, & impulſus Angeli moventis, *d.* 69. *n.* 54.

Ova non referunt ſimilitudinem incubantis avis, ſed parentis, *d.* 46. *n.* 34. Quãdoque ſeorſim ab incubante ave aperiuntur in terra, ſeu pullos excludunt, *n.* 35. etiã obruta fimo, *ibid.* Potator quidam inſignis ab Ariſt. relatus calore vini excludebat ova, *ibid.*

P.

Papilio an conſtet memorativa facultate, *d.* 84 *n.* 50.

Parhelia quid ſint, & vnde procedant, *d* 92. *n.* 17. Quomodo in ijs multiplicentur Solis imagines, *n.* 17.

Partes integrales an conveniant animabus brutorum, *d.* 82. *ſect* 4.

Paſsiones appetitus ſenſitivi, tam ſpectantes ad partem concupiſcibilem quàm iraſcibilem, deſignãtur, *d.* 84. *n.* 57. & 58.

Periodi ſingulorum cœlorum eò tardiores, quo cœli ſuperiores ſunt, proximioreſque primo mobili, & cur, *d.* 70. *num.* 22 & *ſeqq.*

Perſpicuum quid ſit, & qualiter concurrat ad videndum, *d.* 86 *ſect.* 4.

Phænomena in cœlo apparentia, vt cometæ, & ſtellæ tecentes, ac Galaxia, an verè in ipſo cœlo exiſtant, & cuius naturæ ſint, *d.* 91. per totam.

Phantaſia an differat realiter à ſenſu cõmuni, æſtimativa, & memorativa, *d.* 84. *ſect.* 2. 4. & 5. Eius etymon, & propria ratio, *n.* 24. Accipitur interdum communiter, interdum ſpeciatim *n.* 25. & *ſeqq.* Nõ ſolùm eſt retentiva ſpecierum, ſed etiam cognoſcitiva, *n.* 27. & *ſeqq.* Actus phantaſiandi an diverſus ab actibus interiorum ſenſuum aliorum, *n.* 30. & *ſeqq.* Vide, *Imaginativa.*

Phantaſmata an illuſtrentur ab intellectu agente, & quomodo, *d.* 83. *ſect.* 4. ferè per totam. An concurrant ad productionem ſpeciei ſpiritualis, & qualiter, *n.* 36. & 37.

Photiſmi variorum animalium noctu & ab intrinſeco lucentium, quamvis in toto ſuo lumine dependeant à Sole, *d.* 71. *ſect.* 3. per tot.

Piſces naturâ ſua lucidi, illorumque variæ ſpecies, *d.* 71. *n.* 24. & 25. Quomodo audiant, *d.* 87. *n.* 11. & *ſeqq.*

Planetæ egent orbibus excentricis & epicyclis, vt modò maiores aut minores, modo remotiores aut viciniores nobis appareant, qualiter revera apparent, *d.* 65. *ſect.* 4. per tot.

Planetarum etymon, *d.* 67. *n.* 1. numerus ſeptenarius, *ibid.* Quilibet eorum eget integro cœlo, & cur, *nu.* 33. & *ſeqq.* Differunt ſpecie inter ſe, ſicut & illorum motus, *n.* 35. & 36. Quot motibus cieantur Planetę, & quomodo iuxta varietatem illorum producant in inferioribus rebus varios effectus, *d.* 70. *à n.* 18. Periodi Planetarum

ſin-

ſingulorum quanto tempore perficiantur, *n.*23. *& ſeqq.*

Poſſibilia non cognoſcũtur à Deo ſciẽtiâ viſionis, & cur, *d.*85. *n.*50.

Potentiæ animæ quinque: vegetativa, ſenſitiva, appetitiva, loco-motiva, & intellectiva, *d.*75. *n.*41. An diſtinguantur realiter ab anima, & inter ſe? *d.*83. per totam. Sententia affirmans eligitur & ſuadetur latè *ſect.*1. Argumenta Adverſariorum ſoluta *ſect.*2.

Præſter, quod genus procellæ ſit, *d.*93. *num.*41.

Primum Mobile rapit ſecum omnes ſphæras ab Oriente in Occidentem motu regulariſsimo & vniformi, *d.*70. *ſect.*1. Argumenta in oppoſitum ſoluta, *ſect.*4. Eius motus an retardatus a motibus ſphærarum inferiorum, *ſect.*5. ferè per totam.

Procellæ vnde oriantur, & quænam ſint illarum præcipuæ, *d.*93 *n*41.

Pruina quid ſit, & quomodo generetur, *d.*93 *n.*10.

Pupilla, ſive humor chryſtallinus, an ſit ſubiectum immediatum viſus, *d.*86. *ſect.*2. per totam.

Pygmæi an referendi inter monſtra, *d.*47. *n.*3. Hiſtoria rara cuiuſdam pygmæi, *ibid.* Dæmones pygmæorum ſpecie apparere ſoliti in locis ſubterraneis, *ibid.n.*10.

Pythagorica μετεμψύχωσις, ſeu tranſanimatio, a quibus Ethnicorum & Rabbinorum tradita, *d.*81 *ſect.*2. Reijcitur, *ibid.*

Q.

Qualitates primæ ſolùm ſunt quatuor, & totidem combinationes, ideoque & ſola quatuor elemẽta, *d.*58. *à n.*12. Vis mixtorum in ordine ad ſingulares ac miros effectus tribui debet eiſdem qualitatibus, prout diverſimodè attemperatis, *ibid. n.*14. Quænam illarum ſint propriæ ſingulorum elementorum, *d.*59. per totam. Illarum definitio exponitur, *ibid. n.*2. *&* 3. Sunt entia poſitiva, *n.*4. An ſint virtutes activæ, *ibid. à n.*7. Differunt eſſentialiter inter ſe, *ibid. à n.*17. Duæ illarum an reſideant in quolibet elemento, & qualiter in vnoquoque illorum, *ibid. ſect.*2. *& ſeqq.* Qualitas minùs intenſa cuiuslibet elementi an habeat permiſtionem qualitatis contrariæ, *ibid. ſect* 4. per totam. Qualitates primæ elementorum corrumpuntur in generatione mixti, & aliter in eo ſunt, quam in elementis, *d.*62 *n.*25. An cuilibet mixto ſit aliqua ſimplex qualitas diſtincta à quatuor primis, quæ habeat rationẽ temperamenti, *ibid. n.*29. Qualitates primæ an in cœlo locum habeant, *d.*64. *ſect.*1. *&* 2. Qualitates tangibiles, quot & quænam ſint, *d.*88. *n* 54. *& ſeqq.* latè. Qualitates ſecundæ an ſint activæ, *n.*69. 72. Qualitatum tangibilium ſeptem ſpecies, *d.* 88. *num.* 54. *& ſeqq.*

Quantitas cœleſtium corporum an ſit ſolida, vel potiùs fluida, *d.*66. per totam.

Quies terræ in centro ſuo, ſtabilitur cõtra Copernicum & alios, *d.*74. per totam.

R.

Rabbinorum error circa tranſmigrationem animarum, *d.*92 *n.*4.

Rarefactio an exiſtat & quomodo fiat, *d.*55. per totam. Eius exiſtentia demonſtratur, *ibid. ſect.*1. Variæ opiniones circa eius naturam reiectæ, *ibid. & ſect.*2. per totam. Eſt vera ſpecies alterationis tendens ad raritatem, quæ eſt ſpecies quædam paſſibilis qualitatis, *ibid. ſect.*3. per totam.

Reſiſtentiæ duplex genus, *d.*56. *n.*27.

Reſurrectio hominum futura quomodo cohæreat cum vera exiſtentiâ nutritionis ſubſtantialis? *d.*52. latè *à num.*24. *uſque ad* 53.

Ros quid ſit, & quomodo generetur, *d.*93. *n.*9.

S.

Sal maris ex quibus cauſis procedat, *d.*94. *n.*25.

Sanguis an informetur animo, *d.*77. *ſect* 2. *& ſeqq.* Non informatur, *ibid.* latè. Eſt alimentum vltimum animalis, *n.*19. *& ſeqq.* Nullus eſt in eo vitæ motus, *n.*29. An continuetur carni, *n.*30. Suadetur eadem ſententia argumentis theologicis, *ſect.*3. per totam. Sanguis Chriſti an fuerit immediatè aſſumptus à Verbo, *ibid. n.*41. *& ſeqq.* Opinio recens & media circà informationem ſanguis ab animâ, exponitur, & ſtabilitur, vt valde probabilis, *ibid. ſect.*5. per totam.

Sapor obiectum guſtus, *d.*88. *ſect.*5. Saporum ſpecies ſeptem, *ibid. n.*35.

Saturnus, vide *Cœlum.*

Semen vtrùm informetur animo, *d.*77. *n.*47. *& ſeqq.* Vtrùm animæ propagentur medio ſemine? *d.*80. per totam. Nullum ſemen, præſertim humanum, eſt animatum, *ibid. ſect.*2. per totam. Argumenta contraria ſolvuntur *ſect.*3.

Senſibile dividitur in commune, per ſe, & per accidens, ac propria cuiuſque ratio, *d.*85. *n.*1. Qualiter comparentur ad ſenſus ex-

externos, *ibid.* ferè per totam. Vide *Sensus externi.* In quo differat sensibile per se à sensibili communi & accidens, *sect.* 2. An sensibile proprium positum supra sensum, impediat sensionum, *sect.* 3.

Sensus interni an in quolibet animali sint plures invicem distincti? *d.* 84. per totam. Quatuor communiter assignantur, Sensus communis, Imaginativa, quæ & Phantasia, Æstimativa, & Memoria. Sensus communis existit distinctus realiter ab externis sensibus, eiusque officium, *sect.* 1. per totam. An sit idem realiter cum reliquis sensibus iam relatis? Ostenditur illos invicem reipsa differre, *sect.* 2. & 5. latè. Organa propria & situs singulorum sensuum interiorum, *sect.* 5. *n.* 42. & *seqq.* An omnes sensus interni resideant in omnibus animalibus, *sect.* 6. per totam.

Sensus externi in genere, qualiter comparentur ad obiecta sensibilia, *d.* 85. per totam. An sensibile commune imprimat sensibus externis speciem aliquam distinctam à specie sensibilis proprij, *ibid. sect.* 1. per totam. An sensibile proprium positum immediatè supra sensum, possit ab eo sentiri, *sect.* 3. An sensibile vehemens lædat sensus externos vi alicuius actionis physicè alterantis, an solùm vi actionis intentionalis, *sect.* 4. per totam. An sensus externi possint reflectere supra suos actus, aut deceptionem subire circa propria obiecta, *sect.* 5. per totam. An omnes ij conveniant quibuslibet animalibus, etiam imperfectissimis, quæ zoophyta appellantur, *sect.* 6. per totam. Vtrum ad sensionē externam obiecti sit essentialiter necessaria realis præsentia obiecti, *sect.* 7. per totam. Vide speciatim sub nomine proprio cuiuslibet sensus externi.

Siccitas vna ex quatuor primis qualitatibus, *d.* 59. per totam. Est entitas positiva, *ibid. à n.* 5. an activa, *à n.* 7. Definitur, *n.* 15. Soli terræ convenit in summo, igni verò infra summum, *n.* 45. & *seqq.* An cōveniat ipsi activitas sufficiens, vt terra transmutet aliud elementum in se, *d.* 60. *n.* 43. & *seqq.*

Signa, vide *Constellationes.*

Sol cur priùs oriatur in Lusitaniâ, quàm in mari quindecim gradibus vlteriore circa Novam Hispaniam, cùm tamen mare sit sublimiùs? *d.* 58. *à n.* 61. Cur & priùs appareat in Catalonia, quā in altissimis Galliæ montibus, *ibid. n.* 64. An verè igneus sit, *d.* 63. *n.* 26. & 27. An quarto die mundi informatione Solis cœlum subierit mutationem, & quam, *d.* 64 *n.* 21. An ex sacris litteris colligatur, ipsum esse naturæ igneæ, *ibid. n.* 29. & 30. An sit sphæricæ figuræ, *d.* 65. *n.* 28. & 29. An infra & supra Solem visi fuerint quandoque Mercurius, Venus, & Mars, *d.* 66. *à. n.* 22. an etiam stellæ Iovialis, *ibid.* Cur Sol in Horizonte positus maior appareat, quam in auge, cū tamen distantior sit, *n.* 25. Esse longè maiorem, quam Lunam, & terræ globum, demonstratur, *d.* 68. *n.* 15. & *seqq.* An consistet virtute activâ ad movendum se, *d.* 69. *n.* 24. & 25. An omnia corpora & luminaria cœlestia participent lumen à Sole, *d.* 71. per totam. An in Sole sint maculæ, & vnde oriantur, *d.* 72. latè *sect.* 2. & *seqq.* Vide v. *Maculæ.* Solis defectus prodigiosi ab Historicis narrati, *ibid n.* 17. Solis ignea natura reijcitur, *n.* 21. 22. & 23. Cur nunquam visus fuerit maculosus ex interpositione Veneris aut Mercurij, *ibid. sect. vlt.* per totam, Solis elogia, *d.* 73. *n.* 5. An centrum mundi sit in Sole, an potiùs in terra, *d.* 74. per totam. Solem verè moveri, *n.* 5. Quomodò caluerit Iridem, *d.* 92. *sect.* 1. per totam.

Soliditas an conveniat cœlo præ fluiditate, *d.* 66. per totam.

Sonus quid sit, & cui subiecto inhæreat, *d.* 87 *sect.* 3. per totam. Quanta sit sphærà soni realis, & an à principio, an in fine sui, mittat speciem in auditū *ibid.* Sonus reflexus, sive Echo, quid sit, & vnde oriatur, *sect.* 7. Vide v. *Auditus.*

Species sensuum quorundam interiorū, sensatæ; aliorum, insensatæ, & quorum, *d.* 84. *n.* 10. & *seqq.* An species phantasiæ differant à speciebus sensus communis, *n.* 31. & *seqq.* Species impressa à sensibils communi an distinguatur à specie sensibilis proprij, *d.* 85. *sect.* 1. per totam. Speciei sola obiecti absque præsentiâ reali ipsius? an sufficere possit, saltem supernaturaliter, ad cognitionem experimentalem, seu intuitivam *sect.* 7. per totam. Species intentionales visus demonstrantur, *d.* 89. *n.* 61. auditus, *d.* 87. *sect.* 5. per totam. Odoratus, *d.* 88. *sect.* 2. Gustus, *n.* 36. Tactus *n.* 44.

Species impressæ an sint necessariò admittendæ in potentijs apprehensivis, seu cognoscitivis? *d.* 89. per totam. Rationes opinionis negantis, *sect.* 1. & 2. per totas. Necessitas specierum ad cognoscendum vniversum, stabilitur *sect.* 3. per totam. Necessitas specierum impressarum in intel-

lectu, *sect.* 4. per totam. In ſenſibus internis, & externis, ſed præcipuè in viſu, *ſect.* 5. per totam. Occurritur argumentis propoſitis ſectione primâ contra ſpecies impreſſas generatim, *ſect.* 6. per totam. Occurritur argumentis ſectione ſecunda propoſitis contra ſpecies intellectuales & ſenſibiles *ſect.* 6. per totam. An ſint formales ſimilitudines obiecti, an ſolũ virtuales, *ſect.* 8. *n.* 94. & 95. An concurrant efficiẽter ad cognitionem, *n.* 96. An per modum principij vitalis, *n.* 97. An diſtinguantur ab habitibus adquiſitis, *ibid.* & *n.* 98.

Species expreſſæ an ſint neceſſariæ in omnibus potentijs apprehenſivis, *d.* 91. per totam. An ſint admittendæ in ſenſibus externis, *ſect.* 1. An in omnibus internis. *ſect.* 2. An in intellectu, quoties vtitur ſpecie impreſſa creata, *ſect.* 3. Quid quando intelligit per ſpeciem impreſſam increatam, *ſect.* 4. An diſtinguatur realiter ab intellectione *ſect.* 5. & 6. An dictio, ſeu productio ſpeciei impreſſæ diſtinguatur aliquomodo ab intellectione, *ſect.* 7.

Speculum cur inverſo ordine latus dextrum, & ſiniſtrum videntis repræſentet, *d.* 89. *n.* 93.

Stellæ recentes an in cœlo generentur, *d.* 64. *ſect.* 3. & poſtea latiùs *d.* 91. *ſect.* 4. per totam. Quo ſenſu dicantur cadere è cœlo, *d.* 64. *n.* 26. & 27. An ſtellæ omnes ſint ſphæricæ figuræ, *d.* 65. *ſect.* 3. per totam. Differunt ſpecie inter ſe, ſicut & illarum motus, *d.* 67. *n.* 35. An ſtellæ increantes, ſive fixæ, numerari poſſint, *d.* 68. *ſect.* 1. per totam. Obſervatæ frequenter ab Aſtronomis ſunt mi le viginti duæ, *n.* 6. An Græci ſtellis numerum & nomina aſsignaverint, *ibid.* & *n.* 7. vbi quænam ea ſint. Demonſtratione morali oſtenditur illarum innumerabilitas, *n.* 14. Magnitudo ſingularum, quænam ſit, *n.* 21. & *ſeqq.* An ex ſeipſis lucem habeant, an potiùs mutuatam a Sole? *d.* 71 *ſect.* 2. Probabile ſtellas habere lucem intrinſecam, pendentem tamen omnino à Sole, *ibid.* & *ſect.* 3. Probabilius eſſe lucidas intrinſecè abſque vlla dependentia a Sole, *ibid. ſect.* 4. *n.* 27. & 28. Stellarum tam errantium, quam inerrantium operationes, & effecta plura ſatis mirabilia, ac lectu iucunda, *d.* 73 *ſect.* 1. per totam. Stella cadens quid ſit, & vnde oriatur, *d.* 92. *n.* 24.

Stipula arden ns in aëre, quid, & vnde, *d.* 92. *n* 25.

Subtilitas quid & quotuplex ſit, *d.* 66. *n.* 25.

Sulphur cuius naturæ ſit, *d.* 94. Eſt cauſa materialis ignium ſubterraneorũ, *ibid.*

T.

Tactus præ alijs ſenſibus diſcernit primas qualitates, *d.* 59. à *n.* 4. Convenit omni animali neceſſario, *d.* 75. *n.* 41. An ſenſorium tactus ſit in carne, an ſolùm in nervis per totum corpus extenſis, *d.* 88. *n.* 41. & *ſeqq.* latè. Tangibiles qualitates quot & quænam ſpectent ad obiectum tactus, *n.* 54. & *ſeqq.* An etiam dolor, voluptas, & titillatio, *ibid. n.* 55. & *ſeqq.* An etiam fames, & ſitis, *n.* 60. An omnes qualitates tangibiles reſpiciantur a tactu æquè primo, an potiùs vna mediante alia, *n.* 62. & *ſeqq.* An tactus ſit vnus ſpecie, aut multiplex, *ibid.* An ſolùm percipiat qualitates excedentes ſuum temperamentum, *n.* 68. Species intentionales tactus, *n.* 71.

Talpa an conſtet viſu, *d.* 85. *n.* 44.

Temperamentum cuiuslibet mixti, an ſit qualitas ſimplex diſtincta à quatuor primis, *d.* 62. *n.* 29. An temperamentũ æquale ad pondus ſit connaturale alicui mixto, *ibid. n.* 30.

Terra an ſit elementum inferius, aquâ, *d.* 58. *ſect.* 3. per totam: vbi latè probatur inferiorem eſſe terram. Cur non obruatur ab aquâ ſuperiore, *ibid.* à *n.* 57. Eſt ſicca & frigida, *d.* 59. *n.* 23. & quidem ſicca in ſummo, *n.* 45. & *ſeqq.* An poſsit convertere in ſe aquam, aut aerem, vel è contrà, *d.* 60. *n.* 27. 32. & 33. & poſtea *num.* 43. *cum ſeqq.* Terram eſſe multò maiorem, quam Lunam, demonſtratur, *n.* 17. & multò minorem Sole, *num.* 18. Terræ circumferentia quanta ſit, *n.* 24. & 25. An poſsit lucem reflectere in Lunam, *d.* 71. *n.* 44. & *ſeqq.* An terra perpetuò moveatur circa Solem, veluti circa centrum Vniverſi, an potiùs immobilis ſit, *d.* 74. per totam. Quinam dixerit terram moveri in circulum, & illorum refutatio multiplex, *ibid ſect.* 1. & 2. per totas. An terra ſaltem ex inæqualitate partium penes gravitatem moveatur aſſiduè circa centrum motu trepidationis? *ibid. ſect.* 3. per totam. Per quamlibet inæqualitatem duplicis medietatis mutat centrum mathematicum gravitatis, *ibid. n.* 24. & *ſeqq.* Per quamcumque inæqualitatem duplicis medietatis non mutat centrum phyſicum gravitatis, *ibid. n.* 28. & 29. Per nullam partium inæqualitatem ſubait aliquem verum trepidationis motum, *n.* 30. & *ſeqq.* Centrum Vniverſi non eſſe aliud quem centrum gravitatis terræ, *ibid.*

ibid. num. 37. *& seqq.* Terræ quies ex summâ ipsius gravitate ortur, *num.* 40. Semper est immobiliter affixa centro suo, *n.* 41. Tota illa in altum à Deo levata & dimissa, non transiret vltra locum infimum centri, *num.* 42. Nec tota illa gravitat circa centrum Vniversi, nec partes eius, si sint debito modo continuatæ, *num.* 43. secus si continuatæ non sint, *num.* 44. Terra in triplicem regionem divisa a summo ad infimum, *d.* 94. *n.* 28. *& seqq.*

Terræmotus ex qua causa procedat, quos effectus pariat, & quotuplex specie sit, *d.* 94 *sect.* 3. per totam.

Testacea & crustacea an constent omnibus sensibus externis, *d.* 85. *n.* 43.

Thaumantias cur dicatur arcus cœlestis, *d.* 92. *n.* 2.

Thyle insula ignium subterraneorum horrendas eruptiones patitur, *d.* 94 *n.* 5.

Titio in aëre apparens, quid sit, & vnde oriatur, *d.* 92. *n.* 23.

Tonitruus quid sit, & vnde oriatur, *d.* 93. *n.* 25. Tonitrua absque coruscatione aut fulgure aliqua, & cur, *ibid.* Horrenda in regionibus Aquilonaribus, & Tartariâ, *ibid.*

Tuborum opticorum mira vis ad repræsentandum varietatem rerum non existentium, & recentia experimenta illorum, *d.* 86 *sect* 6. per totam.

Tunicæ quinque in oculis, *d.* 86. *n.* 3.

Typhon, quod genus procellæ sit, *d.* 93. *num.* 41.

V.

Vapores in quibus differant & conveniant cum exhalationibus, *d.* 91. *n.* 1. & 2.

Ventus an sit aër concitatus, an potius exhalatio terrea, *d.* 93. *num.* 26. *& seqq.* Quænam causa efficiens illius, *num.* 32. Motus illius tortuosus, & cur, *num.* 27. Ventorum affectiones variæ, & procellæ ex ijs prodeuntes, *n.* 38. *& seqq.*

Venus barbata, fœmina & mas, apud Ethnicos, *d.* 47. *num.* 30. Cur nunquam interpositione suâ reddat Solem maculosum, *d.* 72. *sect.* 3. per totam. Vide *Cœlum.*

Verbum mentis, vide *Species* expressæ.

Vermes an omnibus internis sensibus constent, *d.* 84. *sect.* 6. Intra nivem generantur, *d.* 93. *n.* 11.

Via lactea, sive Galaxia, in quo consistat, *d.* 91 *sect.* 5.

Virgæ quid sint, & vnde procedant in in aëre, *d.* 92 *n.* 17.

Visio repugnat circa obiectum non præsens, *d.* 85 *sect.* 7. ferè per totam. Visio fit per emissionem specierum ab obiecto per modum pyramidis, cuius cuspis in oculo desinit, *d.* 86. *n.* 27. Visio beatifica an producat verbum, sive speciem expressam, *d.* 9 *sect.* 4. per totam ferè.

Visus, quænam ipsi conveniant, prout distincto à cæteris sensibus, *d.* 86. per totam. Quinam de illo plenius scripserint, *ibid. n.* 1. Eius mirabilis structura, partes, tunicæ, & humores, *sect.* 1. per totam. An residcat in chrystalloide, an potius in nervis opticis? Eligitur posterior pars, & ab obiectionibus vindicatur, *ibid. sect.* 2. per totam. Non est duplex visus, seu vnicus, in quolibet animali *n.* 8. *& seqq.* An visus percipiat obiecta mediante extramissione radiorum ab oculis, an potius per visionem sibi intrinsecam, & immanentem? Vbi de existentiâ & naturâ specierum visualium, *sect.* 3. per totam. An pereniter fluant species ex coloribus ad visum, *n.* 28. *& seqq.* Color & perspicuum, quidnam sint, & qualiter concurrant ad videndum, *sect.* 4. per totam. Visus miracula, seu admirandæ repræsentationes per tubum opticum, *sect.* 6. per totam. Species impressas à visu excludunt aliqui variis argumentis notatu digais, *d.* 89. *n.* 38. *& seqq.* Probantur è contra alijs efficacioribus *ibid. num.* 61. *& seqq.* latè. Solvuntur argumenta opposita, *num.* 92. *& seqq.*

Vita quia & quotuplex sit, *d.* 76. per totam. Consistit in motu ab intrinseco, *ibid. n.* 2. *& seqq.* Convenit Deo, Angelis, hominibus, brutis, & plantis, *num.* 3. Quatenus abstrahens a creata & increata, quo sensu consistat in motu, *num.* 5. Ratio a priori huius doctrinæ, *num.* 6. *& seqq.* Cur motus gravium & levium ad proprium centrum non sit vitalis, *n.* 13. & 19. *cum seqq.* Ratio formalis vitæ prout explicatur ab Hurtado, reiicitur, *num.* 29 *& seqq.* item prout ab Arriaga exponitur, *num* 33. & 34. prout à Molina, *n.* 35 & 36. prout ab Oviedo, *num.* 39. Modus alius exponendi rationem formalem vitæ satis probabilis exponitur *eâdem d.* 76. *sect.* 4. per totam. Vita infima plantarum, *num.* 63. media brutorum, *n.* 64. perfecta intelligentium, *n.* 65. suprema Dei, *n.* 66.

Vivens in quot gradus dividitur, seu quot sint gradus viventium, *d.* 75. *sect.* 4. per totam. Vivens prout differt a non viven-

vente, quotupliciter se moveat, *ibid.n.*36. Gradus vivendi vnde sumantur, *num.*39. Vivens vniversè loquendo in quo distinguatur potissimùm a non vivente, *d.*76. ferè per totam. Nullum vivens natum est, se movere vnico motu, sed pluribus, *n.*8. *& seqq.* Gravia & levia an se moveant ab intrinseco quoties tendunt ad proprium centrum, *num.*19. *& seqq.* Ignis cur non vivat per motum suæ nutritionis & augmentationis, *d. eâdem* 76. *sect.*5. ferè per totam. Vivens in actu primo, in quo consistat, *num.*62.

Vniversi centrum an sit Sole, an potiùs in terra, & quâ ratione? *d.*74. per totam. Vide v. *Terra.*

Voluntas an differat realiter ab intellectu, *d.*83 *sect.*3.

Voluptas an spectet ad obiectum tactus, *d.*88. *n.*55. *& seqq.*

Voragines in aere apparentes, quid sint, & vnde procedant, *d.*92. *n.*20.

Vox quid sit, quatenus spectat ad obiectum auditus, & quibus instrumentis fiat, *d.*87 *sect.*6. per totam.

Z.

Zodiaci etymon, *d.*68. *num.*9. Duodecim eius constellationes, *ibid.* Singularum nomina, & ratio, *num.*10. Comprehendit trecentos sexaginta gradus, scilicet, triginta ratione vniuscuiusque constellationis, *n.*11. Cur Cometæ non appareant sub Zodiaco, *d.*94. *n.*44.

Zoophyta seu Plantanimalia, an constent omnibus sensibus externis, *d.* 85. *num.*42.

FINIS

Omnes sunt terniores, præter Hhh, qui est quaternio.

SALMANTICÆ.
Apud LVCAM PEREZ, iuxta Collegium D. Vincentij,
ANNO M. DC. LXXIII.

PALENCIA - BIBLIOTECA - PROPIEDAD INTELECTUAL - ESTADO DE LA

PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA - BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ARCHIVO DE LA

...onfecerunt. Hi numero Musas tres reliqua fanxe-
...unt: nomina imponeturque Meleten, Mnemen, & Aoe-
...eden quasi dicas meditationem, memoriam, & cantio-
...nem. Tempore multo post Picrum Macedone ferunt
...à quo vsi de Macedonæ montibus nomen, qui Thes-
...pias venillet vt nouem Musæ, hîce quibus nunc sp-
...pellantur nominibus cœperint intitulle. Sunt qui
...Pierum ipsum filios nuncupari, qui dicant, eosque de
...Musarum nominibus Musas appellasse. Sunt qui
...dicant Apollinem Dianæ & Minervæ fratrem,

1.509